Rz
637

Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám V
Osztályzat 9. 2

B.

Ardia V g

1163

TUBA CATECHETICA,

Id est:

EXPLICATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

A

R. P. ANTONIO ARDIA, è Soc. JESU

Italice primum Edita,

ET IN TRES PARTES DIVISA.

Nunc denuo Impensis

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

NICOLAI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopi Varadinensis

E COMITIBUS

CSÁKY

De Kereszttszeg, Perpetui Terræ Scepusiensis, ac Inclyti Comitatus Biharienſis Supremi, & perpetui Comitis, Sacræ Cæs. Regiæque Majestatis Consiliarii, &c. &c.

In usum Diœcesis in lucem edita

PARS PRIMA.

CASSOVIÆ,

Typis Academicis Societatis JESU. 1739.

268+252+23/28
katechetika
náboženstvo – zučovanie
kusťanstvo – dogmatismus – výklad
M. koš.

Rev. 1988

K.K. RECHTSAKAD. BIBLIOTHEK IN KASCHAU

Okresná ľudová knižnica - Košice
Prír. č. 12849/964
Sign. Rz-637-vl.1
Kč 180-
Odb. zn.
252

Rev. 77

TUBA CATECHETICA,

ID EST:

EXPLICATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

OPUS, & MUNUS OMNIBUS FIDELIBUS,

A

R. P. ANTONIO ARDIA, Soc: Jesu,

dicatum, & propoſitum.

PARS PRIMA

Explicationis Doctrinæ Christianæ.

INSTRUCTIO I.

Et proœmialis ad explicationem Doctrinæ Chriſtianæ.

INcipiebat Moyſes, ſicut ego nunc, explanationem Legis. Ille multò altiori ſpiritu, ego autem multò utiliori materiâ; Ille explicabat Judæis legem, & doctrinam Judaicam, quæ jam periit caduca, jam ceſſavit ex toto mortua; ego explano Catholicis legem, & doctrinam Chriſtianam, legem ex toto vitæ, ex integro ſanctitatis, ex toto gratiæ. *Cœpitque Moyſes explanare legem, & dicere*, dicit caput 1. Deut: v. 5. 3. Nam hoc ipſum ſignificat hæc vox tam ſonora *Deuteronomium*, id eſt, ſecunda lex, non quòd duas habuerint leges, ſed quia legem, quam antea non cum tanta claritate intimavit, in hoc libro illis explicat: hac de cauſa apud S. Auguſtinum, & Theodoretum *Deuteronomium* tantum ſignificat, ac *Explicatio legis:* & ut Judæos animaret Moyſes ad audiendam cum diligentia, I.

cum attentione, & cum profectu, explicationem hujus ſuæ doctrinæ; Videte, inquit, quòd hæc ſit tota veſtra ſapientia, & cum hac debetis excellere, & eminere ſupra omnes populos mundi: *Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis.* Deut. 4. v. 6. Animadvertite, & audite me, quòd, ſi didiceritis, vel apprehenderitis unà cum mea explicatione, Divina Præcepta, ſacros Ritus, & ceremonias cultûs veri DEI, omnes iſti populi idololatrici, ignorantes, perditi, & cæci, videntes veſtram ſapientiam, dicent admirabundi: Quæ eſt gens iſta, in qua omnes ſunt ſapientes, omnes inſtructi, & informati, omnes docti? gens in veritate grandis, gens magni emolumenti, gens, quæ ſcit, & intelligit res tam altas. *Ut audientes univerſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna.* ibid.

II. Jam quantò majori ratione, Chriſtiani Auditores mei, hodie id ipſum ego poſſum dicere? tantò majori, quantò major intercedit inter hoc, quòd DEUS in illa antiqua lege Judæis monſtraverit inter innumerabiles umbras aliquas exiguas ſcintillas ſuæ ſapientiæ; ſupra nos autem in JESU Chriſto, vita noſtra, omnes effuderit infinitos theſauros ſuæ ſapientiæ, talles ſunt illi, qui continentur in Doctrina Chriſtiana. Omnis ſapientia DEI, quæ ab æterno in ſinu ejus abſcondita fuit, omnis inquam nobis facta eſt patens, clara, & manifeſta in Chriſto JESU, ex cujus Divinis labiis tam cœleſtem excepimus doctrinam; per ipſum omnia myſteria ſublimiora, eminentioráque de Divinitate, in doctrina Chriſtiana adunantur; omnes veritates ſcripturarum, omnes prophetiæ illarum, revelationes, & figuræ omnes in doctrina Chriſtiana conſignantur: omnes Sacroſanctæ materiæ Theologicæ, earum quæſtiones, argumenta, diſputationes, omnes ad doctrinam Chriſtianam reducuntur. Omnia media pro emendanda noſtra vita, vel pro acquirenda æterna, omnia Sacramenta pro conſequenda, vel pro reſtauranda gratia perdita: omnes viæ ad conſequendum compendium virtutum, & perveniendi uſque ad culmen ſummum perfectionis, in doctrina Chriſtiana inveniuntur. Et denique totum quantum poteſt adipiſci humana ſapientia, vel etiam Angelica, in doctrina Chriſtiana compendiatur, pro cujus veritate ſparſerunt unà cum ſanguine vitam tot innumerabiles Martyres; pro cujus myſteriis, ad ea explananda, & defendenda, laboraverunt tot inſignes, tam ſapientes & tam ſancti Doctores: & pro cujus veris, fir-

firmis, & ſecuris dogmatibus impenderunt totam ſuam ſcientiam in octodecim Conciliis generalibus doctiſſimi, ſanctiſſimi, & maximi, quos mundus habuit, viri.

III. O Catholici! meliùs ergo vobis ego dicere poſſum: *Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis.* Hæc eſt veſtra ſapientia, ſcire duntaxat doctrinam Chriſtianam. Quanta miſeria erit illam ignorare? & maximè, dum omnis hæc tam excelſa, & ſumma ſapientia, illa ſapientia, inquam, tam neceſſaria, tanta facilitate acquiri poteſt. *Eſtnè poſſibile Pater, quòd tantùm ſcire, ſit admodùm facile?* ità: *quàm facilè?* dicam: ſolummodo inſummendo, applicando mediam horam quavis ſeptimanâ aſſiſtendo, & attendendo explicationi doctrinæ Chriſtianæ. Potéſtne dari res facilior? attendendum itaque eſt cum omni cura, & continuatione: Nam ſi quis ſtudioſus una die frequentat ſtudium, & centum diebus intermittit, parum aut nihil poterit capere, attendendum, inquam, eſt cum continuatione, & perſeverantia, & aſſecuro vos, quòd brevi tempore mechanicus, ſine apertione alicujus libri, & fortè ſine ſcientia lectionis, vel legendi, evadet conſummatus Theologus, licèt in vernacula lingua. Mercator ſine frequentatione ſcholarum poterit evadere, & eſſe informator ſuæ officinæ; pauper anicula, quæ nil aliud didicit & ſcit, quàm nere, poterit multò plus ſcire, quàm ſciverint Ariſtoteles, & Plato. Infans, ſervus, rudis, absque ſcientia latiniſmi, poterit capere ſummam totius doctrinæ eorum, qui doctiores æſtimantur in ſcholis. Et quod maximum omnium eſt, ibi ad lucem doctrinæ Chriſti, non ſolùm illuminati intellectus, ſed etiam accenſa & inflammata corda, videbunt omnes clarum, planum, & patens iter ad ſanctitatem; & idcirco adaptando me officio hujus ſacri miniſterii, procurabo, & conabor, ut mea explicatio ſit clara, familiaris, brevis, & facilis.

IV. Omnes itaque indigent iſta explicatione, & quanta obligatione, dicam ſuo loco. Omnibus æqualiter eſt proficua, magnis, & parvis, nobilibus & plebeis, viris & fœminis, dominis & ſervis; illis, ut diſcant id, quod non ſciunt: aliis, ut circumſpectè conſiderent id, quod non advertunt; & omnibus, ut acquiſita notitia, vel ut reviviſcente memoria, conforment vitam legi Chriſtianorum. Duo, inquit David, operatur explicatio doctrinæ Chriſtianæ: dicit illam illuminare, & dare intellectum parvulis: *Declaratio ſermonum tuorum illumi-*

luminat, & intellectum dat parvulis. Pſal. 118. v. 130. illuminat, & dat intellectum? ſúntne res duæ multùm diſtinctæ? ita: quia illis, qui jam habent intellectum, perſonis capacibus, & intelligentibus, explicatio doctrinæ dat lucem; parvulis autem, ignorantibus, rudibus, dat intellectum, ut intelligant. Omnibus ſervit, omnibus prodeſt hæc explicatio; intelligentes *illuminat*, ignorantibus dat iutellectum, *& intellectum dat parvulis.* Nullus itaque ſe excuſet, Domini, Dominæ, ùt ùt ſint periti, prudentes, dicendo mihi, quòd hoc opus ſit pro rudibus, pro ignorantibus: non; omnes illo indigent. Animadvertite dilectiſſimi ad videndum id, quod non longè diſtat, etiam qui non habet bonum viſum, per ſimplex perſpicilium clarè id videt; ad videndum autem id, quod illic longè diſtat, non ſufficit perſpicilium unius vitri, jam ſunt neceſſaria duo vitra, id eſt, illud perſpicilium, quod vocant tubum opticum: in quo unum vitrum in fine tubi eſt, alterum verò conjungitur oculis; & ſupra id, neceſſaria eſt lux ſufficiens diei, & ſic illud videtur, quod longè diſtat. In rebus naturalibus, in cura domûs, in gubernatione familiæ, in commodis, in negotiis, conceſſerim, quòd multum intelligant, quòd ſint multùm ſapientes, hoc autem eſt unicum vitrum rationis naturalis; ſed pro rebus æternis, pro myſteriis Divinis, pro veritatibus noſtræ fidei, quæ illic tam altæ ſunt, tam ſublimes, tam elevatæ, non ſufficit ſolum iſtud vitrum rationis naturalis, hoc ſolum non attingit; opus eſt altero vitro fidei infuſæ, & hæc ut colligat omnem lucem ex explicatione, neceſſarium eſt; hic eſt ille tubus opticus, quo opus eſt ad aſſequendam veritatem doctrinæ Chriſtianæ: nemo itaque ſe excuſet ab illius explicatione.

V. Probo hoc meliùs, deſcendendo, quamvis generaliter, ad partes principales, in quibus tota continetur doctrina Chriſtiana. Tales, dicit Catechiſmus, ſunt quatuor: *Credo*, *Præcepta*, *Orationes*, *& Sacramenta.* Jam videte, quomodo generaliter quævis indigeat explicatione: *Quomodo ſciemus bene credere?* reſpondet Catechiſmus: *Bene intelligendo credo, & articulos fidei.* Bene intelligendo: attendite: debet bene intelligi, non confusè, & ſuperficialiter. Scitísne diſcrimen quale intercedit inter illum, qui Catechiſmum ſcit in confuſo, & illum, qui audivit, & intelligit explicationem illius myſteriorum? id expono vobis exemplô: Videt quis aulæum flandricum, vel aliquem ornatum, mul-

multis coloribus, & figuris decoratum, complicatum tamen, & diversè involutum: dicet, quàm pulchri colores! ità eſt; hoc eſt id, quod ſolùm videtur; videt illic de plicatura caput caſſide armatum prodire, hìc brachium ſtringens acinacem, ibi ramum, hìc florem, &c. quæ hiſtoria eſt hìc depicta? ſunt bella flandrica; bene. Cùm autem aulæum illud convolutum & complicatum ſit, non intelligitur, non percipitur perfectè, nec delectat. Expecta igitur, & videbis, ubi explicatum fuerit, & extenſum; protenditur itaque ex integro, quæ pulchritudo, quæ proportio conveniens partium & colorum! modò verè quævis res videtur in ſuo loco. Vides, quanta proprietate ſit illa cohors militum expreſſa, quæ hoſtes invadit, illa altera, quæ ſe retrahit. Vides, quanta cum vivacitate ille prodeat, qui ſe de muro præcipitat, denique omnia naturaliter; Exinde colligis, quòd in veritate ſint eminentes extranei artifices, inæſtimabilis eſt tanta venuſtas. Hoc erat in hoc opere involutum. Jam notate, quid in noſtro caſu accidat. Audit aliquis in confuſo de Myſterio Incarnationis Filii DEI, & de hoc ultra nihil ſcit. Grande Myſterium dicit intra ſe, ſed non perpendit quanta, & quantò indicibilia mirabilia hoc Myſterium in ſe includat. Ah! videt illud totum involutum & complicatum: ſubitò, cum explanatione, ſi ei proponatur, videt expanſam illam admirabilem regionem ſapientiæ DEI, videt clarè, quanta beneficia amoroſa ibi fecerit pro nobis DEUS, tunc agitatus & impulſus ab amore, inquirit, amat, & veneratur hoc Myſterium. Quare? quia jam clarè videt omnia cum diſtinctione. Hoc itaque intercedit inter videre noſtræ fidei Myſteria cum claritate, quam nobis proponit explicatio, & videre, & ſcire illa ſolùm in confuſo; quia viſa cum claritate, æſtimantur, prout æſtimari debent; in confuſo apprehenſa, nec delectant, nec agnoſcuntur; & hac de cauſa, nec grata ſunt: & hoc eſt, quod fidem attinet.

Quomodo ſciemus operari? reſpondet Catechiſmus: *Bene intelligendo* VI.
præcepta, quæ obſervare debemus, & Sacramenta, quæ debemus percipere. Bene intelligendo? ità. quod etiam de omni illa mole legum humanarum, & civilium dixit Jurisconſultus: ſcil: quòd id non ſit ſcire leges, tenere ſolùm in memoria illarum verba, ſed penetrare, & intelligere omnem vim, & valorem illarum ſignificationum. *Scire leges, non eſt earum verba tenere, ſed vim, ac poteſtatem.* L. ſci: ff: de L. Quantæ ſpe-

cies culparum, quanta varietas peccatorum prohibetur brevibus verbis cujusvis præcepti? jam quomodo hoc agnoscet vel ad vitandum, vel ad sciendum confiteri, ille, qui non scit, nec plus intelligit, quàm corticem verborum? hoc est, tantum, quantum est scire viam, sed ambulare in tenebris; & clarissimum est exemplum. Qui tempore pluvioso nocte incedit per easdem vias ad suam domum, bene scit viam; est certissimum; jam quæro: quare portant plurimi tam accuratè lucernas? eheu! quia tali tempore non est securum bene incedere, est lutosum, habendo autem lucernam videmus, quò sit incedendum, & sic casum evitamus. Itáne? ergo non sufficit scire vias præceptorum, necessaria est lucerna explicationis eorum, quæ nobis demonstret periculum casûs ad id effugiendum, & ad cavendum offendiculum. *Lucerna pedibus meis verbum meum*, dicebat David, *& lumen semitis meis.* Si non scimus periculum, quomodo casum evitabimus? Et è contrario: si post casum, non sciamus modum, & viam, qualiter resurgere debeamus, quomodo consequemur in perceptione Sacramentorum gratiam? Scire in confuso Sacramenta, & non scire modum, & circumstantias, quomodo aut qualiter debeant percipi, quid hoc est, est hoc ipsum, ac si sitibundus aquas videat, & nesciat modum eas hauriendi. Ità contigit mulieri Samaritanæ, Christus ei aquam obtulerat, & illa respondit: Puteus altus est, & non habes, in quo haurias, quomodo potes dare mihi aquam? quanta ignorantia! hæc ipsa est, quam multi habent Christiani. Bene cognoscunt, & confitentur, quòd sit aqua gratiæ in Sacramentis, exempli causa in Sacramento Pœnitentiæ; cùm autem modum ignorent examinandi suas conscientias, quomodo possunt sua confiteri peccata? quàm puteus altus eis id videtur, quod tam facile est, audiendo ejus explicationem.

VII. *Quomodo sciemus sperare, & orare?* respondet Catechismus? *Bene intelligendo Pater noster.* Si quispiam, qui suâ totâ vitâ non intravit Palatium, vult petere aliquid à Rege, talis quærit sibi hominem peritum, inquirit de stylo, modo, & verbis pro formando suo memoriali, nè ab aliis irrideatur. Omnes sciunt petere, sed bene petere, & modo bono, non est tam facilè, nec omnes sciunt, & ideo necessarium est addiscere. Jam si per orationem *Pater noster* repræsentamus DEO nostras miserias, & necessitates, cur non adlaborabimus bene intelligere, & scire, quidnam illud sit, quod petimus, ut conse-

qua-

quamur noſtras petitiones? Refert Celius Rodiginus Lib. 3. antiq. Lection. Romæ fuiſſe pſittacum, qui dicebat tali modo, prout in choro orantur, diſtinctè Litanias B. Virginis Lauretanæ: dicemúsne hanc eſſe orationem? non; pſittacus eſt pſittacus, qui non ſcit, nec intelligit illud, quod dicit. Jam quid dicemus de tot pſittacis? & quid de tot picis, quæ non intelligunt illud, quod dicunt; nec ſciunt, quid petant? Ad hoc ſciendum & intelligendum juvat ad amuſſim explicatio doctrinæ Chriſtianæ.

VIII. Oh! & proſit nobis ad ſalutem. Hac de cauſa ſæpius fuerunt Magiſtri ipſimet Angeli, imò etiam ipſa Regina Angelorum MARIA Sanctiſſima fuit una ex illis ſæpiſſimè, inſtruendo, & docendo orationes certam perſonam Indicam. Hoc autem, quod maximè mirandum, eſt id, quòd ipſamet bruta DEUS elegerit in Magiſtros doctrinæ, ad confundendos homines. Certus Indianus in Peru, ùt ſcribit P. Joan. Atos: fuit tam negligens in addiſcenda doctrina Chriſtiana, ut nec quidem ſciverit orationes doctrinæ Chriſtianæ. Paſcebat ille verveces, & DEUS ſimili bruto irrationali volebat illum confundere, & inſtruere hunc minùs rationabilem ipsô brutô. Igitur quodam manè unum de vervecibus illi appropinquantem locò vocis naturalis, qua ſolet balare, audiit, voce clara & diſtincta, ac ſi homo foret, eundem recitare orationes doctrinæ Chriſtianæ; fuerit Angelus Cuſtos hujus Indiani, qui ita loquebatur per os bruti. Paſtor ſtetit attonitus, & territus tam ſtupendo prodigio, & hoc ſuffecit, ut immediatè orationes addidicerit. Fuit hoc absque dubio, prout jam dixi, factum ad confundendos Chriſtianos, qui ignorant doctrinam Chriſtianam; nihilominus tamen etiam fuit ad animandam meam ignorantiam; quodſi ad inſtruendum DEUS ſcit plane bruta in Magiſtros eligere; quomodo me non illuminabit, qui, quantumvis omni ex parte indignus, ſum nihilominus aſſiduè ejus miniſter.

IX. O Supremi Angeli Tutelares! omnium meorum Auditorum, qui licèt inviſibiles, mihi aſſiſtitis, & auſcultatis, proſtratus ante veſtras ſacras intelligentias ab hac hora, omnibus vicibus, quibus hanc cathedram conſcendam, vos invoco unà cum veſtro Archi-Seraphino Sancto Michaële, ut benigni inſpiretis meo intellectui, & meis verbis, illam claritatem, pondus, efficaciam, quam non poſſunt habere à mea lingua, nec poſſunt obtinere à mea ignorantia. Et tu prin-

ci-

cipaliter ô Virgo puriſſima! quæ Divini ſubſtantialis Verbi Mater es vera: Tu, quæ illius ſitibunda, illud concepiſti in tuis ſacris viſceribus: Tu, quæ illo fœcunda illud peperiſti in lucem totius univerſi: Tu, quæ Verbum DEI, quod abſconditum fuit in ſinu tuo, mundo patens feciſti, & manifeſtum, Tu fac, ut certus, & ſecurus procedam in explicatione ſupremæ illius doctrinæ, ne illam adulteret meus exiguus Spiritus, nec minus decentibus verbis, nec improportionatâ intelligentiâ; ſed ut ità claram, ità puram ſpargat in cordibus meorum Auditorum, prout in lucem prodiit ex Sacroſancto ſecreto tuorum viſcerum. Improviſus prodeo aliô ſuſtentaculô, & confido ſolùm in tuo favore! illumina meum intellectum, duc meam linguam, guberna mea verba tali modo, ut quidquid dixero, ſit totum in laudem, & gloriam DEI, in ædificationem & profectum meorum Auditorum, & nè mihi ſint in damnationem veritates, quas agnoſco, & ex quibus nullum fructum traho, ſed ut mihi, & omnibus cedat in acquiſitionem meritorum, ut gaudeamus præmiati in æterna gloria.

INSTRUCTIO II.

De eo, quid unusquisque diſcere debeat ex, vel in proprio nomine.

I. DUm aliquod colloquium longiùs durare debet, vel amicitia, quæ unam perſonam cum altera conſtringit, continuare, neſcio, qua inquietudine laboramus, usque dum nomen illius, cum quo tractamus, reſciamus. & idcirco eſt una primarum interrogationum: quale eſt nomen Dominationis Veſtræ? Titius vocor, ad obſequia Dominationis Veſtræ; firmatâ itaque hac notitiâ continuatur converſatio. Ego nunc ſtringo cum meis auditoribus non amicitiam, cùm jam à longo tempore hanc debeam, & illos amen omnes in Chriſto JESU, ſed novam converſationem, & diſcurſum in materia tam gravi, utili, & neceſſaria, quanta eſt doctrina Chriſtiana; itaque, licèt mei Auditores non habeant, quod à me quærant de meo nomine, cùm ſupponam, hoc illos ſcire, cognoſcendo quidem quàm debilis ſit mea habilitas, audiendo, me tot vicibus ex hac cathedra; mihi tamen, dum me accingo ad incipiendam doctrinam, incumbit in-

interrogare meos Auditores, quale unusquisque nomen gerat. Hæc eſt prima interrogatio Cathechiſmi. *Interrogo te Frater*: *Quomodo vocaris?* Pater! ego vocor Franciſcus, ego Antonius, ego Eliſabetha, ego Maria: Sed, ut dicam veritatem, hæc interrogatio magìs apparet eſſe vana curioſitas, quam me doctrina Chriſtiana non docet; nam quis eſt, qui ſuum proprium nomen ignoret? jam ſi ego valde bene ſcio, quale nomen habeam, quid reſtat, in quo poſſim inſtrui hac in parte? præterea, quem fructum poſſum habere ex eo, quòd meum nomen ſciam, vocer quomodocunque, hoc non juvat, ad diſcendam doctrinam. Videte, ad quid juvet, & quod non in vanum facit hanc primam interrogationem Catechiſmus. Dicite mihi: quando vobis hoc nomen impoſuerunt: hoc ego jam ſcio: in Baptiſmo; & hoc ipſum eſt multùm ſcire. Sed rurſus quæro: & quare vobis non impoſuerunt hoc nomen ante baptiſmum illic in veſtra domo, nec poſtea, ſed in hoc ipſo baptiſmo? hæc ſanè eſt præſtans interrogatio; in veritate non ſcirem dicere. Hoc certum eſt enim, infanti in baptiſmo nomen imponere non eſſe rem eſſentialem, & neceſſariam hujus Sacramenti: nam ſi Miniſter, habens debitam intentionem, prounciat, fundendo aquam, debitam formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* licèt nullum nomen imponat infanti, remanet infans veriſſimè baptizatus, éſtque in tanta gratia, in quali utinam nos omnes eſſemus in hora mortis noſtræ. Itaque ſi impoſitio nominis non eſt pars eſſentialis baptiſmi, quare in baptiſmo, & non ante, vel poſt vobis nomen impoſuerunt? non ſcirem dare rationem; Ego autem vobis nunc dabo triplicem.

Prima eſt: quando aliquis adoleſcens capit locum inter milites in una cohorte, illum locum capere nihil eſt aliud, quàm aſſentiri, inſcribi, & ponere nomen ſuum in liſta militum, qui ſub illo vexillo militant. Et hoc ipſum, in materia tam ſublimi, & tam Divina, eſt, quod nobiscum fit in baptiſmo. Omnes naſcimur, propter peccatum originale, inſcripti liſtæ dæmonis, ſubditi & ſclavi ejus; prodimus ex noſtris matribus ſignati dæmonis maledicto ſtigmate: in baptiſmo, dimittendo illam infernalem turmam, tranſimus ad turmam JESU Chriſti, facti milites ſub ejus vexillo, ut ſemper vivamus, & militemus in ejus cohorte. Quapropter, quia in baptiſmo, per gratiam, quam in illo recipimus, ceſſamus eſſe dæmonis, & incipimus eſſe II.

JESU Christi, hac de causa inscriptio nostra hujusmodi listæ cœli tunc fit, dum nobis imponunt, & assignant nomen. Hic sacer mos sumpsit initium ab incunabulis Ecclesiæ ex eo, quia in more habebant Judæi, qui in circumcisione, cùm hæc fuerit nota illorum legis, qua profitebantur se esse ex eo populo, qui tunc temporis peculiariter DEI erat, imponebant nomen; quantò meliùs de nobis dici potest, dum in baptismo nomen imponitur, quòd ex illo momento simus de lista DEI? Primitùs solùm mos fuit, sed ex inde fecit legem Sacrum Concilium Nicænum, Canon: 30. in quo mandatur, ut in baptismo nomen infanti imponatur.

III. Secunda ratio, quæ est magnæ consolationis, est: Nascimur propter culpam originalem filii iræ, sclavi dæmonis, & inimici DEI, & propter hoc nec nomen habemus apud DEUM, quia solùm justi nomen apud DEUM habent; intimat hoc sic esse Sanctus Gregorius Magnus, dum de illo infortunato, & infelice divite avaro loquitur, cujus nomen Evangelium non exprimit, exprimendo tamen, quòd mendicus ille miserabilis, qui jacebat abjectus ante divitis fores, Lazarus vocabatur. Erat justus, quantumvis fuerit pauper, dicit S. Gregorius hac de causa in libro DEI habet nomen; dives autem, quantò magis propter suas divitias celebratur in mundo, tantò minùs nomen apud DEUM habuit. Episcopo illi negligenti Sardis, inter alia vituperia, quæ illi DEUS objicit, numerat hoc: *Habes pauca nomina in Sardis.* Apoc. cap. 3. v. 4. Ah! dormituriens Episcope, ah! Pastor negligens, vide, quòd inter omnes tuas oviculas paucos habeas, qui nomen habent, illi enim pauci sunt ii, qui custodierunt puritatem, & gratiam baptismalem: Soli illi nomen habent, *habes pauca nomina.* Nascimur itaque sinè nomine apud DEUM propter culpam: in baptismo acquirimus gratiam, & ità hoc momento inscribitur libro DEI nostrum nomen. Quæ fortuna! quæ felicitas! & hac de causa nobis in baptismo nomen imponitur.

IV. Tertia ratio est magni timoris, quando aliquis stipulatus per scripturam, aut obligationem solvere alteri talem quantitatem, ad quam obligat suam personam, & bona, ut hæc obligatio sit firma & valida, illam roborat, subscribit infrà suum nomen. Quid inde? Baptismus est scriptura obligatoria, ah Catholici! in qua nos obligamur solvere DEO innocentiâ nostræ vitæ infinita beneficia, quæ in illo percepimus,

pimus, vivere ſecundùm ſanctam Legem, quam in hoc Sacramento profeſſi ſumus. Ideo igitur in baptiſmo nobis nomen imponunt in ſignum pacti, vel conventionis, & ſubſcriptionis, qua profitemur illud debitum, quô recognoſcimus noſtram obligationem. Quomodo accidit cuidam, habenti factam, ſeu contractam ſcripturam, vel obligationem, magnæ cujusdam quantitatis, & videnti terminum appropinquare, nec tamen eſſe ſolvendo? O DEUS! Chriſtiane! quomodo ſubſiſtit tuum capitale, quod à DEO accepiſti? quem tenes computum de tua anima? & quis ſcit, an terminus tuæ obligationis non ſit vicinus? ex nunc ergo, & ſemper impoſterum, quotiescunque tuo nomine vocaris, recordare, quòd illud ipſum nomen ſit pactum, & conventio, quam cum DEO in baptiſmo iniviſti, & cui ſubſcripſiſti.

Jam ergo ſcio, Pater, quod in ponendo mihi nomen in baptiſmo, & non priùs, vel poſteriùs, fuerit cauſa primaria, quia tunc adſcriptus fui cohorti, & militiæ Chriſti. Pro ſecundo, quæ fortuna! quia ex tunc habui nomen in cœlo inſcriptum. Pro tertio: quantus timor! quia tunc firmavi ſcripturam obligationis meo nomine, unde me DEUS judicabit, & exquiret rationem à me in ſuo tribunali. Cùm autem exinde habuerim magnum guſtum, quæro, quare eſt hic mos ſemper imponendi nomina Sanctorum, & Sanctarum infantibus? bona quæſtio. Eſt hæc ſancta conſuetudo inter Catholicos introducta ab exordio Eccleſiæ, prout affirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & Theodoretus; & fit propter tres rationes. V.

Prima eſt: ad remonſtrandum ſpecialem honorem, & obſequium illi Sancto, cujus nomen imponitur infanti, & per hoc manet obligatus ſuſcipere eundem in ſuam protectionem, & illi ſemper favere; qua ratione non debet infanti imponi Andreas, ex eo, quia Pater vocatur Andreas, nec Petrus, ex eo, quia avunculus infantis vocabatur Petrus; non, dicit S. Joannes Chryſoſtomus, non, quia hoc motivum eſt nimis vile, nimis carnale, & nimis terrenum: ut continuetur nomen familiæ, eſt motivum proprium barbarorum: Sanctus Chryſoſt. hom. 21. in Gen. *Vocaverunt nomina ſua in terris.* quis melior Pater, quàm Sanctus Franciſcus, quis melior avus Sancto Petro Apoſtolo? *Non avorum, & abavorum nomina tribuamus*, dicit Chryſoſt. *ſed Sanctorum Virorum, qui virtutibus fulſerunt.* Antiochiæ, refert de Sancto Chryſoſtomo ſeptima Synodus, habebant tantam devotionem ad VI.

S. Meleſium, ut quaſi omnes imponerent hoc nomen in baptiſmate ſuis filiis; & res meretur multam conſiderationem ex eo, quia hujus rei cauſa, dat nobis bonum documentum. *Per appellationem exiſtimans unusquisque in domum ſuam Sanctum illum introducere.* Raymund: tom. 8. de cult. SS. punct. 12. imponebant hoc nomen infantibus, quoniam tali modo, habendo filium Meleſium, cuivis videbatur, quòd collocaret in ſua domo ipſiſſimum Sanctum Meleſium. Quàm bona conſideratio! Impoſuiſti filio tuo nomen Franciſci? adlabora illum educare, recognoſce, inſtrue eum, ac ſi in illo haberes intrà tuam domum Sanctum Franciſcum: dirige & inſtrue eum in educatione ad ferventem amorem erga hunc Sanctum, & ad imitationem virtutum. Sed ſi quaſi per totam ſuam infantiam vix infans audit ſuum nomen, nec qualis ſit ſuus Sanctus, quem honorem Sancto exhibetis, ut infantulum protegat: *Checco*? quid habet ad agendum *Checco* cum Franciſco? *Cola*? quid *Cola* cum Nicolao? *Nino?* quid *Nino* cum Antonio? apage! hic modus non eſt teneritudo, ſed valde inſipiens idiotiſmus. Quod vocetis filiam veſtram *Mariam* nomine, quod nomen eſt cœlis dulcedo, nomen quod eſt tota teneritudo Angelorum, & quod ex teneritudine Hiſpani locò Maria dicant Cotita? & hæc eſt teneritudo? recedite. Honorantur, & lætantur multùm Sancti audiendo ſæpiùs repeti ſuum nomen, & cum nomine Sancti habet quivis noſtrum inſignem reliquiam illius Sancti. Eſt ponderatio Teofridi apud Rayn. ùt ſuprà; Quòd plus ſit potens *nomen Sanctorum*, illorum reliquiis: hæ ſiquidem determinantur ad pauca loca, illorum autem nomina per totum videmus mundum, & ſcimus, quòd faciant innumerabilia mirabilia. Videmus itaque hoc unà ſolùm confirmatione roboratum: Nomen ſolum Sancti Patris mei Ignatii fecit miracula ſinè numero: jam ſi ità facit duntaxat ſcriptum in folio mortuo, nempe ſcriptum in charta, quid non faciet, ubi opus fuerit, poſitum, & impreſſum homini? Pater Joannes Codurius, unus ex primis Sancti Ignatii ſociis, natus eſt in feſto S. Joannis Baptiſtæ, ordinatus in Sacerdotem in feſto S. Joannis Baptiſtæ, & mortuus eſt in feſto Decollationis ejusdem Sancti. Caſus poteſt eſſe, ſed quis negabit, quòd potuerit monſtrare Sanctus Joannes ſpecialem curam erga ſibi recommendatum in baptiſmate? Frater Franciſcus Belviſo, refert noſter Raynaudus, natus eſt in feſto Sancti Franciſci, impoſitum fuit ipſi hoc nomen, amplexus eſt Religio-

gionem S. Franciſci, ſuas Primitias celebravit in feſto S. Franciſci, & obiit in feſto S. Franciſci. Exinde quis non recognoſcet ſpecialem curam hujus incarnati Seraphini?

Hæc eſt ergo prima ratio, & cauſa imponendi nomina Sanctorum & non gentilium infantibus, & multò minùs nomina ridicula. Philippus Rex Galliæ ablegavit ſuos Legatos ad Regem Caſtellæ Don Alphonſum II. quærens & petens unam ex filiabus Regis maritare Delphino: expoſuerunt Legati ſuam legationem, & Rex Don Alphonſus obtulit illis ſuam primogenitam filiam, quæ erat pulcherrima, & nomen ejus Donna Urraca. Non, ô Rex! reſponderunt Legati, minorem conducimus. Videtis, dixit Rex, quòd non ſit tam pulchra Blanca; ſic vocabatur ſecunda, nihil obeſt, reſponderunt Legati, bonum nomen ſupplebit id, quod deeſt pulchritudini; & ſic evenit, Mater enim fuit Sáncti Ludovici Regis Galliæ; illáque, quæ ſancta ſua educatione perduxit illum ad tantam ſanctitatem. VII.

Secunda ratio imponendi nobis nomina Sanctorum eſt, ut noſtra devotione conemur illis ſolvere illorum patrocinium. Quàm pulchra devotio Auditores mei! in honorem Sancti, aut Sanctæ ſui nominis recitare omni die unum Pater noſter, & unum Ave Maria, & in die eis ſacro, confiteri, & ſumere ſacram Synaxim, diſtribuere aliquam eleemoſynam in honorem illorum, legere interdum eorum vitam. S. Petrus Nolaſcus à ſuis teneris uſque annis fuit ardentiſſimæ devotionis erga Sanctum Petrum Apoſtolum, & ſæpiùs dicebat, ſe ſolo nomine hujus Sancti ſtimulari ad virtutem, in omnibus ſuis neceſſitatibus recurrebat ad Sanctum Apoſtolum, ſempérque eundem experiebatur benigniſſimum, & habens magnum deſiderium Romam proficiſcendi ad viſitandas ejus ſacras Reliquias, ſed impeditus graviſſimis, & glorioſiſſimis occupationibus, venit ipſe Apoſtolus eum viſitare, apparendo illi viſibilis, & colloquendo eidem magna cum affabilitate, auferendo: vel tollendo moleſtias, quas patiebatur, nè poſſet proficiſci, viſitare, & adorare ſanctas Apoſtoli Reliquias. Ità favent Sancti ſibi recommendatis, quando illi tenerrima devotione ſciunt ſuis ſanctis Patronis ſe exhibere gratos. VIII.

Multò autem principaliùs favent ſuis clientibus, ſi illi ſuos ſequantur Patronos imitando illorum virtutes. Hæc eſt tertia, & principaliſſima ratio, imponendi nobis nomina Sanctorum: ut illud no- IX.

men ſit nobis incentivum continuum ad imitandas illorum virtutes, & idem nomen ſit continua reprehenſio noſtrorum vitiorum. Vide, quòd voceris Suſanna, ſcribit plùs lachrymis, quàm atramentô Sanctus Hieronymus certæ Suſannæ, quæ luxuriosè vivebat; quæ nequitia tua eſt, deturpando tuis turpitudinibus nomen illius tam caſtæ Matronæ? depone hoc ipſum nomen, quod mendaciter uſurpas, vel fac tua caſtitate illud, quod nomine vocaris: *Nefas eſt enim Suſannam vocari non caſtam.* S. Hier. Epiſt. ad Suſan. Quot vocantur Joannes, ſed præter nomen de Joanne nihil habent? exclamat rationabiliter S. Joannes Chryſoſtomus homil. 52. in Acta. *Vocantur & alii Joannes, ſed non propter nomen ſunt id, quod vocantur.* Quæ utilitas, quòd quis vocetur Joannes, quod nomen ſonat *gratia*, ſi animam portat plenam culparum? Oh! ego ſum ex illis, ſubjungit ex humilitate Sanctus: *Quemadmodum & ego non ſum Joannes, ſed vocor;* non ſum Joannes, licèt vocer Joannes. Quid reſpondebimus tu & ego, DEO nobis exprobranti prout fecit Epiſcopo Sardis, de quo dicunt, illum vocatum fuiſſe *Zozimum*, quod idem ſonat ac *ille, qui vivit:* habeo contra te; quod crimen Domine, quod delictum? *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.* Apoc. 3. v. 1. Et finaliter, quid te juvat, dicit S. Auguſtinus tom. 9. lib: de vit: Chriſt: c. 1. habere nomen illius, qui non es: *Quid tibi prodeſt vocari, quod non es, & nomen tibi uſurpare alienum.* Vocaris Joſephus? quid eſt in te augmenti gratiæ, & bonorum operum? Vocaris Michaël? quantum eſt in te puritatis? quid habes humilitatis de iſto ſupremo Archi-Seraphino? Vocaris Magdalena? quid eſt in te de illius amore? quid eſt de lachrymis propter tuas culpas? Vocaris Elizabetha? quid habes fidelitatis in tuo matrimonio? quid liberalitatis in pauperes? quilibet & quælibet ex vobis videat, an correſpondeat virtutibus ſui Patroni, dum ego devotionem erga eos promoveo ſequenti exemplo.

X. De Imperatore, refert Petrus Damiani, illum in ſuis habuiſſe ſervitiis certum Nobilem, nomine Bonifacium, proximè ſibi ſanguine junctum, & multùm à ſe amatum, merebatur enim ſibi omnem Imperatoris affectum, ob ſuas eximias dotes; in omni arte erat expertus, & ſapiens, excellentiſſimus in muſica, & in omnibus exercitiis Nobilium valde conſpicuus; non tantum autem in bonitate, & virtute Chriſtiana. Exiit certo die in campum diſtractionis gratiâ, & intrà ſu-

ſuam diverſionem offendit in ædiculam Eremicolæ mediocriter ruínatam, quam quondam incolebat Sanctus Bonifacius Martyr, cujus nomen in baptiſmate adeptus erat. Stimulum hoc illi addidit intrare ad orandum in ædiculam, ibíque demoranti occurrit hæc cogitatio: ut veritatem fatear, quomodo ego imitor hunc glorioſum Sanctum, cujus nomen gero? Bonifacius vult dicere idem, ac qui bene operatur, qui facit bona opera. Jam quæ ſunt mea opera? hæc cogitatio in tantum illum confudit, ut immediatè ibi hanc Chriſtianam reſolutionem arripuerit: *Aut non dicar Bonifacius, aut ero.* Eô ipsô momentô redit ad aulam, renuntiat omnibus, quæ habebat, ab Imperatore, licèt renitente, impetrat dimiſſionem, intrat Monaſterium Camaldulenſium, ubi multis annis ſanctiſſimè vixit, & inde promotus fuit ad Epiſcopatum, prædicandóque fidem, & Apoſtolus exiſtens Guaſconum, vitam pro Chriſto dedit decollatus, & ille eſt Sanctus Bonifacius, Epiſcopus & Martyr, quem nunc adoramus, & veneramur officio. Tantum potuit conſideratio obligationis ſui nominis: *Aut non dicar Bonifacius, aut ero.*

O omnes Sancti! qui veſtris nominibus glorioſis honoratis, pro- XI.
tegitis, & obligatis quemvis ad veſtram imitationem, ex meis Auditoribus; vos impetrate cuivis auxilium, & gratiam, ne in vanum portent, & honorentur nomine veſtro. Et tu Regina Sanctorum MARIA, quæ ratione Nominis tui es dulcedo, quæ nomine tuo inamoras Seraphinos, MARIA, quæ illa es, quæ illuminas radiis tuæ Pulchritudinis Angelos, luce eruditionis homines: Tu propter Nomen tuum Sanctiſſimum, vel, Tu, nomine tuo Sanctiſſimo, communica dulcedinem devotionis cordibus, divide, & dona lumen imitationis animabus, & conjunge in nobis omnibus meritis gratiæ, ſplendores æternæ gratiæ. Amen.

INSTRUCTIO III.

De incomparabili favore, quem debemus DEO, quòd nos Chriſtianos fecerit.

TRanſimus à nomine ad eſſe, & ab hoc, quod nominamur, ad id, I.
quod ſumus; & ſi ſolummodo habendo nomen Sancti, hoc nomen

men ſervit nobis pro incitamento, & ſtimulo ad imitandas ejus virtutes; *habere*, non jam ſolum nomen, ſed *eſſe* communicatum, & participatum ab ipſomet DEO, quanta obligatio erit imitari in omnibus noſtris actionibus ejus Sanctitatem? In domibus, & familiis Magnatum ſolent non tantum filii cognomina eorum aſſumere, ſed etiam famuli tam hi, quàm illi vocantur v. g. Colonna, Urſini, Conti, &c. cum magna tamen diſparitate: ſiquidem, ſi illud cognomen in ſervis, ſervos honorat, & propter hoc magis reſpiciuntur, & hac de cauſa obligati ſunt in omnibus ſuis actionibus monſtrare ſe eſſe ſervos domûs tam conſpicuæ, quantam obligationem filiis faciet; jam in filiis non ſolum nomen reſpicitur, ſed multò plus ſtimulum illis addit *eſſe* de Nobilitate, in memoriam eis reducitur eos eſſe illius filios, cujus ùt Nobiles tenentur imitari actiones. Jam ergo nos ità interrogat Catechiſmus de noſtro nobiliſſimo *eſſe*: *Interrogo, frater: ésne Chriſtianus?* ante reſponſionem neceſſarium eſt, bene intelligere interrogationem; videamus itaque, & bene advertamus, quòd non interrogemur ità: *vocarisne Chriſtianus?* non: nam, quantumvis *vocari Chriſtianum* ſit cognomen valde glorioſum, honoratum, & valde ſublime; nihilominus multò terribilior infamia erit vocari Chriſtianum, qui talis non eſſet ſuis moribus; unde non ſufficit vocari Chriſtianum, ſed eſſe: itaque hoc ipſum, de quo interrogamur, eſt, an tales ſimus? quia hoc ipſum eſt totum noſtrum *eſſe*, & ſi hoc eſſe non haberemus, quid eſſemus? ô DEUS!

II. Quisque noſtrum duplex habet *eſſe*, dicit S. Auguſtinus tom. 5. in 1. Epiſt. Joan. habet eſſe à natura, & habet eſſe à gratia; unum, quàm vile, quàm abjectum, quàm infame! hoc eſt eſſe hominem, terram, vermem, putredinem, & nihil. Alterum, quàm nobile, quàm altum, quam ſublime! & hoc eſt eſſe Chriſtianum, capacem percipere, & frui tam Divinis, & excelſis Sacramentis, cognoſcere tam alta Myſteria, & tandem beatitudinis capacem, eſſe hæredem DEI, & filium adoptivum. Eſſe hominem eſt commune cum Idololatris, cum Barbaris, cum Gentilibus, qui ùt bruta vivunt, & ſunt ſimiles, & pares vilibus, & ſtupidis jumentis, *comparatus eſt jumentis inſipientibus*; eſſe Chriſtianum, hoc extollit, & elevat ſupra omnes mundi ſapientes, eò quòd non tantùm hominem Angelis ſimilem faciat, ſed & faciat, ut eidem Angeli ſerviant. *Attendat unusquisque*, dicit Au-

gu-

guſtinus, *quid habeat Chriſtianus; quod homo eſt commune cum multis, quod Chriſtianus eſt, ſecernitur à multis.* Ut homo eſt, vix ſua cognitione pertinget ad cognoſcenda humilia, infima, & exilia terrena? Quid intellexit Ariſtoteles? quid ſcivit Plato? nihil, nihil, cùm non cognoverint DEUM. Ut autem Chriſtianus eſt, quouſque poſſunt ejus notitiæ pertingere? uſque ad ipſum initium Divinitatis. Nunc autem plùs proprium *eſſe* noſtrum eſt eſſe Chriſtianum, quàm *eſſe* hominem, concludit Sanctus Auguſtinus, *plùs ad hominem pertinet, quòd Chriſtianus, quàm quòd homo eſt.* Hac de cauſa itaque, propter hoc *eſſe* nobilius, altius, & ſublimius nos interrogat Catechiſmus: *Ésne Chriſtianus?*

Et quomodo debemus huic quæſtioni reſpondere? *Ità per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti ſum Chriſtianus;* per quem? per quem? repetatis hoc ipſum ſæpiùs dicere, pluribus vicibus dicite: Homo! per quem es Chriſtianus? Mulier! per quem es Chriſtiana? per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti. Per gratiam DEI, & per nihil ultra? per nihil: non per tua merita, non, quæ nulla habeas, antequam naſcereris; deinde nec pro hac gratia acquirenda ullum ſufficiſſet. Non per tuam elegantiam? non; nam gratiores te, pulchriores, & prudentiores perditi in gentilitate permanſerunt. Non per, aut propter tuam nobilitatem? Non per tuos parentes? Non per tuum ſtemma, aut familiam? non; multi etenim Imperatores, & Reges altioris familiæ, quàm tu, & te nobiliores ſunt in inferno absque baptiſmo. Non per tuas divitias? non; nam multis, qui erant Domini mundi, omnes illorum theſauri non ſufficiebant ad efficiendos eos Chriſtianos. Finaliter tandem non per tuum modum vivendi, non per tuas actiones, non per tuam diligentiam, non per ipſas tuas virtutes, non per tua bona opera es Chriſtianus? non, non; per quid ergo? ſolùm per meram, & ſpontaneam gratiam noſtri Domini JESU Chriſti; *Non ex operibus, quæ fecimus nos*, cor liquefit audiendo hæc verba Magiſtri noſtræ fidei, Sancti Pauli ad Tit. c. 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* In baptiſmo, vult S. Paulus dicere, ubi, cùm eſſemus nati filii maledictionis, nos regeneravit, ibi faciendo nos ſuos filios fecit, ut eſſemus pariter & hæredes. Itaque hoc volunt dicere iſta verba: *Sum Chriſtianus per gratiam mei Domini JESU* III.

Chriſti: ego non habendo merita: quæ mihi obtinere poſſent hanc infinitam fortunam, non habendo vim, & potentiam, quæ mihi poſſet conſequi tam altam dignitatem, carens favore tam humano, quàm Angelico, qui mihi adjutorio foret perveniendi ad tam altum *eſſe*, ſolus DEUS ex ſuo infinito amore, ſolus DEUS ex ſua infinita miſericordia voluit mihi facere hunc favorem, hoc beneficium, hanc gratiam. O gratia ſupra omnes gratias, & pro qua, quoties reſpiramus, toties recognoſcentes eandem, grati eſſe deberemus! quòd ſim Chriſtianus, ſolùm ex amore DEI factum eſt, quem ille erga me habuit, ſolùm, quia illius bonitas voluit mihi communicare hanc gratiam; ah! nè exempla quæratis, quia hæc gratia eſt ſine exemplo, nec quærite ſimilitudines, quia hæc gratia caret ſimilitudine.

IV. Hìc cadit in abyſſum totus ſancti Pauli ſpiritus, hìc perdit veſtigia, & totus ſubmergitur Auguſtini intellectus, hìc remanet abſorpta in infinito miſericordiarum mari omnis Sanctorum conſideratio. Et ut nos quidem de hoc faciamus aliquam æſtimationem, & ut hoc aliqualiter concipiamus, videamus ex parte DEI, quid nobis largiatur, & ex parte noſtra, quid recipiamus. Ex parte DEI; non ſolùm nos fecit Chriſtianos, ſed nos elegit, extraxit, & ab aliis ſeparavit, ut eſſemus Chriſtiani, inter tot millia milliorum hominum: *Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi*, ſcribit S. Paulus ad Epheſ. *ut eſſemus Sancti.* Ante creationem mundi vidit DEUS merita JESU Chriſti, vidit effuſionem ejus pretioſiſſimi Sanguinis, & vidit infinitos theſauros ex morte ejusdem. Ex parte altera vidit integrum acervum tot millionum hominum, qui propter peccatum erant damnandi, & ex integro hoc acervo, permittendo innumerabiles mori in gentilitate, elegit, præelegit, & nos ſeparavit, ut tanquam Chriſtiani gauderemus dictis Chriſti meritis. O DEUS! dic nunc mihi Chriſtiane, quid vidit DEUS in te, & in me, quòd, antequam exiſteremus, & viveremus, antequam mundus eſſet, nos jam tenuerit electos in ſuis amoroſis, & æternis decretis, ut eſſemus Chriſtiani? Animadverte, quanti milliones hominum ſunt mortui gentiles à principio mundi ad hunc uſque diem, & quanti morientur in futurum? quanti? omnes ſunt in inferno. Jam dic mihi, quid pluris vidit DEUS in te, & in me, quàm in tot gentilibus, in tot, & tantis Philoſophis, in tot Imperatoribus, & Imperatricibus, in tot, & tantis Regibus, & Reginis, qui omnes mor-

mortui ſunt idololatræ, Turcæ, Mauri, Hæretici, Barbari deſtinati ad infernum, & quòd te miſerabilem mulierculam, quæ ex integro nihil es, me miſerum, & pauperculum ſclavum, quem omnes pedibus proterunt, quòd te virum, & te fœminam, ignobiles, quòd denique te, & me, tantis beneficiis ingratos, Creaverit DEUS in terra Chriſtianorum, cùm nos potuerit creare in terra infidelium, nos laverit baptiſmali aquâ, ſuo ſacroſancto Sanguine rubricaverit, ſuis Sacramentis aluerit, ad ovile ſuæ ſanctæ Eccleſiæ nos collegerit, & nos denique nobilitaverit excelſo, & glorioſo *eſſe* inter Chriſtianos. Quare, & cur? demonſtro magis ad oculum hanc explicationem: Quot ex meis Auditoribus habuerunt fratres, aut ſorores, qui concepti erant in eodem utero cum illis, & quoniam mortui ſunt in utero, vel ſub ipſum exitum ex utero, non obtinuerunt aquam baptiſmi? jam tu mihi dic: quare tuo fratri, qui fuit in eodem ipſiſſimo utero conceptus, ſicut tu, ab eisdem parentibus, & etiam ſæpiùs ejusdem partûs, quare huic negavit DEUS fieri Chriſtianum, cur negavit illi ſuam viſionem pro ſemper, & tibi conceſſit? quare? ô amorem infinitum! hìc liquefactum cor Auguſtini, intermittit omnes diſcurſus ſui intellectûs, & reſolvitur totum in gratiarum actiones erga ſuum benefactorem: *Video innumerabilibus* (ſcribit Auguſtinus lib. de dilig. DEO t. 9.) *hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor eſſe conceſſum.* Sed cur ſinit alios non pervenire ad hanc gratiam? reſpondet Auguſtinus: quia cum omnibus illis volebat uti juſtitiâ ſuâ, tibi voluit demonſtrare omnem ſuam gratiam: *Illi vocati ſunt per juſtitiam, ego vocatus per gratiam.* Nunc jam videtis, quàm rationabiliter dicamus in Catechiſmo: *Sum Chriſtianus per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti.*

Imperator Claudius, cum aliis causâ mortis ſui Anteceſſoris, timens de ſua, currebat hinc inde ità tremens, ut, non inveniendo, ubi ſe abſconderet, ſe inclinaverit, & contraxerit totum, in veſtibulo palatii, & tantùm factus extra ſe timore mortis, ut voluerit quidem ſe abſcondere in veſtibulo, ſeu porta, loco tam publico, ſed habendo ex toto pedes intectos, ſeu diſcoopertos, putârit, ſe optimè ſtare abſconditum. Venit furioſus quidam miles quærens aggreſſorem, habénsque in manu ferrum nudum, venit ad portam, ſeu veſtibulum, reperit Claudium, & eodem momento Claudius in genua provolutus mortem expectabat. Tunc miles, elevando illum, & im- V.

ponendo ſuis humeris, exit clamando : *Claudius Imperator! Claudius Imperator!* ſubitò ſequuntur legiones militum, & cingunt in continenti caput coronâ. Quæ ſors dicetis, quæ fortuna? dum expectabat mortem, tunc eum eligunt, & coronam Imperii imponunt. Quæ ſors? quæ fortuna? quòd Claudius dignus morte, dignus infernô, dignior habeatur pro Imperio ? Noſtra certè eſt ſors, noſtra verè eſt gratia, quòd, dum eramus damnati, ad æternam mortem propter culpam, tunc nos elegerit DEUS multò glorioſiorem coronam, ad thronum multò excelſiorem, ad Imperium æternum ; hoc eſt, eligendo nos, ut eſſemus Chriſtiani : *Sum Chriſtianus per gratiam Domini mei JESU Chriſti.*

VI. Et quid nos accepimus cum iſta gratia ? quid ? omnes alias reliquas gratias, quas explicandi non eſt capax lingua humana, nec Angelica. DEUS homo factus eſt : infinitum beneficium ! mortuus pro hominibus : immenſus favor ! reliquit ſe nobis in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento : ineffabilis inventio ! reliquit in Eccleſia patentes Sacramentorum portas, per quas intrare licet ad thronum gratiæ ; deſunt verba ad explicandam infinitudinem horum beneficiorum ; Ità eſt: dicite ergo mihi nunc omnes illi gentiles, idololatræ, Barbari, qui mortui ſunt in illorum gentiliſmo, gaudebant his beneficiis ? non ; quare ? quia non fuerunt Chriſtiani. Ah ! itaque eſſe Chriſtianum eſt clavis, & porta, per quam intramus ad uſum tam infinitorum beneficiorum. Dicite mihi: ſi quis veſtrum eſſet infirmus, & jam jam vicinus morti absque omni remedio, intraret quidam cum ciſtula ex chalybe bene confecta, bene clauſa, & ferrata, & diceret : in hac ciſtula eſt medicina ità efficax, ut absque omni dubio tibi daret vitam, hâc ſumptâ in inſtanti ſanareris ; ſed clavis deeſt, & ciſtula modô humanô non poteſt aperiri. O DEUS ! quæ anxietates, quam diligentiam non adhiberes, ut clavis inveniretur ? quanti illam non ſolveres ? & ſi illam invenires, quanti illam æſtimares? Oh ! ſi in iſta clavi conſiſtit mea vita, & omnia alia, quibus in vita gaudere poſſum, quis non vellet eam magni ducere ? quis nollet æſtimare multò? Jam quis non æſtimet, & quis non habeat gratum infinitè, eſſe Chriſtianum ? hæc eſt illa clavis, quâ intramus in Eccleſiam ad fruendam vitam, quam perdideramus ; mediante hac vitâ gratiæ poſſumus participare, & frui omnibus DEI beneficiis, pretiô infinitô pretio-

tioſiſſimi ejus Sanguinis, infinitis meritis ejus mortis, luce ejus doctrinæ, fide de ejus Myſteriis, fructu Sacramentorum, & tandem immenſis deliciis ejus gloriæ. Jam ſi eſſe Chriſtianum eſt gratia, quam participamus, & fruimur omnibus gratiis noſtri DEI, rationabiliſſimè dicimus: *Sum Chriſtianus per gratiam Domini JESU Chriſti;* qui, ex nigro titione, qualis ego eram, pro inferno præparatus, non tantùm me de tali liberavit infamia, de tali vituperio, & de tali pœna, ſed me etiam prælegit, ut ejus frater eſſem, & ut cum illo participarem æternam ſuam gloriam. Oh! ſi oculis corporis videremus hoc, quod infans eſt ante perceptum baptiſmum, & id, quod fit ſubitò, intrando per baptiſmum ad Chriſtianiſmum, quàm altè æſtimaremus hoc eſſe tam ſublime?

VII. Quapropter aliquali modo voluit monſtrare DEUS, in caſu, quem nunc refero, & narrat eundem ſanctus Antonius Florentinus 3. part. hiſtor. tit. 10. c. 8. §. 9. Caſſanus, Rex Tartarorum, eundo cum formidabili exercitu de ſuo regno, ſtragibus circumvicina loca, provincias, & remotiora regna pavore replevit. Hac occaſione Legatum miſit ad Regem Armeniæ, petendo in uxorem filiam Regis, in qua concertabant honeſtas, & pulchritudo. Filiam negare, erat ſe, & regnum perdere, filiam dare, erat illam perdere: omnia affligebant Armenum, videndo ſe obligatum ad tradendam ſuam filiam pulchram, honeſtam, prudentem, & ſuper omnia Chriſtianam, Regi gentili, & Barbaro. Sed ubi tandem conventum fuit, ut illa ſineretur in lege Chriſtiana vivere, quam profitebatur, concluſum fuit matrimonium. Poſtmodum, tranſacto tempore, appropinquavit primus partus Reginæ, & dum Rex, & regnum totum expectabant filium, qui foret vera effigies matris; infelix Regina poſt terribiles dolores, peperit infantem, talis vultûs, ex cujus deformitate, fœditate, & turpitudine vix conjiciebatur eſſe hominem; peperit infantem tam nigrum, & indecorum, ut horrorem incuſſerit cernentibus. Quæ confuſio fuerit mirabilis, & infelicis Reginæ? quæ totius aulæ? vos recogitate; qualis, & quanta Caſſani? qui ardens bile, & hoc ipſum pro indicio habens adulterii in ſua uxore, immediatè mandavit exſtrui grandem fornacem, in qua Mater, & filius vivi comburerentur. Nec minimum profuêre gemitus, lachrymæ, & juramenta infelicis Reginæ, quibus probabat, & affirmabat ſuam innocentiam; ducebant illam ad infame

& terribile ſupplicium. Exit (ô quàm lachrymabile ſpectaculum!) innocens Principiſſa circumdata cohortibus militum, miniſtrorum, & cuſtodiarum, incedit per medium civitatis, commovendo ad compaſſionem etiam duriſſima corda: perveniunt ad locum feralem, ubi in præparata jam fornace eos mors expectabat. Tunc illa tota liquefacta in lachrymas: Sinite me per DEUM, dicit ductoribus, ut primò, & ultimò amplectar infantem, ex meis viſceribus natum. Non fuit hoc parum impetrare à feritate, & inhumanitate miniſtrorum: accipit comiter inter ſua brachia illud magis ferum monſtrum, quàm hominem: O fili meorum viſcerum, inquit ſuffocando inter ſingultus propria ſua verba: credebam ego habere in te, clauſo in meis viſceribus, Principem, & video, quòd nil aliud fuerit, quàm condemnatum ad pœnam; optabam dudum te eniti ad coronam, & ecce prodiiſti ad mortem! ô pignus cordis mei, quàm infelix natus es, ſiquidem ſine alio delicto, quàm quòd natus ſis, perdis coronam, mihi autem aufers honorem, coronam, & vitam! ô! utinam nunquam fuiſſes natus pro tot infortuniis. Cùm autem perdideris regnum terreſtre (ah! ne perdas totum) acquires cœleſte; & ſi Caſſanus te non vult recognoſcere pro ſuo filio, acquires filiationem DEI. Dixit, & petens ſibi afferi vas aquæ, prolem baptizavit: & eo ipſo momentô, fuit idem (ô miraculum) decurrere per caput aquas ſacri Baptiſmatis, ac videndo id omnes, fieri & formari infantem tam gratioſum, tam elegantem, tam venuſtum, ac Angelum. Inter alios exortus eſt clamor, jubilus, alios mutos effecit portentum ob admirationem; & Caſſanus pœnitens ſui judicii, non ſolùm revocavit cum multo honore Reginam ad palatium, ſed etiam ille cum magna parte ſui Regni factus eſt Chriſtianus.

VIII. Ecce itaque hìc ad oculos patens id, quod ſemper contingit in animabus noſtris, dum recipimus aquas ſacri Baptiſmi, quando conſequimur infinitam fortunam *eſſe* Chriſtiani; naſcimur in ſumma turpitudine, & fœditate infinita peccati, denigrati, & horribiles ſicut ſclavi diaboli, & hac de cauſa ſumus condemnati ad ignes æternos ſuſtinendos. Supervenit Baptiſmus, percipimus aquas luſtrales, & quid evenit? hoc, quòd eodem momentô conſequamur infinitam pulchritudinem gratiæ; quòd non ſolùm remaneamus liberi à flammis, ad

quas

quas eramus condemnati, ſed etiam quòd Rex Cœlorum nos adoptet, & recognoſcat pro ſuis filiis.

O JESU mea vita! quomodo nos gratos exhibemus pro hoc tam infinito beneficio? quomodo correſpondemus huic infinitæ gratiæ, qua relinquendo tot, & tantos, nos elegiſti Chriſtianos? ad hoc faciendum te nihil aliud movit, præter tuum amorem; itaque ubi eſt noſter amor, quo tenemur tibi eſſe grati? Tibi, licèt ego non eſſem Chriſtianus, nihil deeſſet de tua infinita gloria; mihi, ſi non eſſem Chriſtianus, deeſſet omnis tua gloria, totus infernus me expectaret. Nunc cùm tu mihi conceſſeris *eſſe* Chriſtianum, ut ità conſequar tuam gratiam, cur ego non quæram, & procurabo *eſſe* Chriſtianum tali modo, ut obtineam infinita bona, & theſauros gloriæ tuæ?

INSTRUCTIO IV.

De dignitate, & obligatione Chriſtiani.

QUò altior dignitas, eò major obligatio. *Carico*, & *carica*, id eſt *onus*, & *munus*, per unicam literam diſtinguuntur in noſtra lingua; & in Latino, *honos*, quod ſignificat *honorem*, unâ literâ, & mediâ non plus ultrà diſtinguitur ab *onus*, quod ſignificat *pondus*. Stat itaque conjuncta dignitas, & honor cum onere, & cum obligatione, & cum munere. Sicut ergo dignitas eſſe Chriſtianum maxima, & ſublimiſſima eſt, quæ in terris poteſt inveniri, ità obligationes ſunt tantò indiſpenſabiliores. De una, & de altera hodie loqui inſtitui, jungendo, vel nectendo præteritam interrogationem cum hoc, quod immediatè ſequitur in Catechiſmo. Vidimus jam tres rationes, ob quas dicimus: *Sum Chriſtianus per gratiam Domini mei JESU Chriſti:* hodie ad explicandam hanc voculam: *per gratiam*, reſtat nobis quarta ratio, & hæc ſumitur à dignitate. Moris eſt apud Reges, & Imperatores, Prælatos, & Epiſcopos, in ſuis Edictis, Proviſionibus, Schedis, ità exordiri: *Carolus per gratiam*, vel *gratiâ DEI*, *Rex Caſtellæ*, &c. *Franciſcus gratiâ DEI, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Cardinalis Pignatellus*, *Archi-Epiſcopus Neapolitanus*, &c. hac vocula: per *gratiam* DEI, vel *gratiâ* DEI, ſignificant, quòd honor tam ſublimis, qualis I.

eſt

eſt habere coronam Hiſpaniæ, quòd dignitas tam alta, qualis eſt habere pileum Cardinalitium, mitram Epiſcopalem, fuerit favor ſpecialiſſimus, ſingulariſſima gratia, quam DEUS illis voluit facere; nam, quamvis totum, quod ſumus, & quantum habemus, eſt per favorem, & gratiam DEI; hæc tamen magis reſplendet, & demonſtratur in dando locum eminentiorem, dignitatem tam excelſam perſonæ, quam poterat in alta oblivione permittere vilem, & depreſſam. Ità ergo rationabiliſſimè dicimus: *Sum Chriſtianus per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti*; cùm hæc dignitas ſit major omnibus, quotquot poſſunt eſſe in mundo. Nemo major niſi Chriſtianus, dixit Tertullianus lib. de prær. hæret. 3. quærat titulos vanitas, excogitet cognomina ſuperbia, mentiatur adjectiva adulatio; unum appellabant Africanum ex eo, quòd Africam ſubjugaverit, Alium Aſiaticum, quia Aſiam ſubegit: hunc Magnum, illum Auguſtum; omnia hæc ſunt mendacia, dicit Tertullianus: nemo eſt major Chriſtiano. Scitis, quantò major ſit Chriſtianus omnibus his? tantò; quantùm intercedit ſuperare Africam, ab eo, quod eſt ſuperare, & vincere cœlum; adipiſci coronam, & regnum terreſtre, quod cum morte, ſi adhuc tam diu duret, finitur, & adipiſci Regnum, quod erit æternum; jam hoc eſt eſſe Chriſtianum, eſſe Regem per omnem æternitatem; *feciſti nos Deo noſtro regnum, --- & regnabimus.* Apoc. 5. Sanctus Petrus Paſtor noſter, & Pater hoc ipſum dicit omnibus Chriſtianis conjungendo ſimul utramque dignitatem: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* 1. c. 2. v. 9. Sanctus Ludovicus, Rex Galliæ fuit natus, & baptizatus in loco ſolatioſo, vocato Poiſi, & poſtmodum non habuit majores delicias, & ſolatium, quàm illum locum frequentiſſimè viſitando; & ſolebat dicere, ibi DEUM ſibi feciſſe maximum beneficium, & dediſſe maximam dignitatem, quam in terra aſſequi poterat; hoc audiens quidam ex ejus amiciſſimis dixit illi: ubi autem permittit Veſtra Majeſtas civitatem Rhemenſem, ubi fuit coronata, & uncta in Regem Galliæ? appage, reſpondit Rex: Rhemis accepi coronam Franciæ, quam præſtò cum vita deponam, ſed in Poiſi accepi coronam cœleſtem, & glorioſiorem omnibus coronis totius mundi. Et hac de cauſa ſæpiùs in multis expeditionibus ſuis ſe ſubſcribebat *Ludovicus de Poiſi*, plùs æſtimando illam memoriam, quàm titulos ſui regalis ſangui-

guinis, & dominia ſuæ coronæ. Ità æſtimabat hic Sanctus Rex ſe eſſe Chriſtianum.

Sed quid multum eſt id, quòd ità, ſe eſſe Chriſtianum, æſtima- II.
verit, quandoquidem etiam ipſi Angeli, ſi forent capaces, nobis inviderent, quotiescunque nos vident ſumere, & refici vero corpore, & ſanguine noſtri DEI, liqueſcendo illi in ardentia deſideria, in amoroſas aviditates deſiderant hôc frui, quô nos gaudemus in ſanctiſſimo Sacramento cum tam exigua diſpoſitione, & cum tanta tepiditate. Jam hæc eſt noſtra dignitas, quæ eò pertingit, quò non perveniunt Angeli. Plùs ultra: potéſtne eſſe dignitas major, altior, & eminentior, quàm hæc in Maria Sanctiſſima, eſſe Matrem DEI? nihilominus audite S. Auguſtinum: *Felicior fuit Maria recipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Magis fortunata fuit Maria in eo, quòd eſſet Chriſtiana, quàm in eo, quòd eſſet Mater DEI. Oh ſi me poſſem diutiùs detinere in hac ponderatione! & erit idcirco hìc inter nos, qui in omnibus ſuis actionibus non glorietur, qui non æſtimet ſe eſſe Chriſtianum? Erit, qui perpetret peccatum mortale ex ſolo reſpectu humano, ut homo honoratus appareat, dein autem eundem pudeat, ut Chriſtianus videatnr, honeſtè vivere, & decentes mores in ſe habere? erítne aliqua fœmina, quæ, ut pulchra appareat, bene eloquens, vel prudens, non velit videri Chriſtiana? ô DEUS! omnes, quotquot in mundo poſſunt eſſe tituli, & honores, in hoc ſolo nomine omnes continentur, & inſcribuntur. Carolus V. Imperator exiſtens in armiſtitio cum Franciſco I. Rege Galliæ, ſcripſit eidem, neſcio, quem faſciculum literarum, in quo videndi erant extenſi tituli dominiorum Caroli illorum, quæ omnia nobis nota ſunt: *Carolus Rex Caſtellæ, Lionis, Aragoniæ, Navarræ, utriusque Siciliæ, Sardiniæ*, &c. Legit titulum Rex Franciſcus, & impatiens, vel ut meliùs dicam, invidioſus, ſcripſit in reſponſo: *Franciſcus Rex Franciæ, Rex Galliæ, Rex Galliæ*, & hoc toties repetiit, quot in Caroli literis tituli erant expreſſi, tandem in fine concluſit, *Rex Galliæ, & hoc plùs valet omnibus Imperiis*, & quàm deluſus hoc cogitavit! meliùs diſcurrebat quoad eſſe Chriſtianum Sanctus Ludovicus Franciſci Proavus, & etiam meliùs alius ſanctus Diaconus, qui vocabatur Sanctus, & bene demonſtravit ſe talem eſſe, quando Antonius Verus Imperator, antea Tyrannus appellatus, ad perſequendam Chriſtianita-

tem totus intentus fuerat, fuit etiam hic ſanctus Diaconus interrogatus: tu quis es? Chriſtianus, reſpondit: quomodo vocaris? Chriſtianus: quæ ars, quod tuum munus? Chriſtianus ſum. Non potuerunt extorquere aliud reſponſum, aut verbum ab eo, tormentis, cataſtis, & lacerationibus, donec jam perveniſſet ad ultimos anhelitus, & ultimos traheret ſpiritus: nè defatigemini, dixit illis: quia nihil aliud ſum, quàm Chriſtianus, Chriſtianus, Chriſtianus. O *eſſe* excelſum! O *eſſe* glorioſiſſimum, quod ſub cœlo poteſt haberi! Non dantur nunc ſimilia tormenta huic, vel illi, ſed ſolùm ob unicum verbulum, nè dicatur huic, vel illi hypocrita, pudet illum, vel illam apparere Chriſtianos. Jam autem eſſe Chriſtianum, eſt maxima laus, maxima dignitas, quæ poteſt in terra haberi. Et ideo multi ex primis Chriſtianis, ſcribit Procopius, portabant in manibus impreſſum, & ſcriptum Nomen Chriſti, vel ut ſemper hoc nomen in memoria retinerent, vel ad demonſtrandum omnibus, quòd eſſent Chriſtiani.

III. Quæro itaque ego nunc: quis ex nobis, qui hìc ſtamus, eſt Chriſtianus? oh! qualis interrogatio? nè quæſo offendantur; ego enim id bene ſcio, quid omnes mihi ſint reſponſuri: ſumus Chriſtiani, ſumus; ut autem quilibet ſciat illud, quod reſpondere debebit DEO in ſuo tribunali, videamus, quænam ſint obligationes, quibus is tenetur ſatisfacere, qui cum veritate vult profiteri, ſe eſſe Chriſtianum. *Quid vult dicere eſſe Chriſtianum?* reſpondet Catechiſmus: *Chriſtianus eſt homo, qui habet, & tenet fidem Chriſti, quam profeſſus eſt in ſancto Baptiſmo:* bene, breviter reſpondet. Nihilominus etiam ego judicarem, medietatem horum verborum eſſe ſuperfluam; cur dicendo Chriſtianus eſt ille, qui tenet, & profitetur fidem Chriſti, non ſufficiebat? videtur quòd ſic; nam per hoc diſtinguimur ab hæreticis, à gentilibus, quia iſti non habent fidem Chriſti; ad quem finem itaque adduntur iſta verba: *Quam profeſſus eſt in Baptiſmo ſancto:* Scitis quare? ut non ſolùm advertamus, quánta ſit noſtra dignitas, verùm etiam quanta ſit noſtra obligatio. Portant ad Baptiſmum infantem, vel adultum adducunt, & qualis eſt prima interrogatio? dicam totum noſtra linguâ vulgari: Quid quæris ab Eccleſia? & reſpondet, fidem: jam quid tibi fides præſtat? vitam æternam; ſi itaque vis cum fide ad vitam æternam intrare, debes ſervare mandata: hoc volo facere, & ſum contentus: itaque ſumme fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto

eſto moribus, ut templum DEI jam eſſe poſſis. Immediatè tranſitur ad orationes, & cæremonias ſanctas Eccleſiæ, tandem rurſus interrogatur: Abrenuntias Satanæ? abrenuntio. Auditores Chriſtiani, rogo, attendite ad has quæſtiones, quia nobis hìc adſtant Angeli, auſcultant, erúntque teſtes hujus coram DEO, quod in Baptiſmo reſpondemus, & quomodo id adimpleamus, ad quod nos obligamus. Abrenuntias omnibus operibus ejus? abrenuncio. Factâ hac tam ſolemni renuntiatione, baptizant infantem, & immediatè ei imponunt veſtem candidam, hæc verba pronunciando: Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JESU Chriſti, habeas vitam æternam. Ponunt intra manus candelam accenſam, & dicunt illi: Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum, ſerva mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, & ad judicandum, inveniaris cum luce accenſa, ut poſſis intrare cum eo ad nuptias vitæ æternæ. Hæc itaque eſt fides Chriſti, quam in Baptiſmo profitemur. Jam ergo interrogo, tu vir, tu fœmina, tenésne hanc fidem, quam profeſſus, vel profeſſa es in Baptiſmo? Profeſſus es ibi, ſumere fidem cœleſtium præceptorum, & adimplere Divina præcepta: Adimplésne ea? profeſſus es vivere tam puris moribus, ut poſſis eſſe templum exornatum, & politum, in quo DEUS habitet; Adimplésne hoc? Profeſſus es renunciare diabolo, renunciâſti omnibus operibus ejus, abrenunciâſti omnibus pompis ejus, adimplésne hoc? Profeſſus es uniri Chriſto, & nunquam ab eo elongari, & facere divortium à ſua gratia, ésne modò unitus Chriſto? Profeſſus es cuſtodire veſtem animæ albam puram, & ſine macula peccati mortalis; habétne pro nunc iſtas maculas hoc tuum veſtimentum, vel eſt purum? Profeſſus es tandem conſervare pro ſemper illam lucem accenſam fidei ad obſervanda, & cuſtodienda ſemper Divina præcepta, & durare, ſeu perſeverare in gratia: oh! quomodo ſe nunc habet iſta lux? quomodo lucet? O obligationes Chriſtiani! jam ergo, ô Chriſtiane vide, iſta eſt fides Chriſti, quam in Baptiſmo profitemur.

IV. Et ſi Chriſtianus eſt ille, qui habet, & tenet fidem Chriſti, quam profeſſus eſt in ſancto Baptiſmo, repeto interrogationem: *ésne Chriſtianus*? attendite bene, quid reſpondeatis, nè vobis in faciem objiciam, quod ſanctus Joannes Evangeliſta epiſt. 1. c. 2. v. 4. ſcribit:

Qui dicit, ſe nôſſe DEUM, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Pater, ego ſum ſatis nequam, & ſceleratus, ego hoc jam video, & agnoſco, ſed credo firmiſſimè in DEUM, & omnia ejus ſuprema Myſteria. Hoc ipſum etiam faciunt dæmones, ſcribit ſanctus Jacobus in ſua epiſt. c. 2. *Et dæmones credunt.* Verum eſt, ſed ego habeo in anima fidem ſupernaturalem, & infuſam in Baptiſmo. Bene eſt: ſed monſtres mihi iſtam fidem in operibus: deſunt bona opera. Scis itaque, quomodo ſtet circa tuam fidem? audi: nunquid ſæpiùs vidiſti infirmum tactum terribili apoplexia? quomodo illi cedit? quomodo ſe habet? ſicut truncus, ſicut mortuus. Franciſce, ô Franciſce! nihil audit; eleves brachium, ſtringas mihi manum; non poteſt, applica illi fortes torturas, non ſentit. DEUM bonum! éſtne iſte homo vivus? eſt; ſed in quo diſtinguitur à mortuo? anima ſurda, & ſine intellectu, ſenſus ſuſpenſi, corpus totum pallidum, rigidum, & abſque minimo motu. In quo ergo diſtinguitur à mortuo? ſecundùm id, quod in præſenti eſt, in nullo: in tantum iſte non poteſt movere brachium, in quantum non poteſt movere cadaver, ità ſurdus eſt, ità cæcus, & mutus, ſicut ille, qui jam eſt mortuus; & ſolùm in hoc diſtinguitur, quòd, ſi effugerit & evaſerit ex hoc terribili malo, poterit poſtmodum exercere functiones vitæ, quales nunc non exercet. Jam ad noſtrum propoſitum: ſic ſtat tua fides Chriſtiane, qui in peccato mortali nec unicum opus meritorium facis, ſic ſtat tua fides: fides apoplectica, fides, quæ ſe non movet, fides quaſi mortua: *Fides ſine operibus mortua eſt*, dicit S. Jacobus c. 2. v. 26. quid itaque tibi proderit hujusmodi fidem habuiſſe? ad hoc tibi proderit, ut tua peccata ſint graviora, quàm gentilium; ut ſis pejor idololatris. *Omnibus pejus vivunt mali Chriſtiani.* Dudum ingemuit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 30. *Et talibus plena eſt Eccleſia.* Ad hoc denique, ut tua damnatio ſit magis terribilis, & in inferno tua tormenta ſint exceſſivè innumerabiliora, crudeliora, quàm illorum, quæ ibi ſuſtinebunt, qui nunquam DEUM cognoverunt. Ità hoc ipſum dixit magno Macario Calvaria, quæ illum allocuta fuit in Eremo. Spec. Exemp. v. infernus exem. 3. Jam itaque, ſi habes fidem mortuam, nullum faciendo opus bonum, ſi charitatem perdidiſti, quæ eſt vita animæ, ſi gratiam amiſiſti, per quam eras filius DEI, &, ſi omnes virtutes perdidiſti

ſti ob tot, & tanta peccata mortalia, audebis nihilominus dicere, te eſſe Chriſtianum?

Antequam autem hoc dicas, audi exemplum, quod corda etiam ærea faciet tremere: non eſt parum, quod Doctor maximus, & Pater Scripturarum ſanctus Hieronymus de ſe ipſo refert; & ideo hoc ipſum *propriis ejus referam verbis, quibus ille enarrat in epiſtola ad Euſtochium Virginem epiſt. 22.* verba ejus ſunt: Referam tibi meæ infelicitatis hiſtoriam: cùm ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi, propter Cœlorum Regna me caſtrâſſem, & Jeroſolymam militaturus pergerem, bibliothecâ, quam mihi Romæ ſummô ſtudiô, ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miſer ego lecturus Ciceronem, jejunabam; poſt noctium crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quando in memet reverſus, Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis; dum ità me antiquus ſerpens illuderet, in media fermè quadrageſima medullis infuſa febris, corpus invaſit exhauſtum; & ſine ulla requie (quòd dictu quoque incredibile ſit) ſic infelicia membra depaſta eſt, ut oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & *vitalis animæ calor, toto frigeſcente jam corpore, in* ſolo tantùm tepente pectuſculo palpitabat: quàm ſubitò raptus in ſpiritu, ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille, qui præſidebat, mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus. Matth. 6. v. 21. *Ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me juſſerat) conſcientiæ igne magis torquebar, illum mecum verſiculum reputans: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Pſal. 6. v. 6. Clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miſerere mei Domine, miſerere mei. Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua provoluti, qui adſtiterant, precabantur, ut veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. V.

Ego, qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejurare cœpi: & nomen ejus obteſtans dicere: Domine, ſi unquam habuero Codices ſæculares, ſi legero, te negavi. In hæc Sacramenti verba dimiſſus, revertor ad Superos, & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lachrymarum imbre perfuſus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpè deludimur; teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui; teſtis judicium triſte, quod timui; ità mihi nunquam contingat in talem incidere quæſtionem, liventes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tantô de hinc ſtudiô Divina legiſſe, quantô non ante mortalia legeram. Hucuſque S. Hieronymus ad Euſtochium.

VI. O DEUS meus! fideles, ſi uni ſancto Hieronymo, qui mundum reliquit, eremum incoluit, diebus jejunavit, noctibus vigilavit, ſua deflendo peccata, ſolùm ob id, quòd nauſeaverit Divinas Scripturas, legendo liberiùs Ciceronem, negatur nomen Chriſtiani, & flagellis tam terribilibus caſtigatur, quid tu ſperas, & quid ego ſpero tot culpis ſordidatus? quid reſpondebimus, dum, avulsâ à nobis animâ, ante illud tremendum tribunal comparebimus? Homo! ésne Chriſtianus? Mulier, ésne Chriſtiana? Nunc pro tunc recogitate hanc interrogationem, quomodo reſpondeatis. Oh! & hoc ſimus moribus, quod ſumus dignitate; Oh! ſimus hoc vitâ, quod ſumus fide. Oh! & hoc ſimus bonis exemplis, quod ſumus profeſſione. Non pudeat nos id videri, quod nominari, & eſſe tanta ratione, & aviditate æſtimamus. Demus gloriam DEO hoc *eſſe* Chriſtiano, & apparere, quoniam DEUS ad hoc *eſſe* Chriſtianum nobis dat gratiam, ut tandem conſequamur æternam gloriam.

INSTRUCTIO V.

De via, quam nobis monſtrat Signum S. Crucis, die Aſcenſionis Domini Noſtri JESU Chriſti.

I. INcidit nobis Crux in proprium diem, volo dicere, explicatio Signi ſanctæ Crucis, quæ eſt illa, quæ hodie ſequitur, in diem glo-

rio-

rioſæ Aſcenſionis noſtri Redemptoris, quam hodie celebramus. Sed quid? éſtne dies Aſcenſionis, quæ tota eſt jubili, & gloriæ, dies propria Crucis, quæ tota fuit amaritudinis, & pœnarum? Dico, quôd ſic, & priusquam ſatisfaciam objectæ propoſitioni, volo reſpondere ad id, cujus me arguunt; cùm in explicatione doctrinæ oporteat quandoque divinare cujuslibet cogitationes. Jam itaque plures, quàm duo contra me cogitârunt, hoc non eſſe illud, quod ſequitur explicandum; ſiquidem cùm explicatum ſit, quis ſit Chriſtianus, & quæ ejus obligationes, interrogatio, quæ immediatè ſequitur in Catechiſmo, eſt: *Quis eſt Chriſtianus?* itaque hoc eſt illud, quod hodie eſſet explicandum. Reſpondeo hanc interrogationem, cum aliis quatuor, vel quinque, quæ ſequuntur, pertinere ad ſupremum Myſterium Incarnationis Filii DEI; & cùm hoc ſublimiſſimum Myſterium habeat ſuum principaliſſimum locum in *Credo*, ſinite, precor, pro nunc quaſi in depoſito apud me has interrogationes, qui, ut bonus depoſitarius, absque eo, ut neceſſarium ſit, me exequi, ſatisfaciam ſuo tempore, & non erit longum intervallum, ſiquidem dico, & appromitto me ſoluturum intrà *Credo*. Et nunc, multùm opportunè, proſequitur nos interrogando, Catechiſmus ſic: *Quale eſt inſigne, & ſignum Chriſtiani?* & reſpondet: *Signum ſanctæ Crucis.* Sancta Crux eſt noſtrum Signum? jam quis nobis hoc dedit? quis impoſuit, quis fecit hoc ſignum eſſe noſtrum? Scitis quis? Ipſemet Chriſtus JESUS, & non alia occaſione, dicunt graviſſimi Authores, & Doctores, quàm in die ſuæ glorioſæ Aſcenſionis in Cœlum. Videte, an non bene dixerim, diem Aſcenſionis fuiſſe diem proprium ſigni ſanctæ Crucis. Congregati itaque hac die, ſicut hodie eſt, cum Maria ſanctiſſima, Apoſtoli, & Diſcipuli, & illæ devotæ, & ſanctæ Mulieres, in Monte Oliveti, quò omnes illos noſter Redemptor perduxit, ut valediceret terræ, & ut dolor illorum mitigaretur propter ejus abſentiam, videndo gloriam ejus triumphi exinde conſolarentur: advenit momentum Aſcenſionis, & cingentes illum ex omni parte hi pauculi Chriſtiani, in quorum oculis concurrerunt cum deſiderio illum ſequendi, lachrymæ ex neceſſitate in terra remanendi, ad ultimum favorem demonſtrandum, qui ille eſt, qui vel maximè ſolet impreſſus remanere, impertivit illis omnibus, dicit S, Lucas c. 24. ſuam benedictionem, & cum Majeſtate glorioſa, elevando ſe in aëra inter concentus feſtivos

Se-

Seraphinorum, proficiſcebatur penetrando cœleſtes orbes: *Benedixit eis, & ferebatur in Cœlum.* Hæc itaque benedictio, quam Chriſtus ſuis impertivit Chriſtianis pro ultimo Valete, fuit illis, tribuere, & elargiri omnem colligatam in ſigno Crucis felicitatem; vide Cornel. hìc in cap. 24. Luc. Impertivit Dominus hanc benedictionem, dicunt aliqui, in modum Crucis aptatis brachiis, prout quondam Jacob benedixit ſuis nepotibus Joſephi filiis, alii dicunt, quòd illam benedictionem impertiverit formando ſua ſanctiſſima manu Crucem in aëre; & in utroque modo nos docuit, formare ſupra nos ſignum ſanctæ Crucis, ut omnes fatentur: Omnes igitur taceant, ubi ſanctus Hieronymus loquitur: promiſerat Dominus per Iſaiam in lege Evangelica, ſe velle ponere ſignum in ſuis Chriſtianis, *& ponam in eis ſignum.* Iſa. c. 66. In hunc locum dicit S. Pater Hieronymus: *Hoc ſignum nobis ad Patrem aſcendens Dominus dereliquit, ſive in noſtris frontibus poſuit, ut liberè diceremus: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* Tali modo, dies Aſcenſionis fuit, quando noſtra vita Chriſtus nos inſtruxit Cruce inſigniri; hac die fuit, quando nobis reliquit, impreſſit, & nos inſtruxit, quòd noſtrum inſigne ſit ſignum ſanctæ Crucis; non eſt parvi ponderis, & authoritatis hæc excellens traditio; & ab hinc illam ſumpſerunt Apoſtoli, ac poſtmodum totam Eccleſiam docuerunt, prout obſervat S. Baſilius, lib. de Spirit. Sancto. cap. 27.

II. Ego igitur pro nunc facio unam interrogationem: Certum eſt, quòd poſt reſurrectionem Chriſti, per illos quadraginta dies, quibus ſæpiùs apparuit Apoſtolis, illos docuerit res altiſſimas circa adminiſtrationem, & uſum Sacramentorum, circa regimen hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & alia multa, quæ nos poſtea docuerunt Apoſtoli, & ſunt illa, quæ Eccleſia tenet, & veneratur ùt Traditiones Apoſtolicas. Jam ergo eſt mea Interrogatio: quare ex omnibus illis quadraginta diebus reſervavit Chriſtus ultimum diem, imò ipſum punctum, & momentum ultimum ſuæ in Cœlos Aſcenſionis pro inſtructione, qua nos docuit ſignum ſanctæ Crucis? nunquid hoc etiam antea poterat docere? quare hoc reliquit pro ipſiſſimo momento ſui diſceſsûs? Scitis quare? quoniam Crux fuit ſignum, quod nobis relinquebat, ut poſſimus illum ſequi in Cœlum, voluit, ut nobis in recenti memoria maneret, ut exinde diſcamus quaſi è veſtigio, quò via tendat, quam calcare debemus, ſi volumus cum Chriſto in Cœlum aſcendere.

Hæc

Hæc itaque prima ſignificatio eſt: cur vocetur Crux ſignum Chriſtiani? hæc vocula *ſignum* in noſtra lingua ſæpiùs ſignificat orbitam, veſtigium, quod quis ambulando poſt ſe relinquit de ſuis greſſibus; & ſic III.
Crux eſt ſignum, per quod debet Chriſtianus ſequi paſſus, & veſtigia noſtræ vitæ, ſcilicet JESU Chriſti; hac de cauſa hodie nobis illam relinquit pro ſigno. Si quis diſceſſit, & non ſcimus, quò iverit, aut per quam viam, quid remedii, & conſilii ad illum ſequendum? quid? opus eſt quærere ſignum, quod ambulando terræ impreſſit, ſequi veſtigia, ſoletis dicere, obſervare, quonam veſtigia eant, & ſic eum aſſequemur. Pater, hoc exemplum eſt valde bonum, ſi via Chriſti eſſet per terram; cùm autem via illius ſit tam alta, quæ non relinquit in aëre, nec ſignum, nec veſtigium, nec orbitam, quid faciendum? Expectate, ſequitur aliud exemplum: evenit alicui incedere per altiſſimum montem, tam rupibus aſperum, & arboribus denſis oppletum, ut nullus per totum montem appareat aditus, vel via, imò nec minimum ſignum alicujus paſsûs, aut greſsûs humani. Jam quid ſolent facere illi, qui volunt pertranſire, ne ab invicem deperdantur, & ut alii illos ſequi poſſint? incedunt relinquendo poſt paucos paſſus ſigna in arboribus: ibi ab una arbore detrahunt corticem, in alia quatuor vel ſex ictibus ſecuri faciunt ſignum: & ità, licèt in terra via non appareat, nec ſemita, nec veſtigium tamen ſequendo ſigna arborum, alii incedunt ſequendo, nec horrent auſteritatem, rupes, & aſperitatem montis. Nunc hóc ipſum ſignum eſt, quod nobis relinquit hodie noſter Redemptor, ut ipſum ſequi poſſimus uſque ad excelſum montem gloriæ.

Eja Chriſtiani! non ſit vobis exiguum, quòd hodie vobis ſan- IV.
ctus Auguſtinus faciat doctrinam! quàm excellens erit doctrina! Eſt itaque Crux, dicit S. Auguſtinus, ſcala, per quam aſcenditur ad Cœlum; per hanc ſcalam aſcendit Chriſtus, & ideo in ipſa nobis reliquit ſignum, ut per imitationem ipſius aſcendamus. *Crux eſt ſcala Cœli, per quam Chriſtus hominem lapſum levavit ad Patrem.* Aug. ſerm. 2. de Catech. Nec cogitate, *hanc ſcalam* eſſe multùm arduam, & difficilem, non, non habet plures, quàm quatuor gradus. Quatuor gradus? & iſti ſoli ſufficiunt nos perducere uſque ad Cœlum? ità eſt, & non dico hoc ego, ſed S. Auguſtinus: *Non ergo laborioſa debet eſſe hæc ſcala: quatuor enim tantùm gradus habet, quibus nos perducit ad Cœlum.* Quatuor

gradus, non plures ? jam quis erit, qui non aſcendat ad Cœlum ? eja ergo ! aſcendamus. Stat Crux, ut firmiter conſiſtat, immiſſa eſt cum extremitate in terram, ibi eſt tumulata, abſcondita. Atque iſte eſt primus gradus, dicit Auguſtinus, fides, fides ; qua, credendo id, quod non videtur, aſcendimus ad fruitionem Myſteriorum, quæ in Cœlo deteguntur, & patefiunt, quia in Cœlo videbimus DEUM de facie ad faciem ; hìc in terra debemus credere ejus excellentiſſima, & ſuprema Myſteria, quæ occulta, & abſcondita non videntur : *In profundo Crucis occultum eſt, quod non vides, ſed inde exurgit totum hoc, quod vides ; adſit fides Chriſtiana, & tunc primum gradum aſcendis :* Fides itaque, dicit S. Auguſtinus, eſt primus gradus. Eja ergo ! & quoniam non deſunt nobis plures gradus, quàm tres, perveniendi ad Cœlum, nemo deſperet.

V. Porrò in longitudine Crucis ſtat Dominus nobis monſtrando ſuo corpore ſignum ſecundi gradûs, ad quem debemus aſcendere : ideo dicimus, quòd ſignum noſtrum ſit Crux, quia eſt figura Chriſti crucifixi, per quem redempti ſumus *in illa* ; jam itaque quomodo ſtat ibi hoc corpus Virginale ? hoc corpus puriſſimum ? O DEUS ! inter vulnera dilacerata, & deturpata tota ejus pulchritudo : inter plagas deleti, & obſcurati candores ejus venuſtatis, & inter flumina ſanguinis confuſa tota proportio ejus partium. Quid eſt hoc ? eſt ſecundus gradus, dicit Auguſtinus, ad quem debemus aſcendere, mortificando noſtros appetitus, ſubjugando noſtras paſſiones, efficiendo pœnitentiâ, & jejuniô, ut noſtrum corpus ſit ſubjectum, & pendens à ſpiritu, non autem ſpiritus ſit ſubditus carni : *In longitudine Crucis Corpus Crucifixi pependit : caſtiget quisque corpus ſuum pœnitentiâ, & jejuniis, ut ipſum ſic ſuſpendens ſervituti animæ ſubjiciat, & ſecundum gradum conſcendit.* Iſte itaque eſt ſecundus gradus, ad quem nos obligat ſignum ſanctæ Crucis, nempe mortificatio, jejunium, & pœnitentia. Oh ! quàm timeo, ne multi retrahant pedem. A Patre Petro Fabro, inſigni heroe noſtræ Societatis petiit magnæ Nobilitatis Vir Madriti, ſibi dari aliquas orationes, vel aliqua puncta pro meditatione, & reſpondit illi Pater : Non requiritur plus, quàm ut aliquô ſpatiô intra diem hoc recogitet : Chriſtus ſtat in Cruce in ſumma paupertate, & ego in tanta opulentia ? Chriſtus patitur famem & ſitim, & ego in tam ſumptuoſis conviviis verſor ? Chriſtus ex integro nudus, & ego

tam

tam pretiosè vestitus, Christus ibi sufferens tam terribiles dolores, & ego positus inter tantas delicias? & non est opus facere plùs; sed hoc debes recogitare cum attentione, & vivaciter. Abiit, & non post multos dies invitatus fuit ad convivium, assedit mensæ, & intra breve spatium occurrit ei: Christus in Cruce stat patiendo famem & sitim, & ego hìc fruor cibis lautis, & éxquisitis? cogitatio ista expressit illi ex oculis copiosas lachrymas, surrexit à tabula, exivit ex convivio, & secessit in solitudinem, ubi sanctè vixit, & mortuus est. O! quam bene iste ascendit ad secundum gradum Crucis! sic etiam ascendit sancta Elisabetha, Regina Hungariæ, quæ intrando semel Ecclesiam, vestita ex integro micantibus vestibus regiis, vidit Crucifixum, & mente suspensa, videndo illius plagas, sanguinem, & vulnera: O Domine! dixit, tu ità afflictus, & nudus, & ego tam pretiosè exornata? abripit de suo capite coronam, projiciendo illam ad pedes Crucifixi, per terram spargit gemmas, & adamantes, & redux ad suum palatium, nunquam ultrà poterat persuaderi, & ab illa impetrari, ut vestiretur vestibus sericeis; hoc est per Crucem ascendere. Perpendite hoc, quid dicitis, putatísne vos esse tam robustos? O! si daretis, & impenderetis aliquale tempusculum tam proficuis cogitationibus: DEUS meus nudus in Cruce, & solus? plagis & sanguine coopertus, & ego in tantis ornamentis, & pompa? propter me Redemptoris mei sacratissimum Caput septuaginta duabus spinis fauciatum, & ego nil aliud cogito, quàm de voluptatibus, & vanitatibus? mei Domini JESU pedes clavis affixi ad lignum Crucis, & ego tanta libertate quæro deambulationes, & diverticula? hoc non est ascendere per Crucem; ergo neque erit ascendere ad Cœlum; itaque via, per quam ego ambulo, nihil est aliud, quàm pervenire ad infernum.

VI. Transeamus ad tertium gradum. Ibi extensæ manus nostri Redemptoris, & brachiis Cruci affixæ, faciunt nobis signum, dicit Augustinus, id est, in operibus charitatis perseverantes, confixæ cujuslibet manus obligationibus sui statûs, faciunt ascendere tertium gradum ad Cœlum. Uxoratus, & maritata habeant confixas manus ad omne illud, quod non spectat ad executionem obligationum circa propriam domum, & familiam. Vidua attendat vitæ solitariæ, & recollectioni: Virgo det operam honestati, & custodiæ. *In latitudine Crucis ma-*

nus extenſæ ſunt Crucifixi : perſeveret manus Chriſtiani in operibus bonis, & ſic tertium gradum aſcendit. Quilibet in ſuo ſtatu adæquando ſuas actiones, & opera cum obſervatione legis Divinæ aſcendit ità tertium gradum ad Cœlum. Quidam Novitius certæ Religionis, refert Carthuſianus, erat in tantum tepefactus, ut omnia exercitia Religionis eidem fuerint contraria; veſtitus lacer, & vilis erat ei abominationi, victus parcus, oratio frequens erat nauſeæ, & jam apud ſe tractabat de reditu ad ſæculum; tandem una nocte apparuit ei noſter Redemptor cum cruce multùm oblonga, & ponderoſa, quam in ſuis portabat humeris, & cum illa volebat aſcendere ad certum locum multò acclivem, & arduam viam habentem, ſub pondere autem hujus anhelabat, quaſi non poſſet ponere paſſum ex defatigatione. Videns hoc Novitius, accurrit audacter: Domine ego te adjuvabo, dicens, quia crux iſta eſt nimii ponderis: tunc Dominus vultu ſeveriore eidem dixit: Abſcede hinc, abſcede! & es tam impudens, ut velis te onerare hac cruce, dum tibi deeſt animus portandi crucem tam ſuavem, qualis eſt, quam habes in Monaſterio? dixit, & diſparuit, ſícque Novitium convertit; hoc ipſum quisque applicet obligationibus ſui ſtatûs, & videat, an ſic illas peragat, prout tenetur: quodſi hæ obligationes non peragantur juxta debitum, fraus & deceptio eſt illa, quæ apparet eſſe devotio. Stare per totum diem, vel fixa in Eccleſia, vel clauſa in oratorio mulier maritata, & habens familiam, & quòd per ejus incuriam filii perdantur, in peccata ruant, ſervi fiant latrones, primi malè educantur, ſecundi peſſimè inſtruantur, & omnes denique DEUM offendant, quæ omnia impediret Domina domûs, ſi attenderet, prout tenetur, ſuæ domui; quæ eſt hæc devotio? eſt illuſio, eſt error, & delictum.

VII. Pervenimus jam ad quartum gradum, qui nos debet collocare in Cœlo. Ibi apparet in altitudine Crucis Caput coronatum noſtri Redemptoris. Hoc eſt ſignum, dicit Auguſtinus, quòd elongati ex integro à terra, ibi debeamus collocare unà cum noſtris cordibus, omnem noſtram ſpem, divulſi ab omni re terrena, illuc debemus dirigere omnia noſtra deſideria, ibi debent terminari omnes noſtræ curæ; in Cœlo, in Cœlo ſint omnia noſtra. Propterea in Miſſa admonemur: *Surſum corda: In altitudine Crucis Caput poſitum eſt Crucifixi. Surſum cor habeat Chriſtianus, ut interrogatus quotidie reſpondet, & quartum gradum aſcen-*

aſcendit. Iſte itaque eſt quartus gradus, qui per ſcalam Crucis nos introducit in gloriam. Elevate in altum corda veſtra; *Surſum corda*: & quid reſpondet pro nobis chorus? *Habemus ad Dominum*, jam tenemus elevata, & affixa corda noſtra ad Dominum. Sic dicimus in latino ſermone, ſed ego timeo, ne ſit mendacium in noſtra lingua vulgari. Et fortè non, Chriſtiane! quando aſſiſtis tremendo Miſſæ Sacrificio, dic mihi, ubi eſt collatum cor tuum, ubi habes cor tuum? Oh! timeo, ne illud habeas in loco, in quo illud habuit ille dives, cujus cor invenit ſanctus Antonius Paduanus in ciſtula, ubi erat theſaurus divitis; oh! ne habeas illud in amore; oh! ne teneas, & habeas illud ibi, unde ſequatur damnatio; Et ut tibi faciam animum, & te excitem ad elevandum illud per ſignum Crucis uſque ad DEUM, & illud in DEO immergendum.

VIII Audi ſequens exemplum: refert illud noſter Adrianus Lireus, ùt ſcribit P. Bary tom. 6. Anni ſacr. c. 8. Vivebat Romæ Sacerdos, tam exemplaris vitæ, & morum, ut conformans cruci ſuam vitam demonſtraret quàm optimè amorem verum, quô amabat noſtrum DEUM Crucifixum. Tandem mortuus eſt, & cùm perſona fuerit non ſolùm propter Sanctitatem notiſſima, verùm etiam alti gradûs, & nobilitatis, concluſum fuit, ut cadaver ejus aromatibus condiretur, & dum hoc crudele obſequium illi præſtaretur, aperientes corpus chyrurgi in toto pectore non poterant cor invenire. Quid hoc eſt dicebant? ſine corde non poterat hic homo vivere. Ad ambiguitatem, & admirationem congregantur ad invicem omnes ex domo, redeunt ad recognoſcendum, quærunt, verùm nec umbram de corde inveniunt. Steterunt omnes attoniti, dum unus ex illis circumſtantibus elevando oculos ad Crucifixi imaginem, quæ erat in cubiculo, advertit ad pedes Crucifixi ſtare cor pendens: aſcenderunt ſurſum, recognoſcunt, & inveniunt, cor illud eſſe ipſiſſimum hujus fortunati Sacerdotis, quòd cruci affixum, quàm optimè per hoc pemonſtrabat, quantò altiùs evolaverit ejus ſpiritus ad gloriam. Miraculum, miraculum! exclamârunt omnes, repleti jubilò, & reſonabat tota Roma lætis vocibus admirationis. O cor fortunatè, & feliciter ſignatum Cruce! infinitè felix Sacerdos, qui in hac profunda valle lachrymarum amoroſis anxietatibus ſui cordis diſpoſuit per Crucen aſcenſionem ad illum æternum

num montem felicitatis immenſæ : *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum.*

Animæ Chriſtianæ ! cùm in hac valle lachrymarum , & miſerabili exilio flemus captivi in carcere noſtrorum corporum , cùm non poſſimus volare ad illam patriam cœleſtem in comitatu noſtri Redemptoris ; ſaltem deſideriis , anxietatibus cordis , & ſuſpiriis volent illuc noſtri affectus. Et cùm ſignum Crucis nobis relinquat noſter Redemptor , ut nos doceret , qualiter aſcendere debeamus , eja Chriſtiani mei , aſcendamus per Crucem noſtri Redemptoris ad ejus gloriam.

INSTRUCTIO VI.

Cur Sancta Crux non ſolùm eſt Chriſtianorum ſignum , ſed etiam inſigne.

I. CONtinuare explicationem excellentiſſimorum Myſteriorum , quæ includuntur , & continentur in ſigno ſanctæ Crucis Auditorio tam pio , ùt Catholico , eſt non ſolùm dilatione dare illi plùs temporis ad delectationem , ſed etiam illi procurare magis lucrum ad profectum. Verba hæc ſunt ſancti Auguſtini, ne me culpetis ùt prolixum in hoc, quòd in ſignis , quæ nobis demonſtrat ſignum ſanctæ Crucis , materiam nimium dilatem. *De Cruce Domini, & ejus Myſterio diutiùs loqui , & dulce eſt , & ſalubre.* S. Auguſtin. Serm. 101. de temp. Nam quid poteſt cogitari vel ſuavius , vel dici poteſt dulcius, quàm Myſteria , quæ in ſanctiſſima Cruce abſconduntur? Cùm per illam non ſolùm liberemur ab inferno , ſed etiam ſublevamur , & aſcendimus uſque ad Cœlum. *Quid enim dulcius , quid ſuavius vel cogitari , vel dici poteſt , quàm ſanctæ Crucis Myſterium , per quam nos non ſolùm ab inferis revocari , ſed etiam in Cœlos elevari meruimus ?* Itaque Pater proſequamur feliciter inceptum , mihi nihilominus à præterita doctrina occurrit dubium ; meum dubium eſt hoc , Cur Catechiſmus vocat Crucem inſigne , & ſignum Chriſtiani ? non ſufficiebat , illam vocare ſignum , vel vocare inſigne ? quare dicit , quòd Crux ſit unum

num & alterum, nimirum insigne & signum? *Quale est insigne, & signum Christiani?* sunt verba Catechismi.

Nunc, antequam ad vestrum dubium respondeam, sciatis, quòd II.
cum Sancta Helena Glorioſa Imperatrix invenisset Crucem Redemptoris nostri, & cum illa pariter clavos, qui perfoderunt ejus Divinissimos pedes, & manus, dicunt, quòd ex uno horum clavorum, mandaverit fieri frenum pro equo, quem equitabat filius ejus Constantinus Imperator, & ex altero coronam Imperialem, qua succesſu temporis coronatus fuit hic Magnus Augustus. Potéstne major improportio haberi? Dicetis subitò: unum frenum, & corona? frenum pro bruto, & corona pro Imperatore? frenum, quod servit ad tenendum equum, nè exorbitet, corona, quæ dat venerationem, & respectum Magno Monarchæ? Si ergo unus clavus erat clavus Crucis, sicut alter, cur unus debet servire pro freno, & alter pro corona? cur uterque clavus non applicetur pro corona? non, dicit S. Ambrosius, qui idem est, qui hæc refert; prudentissimè operata est sancta Imperatrix: Eligatur de Cruce frenum, ut fiat *signum* bruto ad dirigendam viam ejus; & corona, ut sit *insigne* glorioſum pro Monarcha ad illustrandum, & ornandum caput ejus: sit unus in *signum*, ut dirigat gressus, sit alter *insigne*, quòd honoret, & nobilitet actiones: *De uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.* S. Ambros. apud Lobet.

Venio jam ad vestrum dubium: insigne, & signum, sunt duo val- III.
de distincta; nam quamvis omne *insigne* sit signum, non tamen omne *signum* est insigne. Volo dicere: signum est illud, per quod distinguitur una res ab altera: Præparatur Cioccolata in una domo pro Dominis, & pro servis, sed habetur distinctio intra hanc, & illam, & quid faciunt, ut una ab altera dignoscatur? imprimunt signum illi, quæ aut spectat pro Dominis, v. g. clavim, aut quid aliud, quæ autem pro servis est, non signatur. DEUS itaque vos liberet à Cioccolata sine signo. Affert servus ex officina pro duabus personis decem partes, vel frusta panni, simul hæ partes sunt transmittendæ aliò, sex pro una, quatuor pro alia persona, non tam de bono genere panni, prout sunt sex priores: jam ne commisceantur, & confundantur, signetis has partes, dicit herus servo, ut distingui possint. Servus signat: jam habent suum signum, sic communiter dicimus; &

di-

diceretúrne bene, ſi dicerem, jam habent, vel portant ſuum inſine? non: Advertitis? itaque non omne ſignum eſt inſigne; quia ſignum eſt illud, quod quomodocunque ſignat, inſigne autem eſt illud, quod diſtinguit, & ſignat cum honore, cum lucro, & ſupererogatoriè, & cum æſtimatione. Ideo vocantur inſignia illa, quæ diſtinguunt Nobilem ab aliis, ùt eſt in Nobili veſtis, in Doctore biretum Doctorale, in Prætore virga, ſeu faſces, in Miniſtro ſtatus, toga, & ſic dicimus, hoc eſt inſigne Nobilis, hoc Doctoris, &c. Nunc itaque in Cruce habemus nos Chriſtiani unum, & alterum; Crux eſt noſtrum inſigne, & ſignum. Eſt noſtrum inſigne, quia nos decorat, nobilitat, & honorat: eſt noſtrum ſignum, quia nos ab aliis diſtinguit, & ut ab aliis dignoſcamur, facit: per hoc ſignum diſtinguimur à Gentilibus, Hæreticis, & Barbaris: & per hoc inſigne ſimus ità honorati, ità nobiles, ut reputemur & æſtimemur inter Angelos. Et Crux eſt noſtrum ſignum, quia eſt id, quod retinet intra terminos noſtros effrenes appetitus, & paſſiones, ne in fine ruamus in infernum; & hoc ſignificabat facere, vel curare fieri ex uno clavorum Crucis, frenum pro bruto; & eſt Crux inſigne, quod nos nobilitat, quia Crux ſublevat noſtrum ſpiritum ad habendas cogitationes, & operationes Chriſtiano dignas, ad habenda deſideria hæredum cœleſtium, actiones filiorum DEI; hoc fuit conficere ex altero clavo Crucis coronam Imperatoris, *Unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.*

IV. Itaque valde rationabiliter, nobis dicit Catechiſmus, Crucem eſſe unum & alterum, nempe eſſe inſigne, & ſignum Chriſtiani; exinde debemus gloriari, unus alterum honorare, & multùm æſtimare faciendo ſupra nos ſignum ſanctæ Crucis; hócque eſt illam pro inſigni habere. Illi, qui properant (& non ſunt pauci) in Cruce ſupra ſe efformanda in Eccleſia, magis videntur efformare paragraphos, quàm crucem formare. Tardè, tardè, ut omnes videant, quid faciant: Crux enim eſt noſtrum honorificentiſſimum inſigne; & ſimiliter à nobis eſt procurandum, ut nos accommodemus obligationibus, quarum nobis Crux memoriam refricat, & hoc erit Crucem conſiderare ùt ſignum. Erat antea Crux, priusquam à noſtra vita Chriſto JESU honorificata fuiſſet, res viliſſima, & maximi opprobrii in mundo, in tantum, ut inter Romanos fuerit pœna, quæ ſolis ſclavis infligebatur, & nec pro graviſſimo delicto poterat hæc pœna infligi illi, qui

erat

erat Civis Romanus ; hac de cauſa graviter conqueritur Cicero contra Verrem orat. in Verr. quòd civem Romanum in cruce ſuſpenderit. Apud Hebræos habebatur pro maledicto à DEO, & omnimodè abominabilis, qui moriebatur in Cruce. O JESU vita meæ vitæ! & ad hanc abjectionem te pro me obligâſti ? pro me dediſti vitam cum tanta infamia ? Nihilominus, qualem pro nunc nobis reliquit Crucem ? jam videmus, & jam hoc ipſum dixit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 39. *A locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum:* reliquit illam, ut illa, quæ antea erat maxima ignominia etiam viliſſimis ſclavis, nunc eſt honor maximus, quia Cruce pro nunc illuſtrant ſuas frontes Imperatores. Rudolpho I. Comiti Habſpurgi, qui primus Sereniſſimam Domum Auſtriacam decoravit, & exornavit Corona Imperiali, recuſabant præſtare obedientiam Principes, & Potentes Imperii, & prætextu tam frivolo, quàm politico, eò quòd, dicebant, non haberet Regnum, cujus viribus poſſet ſuſtentare Imperium. Rudolphus tunc pariter tam ingenioſus, quàm pius, Regnum habeo, dicit illis, & quidem admodum potens ; Ubi ? Ille autem manu Crucem arripiens, dicit : Hoc eſt meum Regnum, & meum Sceptrum, quô totum potero ſubjugare mundum ; & optimè dixit, nam Regnum glorioſiſſimum Chriſti eſt Crux, *Dominus regnavit à ligno?* ſi Crux fuit Sceptrum, & gladius, quô univerſum orbem ſuæ ſubjecit obedientiæ, *domuit orbem non ferrô, ſed lignô :* Crux eſt Sceptrum, & Regnum maximorum Monarcharum ; ſuffecit hoc reſponſum, ut Principes eidem ſe ſubjicientes, præſtarent obedientiam ; & ut ille, ſuíque Sereniſſimi Deſcendentes Sceptrô ſacræ Crucis toties, & nunc diebus noſtris teneant ſubjectam, & proſtratam ſuperbiam Ottomanicam. Sic itaque gloriantur maximi Monarchæ habere Crucem pro inſigni.

V. Pariter nos illi, qui gloriamur Crucem pro inſigni habere, recordari debemus, quòd Crucem etiam pro ſigno habeamus : *Signum,* dicit Donatus, *eſt parva quædam ſignificatio indicans totius rei qualitatem.* Videmus aliquem pallidum ; hæc palliditas eſt ſignum eſſe illum infirmum : Videmus aliquem ſuſpensô animô, & meditabundum incedere, ſignum eſt illum quandam habere ſollicitudinem. Per ſignum itaque, quod videmus, cognoſcimus illud, quod non videmus. Non ſtabilitur itaque ſignum in eo, quòd à nobis ſit viſum, & cognitum, ex-

plicat meliùs, & clariùs ſanctus Auguſtinus lib. 2. c. 2. de Doctr. Chr. Sed ut nos ducat in cognitionem illius, quod ſignum ſignificat, videmus fumum, dicimus ibi eſt ignis; videmus humanum veſtigium, dicimus, homo hìc tranſiit. Jam itaque, ſi ſignum manifeſtum eſt illud, quod nos facit intelligere id, quod eſt occultum: ſi non ſufficit ſignum in ſe ipſo cognoſcere, ſed debeamus etiam cognoſcere illud, cujus eſt ſignum; cujus ſignum eſt Crux? illius, qui ſequitur JESUM Chriſtum: qui ſub ejus vexillo militat: pròpterea pariter vexillum vocatur etiam *ſignum* in Latino, quia diſtinquit inter milites, qui Hiſpani, qui Galli ſint. Igitur, ſi ſignum Crucis fiat ſupra aliquem, qui in ſuis moribus non eſt Chriſtianus, ſi fiat hoc ſignum ſupra amicum, qui inimicus eſt Chriſti propter ſua peccata, quid hoc ſignum erit? O DEUS! erit ſignum damnationis. Moris erat apud antiquos Chriſtianos infigere in navibus in parte eminentiori ſignum ſanctæ Crucis ad ſimilem modum, ùt ſicut nunc ex vexillo, quod navi imponunt, cognoſcitur à longè, hanc navim eſſe Hollandicam, hanc Anglicam, &c. Sic pro tunc ex Cruce cognoſcebant navim illam eſſe Chriſtianorum. Ibat itaque una de talibus navibus onerata tam malignis, & perverſis Chriſtianis, qui furando, & exſpoliando oras, atrociſſimas committebant culpas. Vident illam à longè venire, ex Cruce cognoſcunt eſſe Chriſtianorum, replentur gentiles timore; & tunc Sacerdos Idolorum ad ſuos gentiles verſus, ſiſtite, inquit, ſiſtite, quodſi hi, qui hac navi vehuntur, aſſequuntur exequi hìc illorum crudelitatem, & rapinas, vel cæcus eſt DEUS Chriſtianorum, vel dormit. Non ſciebat Barbarus, quòd permiſſio DEI in ſuis Chriſtianis tam gravium culparum ſit effectus ſuæ Divinæ miſericordiæ, in hac autem occaſione DEUS ſuum honorem vindicavit, vix hoc idolatra pronuntiavit, tunc intuentes omnes navim, inſtar violenti turbinis abſorpſit illam mare, nìl ultra ex navi ampliùs apparuit, nec homo, nec tabula; quamobrem ſignum Crucis, per quod cogniti erant, hoc ipſum ſignum ſervivit illis pro ſigno, ut ſubmergerentur? Sic eſt. *Quid prodeſt*, dicit ſanctus Auguſtinus, Serm. 215. de temp. *Si ſignum Chriſti in fronte, & in ore geſtamus, & intus in anima crimina, & peccata recondimus?* Quid juvat habere extrinſecus per Crucem ſignum glorioſum Chriſtiani, qui in anima per peccatum geſtat caracterem inciſum venditionis in damnationem? & pro clauſula; qui habet

bet ab igne ſuorum appetituum impreſſum ſigillum dæmonis, quid acquiret ex eo, quòd vixerit ſignatus Cruce Chriſti? majorem culpam, majorem pœnam, majorem damnationem: *Qui malè operatur, quando ſe ſignat, peccatum illius non minuitur, ſed augetur*, proſequitur ulterius ſanctus Auguſtinus. Juda, Juda oſculô me tradis? oſculô me vendis? oſculô me conducis ad mortem? Domine, ah Domine! videtur, quòd magìs tibi doleat hìc oſculum Judæ, quàm illic alapa Malchi? ità eſt: non videtis, oſculum eſſe ſignum amicitiæ, & committere offenſam ſub oſculo, quod eſt ſignum amoris, & ſumma improbitas; *Hoc malum fecit ſignum*, exprobrat ſancta Mater Eccleſia huic traditori, non tantùm culpam, quantùm perverſitatem fraudis; *Hoc malum fecit ſignum, qui per oſculum adimplevit homicidium.* Signô, & ſignô amicitiæ occultare opera proditoris; ô quæ turpitudo! ô quale flagitium! Itaque ô Chriſtiani! ſi Crux eſt ſignum, ex quo nos æſtimamus eſſe JESU Chriſti, Crux etiam erit illud ſignum, quod nos tantò graviùs condemnabit, ſi noſtra opera non convenerint cum ſigno illius, quod ſumus.

VI. Refert Sanctus Gregorius Turonenſis lib. 1. de glor. Mart. ſe vidiſſe certam Crucem ſculptam in uno lapide pretioſo proprietatis tam admirabilis, ut ſi ille, qui illam contemplabatur, erat in gratia DEI, & ſine peccato in ſua anima, Crux illi pulcherrima apparebat, & circumdata puriſſimo ſplendore; quodſi autem quis accedebat illam videre, qui alicujus peccati mortalis reus erat, Crux in inſtanti perdendo omnem ſuam lucem, remanebat mœſta, & obſcura, imò planè nigreſcebat ex integro; quid hoc volebat indicare? hoc ipſum, quod cum ſigno Crucis nobis debet evenire in die judicii extremi. *Tunc*, dicit S. Matthæus c. 24. v. 30. *parebit ſignum Filii hominis.* Et cur apparebit? quia ſolùm illâ viſâ, dicit S. Joannes Chryſoſtomus, non erit opus alia accuſatione. Tale ſignum erit tunc Crux, quæ objiciendo oculis Chriſtianorum illorum obligationes, quas ingrati non adimpleverunt, quibus gratitudine ſua non correſponderunt, erit illis ſignum (quàm terribile) æternæ damnationis. *Non opus erit accuſatione, ubi viderint Crucem.* S. Chryſoſt. hom. 20. in Matth. Chriſtiane! proſequitur ulteriùs Chryſoſtomus, contra te clamabunt clavi, & Crux erit accuſatrix, teſtis, & fiſcalis, ad petendam, & exquirendam tuam damnationem; *Clavi de te conquerentur, Crux Chriſti contra te*

perorabit. Ex oppoſito, boni Chriſtiani illi, qui ibi ſtabunt electi, dicunt graviſſimi Authores, habebunt in frontibus impreſſum ſignum Crucis in ſignum eorum gloriæ, in ſignum æternæ ſalvationis. O DEUS! ô DEUS! ergo Crux, quæ pro nunc eſt ſignum omnium Chriſtianorum, cum tempore eveniet, & fiet ſignum, quod diſtinguet malos à bonis Chriſtianis? oh! ſi hoc ipſum hìc & nunc cognoſceremus, prout dedit cognoſcere ipſiſſima Crux illi exemplari prodigioſo pœnitentiæ, dico Mulieri admirabili, quam quia pro baſi poſuit ſuas ante actas culpas, poſtmodum ſublevavit ſua Sanctitas ad Cœlum.

VII. Sit ergo ſequens exemplum, quod narrat Surius 9. April. & Theoph. Rayn. Nata fuit in certa civitate Ægypti una puella, quæ annô duodecimô ſuæ ætatis, quaſi perfectionata à natura in pulchritudine, perdidit ſuos genitores: quale infortunium! ſi genitores adhibuerunt in illa bene educanda omnem curam, ſine dubio amiſſio eorum fuit grande infortunium; quodſi autem contrarium fecerunt, & potiùs in omnibus condeſcenderunt ad placitum filiæ, prout ſolent non paucæ matres facere, talibus filiabus fortuna, quæ optima ſors eſſet tales matres perdere in tempore, ne filiæ inciderent in perditionem in æternitate. Illa tandem, libera, formoſa, & in juvenilibus annis (oh! quàm periculoſa tria attractiva ad infortunatiſſimum præcipitium, & ad hoc illam præcipitârunt!) cúmque perveniſſet Alexandriam, cum illa introduxerat illuc infernus omnes ſuas machinas; & illi, qui quàm citiſſimè inceperunt extollere ejus pulchritudinem, perſeverârunt in horrore illius ſpurcitiarum vitam ducere, & in applauſibus ſcandaloſis delitiari illius infamiæ. Septemdecim annos conſumpſit vitæ ſuæ ùt vilis meretrix, & illa ipſamet provocabat alios ad hoc, à quo illos vel nauſea, vel pudor retinebat. Sic vitam agebat, quando appropinquante Jeroſolymis ſolenniſſima Feſtivitate Exaltationis ſanctæ Crucis, ad quam concurrebant ex remotioribus etiam Provinciis, videre, & adorare ſignum glorioſum noſtræ Redemptionis, parabant multi illuc ſe conferre ex Alexandria. Audiendo illa de Feſto, ſine alia devotione, quàm propter concurſum populi, ut varia videret, & ab aliis videretur; illuc debeo ire dicit, & immediatè exequitur. Intrat navim ad proſequendum illuc iter, in mari culparum ſubmerſa, & ad transferenda in Jeruſalem ſua ſcandala. Præ-

ve-

venerat ſuo pretioſo ornatu Feſtum, advenit dies Exaltationis ſanctæ Crucis: in quo Archi-Epiſcopus civitatis illius, in loco ſublimiori poſitus monſtrabat ſanctum Lignum populo, in quo conſecuti ſumus noſtram Redemptionem: inter innumerabilem concurſum populi etiam illa ibat; quò? ad Eccleſiam. O quot de ſimilibus perſonis ità dicunt! vado ad Eccleſiam, & magis vadunt ad infernum, quàm ad Eccleſiam, prout revera hæc ibat. Sed, ô Miſericordia infinita! quomodo aſſequeris tuos amoroſos tractus, ubi minimè deſuper anima cogitat! pervenit illa uſque ad fores Eccleſiæ, & multùm alacris properabat intrare cum omnibus; ſed veniendo ad limen ſentit ſe retineri ignara à qua poteſtate: conatur progredi, & locò progreſsûs advertit ſe retrahi ignoto repulſu. Quid eſt hoc? fortè fuit cauſa multitudo hominum? redit ſecundò majori animô, & majori perplexitate, & advertit, absque eo, quòd poſſet reſiſtere, ſecunda vice ſe retrahi ab Eccleſiæ ingreſſu. Quid ergo mecum ſit? omnes intrant, & ego ſola non ſum potens nec quidem perveniendi ad portam? tentat tertiò, & non poteſt; redit quarta vice, & etiam cogitur conſiſtere; ibi tandem lux divina diſpellens tenebras erroris, & hìc huic fœderata efficacia divini auxilii, hujus rei cauſa ſunt peccata mea, cogunt illam fateri, quòd DEUS nolit, ut ejus Crucem videam; ſiquidem ego ſum illa, quæ aggravavi illius Crucem tam infami pondere. Sic cogitabat, & attollendo oculos, videt ſupra portam imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & tunc liquefacto corde, incipit illam alloqui lachrymis, & proſequitur movere pietatem Matris miſericordiæ ſuis ſingultibus. O Domina Mater peccatorum! jam video, & cognoſco, quàm perditè vixerim: ſed quid non conſequar à tuo Filiolo, ſi tu mea fueris Advocata, & vadem egeris? de præterito, ah quàm doleo, & quàm alia impoſterum erit mea vita! jam video meas turpitudines, jam cognoſco numerum ſine numero mearum culparum, jam defleo imponderabilia damna meorum ſcandalorum. Concede mihi, ô Domina, ut videam nunc Crucem, quam ſequi debeo meis paſſibus, & quam jam debeo exprimere, & imitari mea ſequenti vita. Dixit, & iter arripiendo ad portam ſine omni impedimento intravit Eccleſiam, & Crucem adoravit corde tam alio, & in meliùs mutato, ut inde exiverit facere pœnitentiam tam inſolitam, quam vix deſerta viderint, & aſſequi ſanctitatem tam prodigioſam, quàm

vix in aliis Sanctis reveremur. Hæc fuit converſio ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ; ex viſu, & adoratione ſanctæ Crucis: quæ fortuna!

VIII. Oh per DEUM! non expectemus nos uſque dum ſignum ſanctæ Crucis nos repellendo præcipitet in infernum, quæramus illud quamdiu eſt nobis ſignum gratiæ, ut per illud gloriam conſequamur.

INSTRUCTIO VII.

Die Theophoriæ, ſeu die Corporis Chriſti. De origine hujus Feſtivitatis, & de ſolenni ejusdem Proceſſione.

I. NOſtra explicatio doctrinæ obligat nos hodie ſequi Crucem, & dies nos invitat ad comitandam Proceſſionem. Idem eſt, ſequi Crucem, ac comitari Proceſſionem juxta modum loquendi antiquorum Chriſtianorum, dicit noſter eruditus Raynaudus tom. 15. Het. fol. 106. n. 16. *Crucem ſequi dicitur pro eo, quod eſt intereſſe proceſſioni.* Ità antiquus eſt uſus ſanctus, quòd ſemper Crux Proceſſioni præferatur, ut à quarto uſque ſæculo Chriſti, in quo jam reſpiraverat Chriſtianitas poſt trecentorum annorum perſecutiones, & tormenta: poſtquam à Magno Conſtantino fuit elevata Crux in vexillum fortunatum ſuorum exercituum, ſancta Eccleſia etiam elevaverit Crucem in vexillum pium Proceſſionum. De temporibus ſancti Joannis Chryſoſtomi idem referunt Socrates, Sozomenus, & Nicephorus; & de ſuis temporibus hoc ſtabilitum indicat Magnus Imperator Juſtinianus Conſtitutione nona, nov. 123. ab hinc itaque provenit communis modus loquendi, nempe ſequi Crucem, eſt comitari Proceſſionem: quamobrem, abſque eo, quòd intermittamus ſequi Crucem, poſſumus ſinguli hodie comitari Proceſſionem. Tantum eſt, dicit noſter Raynaudus, ut antiqui Chriſtiani locò dictionis: vado ad Proceſſionem, dixerint: vado ad Crucem: *In actis ſanctæ Cunegundæ dicitur, parentes ejusdem puellæ reverſos à Crucibus, id eſt, à Proceſſione;* itaque tali modo comitari Proceſſionem pro tunc idem erat apud Chriſtianos, ac ire ad Crucem: neſcio, an pro nunc etiam teneant pro Cruce comitari Proceſſiones, ibi unus cum altero, vel cum altera convenit, ibi ſe vident, & gratâ præſentiâ fruuntur. - - - Certum autem eſt, quôd ad Proceſſionem

Cor-

Corporis Chriſti cum maxima, & ſpecialiſſima devotione deberemus ire, ſicut ad Crucem, quia exhibendo nobis Dominus hoc Divinum, infinitum, & inexplicabile beneficium, dando ſe in cibum nobis in ſacratiſſimo Sacramento, voluit ſemper eſſe, & permanere teneram memoriam, & recordationem in noſtris mentibus ſuæ Paſſionis, & ſuæ Crucis. Huc ſpectant tot Cruces in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, quæ à Sacerdotibus fiunt, & ad hoc reſpexit Chriſtus volendo, ut hoc Sacrificium ſemper in præſentia Crucis perageretur, nec hæc deſit ab Altari: notum eſt tam prodigioſum, quàm divulgatum miraculum Crucis de Caravacca, quam de Cœlo demiſerunt Angeli, nè Crux deeſſet in Altari. Et de S. Ignatio Archi-Epiſcopo Conſtantinopolitano refert Baronius, quòd ſemper, quando conſecrabat, cum elevatione Hoſtiæ, Crux, quæ in Altari collocata eſt, hoc ipſo momentô elevabatur in aërem, & deſcendebat Crux, dum Hoſtia demittebatur: talem correſpondentiam habet cum Cruce hoc diviniſſimum Sacramentum, ut nunquam in celebratione hujus Crucis obliviſcamur. Et nunc, cùm jam præcedat Crux, incipimus videre Proceſſionem *Corporis Chriſti*, tanquam in ea Crucem ſequentes, quod idem eſt, ac dicere in ſpiritu, & devotione; ſed advenientibus ſtatuis Sanctorum, & dum in ordinem diſponuntur Confraternitates, interrogat me quidam curioſus: quale fuit initium hujus Solennitatis? & quem finem prætendit Eccleſia in hac conſueta Proceſſione.

Annô 1210. ùt refert Hautin: num. 1063. & num: 1070. floruit II. Leodii in Flandria certa ſancta Virguncula plurimùm notæ virtutis, nomine Juliana de Monte Cornelio, Ordinis Ciſtercienſis. Huic, in maximo fervore orationis exiſtenti, ſe præſentavit pulcherrima luna, ſed, quamvis circumdata venuſtiſſimis ſplendoribus fuerit, advertit, quòd ad complendum ex integro ejus pulcherrimum circulum parum aliquid deeſſet eidem. Obſtupuit ſancta Virgo, & reſponſum de Cœlo accepit, lunam hanc eſſe Eccleſiam militantem, cui ad conſequendam integram plenitudinem pulchritudinis in ſuis ſacris ritibus, deeſſet celebratio ſolennis Feſtivitatis ſacratiſſimi Sacramenti. Illa ſicut humilis, ità & virtuoſa, timens aliqualem deceptionem, ſecurum dictamen ſecuta, nempe hoc ſignum videre, & tacere ſecum concluſit. Viginti annis fruebatur hac viſione, & viginti annis illam reticuit (non ſolent ab aliquibus viſiones taceri, quæ forſitan non ſunt revela-

velationes) usque dum annô 1230. in quo alteri Virgini dictæ Elisabeth similis revelatio contigit, per hoc animata fuit Juliana ad manifestandum id, quod viderat; & collatâ materiâ maxima, qua poterat maturitate cum hominibus doctissimis, Robertus tunc temporis Episcopus Leodiensis, ùt scribit Rayn. tom. 13. Heter. fol. 205. num. 14. & fol. 209. annô 1240. publicavit hoc Festum per suam Diœcesim. Erat illo tempore Leodii Archi-Diaconus Jacobus Pantaleon, qui postea creatus fuerat Summus Pontifex universalis Ecclesiæ, sub nomine Urbani IV. itaque in sancta Sede jam collocatus propter notitiam jam habitam, & miracula, quæ acciderant, sicut & ad instantiam alterius Virginis, quæ pariter Leodii florebat, & Eva vocabatur, ut, sicut illa Eva fuit, quæ nobis buccellam mortis porrexit, hæc esset Eva illa, quæ faciat triumphare in mundo cibum, qui nobis dat vitam; tandem dictus Urbanus IV. annô 1262. expedivit Bullam plenam pietatis ad universam Ecclesiam, ordinando, ut hoc ipso die celebretur hæc Festivitas cum omnimodis exhibitionibus, & demonstrationibus pietatis, & jubilis devotionis. Sed tardavit executio usque ad annum 1306. quô annô Clemens V. Pontifex Maximus in Concilio Viennensi illam de novo confirmavit; Attamen elapsi sunt aliquot anni, usque ad annum 1317. quô annô Summus Pontifex Joannes XXII. promulgando Clementinas, inclusit illam constitutionem in Clementina: *Si Dominum; de Reliquiis*, & mandavit fieri solenissimam Processionem; & abhinc incepit celebrari hoc Festum per totam Ecclesiam cum universali lætitia. Et ut finem faciam, ad effectum imponendi forte silentium impiis Hæreticis, illam confirmavit postmodum gravissimis, piissimis, & ponderosissimis verbis Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 5. de cultu, & venerat. huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

III. Hæc itaque est origo, quòd hic divinissimus Sol Sacramentatus foras prodeat ad explendam lunam pulchram Ecclesiæ venustissimis splendoribus, ad spargendam in nostris animabus purissimam lucem, ad pluendos in nostra corda radios, ut illa inflammentur. O Christiani! cantet lætos nostra fides triumphos, det saltus complacentiæ nostra spes, exsiliat in inquietam flammam nostra charitas, effundatur tota in festivos applausus devotio, chorus resonet lætis concentibus, musica acuat omnem suam harmoniam in dulces hymnos, puritas,

ritas, & ſimplicitas cordium verſet per labra tripudia in laudes, & præ lætitia diffluant oculi in lachrymas.

Sed jam adveniunt vexilla: quid hoc ſignificat? nunquid unum IV.
ſuffeciſſet? Vexilla apud antiquos erant inſigne triumphi, & ferebantur exercituum devictorum ante victorem, ſeu debellatorem vexilla. Et hìc quid? ſunt hæc ipſa vexilla inſigne noſtræ fidei, quibus guſtuosè captivando noſtros intellectus, adoramus noſtrum verum DEUM ſub ſpeciebus panis. Et quot actus fidei obtuliſtis DEO veſtro hodie Catholici? neſcio, an recordati fueritis, ſi tota recreatio animi quæritur pro oculis, fides non habet oculos. Mihi occurrit illud, quod hac die ſemper renovatur cum teneritudine in Civitate Goëtemala, nempe memoria illius admirabilis hominis, Patris pauperum, Fratris Petri à ſancto Joſepho, qui hac die ſolebat ſuum pallium alligare magnæ perticæ, ut illi pro Cruce id ſerviret, quod diviniſſimo Sacramento pro vexillo victorioſo, cum hoc pallio, extra ſe raptus, inter tripudia ſuæ fidei, ibat cum Proceſſione, nunc ventillando, modò attollendo, vel deprimendo ſuum vexillum, cum tantis demonſtrationibus abſorpti, & accenſi zeli, ut aliis lachrymas ex oculis moveret, in admirationem alios raperet, & in omnibus fervorem excitaret, ille ſolus erat, qui totam regebat Proceſſionem. Ah dilectiſſimi! quantò magìs arrideret noſtro DEO palliolum rudis, & inculti alicujus Eremicolæ, in aliquo palo ſuſpenſum inſtar vexilli, quàm multæ veſtes ſericeæ, & multæ telæ factæ, vexilla dæmonis? Ille ipſiſſimus DEUS, qui explet gloriâ Cœlos, eſt, qui inter nos deambulat; excitemus fidem: & hoc erit portare in Proceſſione vexillum. Jam etiam tranſeunt Confraternitates, & omnes portant accenſas in manibus candelas; quare hoc? erat itidem hoc apud antiquitatem inſigne triumphi: non poſſum me detinere in eruditionibus ob brevitatem temporis; vide Hautin. num. 1055. in triumph. Jul. Cæſar. dico, quòd hìc apud nos hoc ſignificet triumphum agere, inter amoroſas flammas ardentium affectuum noſtræ charitatis, dum corda gerimus plùs, & magìs liquefacta in amore, quàm omnes iſtæ materiales flammæ exhibeant: quod ſi amor infinitus fecit, ut remaneret nobiscum noſter DEUS in hoc Sacramento: quali aliô pretiô ſolvitur, & recompenſatur amor, quàm amore? Comitabatur hoc ipſo die Proceſſionem Imperator Ferdinandus II. portando in manu

cem ex quatuor lychnis contortam, & ex portatione, & ex ponde-re obvenerat eidem grandis inflammatio brachii; & cùm hoc diversas cogitationes causaret, & etiam periculum minaretur, advenit Pro-cessio Dominicæ diei: Hodie, dixit unus ex Principibus Imperatori, excusata invenitur Sua Majestas ab assistentia Processioni; certè nul-lam excusationem admittam, respondit Imperator, cùm nihilominus mihi restet alterum brachium, cum quo possum assistere debitô obse-quiô meo DEO, & sic etiam fecit. O Cor Austriacum! Sufficiat hoc, quia hoc dicendo dixi, O Cor Catholicum! Non sic fuit dispo-situs certus Guardianus, cui cor erat pauper, & minùs DEO fidens, nè ergo ei tantum de cera consumeretur, volebat Processionem hu-jus diei solummodo per Claustrum haberi; stimulabant eum tantâ per-severantiâ quidam ex populo ad Processionem ducendam per plateas, ut, videndo se ex importunitate hominum coactum, & compulsum propter eorundem instantias, convertendo se ad Dominum, dixerit: Domine, tu bene scis, quàm pauper sit Conventus, & ideo omnem ceram, quæ per Processionem destruitur, debes mihi solvere; solvit illi eandem Dominus punctualissimè; nam ubi Processio per spatium quatuor horarum durâsset, in qua multæ faces ardebant, postmodum dum faces ponderatæ fuissent, inventum est, quòd nec gutta ceræ de facibus consumpta esset. Ah corda inertia! id, quod DEO da-tur, nunquam perditur; comburite de cera in honorem ejus, com-burite, quantum possibile est, & citò videbitis, quòd in locum con-sumptionis lucrum sit succesurum. Adveniunt itaque effigies Sancto-rum, & quantæ, & quot adveniunt! ità est. Est mos valde anti-quus in Ecclesia, ut suis Sanctis effigiebus nos comitentur hìc in ter-ra illi, qui jam in Cœlo triumphant; non solùm ideò, ut faciliùs à DEO nostræ preces exaudiantur, sed etiam, ut ad ipsorum conspe-ctum animetur nostra fides perveniendi ad comitandos illos illic in Cœlo, in illa Processione festiva, in qua illi sequuntur hunc divini-simum Agnellum, cujus Festivitatem nos hìc in terris celebramus. Hinc nunc transit imago Beati Jacobi della Marca: quoties ipse vide-rit per hanc viam, sicut nos nunc videmus, transeuntem Processio-nem? animetur itaque, & excitetur nostra spes; ut autem sit vera, & sincera, oportet animam habere ornatam, etiam aliis virtutibus. Hoc nos docet omnis iste apparatus, quô exornantur, & anticipatè do-

decorantur viæ; telæ, quibus umbræ fiunt, rami, & flores, aulæa, paramenta, & ſericeæ tapetum exornationes, hæc omnia nobis dicunt, & nos docent, quòd flores, & rami naturales adjuvandi ſint per ſplendorem, & gratioſam texturam gratiæ; & hæc erit optima exornatio, & pretioſus ornatus ad celebrandum, & dignè recolendum hoc diviniſſimum Sacramentum. Muſicæ etiam faciant ſupereffluere jubilum in cordibus noſtris, tubæ, flautæ, & campanæ conſpirent læto tumultu, hilari pompa, & feſtivo applauſu. Cum quanta venuſtate procedit Proceſſio! ità eſt, modò portet vexillum fides noſtra, faces, & candelas noſtra charitas, cum Sanctis incedat noſtra ſpes, & omnes virtutes ſint ornamentum, & tapetes noſtrarum animarum. Proceſſio venuſta erit pro certo; ſi autem hæc deſint, quod reliquum eſt, nihil valet.

V. Habeo certam notitiam, quòd in Hiſpania ſoleat comparere in Proceſſione hujus diei certum monſtrum, quod incolæ vocant *Taraſca*. Hoc nomen *Taraſca* fuit ſumptum ex verbo græco *Theracca*, quod ſignificat terrefacere, vel incutere terrorem: figura monſtri hujus eſt ſæviſſima, videtur eſſe draco, balena, ſerpens, & eſt id omne, quia ſignificat dæmonium, illum trucem draconem, de quo nobis David promittit, quòd à DEO ſubjicietur, ut eveniat luſus infantium: *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei.* Ille Leviatan carnifex, monſtrum marinum, de quo nos aſſecurat Job 40. c. quòd DEUS noſter ſuô uncô illum piſcando, ſit illum relicturus tam debilem, & abſque viribus, ut fiat riſus, illuſio, & jocus plebis, *nunquid illudes ei quaſi avi? aut alligabis eum ancillis tuis?* ità remanſit dæmonium per virtutem hujus divini Panis Sacramentati terriculamentum risûs, ſed ſi ad Communionem accedimus, prout decet, ille tremit, dicit S. Chryſoſtomus hom. 61. ad pop. *Ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.* Itaque irrideamus hunc Taraſconem ferum, triumphet in noſtris animabus noſter Princeps, & Dominus, DEUS Sacramentatus. Fuit mihi ulteriùs relatum, eſſe morem in illis Provinciis, ut compareant hac ipſa die, & Proceſſione aliqui gigantes; & licèt fateantur aliqui Authores hujus nationis, ſe non potuiſſe invenire originem hujus rei, cogitant nihilominùs hoc uſu, nos doceri: quòd per virtutem hujus divini Sacramenti fiamus omnes ità robuſti, ità validi, & fortes, ut cum hoc Pane ſupremo noſtro Principe, meliùs quàm illi fabuloſi gi-

gantes, ſcalis aggreſſionem contra Cœlum debeamus facere, & poſſeſſores fieri æternæ gloriæ.

VI. Iſte itaque eſt finis tam magnæ Feſtivitatis; & poſtquam vidimus, & audivimus illius principium, & media, optimum erit, ut etiam videamus finem. In duas partes dividit finem ſanctum Concilium Tridentinum; primò, ut illi hodie, qui verè ſe Chriſtianos profitentur, allevient Redemptorem noſtrum ab aggreſſibus, & detractionibus, ab injuriis, & tormentis, quæ pro nobis ſuſtinuit in ſua paſſione, & hoc quomodo debet fieri? expreſſit id, & dixit ſacrum Concilium: *Singulari, & rara ſignificatione.* Non ſufficit qualiscunque devotio, non ſufficit quiscunque affectus, ſed debet fieri res ſingulari, & rara demonſtratione pietatis. Singulari, & rara? Ah Catholici! per plateas Jeroſolymæ ivit noſter Redemptor ligatis manibus, & captivus, irriſus ſicut ſtultus, & malefactor, medius inter duos latrones: & quomodo eum hodie eſtis proſecuti per has ipſas plateas? Veſtræ animæ debent dicere: Si illum adoràſtis in teneritudine cordis, debitis animæ affectibus, grata agnitione fidei, perfectis actibus virtutum, puritate conſcientiæ, triumphalis fuit exitus noſtri DEI. Si autem oculi curioſitate prævaluerunt, ſi totam curam impendiſtis ad conſideranda ornamenta, & veſtes, ſi omnis attentio fuit ad vanitatem, & ſi omnis feſtivitas in hoc conſiſtit, ut DEUS offenderetur; O DEUS meus! Vide, vide, dicebat uno die tali ſicut hodie celebramus, Dominus ad Virginem Sanciam Carriglio, apparens ei opertus recentibus plagis, ſtilantibus vivum, ſeu recentem ſanguinem, totus deturpatus, & conſputus: Vide, quàm malè me tractent hodie in mundo, ubi me ità curant, qualem me vides. O Domine! an fortè etiam hodie ſic tractaberis? quisque apud ſe recogitet, hoc ipſum bene ponderet, plangat, ſi tamen talis eſt inveniendus, qui tot, & tales lachrymas habeat, quæ ad plangendum ſufficiant.

VII. Secundus finis hodiernæ Proceſſionis Dominicæ per iſtas plateas, dicit ſacrum Concilium, eſt, ut illi recompenſemus humilibus, & amoroſis obſequiis illas ſtupendas, & execrabiles contumelias, & ludibria, quibus illum ſæpiùs nefariè afficiunt non tantùm Hæretici, & Judæi, ſed etiam mali Chriſtiani ſumendo ſacrilegè hanc diviniſſimam Euchariſtiam. Et pro deſpectibus tam inexplicabilibus, tam ſtupendis, qualia ſunt in recompenſationem noſtra obſequia? ſplendidis veſtimentis

hac

hac die indui, ſpatiari per ipſiſſimas plateas ad ſplendorem? Ah dilectiſſimi! ubi eſt noſtra fides, noſter amor, noſtra gratitudo, & noſtra devotio? quid prodeſt, quòd tantus hodie ſit in Proceſſione concurſus, cùm per totam Octavam Eccleſiæ ſint quaſi vacuæ, exinde patet, quòd hodie nihil aliud quæratur, quàm recreatio, & DEUS det, nè pejus ſit id, quod quæritur; quid juvat, quòd feſtivis diebus tot accurrant ad Eccleſiam, ſi aliis diebus eam ſinunt vacuam, per hoc demonſtrant, quòd non DEUM quærant, ſed muſcam. Dilectiſſimi Auditores mei, per amorem infinitum, quem noſtro DEO in hoc Sacramento tenemur, per beneficia infinita, & immenſa, quæ nobis indignis exhibet, oro, & ſupplico, & peto ab omnibus, ut iſte fructus ſit hujus inſtructionis, nimirum, ut quilibet juxta ſuas occupationes, & proportionaliter ad eas dedicet unam horam, vel ſaltem mediam omni die hujus Octavæ, aſſiſtendo devotè, & cum gratiarum actione ſuo DEO, & Domino palam expoſito in Altari. Et ad excitandos veſtros animos ad hanc tam juſtam, & debitam devotionem, nolo, ut exemplum ſumatur à Seraphinis, vel magnis Sanctis, nè mihi à vobis objiciatur, vos non eſſe tam ſpirituales, neque tam ſanctos; ſit unum brutum, quod nobis faciat confuſionem, & incutiat pudorem.

VIII Eſt Hiſtoria prodigioſa, quam refert noſter Euſebius Nieremberg. hiſt. nat. l. 9. c. 94. pag. 200. & affirmat, quòd, cùm ſuis diebus accidiſſet, res hæc, totam Hiſpaniam non immeritò tenebat in magna admiratione. In magna Civitate Liſabona, in diſtrictu Parochiæ ſanctæ Juſtæ, quidam Cupedinarius habebat canem mediocris magnitudinis, coloris ſubrubri, vocabat illum *Tedeſco*, quod latinè ſonat Germanum, bene meretur, ut ejus ſigna deſcribantur, & nomen in cane tam mirabili. Hic, vel per fatum ſuæ ſortis, vel per diſpoſitionem admirabilem providentiæ, ſe dedicavit totum ſervitio ſanctiſſimi Sacramenti, tali diligentiâ, & curâ, ut eo momentô, quô campanis dabatur ſignum in Parochia ad efferendum Sanctiſſimum, in quocunque loco morabatur, & qualicunque hora, ipſiſſimô punctô exhibendo ſaltus lætos, curreret alacriter ad Eccleſiam: totam circuibat, & redibat domum, uſque ad ſecundum ſignum, quô factô Venerabile ad infirmum portabatur: redibat ille pariter currendo ſecunda vice, & poſt multa exhibita lætitiæ ſigna occupabat locum ante

baldachinum, ibat cum Venerabili, & intrabat domum infirmi, jacebat in atrio totus quietus, uſquedum reportaretur Divina Majeſtas, redibat ante dictò modò ad Parochiale Templum, unde non abibat, donec vidiſſet Sanctiſſimum in Tabernaculum repoſitum. Cœpit tunc movere reflexionem conſuetudo hujus felicis animalis, & ut experirentur, an foret ſola contingentia, omnia poſſibilia media oppoſuerunt ad retinendum, divertendum, & decipiendum eum; attamen nec, dum illi blandiretur proprius Dominus volebat intelligere pro tunc, nec, dum illi objiceretur caro, ſufficiebat unquam illa ad ſatiandam illius famen præſtandæ, vel exhibendæ erga Divinam Majeſtatem obedientiæ; avocabant eum aliquoties domeſtici, ut viderent, an cum illis non remaneret ad ſe diſtrahendum; ſed ille his omnibus ſpretis, manſit in obſequiis erga Venerabile, prout jam conſueverat. Incluſerunt eum ſæpiùs, ſed ille audiendo campanam, unguibus, dentibus, inquietudine, & gemitibus omnia implebat, uſque dum compaſſio domeſticos obligaret ad reddendum eum libertati; & ſubitò anhelans currebat quærere Sanctiſſimum, quocunque portabatur. Potéſtne rationabilius animal haberi? Jam autem multò prodigioſior erat ejus zelus. Antecedebat ſemper Sanctiſſimum, prout jam dixi, & cùm eſſet ità manſuetus, attamen non erat fidendum, nec jocandum cum cholera illius, ſi quem videret minùs reverentem. Ibat itaque una nocte, & in via inveniendo certum hominem ſomnò oppreſſum, & hac ex cauſa omittentem adorare ſanctiſſimum Sacramentum, invaſit eum Tedeſco, ſicut germanus, & non ceſſavit eum affligere, uſque dum ſe in genua provolviſſet, ſícque ſine omni alia cura, & ſubitò acquievit canis. Certus Nobilis equitabat inſidens ſuo equo, & erat illi valde difficile ex equo deſcendere; ſed Tedeſco, quàm velociſſimè eidem deſcenſum facilem fecit, ſiquidem in humeros illius tantâ furiâ inſiliit, ut nullus capax eſſet, qui eum retinuiſſet, uſque dum Nobilis deſcendiſſet, & in genua ſe provolviſſet; & ecce hìc immediatè Tedeſco quievit; ſed cum novo prodigio, cùm equus eidem unum pedem confregiſſet, non fuit poſſibile illum retinere, ut curaretur, ſed claudicans ſequebatur Sanctiſſimum, pervenit uſque ad infirmum, redivit ad Parochiam; & poſtmodum domum rediens permiſit ſe curari. Alia vice, dum eſſet plena Eccleſia magno concurſu populi, exponendo Sacerdos Sanctiſſimum,

ſmum, certa fœmina remanſit ſtans, absque eo, quòd multitudo pòpuli eum impedire potuiſſet, tranſiliens canis per omnes, pervenit ad eam, & tanto impulſu aggreſſus, ut apparuerit, ſe velle eam in partes diſcerpere: alii fœminæ ſignum dederunt, ut genuflecteret, fecit, & hoc ipſo momentò fuit lis finita, & Tedeſco redit ad ſuum locum exhibendo lætitias. O brutum prodigioſum! quod tam dexterè ſcis inſtruere, dare reſpectum DEO tam rationabilem. Ultimò tandam, die Jovis, & Veneris Sancto, per ſpatium viginti quatuor horarum manſit hoc animal aſſiſtens ſanctiſſimo Sacramento, cum tanta teneritudine, ut omnis cibi obliviſceretur, nec ullus erat, qui eum ab Altari ſeparare poſſet.

O DEUS meus! & Domine, Princeps, & Dominator animarum IX.
noſtrarum, ſi talem invenis in bruto amorem, venerationem, zelum, & reſpectum, quomodo poterunt reſiſtere dura ad tuum amorem corda noſtra? triumpha DEUS meus, triumpha, nam tibi debitis obſequiis ſubjicimus grati, & alacres omnem noſtram fidem, offerimus in feſtivas victimas noſtras animas tuo amore concremandas, & jubilans repetet his diebus lætas tibi laudes noſtra ſpes. Dum enim hìc concedis nobis ſortem felicem te comitandi, & fruendi in tuo ſacroſancto Sacramento, fonte omnis gratiæ; ſperamus in tuo infinito amore, nos te pariter viſuros in plenitudine feliciſſimæ gloriæ.

INSTRUCTIO VII.

Quare inter omnia inſignia Paſſionis noſtri Redemptoris ſola Crux eſt inſigne, & ſignum Chriſtiani?

AD intelligendas leges oportet legere rubricas: eſt regula ſæpiùs I.
à Juriſtis repetita: *Lege rubrum, ſi vis intelligere nigrum; rubricæ textum explicant.* Eſt caſus, qui in principio cujusvis legis ponitur breviter literis rubris, exinde vocantur rubricæ, ponitur dico, vel occaſio, vel circumſtantia, vel tempus, quô facta eſt illa lex; & ſic immediatè cognoſcitur, in quo vigor legis conſiſtat, & vis; hac de cauſa itaque dicunt, quòd ad legem intelligendam, quæ ſub nigro continetur, oporteat legere rubrum. Et ah! quàm bona re-

regula pro noſtra doctrina ! in Cruce habemus, Chriſtiani, compendium omnium noſtrarum obligationum, & quod plus eſt, habemus in Cruce, prout ſanctus Paulus dixit 1. ad Corinth. 1. c. v. 25. ſignatam, & unitam omnem ſapientiam DEI, vide Cornel. à Lapid. in hunc locum; & ut poſſimus intelligere inſcrutabilia ſecreta Divinæ Sapientiæ, quæ in Cruce includuntur, ut intelligamus, quanta ſit vis noſtrarum obligationum, & legum, quas nobis Crux imponit, legendæ nobis ſunt hujus Crucis rubricæ, volo dicere, illæ literæ rubræ (ſeu illud rubrum) quas purpura ſui Sanguinis retinet ſcriptas in tam cruentis plagis, & vulneribus ſupremum Corpus noſtri DEI, quod huic Cruci eſt affixum. O ! ſi hoc Corpus noſter continuus liber eſſet, noſtrum ſtudium, & noſtra meditatio, quantus eſſet noſter profectus. O ! quomodo nos legibus accommodaremus, quas nobis Crux præſcribit; ſi legeremus illas rubicundas in Corpore noſtri Redemptoris, in conſideratione, & aſpectu illius, fierent nobis multò faciliora præcepta, quæ nobis apparent tam difficilia: ibi videremus multò ſuaviores eſſe virtutes, quæ nobis tam aſperæ, & tam arduæ videntur ! Jam itaque hodie nos decet videre, & inſpicere rubricas Crucis: vidimus jam, qualiter, & quomodo Crux ſit noſtrum inſigne, & noſtrum ſignum: nunc ſciendum eſt quare ?

II. Hoc *quare* eſt interrogatio, quæ in Catechiſmo ſequitur, & antequam reſpondeamus, videamus difficultatem, quam involvit occultam hoc *quare*, quam, an omnes agnoſcant, neſcio; & poſtquam illam adverterint, approbabunt Catechiſmi facilem, & brevem reſponſionem. Certum eſt, quòd ſicut Crux fuit inſtrumentum Paſſionis noſtri Redemptoris; ſic etiam fuerunt inſtrumenta Paſſionis, corona, flagella, columna, clavi, & lancea: ſi Crux habuit fortunam immediatè tangendi Corpus ſacratiſſimum Chriſti, etiam illud tetigit, & quidem immediatiùs corona, quæ illud ſuis ſpinis penetravit, flagella, quæ carnem Chriſti dilaceraverunt, clavi, qui corpus confixerunt, & manus ſanctiſſimas, ac pedes penetrârunt; lancea, quæ cuſpide uſque ad cor ſacratiſſimum pervenit. Ecce igitur difficultas, & videbo, quid mihi reſpondebitis. Quare ſola Crux eſt inſigne, & ſignum Chriſtiani, & non columna, flagella, corona, clavi, nec lancea ? ſi ideo, quia Crux fuit inſtrumentum Paſſionis noſtri Redemptoris, omnia illa antedicta etiam fuerunt inſtrumenta; ſi ideo, quia

quia Crux immediatè tetigit ſanctiſſimum Corpus Chriſti, etiam alia inſtrumenta illud immediatè tetigerunt. Jam quare ex omnibus ſola Crux eſt noſtrum inſigne? quare ſola Crux debet eſſe, & eſt ſignum Chriſtiani? hoc eſt illud *quare* Catechiſmi. Videte, an non habeat hæc res difficultatem, & talis, ut Princeps Theologorum obligetur eidem reſpondere. Ventilat hoc punctum Angelicus Doctor S. Thomas 3. p. art. 3. ad 1. videSuar. tom. 1. in 3. p. diſp. 52. ſect. 2. & facit argumentum in materia de adoratione. Illud eſt probè certum, quòd ſic, ſicut adoramus Crucem propter id, quod contactum attinet, quem habuit ad ſacroſanctum Corpus noſtri Redemptoris, adoramus pariter omnia alia inſtrumenta paſſionis, ſed cum diſtinctione, ſiquidem coronam, lanceam, clavos &c. adoramus ſolùm in originali, volo dicere, illud ipſiſſimum, quod tetigit Corpus ſacratiſſimum Redemptoris, ibi, ubi cuſtoditur, aut conſervatur, & cuſtodiuntur, vel conſervantur hæ pretioſæ Reliquiæ, hæc ſanctiſſima originalia; ſed non ideo ſtatim adoramus qualemcunque coronam ſpineam, non: non adoramus lanceam, columnam, clavum; quia adoratio debetur à nobis ſolùm ipſiſſimis inſtrumentis, quæ fuerunt realia, & ipſiſſima inſtrumenta, & quæ tetigerunt ſanctiſſimum Corpus noſtri Redemptoris, & non illorum imaginibus, vel effigiebus. Nunc autem cum Cruce res ſic non procedit; ſiquidem, non ſolùm debemus adorare ipſam Crucem, cui fuit affixus noſter Redemptor, ſed etiam qualemcunque, & quamcunque imaginem illius: non ſolùm adoramus *lignum Crucis*, ſic enim appellamus reliquias, quæ conſervantur de ipſima Cruce noſtri Redemptoris, ſed pari modo adoranda eſt qualiscunque Crux, ex qualicunque ſit materia, ex argento, auro, ligno, & licèt ſit chartacea. DEUS bone! quare debet habere hanc excellentiam ſola Crux, ut adoretur non tantùm in ſuo originali, ſed in quacunque ſua imagine, vel effigie, & non ſic corona, clavi, lancea &c. quorum ſolummodo originalia adoramus? an hæc non fuerunt pariter inſtrumenta, ſicut Crux Paſſionis ſanctiſſimæ, per quam ſumus redempti? ità eſt: fuerunt; *Iſtæ tamen*, reſpondet jam Angelus Scholarum, *non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut Crux, quæ dicitur ſignum Filii Hominis; & inde eſt, quòd Crucem Chriſti veneramur in quacunque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcunque hujusmodi.* Ratio itaque eſt, quòd nec corona, nec clavi, nec lancea ſint imago, & effigies noſtræ vi-

tæ, id eſt Chriſti ? nónne videtis ? corona in quali re aſſimilatur homini ? in nulla ; & hoc ipſum videmus in clavis, in lancea, & in reliquis inſtrumentis : Crux autem eſt imago, effigies Chriſti Crucifixi. Quid eſt homo expanſis, vel extenſis brachiis ? eſt Crux. Nunc itaque ex hoc ſolo motivo, Cruci, & non aliis inſtrumentis cujuscunque modi ſint, debemus exhibere adorationem, dicit ſanctus Thomas ; quia illa ſola eſt figura, & imago Chriſti, illa ſola eſt ſignum Chriſti : *quæ dicitur ſignum Filii Hominis*, adjungit Angelicus Doctor.

III. Jam itaque ad noſtrum propoſitum : ſola Crux eſt inſigne, & ſignum Chriſtiani, *quare?* & cùm jam videritis, & audieritis difficultatem hujus *quare*, ſcietis ſpeciem reſponſionis tam brevis, & tam claræ Catechiſmi : *Quia eſt figura Chriſti Crucifixi, per quem fuimus redempti in illa ;* itaque, quòd nec corona ſpinea, nec clavi, nec lancea, nec aliud inſtrumentum Paſſionis, ſint inſigne, & ſignum Chriſtiani, cauſa eſt, quia non ſunt figura, nec imago Chriſti ; & ſola Crux, quia eſt figura, quia eſt imago Chriſti crucifixi, eſt noſtrum ſignum, & noſtrum inſigne.

IV. Et quid exinde ſequitur ? O DEUS ! & quid ſequitur ? ſequitur, quòd non ſufficiat tenere Crucem, ſi cum Cruce non teneat quilibet ex nobis imaginem Crucifixi. Sequitur, quòd ad nihil ſerviet exprimere Chriſtum in fronte per Crucem, ſi non exprimamus Chriſtum cum Cruce in vita. Sequitur, quòd nihil proficiet nobis facere cum Cruce figuram Chriſti, ſi moribus exprimamus feritatem abominabilem dæmonis : *Pretioſum eſt ſignum Crucis*, dicit Petrus Damiani ſerm. 40. de S. Caſſiano, *ſed prout geſtamus, in fronte, utinam geſtemus in corde.* Pretioſum eſt ſignum Crucis, ſed quid nos juvabit totum illius pretium, ſi ſolùm illam in fronte portemus, & non in corde ? Ille portat illam in ſuo corde, qui integro amore amat illum, qui fuit Cruci affixus : qui obſervat illius præcepta ; quid juvat, quòd ii, qui pro ſuo DEO tenent ventrem, voluptates, appetitus, faciant ſupra ſe ſignum ſanctæ Crucis, ſi ſunt inimici Crucis : *Inimicos Crucis Chriſti*, dicit Apoſtolus ad Philipp. 3. Alexander Luſagius, homo valde ſpiritualis, repetebat ordinariè hanc ſententiam : *Eſt impoſſibile tenere Crucifixum ſine Cruce.* Chriſtiane, vis in anima tua habere Chriſtum crucifixum ? debes ergo habere in anima tua Crucem ; & ſi non poteſt ibi eſſe crucifixus ſine Cruce, nec pariter crux debet eſſe ſine Cru-

Crucifixo, qui eſt Crucis figura, effigies, & imago. Itaque, ſi ibi eſt, quomodo debemus conjungere cum Cruce Crucifixum? gratitudine, imitatione, & vitâ.

Vide anima, quomodo pendeat tuus DEUS in Cruce; inclinato capite, quaſi te vocans, quaſi tuis precibus condeſcendens, quaſi ſe inclinans ad tibi condonandum: brachiis extenſis, vel expanſis patulum tibi ſuum pectus ſinit, quaſi te deſiderans admittere ad ſuos amplexus, & qui pro te fecit, quantum potuit, qui eſt infinitus: aperto corde, ut in illud introeas, ut te ille amicabiliter recipiat, ut tu in illo ſalutem invenias; & toto corpore decurrente ſanguine, ut te laves, ut te mundes, & ut redimaris, cùm hujus totius rei ſit figura Crux, quæ tuum ſignum eſt. Vide, an tantas habeas vires, ut ſufficiens inveniaris ſolvere gratiarum actionibus tantum beneficium; Si Crux eſt tuum ſignum, ubi expreſſiſti, aut effigiâſti Crucifixum tua gratitudine; Quoties recogitâſti, ſaltem per aliquot momenta tibi præſtita beneficia? facis toties ſupra te ſignùm Crucis, & nunquam recordatus fuiſti, hanc ipſiſſimam Crucem eſſe figuram Chriſti crucifixi qui te in illa redemit. Ah! ſolve ſaltem memoriâ, & meditatione id, quod DEUS facere dignatus eſt patiendo tam immania tormenta, & ſic erìt in te ſignum Crucis, imago DEI tui crucifixi. Deeſt tibi robur, deſunt vires, aut ſanitas ad portandam Crucem te mortificando ciliciis, diſciplinis, jejuniis, pœnitentiis; igitur portes ſaltem hanc ipſam Crucem meditatione Chriſti crucifixi, & audi Beatum Albertum Magnum tract. de Miſſa apud Engelgr. Dom. Quinqu. §. 3. Simplex memoria, vel meditatio Paſſionis Chriſti, dicit magnus iſte Doctor, plùs valet, quàm ſi quis jejunaret in pane, & aqua omnibus diebus Veneris totius anni, plùs quàm ſi omni ſeptimana ſe cruciaret uſque ad ſanguinis effuſionem. Tantúmne valet meditatio Paſſionis noſtræ vitæ JESU Chriſti? ita eſt. *Filia*, dixit Dominus ad ſanctam Gertrudem: ô verba pro ſummo noſtro ſolatio! *Filia, ille, qui me aſpexerit in ſua vita crucifixum, cum devotione, & teneritudine, ego ipſum reſpiciam benignis oculis in hora ſuæ mortis.* Hoc itaque erit portare nos cum ſigno Crucis figuram Chriſti crucifixi, ſi ſemper portaverimus in memoria illum, & in meditatione. Hoc argumentum facit nobis Chriſtianis ſanctus Petrus Apoſtolus 1. epiſt. c. 4. vide Cornel. in hunc locum. Eſtis Chriſtiani? ſequimini JESUM Chriſtum? habetis ejus ſignum? V.

gnum? nunc quid exinde ſequitur ? *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini :* Hoc, quod ſequitur, eſt : quòd, ſi Chriſtus paſſus fuit pro vobis tam terribilem mortem in Cruce, igitur vos arripiatis hæc arma Crucis ſemper memoriâ, & meditatione recolentes hanc mortem.

VI. Sícne res cedit ? igitur ſæpiùs conſideratè videamus, & perpendamus in ſigno Crucis figuram noſtri DEI crucifixi ; Quomodo ibi pendet ? pendet, ùt Magiſter factus omnium virtutum. Hoc itaque eſt applicare ſe, & conari effigiare illum in nobis per ſignum Crucis imitatione. Quondam, quia Alexander magnus portabat ſemper inclinatum ad unum latus collum, omnes ejus Principes affectabant incedere collô curvatô ; quia Plato loquebatur blæsè, balbutiendo, diſcipuli ejus affectabant etiam balutire : quia Imperator Carolus V. propter dolores capitis ſibi curavit capillos abſcindi, vel curavit radi caput ſuum, in momento omnes Principes, & Nobiles, permittendo, vel curando radi caput ſuum, vel curando ſibi abſcindi capillos, quos in tantum æſtimabant, prodierunt cum raſis capitibus ; quia Sabina habuit capillos coloris crocei, qua ſæpiùs Nero uſus fuerat, omnes Matronæ Romanæ omnimodè quærebant tincturas, quibus fingerent hujus coloris capillos. Et pro nunc videmus omni die id ipſum fieri, & ſimiles uſus vigere, qui tam obſtinatè introducuntur, & cum tanta æmulatione ſuos habent imitatores. Jam ſi ità una creatura quærit imitari etiam deformitatem, turpitudinem, & vitium, cur noſtri DEI non procurabimus imitari virtutes, quas omnes unitas, & in unum congregatas nobis in Cruce pendens demonſtrat? quis non erit humilis videns DEUM in tanta ignominia ? quis non erit patiens, videndo DEUM inter tam terribilia tormenta ? quis ſuos appetitus non mortificabit, videndo DEUM pedibus, & manibus Cruci affixum ? quis non refræna bit ſuas voluptates, & ſuas pompas, videndo DEUM nudum, & qui ad extinguendam ſuam tam ardentem ſitim invenit ſolummodò fel, & acetum, & tandem qui videt DEUM ſuum mortuum, quomodo non reſignabit illi omnem vitam ſuam tali modo, ut nec ſe moveat, nec cogitet, nec reſpiret, niſi cum Criſto Crucifixo.

VII. Pater, hæc eſt magna perfectio, & dicenda ſolùm Religioſis, & Virginibus DEO ſacratis, & non nobis, qui vivimus in mundo. Expecta-

pectate, & non me audite, ſed reſpondete ſancto Paulo 2. ad Cor. c. 5. *Pro omnibus eſt mortuus Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Pro omnibus, pro omnibus mortuus eſt Chriſtus JESUS: hoc nobis dicit ſignum ſanctæ Crucis, omnes nos eſſe redemptos per Crucem. Et quid exinde ſequitur Apoſtole ſanctè? Audite, audite vocem magni Pauli: id, quod exinde ſequitur, eſt, quòd illi, qui Chriſto vivunt, non debeant ſibimet ipſis vivere, ſed illi, qui mortuus eſt pro eis. Hoc ſequitur? nunc interrogo: Tu Chriſtiane, qui excuſationem allegas, quòd non ſis Monialis, quòd in mundo vivas, quæro: éſtne pro te mortuus Chriſtus JESUS? vide an poſſis hoc negare; & ſi non potes negare, quid exinde ſequitur? *ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant*: hoc, quod exinde ſequitur, eſt, quòd ſolùm illi debeas vivere, qui pro te dedit ſuam vitam. Cyrus Rex Perſarum, ùt refert Xenoph. l. 3. de juſt. Cyri apud Liranum, vicit in bello Tygranem Regem Armeniæ, & tenendo illum captivum unà cum ſua Conjuge, interrogavit eundem in præſentia illius: quid mihi dabis, ut in libertatem redeat tua ſponſa? ſi haberem totum, tibi darem meum Regnum, reſpondit; ſed cùm jam illud perdiderim, hoc, quod tibi daturus ſum, ut illam libertati reſtituas, erit meus ſanguis, & mea vita. Commotus Cyrus ſimili reſponſo, donavit ſubitò utrique libertatem; redibant læti ad ſua, & tunc interrogavit Tigranes ſuam ſponſam: quid tibi videtur de Rege Cyro? nunquid eſt venuſtus, præſtans, & elegans? cui illa reſpondit: ut quid me interrogas; cùm ego omnes meas attentiones, meos oculos, meósque ſenſus repoſitos habuerim in illo, qui pro mea libertate obtulit ſuum ſanguinem, & ſuam vitam; & ſic nec vidi, nec conſideravi quidquam in aliquo alio. O confuſionem noſtræ vitæ! O pudorem noſtrorum diſtractorum amorum! Illa ſolummodo ob unicam oblationem manſit ità ſtupefacta, & oppreſſa, ut omnes illius cogitationes, oculos, & attentiones, & affectus rapuerit ille, qui pro illius libertate obtulit ſolummodo ſanguinem, quæ tamen oblatio poterat eſſe mendax; & nos, cùm DEUS noſter ſparſerit, non tantùm ſe offerendò, ſed revera Sanguinem ſuum ſacratiſſimum pro reddenda nobis libertate, paſſus fuerit terribilem, & opprobrioſiſſimam mortem pro reddenda nobis vita, ità avertimur, & alienamur ab ejus amore? ità convertimur ad creaturas, & ſic ob-

viſcimur beneficii tam immenſi? Itaque ſi gloriamur de ſigno Crucis, Crux nobis ſemper debet renovare in corde hanc tam proficuam memoriam.

VIII. Refert Thomas Cantipratanus ſpec. ex verb. Paſſionis Chriſti, quòd certus Juvenis Chriſtianus, incidendo in manus Barbarorum, factus fuerit ſclavus unius ex illis valde potentis, qui complacendo ſibi de novo ſclavo, ex eo, quòd ſervitia commodiſſimè, & excellenter perageret, volebat, ut hilariter apud eum viveret. Sed ſclavus Chriſtianus, etſiamſi illi nihil defuerit de neceſſariis, incedebat tamen vultu modeſto, & ſerio; & præterea obſervabatur in eo, quòd dum alii ſclavi plurimùm feſtivi, & hilares ſe recreabant, modò in lætis converſationibus, nunc in diverſa Muſica, jam in ſuis jocis, & luſibus, ille ſemper cogitabundus, & perplexus fuerit; quid habes? interrogabat illum herus, cur tam mœſtus incedis? non ſum mœſtus, reſpondit ille: niſi quòd intra meum cor habeam Crucem, in qua mortuus eſt DEUS meus; hac de re quoties illum ſuus herus interrogavit, toties hoc ipſum fortunatus ſclavus reſpondit; tandem plenus irâ Barbarus, itaque debeo videre, dicit Sclavo, iſtam Crucem, quam in tuo corde tenes; & cum crudelitate inhumana mandat ei cor extrahi. O prodigium! extracto corde in ſua præſentia, videt in illo clariſſimè ſculptam, & cum omni perfectione imaginem Chriſti crucifixi? qui ſicut in vita per meditationem paſſionis fecit illum modeſtum in ſuis moribus; in morte, poſtquam coronâſſet illum martyriô, ſic illum honoravit, ut impreſſam reliquerit in corde ejus ſuam Imaginem.

IX. O Redemptor pretioſiſſime noſtrarum animarum, ah ſi ità haberemus in noſtra memoria ſemper præſentem tuam imaginem, quàm bene eſſent accommodatæ ſignô tuæ Crucis noſtræ vitæ, & noſtri mores! Oh! utinam tuus Sanguis quandoque emolliat noſtram duritiem, ut exemplari ſanctiſſimo tuæ mortis ſemper conformata noſtra vita acquirat theſauros immenſos, quos per mortem nobis lucratus es, gratiæ.

CON-

INSTRUCTIO IX.

De Myſteriis, quæ continet modus, & verba, quibus nos ſignamus.

NOn fuit contentus noſter amoroſiſſimus Redemptor, quòd nobis ſua morte vitam comparaverit; ſed voluit etiam nobis relinquere in inſtrumento ſuæ mortis noſtram defenſionem. Eſt communis interrogatio, cur Redemptor noſter, quandoquidem debebat mori, voluerit ſuam mortem eſſe in Cruce? Liræus de Chriſti Paſſione c. 7. & lib. 7. c. 1. cur non conſenſit, nec voluit occidi in Bethlehem inter innocentes infantes, nec Jeroſolymis voluit decollari ſicut Joannes Baptiſta, nec voluit præcipitari de monte, prout intendebant, & volebant illi facere Judæi, nec voluit lapidari in templo, prout illic minabantur illi Phariſæi, ſed ſemper ſe conſervavit, ut mors ejus in Cruce ſuccederet? variæ ſunt reſponſiones ad hoc dubium; inter omnes tamen eſt ſingularis; & quando non eſt ſpecialis, & ſingularis reſponſio prodigioſi, & magni Auguſtini? Volebat nobis Redemptor relinquere, dicit hic Doctor magnus, in Cruce, ut hæc eſſet inſtrumentum ſui triumphi, & ſimul hæc arma nobis ſubminiſtraret, unde multas conſequeremur victorias. Notate, precor vos; ſi Dominus noſter fuiſſet mortuus per ſeveritatem gladii, vel per ictus lapidum, relinquendo nobis hæc pro armis, quid exinde ſequeretur? nos plurimis vicibus remanſuros victos, quia, cùm non ſemper poſſimus incedere armati ferrô, vel lapidibus, dæmon, qui velut traditor nos ex improviſo invadit, vel ùt rabioſus canis percellit deprehendendo ſæpiùs improviſos, & ſine armis, vinceret. *Noluit lapidari*, verba ſunt ſancti Auguſtini ſerm. 181. de temp. Tom. 10. *aut gladio percuti, quia nos ſemper lapides, aut ferrum ferre non poſſumus, quibus defendamur.* Nunc quid fecit Dominus noſter, videndo inimicum noſtrum eſſe tantum traditorem, ità vigilantem, tam aſtutum, qui omni tempore nos perſequitur, & quando nos videt minùs cautos, & magìs negligentes, tunc nos invadit? Elegit nobis certa arma tam facilia, tam obvia, ut de die, & nocte, vigilando, dormiendo, occupati, otioſi, in ſolitudine, in publico, ſemper illa I.

illa nobiscum portemus, absque eo, quòd ea à nobis possimus amovere; certa arma, ut nobis semper ità ad manum sint, ùt ipsa manus. Hæc arma sunt Crux, quæ solùm duobus digitis unitis formata, est gladius potentissimus contra omnes inimicos; quapropter hac de causa elegit Dominus Crucem pro instrumento sui triumphi, ut nobis relinqueret in hac Cruce arma tam bene in manu, quàm in ipsis digitis, ut nunquam ex defectu armorum omitteremus vincere nostros inimicos. *Elegit verò Crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, qua & contra inimici versutias muniamur.* Exinde capio notitiam, quôd possimus repetere in clarissimo sensu nos omnes Christiani illa verba Davidis, quæ multum laboris causant expositoribus scripturæ Psal. 143. *Benedictus DEUS meus, qui docet meas manus ad prælium, & digitos meos ad bellum;* manus ad prælium, & digitos ad bellum? nunquid hoc totum idem est? non, quia soli digiti possunt consequi victoriam particulariter, ab illa, quam consequitur manus. Nam quando facimus Crucem, seu signum Crucis, manus sunt, quæ præliantur, digiti autem faciunt bellum, quoniam digiti illud sunt, quod formando Crucem, manui servit pro validissimis armis; nunc enim vincimus formando Crucem integra manu, *qui docet manus meas ad prælium*, & jam triumphamus formando Crucem digitis, *& digitos meos ad bellum.* Eò usque pervenimus per signum sanctæ Crucis, ut duobus digitis multas legiones dæmonum in fugam convertamus; tam validum, & tam potens est hoc signum. Jam itaque, *quando adhibes Crucem*, interrogat nos Catechismus: adhibeo illam *signando me*, *& sanctificando*: sùntne istæ duæ voces diversi sensus? ità est; formare Crucem sine prolatione verborum, hoc est *se signare*, formare Crucem cum prolatione verborum *per signum sanctæ Crucis* &c. hoc dicitur *se sanctificare.*

II. Videamus nunc, quomodo id fiat. Eja sursum cum manu; cum quali manu, Pater? cum dextera, quis hoc nescit? & quare ad signandum nos debet esse manus dextera illa, quâ Crucem formamus? non putetis, non cogitetis, quòd istæ sint parvitates, aut minutiæ, in rebus minimis latent abscondita suprema Mysteria nostræ Religionis, dicit Bellarminus de Script. & ut hoc videatis; mille, & quingenti anni sunt, à quo scripsit sanctus Justinus Martyr, ille est ex omnibus sanctis Patribus antiquissimus, & immediatus à temporibus Apostolorum, audite jam illius verba quæst. 118. ad Orthod. *Quoniam*

niam noſtrorum honorabiliſſima quæque ad DEI honorem ſeponimus, ità dextera manu in nomine Chriſti conſignamur, quia honorabilior exiſtimatur, quàm ſiniſtra. Signamus nos dexterâ, dicit hic ſanctus Pater, quia hoc, quod ad DEUM ſpectat, pro illius ſervitio, pro ipſius cultu debemus ſemper æſtimabilius, & nobilius eligere, & manus dextera ſemper fuit habita honorabilior præ ſiniſtra; ideo nos ſignamus dexterâ. Præterquam quòd hoc requirat etiam inter homines bona educatio, dicit in omnibus cautus, & prudentiſſimus Auguſtinus: permittitísne vos filiolo veſtro, ut in menſa cochlear ſiniſtra manu arripiat, & ad ſcutellam tendat? non, aliàs eſſetis mali parentes, ſi quid ſimile pateremini, licèt experiar, & videam multos hac in re negligentes, & incurios Parentes; quàm mala educatio parvulorum! ô quales efformantur ruſticelli! quales ſtolidi! ah nolite omnia imputare Magiſtris, & Informatoribus! nam licèt Magiſtri doceant bonos mores veſtros parvulos, tamen, cùm non ſemper poſſint cum illis incedere, & apud ipſos eſſe, non poſſunt illos docere modum manducandi; hæc ſunt per tranſenam dicta. Redeamus ad ſanctum Auguſtinum, qui in Pſal. 136. dicit: *Nónne corripit eum, qui de ſiniſtra voluerit manducare?* jam ſi tu reputas pro inhumanitate, ſi quis manducet in tua menſa manu ſiniſtra; quomodo non eſſet major incivilitas, & inhumanitas non peragere res ad DEUM ſpectantes manu dextera? *ſi menſæ tuæ injuriam putas fieri manducante de ſiniſtra, quomodo non fiet injuria DEO, ſi quod dextrum eſt, ſiniſtrum fecerit?* ideo igitur debemus nos manu dextera ſignare; videte, an doctrina hæc contineat illud, quod nobis exiguitas, & minutia apparet.

III. Eja ergo, jam tenemus præparatam manum dexteram; & nunc quomodo formatur Crux? formamus Crucem extendendo pollicem, & inclinando ſimul ad pollicem digitum indicem; tali modo permittendo extenſos alios tres digitos, qui ſunt, digitus medius, digitus anularis, digitus auricularis, quem vocamus minimum, & hoc totum quid ſignificat? nunc vobis dico: pollex, qui eſt principalis digitus manûs, eſt tantum, ùt illum Græci vocant *antigyr*, quod ſignificat, *altera manus*; nam ſicut una manus adjuvat alteram ad vim inferendam, ſic pollex ſolus tantum valet, quantum omnes alii digiti; quia ille eſt, qui alios adjuvat, ut poſſint aliquam rem apprehendere, ut poſſint vim afferre. Itaque pollex ſignificat Divinitatem Chriſti, quæ

illa fuit, quæ dedit omnem vim, & valorem infinitum omnibus operibus, quæ opera digitorum Christi vocavit David Psal. 8. *Opera digitorum tuorum*; & ista Divinitas unita suæ humanitati sanctissimæ; & hæc humanitas repræsentatur in digito *indice*, id est, in eo, qui indicat, qui demonstrat, siquidem ad hoc venit in mundum DEUS noster, ad nobis indicandum, demonstrandum, & instruendum, ubi sit via ad Cœlum: *Ego sum via*; & inclinatus digitus *index* ad formandam Crucem, quia humanitas Christi est inferior Divinitate; & hæc inclinatio nos docet, quomodo DEUS se humiliaverit descendendo de Cœlo ad terram, & moriendo pro nobis morte Crucis; & cùm sit digitus index hoc, quod nobis assignat, annuit, & demonstrat, ubi sit via ad vitam æternam, pariter nobis monstrat, & dat nobis cognoscere Patrem æternum Christi Domini. Introductus itaque fuit in Ecclesiam iste mos formandi Crucem digitis, ut per hoc confiteamur in Christo duas naturas, Divinam scilicet, & humanam, contra Hæreticos Monofisitos, qui ad blasphemandum, Christum non habere nisi unam naturam, formabant Crucem solùm uno digitô, prout refert Niceph. lib. 18. c. 53. illos itaque nos refutamus formando Crucem duobus digitis.

IV. Et cùm jam teneamus formatam Crucem digitis, progrediamur ad nos sanctificandos. *Per signum sanctæ Crucis ab inimicis nostris*, non dicatis, & *ex inimicis*, prout ego sæpiùs audivi; hoc enim esset dicere, ut nos DEUS liberet per signum ex nostris inimicis: periculosus barbarismus, & si intelligerent id, quod dicunt, esset blasphemia; dicamus ergo sic: *Per signum sanctæ Crucis* &c. & antequam explicem id, quod manu facimus, oportet intelligere illud, quod ore proferimus. Est hæc oratio piissima, & efficacissima ad obtinendam à DEO defensionem, & protectionem, quia vel maximè ea protestamur, & confitemur principaliora Mysteria nostræ fidei, siquidem interponimus nostris precibus tres personas sanctissimæ Trinitatis, & invocamus nostram vitam Christum, monstrando illi signum sanctæ Crucis. Explico me aliquô exemplô: moratur aliquis homo extra suam domum in certo negotio grandi, unde non potest recedere, & illuc advenit legatio, seu nuntius, petens ab eo supellectilem pretiosam è domo sua; nec ille potest ire ad extradendam supellectilem, nec ad manus servum habet, quem domum posset amandare; dicit tandem petens

tenti: vade, & dic meæ uxori, quatenus tibi petitum extradat: Domine reſpondet petens, cùm me non noſcat, nec mihi credet, nec petitum extradet: itaque (ait ille) accipe hanc pixidem tabacariam, vel roſarium, & dicas Dominæ meæ, quòd ego mandem, ut propter ſignum, vel vi ſigni hujus Roſarii tibi hoc extradat, quod petis. Vadit, porrigit ſignum, & ob agnitionem ſigni accipit mox illud, quod quæſivit; ſic res evenit: cavete tamen vobis, nec hoc ſæpiùs practicate, quia multùm aſtuti ſunt latrones harum Provinciarum. Nunc, non aliter alloquimur JEſum Chriſtum: *Per ſignum ſanctæ Crucis* &c. Domine jam per hoc ſignum, vel ex hoc ſigno me agnoſcis, quòd ſim ex tuis, qui de domo tua ſunt; ex hoc ſigno recordare illius, quod pro me feciſti, & mihi hoc ſignum reliquiſti, ut ego tui recorder, ut pariter tu mei recorderis: hoc eſt ſignum à te mihi relictum in ſignum, quòd ego à te ſim redemptus, & quòd tu in Cruce te oneraveris omnibus meis neceſſitatibus; nunc igitur per hoc ſignum te precor, nunc per hoc ſignum te oro: *Per ſignum ſanctæ Crucis* &c. videte, & bene conſiderate: quid negabit Dominus illi, qui ſic illum allocutus fuerit cum devotione, & fiducia? hoc totum autem illi dicimus ſolis illis verbis: *Per ſignum ſanctæ Crucis* &c.

Et hoc proferendo pergimus formare tres Cruces; primam in V.
fronte, id eſt, ubi reſidet intellectus, & principium potentiarum animæ, & per hoc recognoſcimus æternum Patrem, principium, & originem aliarum duarum Perſonarum, nempe Filii, & Spiritûs Sancti. Secundam Crucem formamus in ore, in loco, ex quo proferuntur verba, quæ declarant noſtras internas cogitationes, & hic recognoſcimus ſecundam Perſonam, quæ eſt Filius, qui eſt Verbum, & conceptus ſubſtantialis æterni Patris. Tertia Crux, quam facimus in pectore, & ſupra cor, nos facit cognoſcere tertiam Perſonam Spiritûs Sancti, qui eſt eſſentialiter amor Patris, & Filii; & ideo tertiam Perſonam recognoſcimus in corde, quia cor eſt fons amoris: factis hac diſtinctione tribus his Crucibus, facimus breviorem unam ſolam Crucem integrâ manu, quæ omnes tres comprehendit, à fronte ad inferius pectoris, & ab humero ſiniſtro ad dextrum; & per hoc damus ad intelligendum, quòd, ſicut faciendo tres Cruces, brevior una ſola Crux omnes tres comprehendit, ità, ut iſta ſola Crux poſſit, & valeat tantum, quantum omnes iſtæ tres, & quævis ex

istis tribus tantum, quantum quævis illarum; ità licèt Personæ Sanctissimæ Trinitatis sint tres distinctæ, omnes tres tamen sunt unus DEUS in essentia, & quævis ex illis habeat eandem essentiam, & ità quævis Persona sit verus, infinitus, & omnipotens DEUS, sicut sunt aliæ duæ Personæ, & ex hac ratione dicimus: *In nomine*, & non in nominibus; *In nomine Patris* in fronte, in alto, ad significandum, non solùm Patrem esse principium Filii, & Spiritûs Sancti; sed etiam, quòd remanendo semper in alto sui throni nunquam sit missus ad terram; subjungimus, dimittendo manum versus ventrem, *& Filii*, ad significandum non solùm, quòd Filius ab æternitate natus sit ex Patre; sed etiam, quòd descenderit de Cœlo, ut propter nos Homo fieret in purissimo ventre Sanctissimæ, & Immaculatæ Virginis MARIÆ: concludimus in medio: *& Spiritûs Sancti*, ad significandum, quomodo hæc Divina Persona non solùm est nexus, & nodus, qui unit Patrem, & Filium, sed etiam, quomodo Spiritus Sanctus fuit medium, & ipse operatus est Incarnationem Verbi in viscеribus purissimis MARIÆ. Ecce tibi, quomodo signando nos, confitemur principaliora Mysteria nostræ Fidei, quæ expressè debemus credere ad salutem: Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, prout jam dixi, in tribus Crucibus, & in una Cruce, tres Personas, & unam essentiam; Mysterium Incarnationis Verbi in duobus digitis, quos conjungimus, duas naturas, Divinam, & humanam; & in demissione manûs à fronte usque ad ventrem, locum generationis, passionem, & mortem nostri Redemptoris; totum id nobis repræsentat sancta Crux: & ultimò, quòd faciamus tota manu, repræsentamus per quinque digitos Sanctissima quinque Christi Vulnera: & per virtutem hujus sanctissimæ Passionis, remissionem nostrorum peccatorum; hoc significamus transferendo manum à latere sinistro, quod est damnatorum, ad latus dextrum, quod est electorum; & finimus in hoc latere dextro, significando, quòd nostri conflictus, nostræ pugnæ, nostra prælia, si constantes perseveraverimus, finientur in vita æterna, in æterna sorte, & in æterna felicitate.

VI. Sed pro ultimo interrogabitis me: quales sunt illi inimici, à quibus petimus nos à Domino, liberari: *Ab inimicis nostris libera nos Domine.* Omnes illi, qui intentant facere nobis malè, hi sunt nostri inimici, bruta cum sua feritate, homines cum sua malitia, fœminæ cum

cum ſuis blanditiis, omnes iſti ſunt noſtri inimici, & ab omnibus liberabit nos ſignum ſanctæ Crucis. Tempore ſancti Joannis Chryſoſtomi, ùt Surius narrat in vita ejusdem. feriſſimus Leo evertebat, & devaſtabat agros, & campos mactando multos homines; curavit Sanctus ibi exſtrui Crucem, & ſequenti die invenerunt Leonem ad pedem Crucis mortuum; & in ſimilibus habentur innumerabilia exempla. Sanctus Franciſcus Xaverius, ùt in ejus vita legitur, ſinè aliis armis, ſolummodo tenendo Crucem in manu, ſtitit totum exercitum Barbarorum, & quando furioſi ibant ad exequendam ſuam rabiem, fecit, ut omnes terga verterint pleni timore. Sanctus Conſtantinus Martyr, ùt in faſtis Marian. die 26. Decemb. legitur, quem volebat ſeducere certa impudica fœmina ſuis impudicis blanditiis, formando ſupra illam ſignum ſanctæ Crucis, eo ipſo momentô illam ad pedes ſuos mortuam jacentem habuit, & tandem miſericordia motus, immediatè, ubi illam rurſus ſignô ſanctæ Crucis ſignâſſet, ad vitam revocavit.

Principales itaque inimici, à quibus nos Crux liberat, ſunt illi, **VII.** qui peſſimè clanculô nobis nocent, quia illos non videmus: iſti ſunt dæmones, & illorum Miniſtri, Venefici, ſagæ, & ideo adhortatur vel maximè Frater Bartholomæus de Spina in quæſt. de Strig. Matres, ut omni veſpera faciant Crucem ſupra ſuas proles, quia una Venefica faſſa eſt, quòd, cùm ſæpiùs, quàm quinquaginta noctibus iviſſet occidere filiolum ſuæ vicinæ, nunquam potuerit id exequi, cùm ſemper inveniſſet prolem ſignô ſanctæ Crucis munitam. Capite itaque, & habete pro bona notitia vos mulieres, & ſignate ſignô Crucis omni veſpere veſtras proles, ſed hoc fiat verbis, quibus utitur ſancta Mater Eccleſia, & nos docuerunt ſancti Apoſtoli: non fiant faſcinationes illæ aniles à dæmone (ùt ità loquar) ſanctificatæ, quibus nihil eſt credendum, nec incantationibus conſentiendum. Cùm ſancta Mater Eccleſia habeat ſuas orationes ſanctiſſimas, cur adinvenitis orationes, quæ multis vicibus, vel quæ ſæpiùs continent ſuperſtitiones, errores, & ineptias? finaliter tandem peſſimus, & ferociſſimus inimicus noſter eſt dæmon, & iſte canis tremit, exhorreſcit, & fugit ad ſolum viſum ſigni ſanctæ Crucis; non ſufficeret dies ad referendos, & enarrandos ſimiles ſucceſſus prodigioſos; ſed inter alios innumerabiles ſeligo ſequentem, ùt magis ſpecioſum.

VIII Narrat noſter eruditus Theophilus Raynaudus tom. 16. Heter. in Occidente, cùm eſſet Abbas ſanctus Leufridus certi cujusdam Monaſterii copioſorum Monachorum, ſolebant illi ſe congregare in Eccleſia, ad peragenda pia illorum exercitia, & poſitâ unâ ſellâ in Presbyterio, in qua ſedebat ſanctus Abbas, ibat unus poſt alterum tranſeuntes omnes Monachi, faciendo Abbati profundam reverentiam, in ſignum ſubmiſſionis, & obedientiæ. Evenit itaque, quòd ſemel, cùm ſanctus Abbas Leufridus infirmaretur, non potuerit deſcendere ad aſſiſtendum cum communitate in Eccleſia, & dæmon lucrando hanc occaſionem decipiendi Religioſos, & ut illi omnes exhiberent reverentiam, aſſumpſit figuram, & habitum Abbatis, deſcendit cum aliis, & collocat ſe multùm inflatus authoritate in ſella; venerunt Monachi juxta ſuum morem, faciendo quilibet ſuam inclinationem; pauci deerant, unus ex abſentibus deſcendit, qui veniebat ex cella ſancti Abbatis Leufridi, & per hunc ſignificabat ſuam excuſationem, ſe hodie illis non poſſe aſſiſtere: videt ille alium Leufridum ſedentem in ſella; quid eſt hoc? redit cum omni feſtinatione ad cellam ſui Abbatis: Pater, dicit illi, quæ novitas? exiſtis eodem tempore in duobus locis? redeo ex Eccleſia, & te hìc video? cùm ibi non deſis, cur me cum excuſatione amandâſti? immediatè intellexit ſanctus Abbas illud, quid hoc eſſet; ſurgit cum feſtinatione, & vadit ad Eccleſiam, & antequam intrâſſet, ivit per omnes portas, & feneſtras Eccleſiæ ſignandô illas ſignô ſanctæ Crucis, & dum omnes jam tali modo ſignô Crucis muniviſſet, intrat Eccleſiam, & immediatè incipit tremere maledictus Abbas mentitus. Curat ſibi porrigi Leufridus flagellum, & incipit excipere ictibus fictum Abbatem; Monachi incipiunt ridere, diabolus currere, & Leufridus egregie percutere, currebat dæmonium ad unam ex portis, & licèt aperta fuerit, redibat hinc inde currens, ibat ad aliam, & poſt illum Leufridus cum flagello, & Monachi ſequebantur irridentes dæmonem: ità diſcurrebat circumeundo per Eccleſiam, quin auſus fuiſſet egredi per quamcunque portam, uſque dum tandem bene fuſtigatus, aſcendendo per funem campanæ, exîſſet per feneſtram fornicis, cujus Leufridus oblitus erat, & nullam Crucem ſupra fecit; & ità plenus tremore, & timore fugiebat, ut ſecum ſurſum funem traxerit, timens, nè illum Leufridus ſequeretur, attamen pro coronide retulit hic canis infernalis plurima ſolida

da verbera, & fuſtigationes. Tunc ſanctus Abbas dedit ad intelligendum ſuis Monachis, quare DEUS id permiſerit, ut cernerent oculis corporeis, nempe ut agnoſcerent virtutem ſigni ſanctæ Crucis: ſiquidem, cùm portæ eſſent patentes, ſollummodo quia fecit ſupra illas ſignum ſanctæ Crucis, expertus eſt diabolus ſibi illas eſſe obſeratas.

Ah! & etiam nos occludamus ſemper huic infernali inimico hôc ſignô ſanctô omnes portas noſtræ animæ, ut nullum poſſit unquam emolumentum acquirere ex noſtro damno, ut ſemper vivamus ſecuri ab ipſo non ſolùm in corporalibus vitæ noſtræ, ſed etiam in ſpiritualibus gratiæ. IX.

INSTRUCTIO X.

De fructibus, qui nobis obveniunt, dum nos ſignamus cum devota attentione.

MInùs periculoſa eſſet noſtra pugna, ſi, quamvis tam terribiles, ſollummodo extrinſecùs haberemus inimicos; ſed fit ex eo formidabilior, quia pariter habemus inimicos intrinſecùs, & tantò pejores, ut ſinè his nihil conſequerentur extrinſeci in noſtram ruinam. Quis crederet: quòd intra nosmetipſos habeamus pejores inimicos, quàm ſint ipſi dæmones? & tamen ſic ſe res habet; & hinc ſi pro dæmonio vincendo, & cogendo ad fugam, ſufficit monſtrare unam Crucem; nosmetipſos, tanquam pejores inimicos tribus ſignamus crucibus, & adhuc neſcio, an ſufficiant. Jam hoc dixi, quid tres Cruces ſignificent, quas facimus nos ſignando, nimirum propter illud, quod attinet Myſteria noſtræ fidei, qualia debemus credere; dicam modò illud: quid ſignificent hæ tres Cruces circa illud, quod debemus operari. Vidimus pariter has tres Cruces reſpectu DEI, modò ad finiendas, & coronandas explicationes ſigni ſanctæ Crucis, reſiat nobis videre, & expendere has tres Cruces reſpectu noſtri. Et bene dixi ad coronandas explicationes, ſiquidem in his tribus Crucibus, ſi ſciverimus illas divinare, prævenimus totidem in Cœlo coronas. Notavit quidam ingenioſus Crucem Summi Pontificis continere in ſe tres Cruces, & vos absque dubio videritis ſæpiùs in pictu- I.

ſturis expreſſum, inde vertendo oculos advertit Summum Pontificem in tiara, ſeu in triregno geſtare tres coronas; tres, ad tres Cruces, coronæ? quare? & cur hoc debet eſſe, niſi, quod cuivis Cruci ſubitò ſua correſpondeat corona? tantum dicit hoc ingenioſum epigramma:

Cur tibi Crux triplex Gregori, triplexque Corona eſt?
Nempe ſuam ſequitur, quæque Corona Crucem.

II. Nunc igitur poſſet mihi aliquis veſtrum dicere: Pater, ſi eſt tanta efficacia ſigni ſanctæ Crucis, non ſufficeret unam tantùm Crucem facere? cur itaque nos ſignamus formando tres Cruces? Dicam: quia contra iteratos, & multiplicatos inimicos opus eſt multiplicare arma; & putatis quòd non? auſcultate jam Catechiſmum: *Primam formamus in fronte, ut nos DEUS liberet à malis cogitationibus.* O quæ pugna! O quàm inimici terribiles, qui ùt venenatæ viperulæ occidunt, & dilacerant ipſam matrem, quæ illas concipit! Naſcuntur cogitationes intra animam, & ſi hæc illas ſua voluntate complectitur, eo ipſo, ſicut complexus Tigridis, illam dilacerant, & occidunt; ſicut amplexus meſſoris illam diſſecant, & proſternunt, & deſtruunt. In uno inſtanti conſiſtunt, in uno inſtanti conſenſus illis præbetur, & ſi pœnitentia nos non emundet, per totam æternitatem durabunt in inferno in tormentis. Quot animæ erunt in inferno propter unicam ſolam cogitationem, cui conſenſerunt! quàm efficacibus, qualibus coloribus pingunt! qualibus blanditiis decipiunt! qualibus Sophiſmatibus facilitant! quali Rhetorica perſuadent pauperculæ voluntati, quæ tantis vicibus ùt cæca trahitur in perditionem: quàm importunæ ſunt ſimiles cogitationes; nullum locum, nullum tempus intermittunt, in quo nos non aggrediantur: ad deſerta transferunt recordationem offendiculorum commiſſorum inter plebem: in clauſtris divexant memoriâ præteritorum luſuum in ſæculo fallaci habitorum; in receſſu orationis ſe repræſentant ſimili modo, prout in frequentia platearum; intra domum nos invadunt, & extra domum nos aſſaltant: & hoc, quod peſſimum eſt; ô Sancte DEUS! quòd, ſicut per totam vitam nos affligunt, in ultima hora mortis terribiliùs nos debellant. O cogitationes, inimici pejores dæmonibus! Nónne ità eſt animæ Chriſtianæ? utinam ſic non eſſet. Itaque conſiderate, & videte jam, an contra iſtos inimicos non habeamus opus ex parte una

Cru-

Cruce, quæ nos defendat? *Primam formamus in fronte, ut nos DEUS liberet à malis cogitationibus.*

Aggrediuntur te cogitationes vanæ, aut vanitatis, ſuperbiæ, ambitionis, & hac de cauſa incedis cogitabundus, & recogitas, aut lucra illicita ad te ditandum, aut modos ſceleratos ad pompam parandam, forma Crucem in fronte, & audi ſanctum Auguſtinum Serm. 20. de diverſ. *Si portas in fronte ſignum humilitatis Chriſti, porta in corde imitationem humilitatis Chriſti*: Cur (conſiderate, & cogitate) dicit ulteriùs Auguſtinus, nobis non reliquit Dominus ſuis Chriſtianis illam ſtellam, quâ perduxit ad ſe Reges? non reliquit nobis ſtellam, ſed Crucem, quia noluit eſſe noſtrum ſignum fulgores, ſplendores, & radiantis pompæ inanitatem, ſed humilitatem, & depreſſionem: *Noluit ſtellam eſſe in fronte fidelium*, dicit Auguſtinus tract. 25. in Joan. *ſignum ſuum, ſed Crucem ſuam, unde humiliatus, inde glorificatus eſt, inde erexit humiles, quò humiliatus ipſe deſcendit.* Aggrediuntur te cogitationes, ut te à virtute retrahas, nè te in templis præſentes, nè Sacramenta frequentes, nè ab aliis habearis ùt ſtupidus, & inſipiens? Forma Crucem in fronte, citò in fronte; crucem: & quare voluit Dominus, ut ipſam Crucem formes in fronte, qui locus eſt verecundiæ, interrogat te Auguſtinus in Pſalm. 30. c. 3. ut per hanc Crucem deſpicias, & vilipendas iſtas improbas, & malas cogitationes, quæ tam pernicioſum pudorem tibi cauſant, ut nimirum te pudeat eſſe Chriſtianum: *Signum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris, nè Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.* Invadunt te cogitationes diffidentiæ, timoris, & hinc tibi videtur, quòd plus poteſtatis tecum habeat dæmon præ Divina gratia: ſigna te in fronte ſignô ſanctæ Crucis, dicit tibi ſanctus Hieronymus apud Lobet, & in virtute hujus ſigni ſperne ſimiles vanos timores, nam ſi tu nolis, nec dæmon quidquam in te audebit: *Signaculô Crucis munias frontem; nè exterminator Ægypti in te locum reperiat.* Et tandem occupat te ira cum cogitationibus vindicativis; moleſtat caro cum turpibus repræſentationibus laſciviæ, & omnes paſſiones cum illecebroſis cogitationibus ſuorum appetituum? ecce contra omnes ſigna te ſignô ſanctæ Crucis in fronte, adhortatur te ſanctus Joannes Chryſoſtomus hom. de vener. Cruc. & hom. 55. in Matth. Habe fidem in illo, quantum hoc ſignum facere poſſis, & ridebis, & irridebis omnem turbam malenatarum co- III.

gitationum: *Cùm signaris, tibi in mentem veniat omnis vis, quam Crux continet, ac tum iram, omnésque rationis adversos animi impetus extinxeris.*

IV. Morabatur in deserto sanctus Abbas Nicolaus de Rupe, ùt refert Boland. in ejus vita 22. Martii, & vidit in bona distantia venientem ad se certum juvenem oneratum tribus vasis butyrô plenis, quod genitores adolescentis mittebant sancto Abbati pro suo Monasterio: quamprimum illum à longè Abbas advertit ad se venientem, incepit immediatè cum omni velocitate Cruces contra eum formare. Animadvertit hoc juvenis, pervenit ad Abbatem, & dixit: Pater, cur me signas Crucibus? fortassis ego sum dæmon? non es, respondit illi Abbas, sed scias, quòd instar muscarum dæmones supra te veniebant instigando te ad id, quod cogitabas. Jam quid ego cogitabam, dicit juvenis? cogitâsti furari hoc ipsum butyrum, reponit Abbas, & ire quàm citissimè illuc & illuc, &c. illud divendere, & per signum sanctæ Crucis, quod ego feci, dereliquisti hanc cogitationem. Hoc est verissimum, reposuit juvenis, hoc ipsissimum erat illud, quod ego cogitabam, & projiciendo se ad pedes Abbatis, rogavit illum postmodum genuflexus, O Pater, audio, quis se mihi opponat, si per cruces fieri posset, ut liberarer, vellem ego integer mons Calvariæ fieri, sed quamvis tota die me crucibus signem, tamen isthic remanent stantes malæ cogitationes. Quomodo remanent stantes? consentísne *illis cum voluntate? amplecteris illas?* non, *imò* me affligunt, & excruciant. Itaque felix, & fortunata tua anima, fortunatus es tu, qui per Crucem triumphas, cùm per hoc, quòd nos Crux liberet à malis cogitationibus, intelligatur, nos per Crucem liberari à consensu, non autem à pugna contra easdem, nam in hac pugna est reposita nostra corona. Sed ille, qui quærit occasiones, ille, qui pro suo gustu se associat malis conventiculis, indulget aspectibus, imò in ipsas flammas se immittit, contra quem conqueritur, si signum Crucis illi non sufficit, cùm in anima sua habeat impressam imaginem dæmonis? non est defectus efficaciæ in Cruce, si solùm fiat pro ceremonia, tota autem voluntas venenum amplectatur.

V. *Secundam Crucem facimus in ore*, dicit Catechismus, *ut nos DEUS liberet à malis verbis.* Iste est alter exercitus ferociſſimorum inimicorum, qui acuendo ad extra omnes suas cuspides, relinquunt in anima, oh quàm crudelia vulnera! Unicum solùm verbulum aufert honorem, quod

quod volat, & quod tranſit, perturbat, & confundit integram domum, & familiam, aufert honorem, exponit periculo vitam, & hoc, quod pejus eſt, inducit multas animas in damnationem. Unum verbum ex illis, quæ vocant *nugas*, & revera ſunt enormitates, quanta damna, quas ruinas, & quas perditiones non cauſat? & quid? nimbos juramentorum, pluviam maledictionum, & tempeſtatem murmurationum. Animadvertite, an non ſit opus altera Cruce pro ore, *ut DEUS nos liberet à malis verbis*, quæ majora damna ſolent cauſare, quàm dæmones. Mandat nobis Spiritus Sanctus Eccleſ. 28. v. 29. facere ſtateram, in cujus bilance ponderemus verba: *Verbis tuis facito ſtateram*; & quæ ſtatera poterit eſſe ad ponderanda verba? Crux, Crux, de cujus pondere canit Eccleſia: *Satera facta corporis*, & ideo illam ponimus ſupra os, ut ſit pondus, & ſtatera noſtrorum verborum. Crux habet duo brachia ad amuſſim recta, & hoc ſignificat, nos tantum debere velle proximo, quantum nobismet ipſis. Nunc, ſi res ſe ſic habet, cur apud te pluris debet eſſe, & plus ponderare voluptas dicendi facetiam mordacem, vel verbum impudicum, quàm offenſa, quàm tali facetiâ, vel verbô facis tuo proximo, vel ſcandalum? cur ponderat plus apud te tua ira, quam emittis, & qua evomis maledictiones, vel tuæ rixæ, & tricæ, ob quas murmuras, quàm damnum, quod tuo proximo facis in vita, vel in honore? Ah! ſint æqualia brachia hujus Crucis ad ponderanda verba tam pro tuo proximo, quàm pro te. Aſſidebat certus Sacerdos Catholicus, ùt refert Rayn. part. 2. ſtet. fol. 200. & 201. tom. 16. convivio Hæreticorum Calviniſtarum, & ex his unus, qui æſtimabatur pro magno Oratore, incepit in convivio per jocum blaſphemias contra ſacros Ritus noſtræ Religionis Catholicæ evomere: magnificabant cum magnis jocis, & applauſibus alii ejus ſocii, ad omnia autem permanſit tacitus Catholicus: finitô convivio fuit menſa ſublata, & nihilominus ille perſeverabat in ſuis blaſphemiis, faciendo jocos, & illuſiones ex eo, quòd Catholici ſignent ſe ſignô Crucis; tunc erigens ſe Catholicus, hucuſque tacui, dicit, quia fui invitatus ad prandendum, & non ad contendendum, cùm autem in tantum blaſphemas, ſubjungit, elevando manum, & faciendo ſupra hæreticum ſignum Crucis, in nomine JESU Chriſti tibi mando, ut taceas, & ultrà non aperias os tuum; ab hoc momento, acſi Crux fuiſſet ſigillum adamantinum, manſit omnino mutus, ità, ut per ſuam

vitam nullum omnino protulerit verbum. Oh! quomodo timere debet ille, cùm Crux tam severè castiget, qui tota die, faciendo Crucem in ore, os suum totum postmodum impendit maledictionibus, juramentis, murmurationibus, & contumeliis.

VI. *Tertiam Crucem facimus in pectore*, prosequitur Cathechismus, *ut nos DEUS liberet à malis operibus.* Est nostrum cor sicut fons nostræ vitæ, sic origo, pariter & scaturigo nostræ mortis; ex illo currunt rivi venenosi, qui nos intoxicant, lasciviæ, vindictæ, furta, homicidia; intra cor diffunduntur in ipsiusmet destructionem, qui ea fabricat. Quis quid simile cogitaret, quòd ipsissimum nostrum cor, hoc, hoc sit noster major inimicus, & magis perversus, quàm dæmon? & hac de causa formamus supra illud Crucem: & quid per hoc intendimus? attendite. Est cor repositorium monetæ totius Reipublicæ hominis; inde currit, sicuti versus vitale in sanguine sustentamentum totius corporis; sic versus Christianum totus valor, & pretium in operibus: nunc itaque signando cor Cruce, quid facimus? imponimus signaculum cordi, ex quo debet prodire signata omnis moneta nostrorum operum, qua nos oportet comparare Cœlum, *Pone me ut signaculum super cor tuum*, dicebat Sponsus ad suam Dilectam, Cant. 8. v. 6. Pone me super cor tuum, unde debent prodire signata omnia opera Cruce, dixit Theodoretus, *ut notam ipsius Crucis in omnibus factis imprimamus.* Hoc est homo, subjungit Augustinus tract. 40. in Joan. nempe moneta DEI, quæ si habet pretium, si habet valorem, totum id habet per Crucem. *Nummus DEI est homo imaginem habens DEI, & quidem Crucifixi.* Nunc itaque dicite mihi: Si ex hoc ipso repositorio, vel domo exiret, vel prodiret moneta ex una parte cum Cruce, & ex altera non insignita nostri Regis insignibus, sed stemmate, & insigni Imperatoris Turcarum, media nimirum luna, admitteretisne similem monetam? Oh! esset delictum gravissimum; ecce talia sunt opera bona, sed facta in peccato mortali; quid juvat, quòd ex una parte signata sint Cruce, si ex altera portant incisa insignia dæmonis? non prosunt, non habent valorem. *Ejice*, dixit sanctus Ambrosius lib. 1. de Offic. c. 49. *de numismate animæ tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Christi.* Sed quid, si moneta haberet quidem Crucem impressam, multum tamen mixturæ de alia materia, quod leges non admittunt, valerétne? certè non: talia penitus sunt opera, quæ apparent

rent bona, & habent mixturam ratione finis multum distorti. Illa opera, quæ apparent esse eleemosynæ, & sunt attractiva impudicitiæ, illa, quæ apparent esse zelus, & sunt vindictæ; illa, quæ habent speciem devotionis, & sunt desideria disordinata; illa, quæ apparet esse humilitas, & sunt ambitiones. Oh! quæ moneta; ah! qualia opera, omnia perdita, & sine fructu; & quæ locò pretii merentur gravissimam pœnam. Sed quid, si moneta Crucem quidem habeat, & insignia Regia, esset tamen plumbea, vel stannea, valerétne? nihil. Itaque, quid juvat, quòd in introitu Ecclesiæ, ad initium Missæ, in principio Confessionis faciamus Crucem, si postmodum illud, quod debebat esse argentum veræ devotionis, est plumbum attentionis, vel maximæ distractæ; Si postmodum illud, quod debebat esse aurum perfectissimæ contritionis, non est aliud, quàm stannum falsi propositi? Ah Confessiones! Ah Missæ! Ah Opera Sancta! omnia sine valore, omnes monetæ perditæ, quia plumbeæ estis, ubi debebatis esse argenteæ, quia ubi debebatis esse ex auro, estis ex stanno. Perpendamus itaque bene, nos ad hoc obligari per signum sanctæ Crucis, quod formamus in pectore, ut nostra opera, ad habendum valorem, & pretium, habeant qualitates monetæ, ut sint juxta legem tam in mixtura, quàm in materia, & sigillo. Vellem diutiùs me in hac materia detinere, & esset valde necessarium, sed ecce tempus labitur. Faciamus igitur signum Crucis in pectore, tali modo, ut memores simus, nos hac Cruce obligari ad bona opera. Sanctum Joannem Romanensem, ùt refert Rayn. 2. Hen. tom. 16. fol. 199. accessit quidam inter multos eleemosynæ petendæ causâ, qui videbatur pauper, & nîl aliud erat, quàm vagabundus, & otiosus. Cognoverat hoc Sanctus, & dedit illi magnam eleemosynam, faciendo nimirum supra illum signum sanctæ Crucis; pro certè magna eleemosyna; siquidem ab illo momento sensit se in tantum roboratum, tam liberum ab acedia, & ita avidum laboris, ut applicando se ad laborem, non habuerit ultrà opus per totam suam vitam quærere eleemosynam. Utinam quis in hac Civitate inveniretur, qui hanc gratiam haberet, tali modo Crucem supra tot otiosos faciendi, quot, & quantis mederetur? Attamen, si omnes facerent supra tales vagabundos Crucem expellendo nimirum eos de domibus suis, tales pigri certè postmodum se applicarent ad labores.

Et

Et cùm tantas virtutes, tanta lucra: & tantam utilitatem habeat
VII. Crux, jam non eſt opus interrogare: *Quando eſt bene uti ſigno ſanctæ Crucis?* in omnibus noſtris actionibus, in omnibus paſſibus, dicit nobis ſanctus Hieronymus epiſt. 1. c. 8. quia in omnibus timenda habemus pericula; Antiqui Chriſtiani omnibus horis ad ſonum horologii faciebant ſignum Crucis: & neceſſarium eſt, dum nos è lecto levamus, ut nos defendat à periculis diurnis, ad exitum de domo propter multa pericula, & diſcrimina viarum: ad introitum in domum propter inconvenientias, & indecentias familiæ: ad menſam, nè ſit damnoſum alimentum: dum itur cubitum, ut nos à ſomniis liberet, & phantaſiis fœdis, & inhoneſtis, in omnibus noſtris neceſſitatibus, nunc in infirmitate, nunc in ſanitate, ſiquidem in qualibet ejusmodi re poſſem referre innumerabilia miracula ſigni ſanctæ Crucis. Quoniam autem magis horrida pericula nobis ſunt tempeſtatum, & fulminum, ut nos confortemus, & vires reſumamus per ſignum ſanctæ Crucis, refero ſolùm hunc prodigioſum eventum.

VIII. Narrat illum Pater Adrianus Liræus ex noſtra Societate, de JESU pat. l. 4. c. 5. Fuit in Anglia Juvenis quidam, qui conjungendo primariæ nobilitati ſui ſanguinis magnam copiam magnificarum dotum, quantum ſibi apud omnes acquirebat æſtimationis, & applausûs, tantundem augmentabat compaſſionis apud Catholicos, videntes illum tam pertinaciter cæcum intra perverſos errores hæreſis; ſiquidem nullô modô poterat ei error auferri ſuarum imaginationum, nec argumentis: & inter alios errores, erat unus irridere, & jocum facere ex uſu formandæ Crucis. Cùm itaque nihil ſupereſſet in terra, ſumpſit hoc munus Cœlum in ſe ab errore eum reducendi: exiit quadam vice in campum recreationis causâ, & quando erat aër maximè ſerenus, incipit Cœlum obfuſcari nubibus, nubes condenſari in tenebras, & tenebræ diffundi in fulmina, & quando iſta conglomerata in fragoribus; cadebant in modum transverſum, juvenis absque formatione, nè quidem unius Crucis, tantò magis etiam ſe divertebat ridendo ob ſimilia fulgura. Surdus ad clamorem DEI, qui ad lucem DEI erat cæcus, ſed DEUS tantò velociùs ei locutus, & majori claritate eum illuminavit, ſiquidem cadens fulmen ex aëre in momento illum involvit inter ſuas flammas, ſua luce illum cinxit, & terrefecit ſuo fragore in tantum, ut relicto riſu, in inſtanti pallido ſtu-

ſtupore timoris coopertus fuerit; hinc etiam ex ſe ipſo quærebat, an vivus eſſet, credendo ſe jam eſſe mortuum. Tranſivit fragor, rediit ad ſe ex horrore, invenit ſe proſtratum in terram, & ex conſideratione ſuarum veſtium, ô prodigium! certè admirabili artificio cernit, quòd flamma reliquerit per totum pallium, & per integram veſtem depictas certas cruces igneas, quæ formando opus elegantiſſimum ipſi inſinuabant, ut gratiam haberet, eò quòd non eſſet in cineres redactus à flammis. Attonitus præ admiratione, non ſolùm ſe convertit ad fidem Catholicam, verùm renunciando mundo, & recipiendo ſe in Monaſterium, expreſſit meliùs ſuâ vitâ cruces, quàm fulmen in propriis veſtibus ejus efformaverat.

Igitur ſi ſic, etiam noſtri ipſiſſimi inimici, coacti à DEO, nos XI.
inſtruunt quærere in ſigno Crucis noſtram defenſionem; ah Dilectiſſimi! nè quæſo elongetur Crux ex noſtris cordibus in affectu; ex noſtris actionibus in imitatione; teneamus illam ſemper, non ſolùm in anima per venerationem, ſed etiam in manibus ad defenſionem, ad protectionem, & ad conſequendam gloriam.

INSTRUCTIO XI.

De prima obligatione hominis, quæ eſt quærere ſuum finem.

SInè determinatione alicujus finis, ad quem dirigantur noſtræ actiones non poſſunt obtineri divinationes, & conjecturæ: in hoc di- I.
ſtinguimur nos homines à brutis, quòd nimirum brutum non attendat ultrà quàm ad præſens, absque eo, quòd ab hoc, vel illo fine moveatur, ſed ſolummodo generali inſtinctu ad ſui conſervationem, vel particulari guſtu ſui appetitûs; Homo autem non faciat aliquam actionem, quam non dirigat, ut medium ad finem aliquem aſſequendum. Applicat agricola ſuos labores pro acquirenda meſſe, mercator ſuas negotiationes pro conſequendo lucro, artifex ſuas deſudationes, & labores pro habenda ſuſtentatione, ſtudioſus ſuas vigilias pro conſequenda ſapientia, prætendens ſua obſequia, ad acquirendum locum dignitatis, quem quærit: & ità quilibet incedit proportionando ſua media. Cùm autem iſte non ſit ultimus finis, ſi agricola, artifex, mercator ad nihil ultrà attendunt, quàm ad meſ-

ſem,

ſem, ad ſuſtentationem, ad lucrum, & exinde non tranſeunt quærere per hæc media finem ultimum, valde parum diſtinguntur à brutis, dicit ſimilibus Seneca: *vita propoſito fine carens, inſignis ſtultitiæ argumentum eſt.* Siquidem quæ major ſtultitia, quàm male impendere, & perdere omnia media non dirigendo illa ad aliquem finem? ſi gubernator navi ſe commiteret mari abſque habita determinata intentione, quò velit navigare, abſque fixo portu, quò dirigere ſuum iter, nullus ventus illi eſſet favorabilis; ſiquidem ſi ventus flaret pro dirigendo itinere in Hiſpaniam, & ipſe hanc intentionem non habeat, ventus illi non ſervit; ſi flat ad dirigendum iter in Indiam, & ille hos portus non quærit, non eſt illi ventus propitius, & finaliter omnes venti eſſent pro tali gubernatione perditi; ſiquidem non habens ille determinatum portum, qui ſit finis ſui itineris quantumcunque illi eſſent venti favorabiles, ei non ſervirent; *ignoranti quem portum petat nullus ſuus ventus eſt: neceſſe eſt multum in vita noſtra caſus poſſit, quia vivimus caſu.* Sen. Epiſt. 71.

II. Jam itaque Chriſtiani intravimus mare periculorum hujus vitæ, pro noſtra bona ſorte navi ſecuræ impoſiti Eccleſiæ bene firmatæ ad malum noſtræ fidei cum apparatibus charitatis, coroboratæ tabulis divinorum præceptorum, provisæ anchorâ ſpei inſtructæ armis omnibus, quæ ſufficiunt in fugam agere noſtros inimicos, habemus ventos favorabiles, Spiritûs Sancti prompta ejusdem auxilia, præparata quoque Sacramenta. Sed quis eſt finis, quò vadimus, quorſum diriguntur omnia iſta media? niſi enim nos determinemus per illa quærere noſtrum finem, omnia in caſſum vadunt certiſſimè. Quapropter Catechiſmus, priusquam incipiat explicare innumerabilia media, quæ in doctrina Chriſtiana habemus ad conſequendum noſtrum finem, vult, ut ſciamus, quis ſit iſte finis, ut ſic illum acquiramus, dirigendo ad illum omnes noſtras actiones; cùm omnia ſuprema Myſteria noſtræ fidei, omnia præcepta divina, ad quæ nos obligat Charitas, omnes petitiones, & preces, quas facit noſtra ſpes, omnes gratiæ Sacramentorum, omnia juvamina, & ſuccurſus gratiæ, & tandem tota vita Chriſtiani huc integra reducatur, hic cifretur, & ad hoc dirigatur, ad conſequendum nimirum noſtrum ultimum finem. Nunc hac de cauſa interrogat Catechiſmus: *ad quid primariò eſt homo obligatus?* Reſp. *ad quærendum ultimum finem, ad quem fuit creatus.* Oh quæ interrogatio! & qualis reſponſio! quod ſi hoc comprehenderemus debita con-

conſideratione, hoc ſolùm ſufficeret efficere nos Sanctos. Itáne eſt Pater? ſed cùm hoc debeamus conſiderare, antequam hinc diſcedamus, occurrit mihi dubium, & eſt: cur adjungit Catechiſmus, *ad quærendum ultimum finem?* in hoc verbo ego conſidero hoc; ſi eſt finis, illud certum eſt, quod erit ultimus. Non eſt ità certum, & quod non, dicite mihi: quem finem ſibi præfigit agricola arando terram, ſeminando, irrigando, fodiendo, purgando granum? Pater, totum hoc fit in finem acquirendi bonam meſſem; bene: iſte eſt agricolæ finis, hoc nullum habet dubium. Sed cur iſtam meſſem vult, & deſiderat habere bonam? habet debita, neceſſe habet illa ſolvere, habet familiam, convenit illam ſuſtentare; valde bene: itaque meſſis, quæ antea erat finis, jam modò eſt medium ad conſequendum alium finem. Vocatur itaque ultimus finis ille ſolus, qui non dirigitur, vel ordinatur ad alium finem, ſed in illo ſolo quieſcit intellectus, requiem capit cor, ſedatur voluntas, omnibus deſideriis ſatisfit, tota denique anima tranquillatur in plenitudine boni, ubi ipſi nihil deeſt, in ſolitudine ſecura, ubi nihil adeſt, quod illam moleſtiâ afficeret, in gaudio perenni, ubi nihil eſſe poteſt, quod illam affligat, & in proſperitate totius quantum poteſt capere voluntate, corde, & deſideriô, qui eſt infinitus; & hic eſt, iſte eſt finis ultimus, qui nec poteſt eſſe medium ad quærendum alium finem, quia omnibus ſuperabundat, nec poteſt extra hunc eſſe alius finis, quia ipſi nihil deeſt. III.

Nunc itaque anima, tua prima obligatio eſt, hunc finem ultimum quærere, ad quem fuiſti creata: quære illum, dico intellectu, ut illum agnoſcas, & quære illum poſtmodum operibus, ut illum conſequaris; dic mihi jam, quoties te applicuiſti ad hoc recogitandum? ex quo fine me DEUS extraxit ex nihilo, cùm me potuerit relinquere in illo, quid eram ante centum annos? ex quo fine mihi dedit non ſolùm eſſe, ſed eſſe hominem? ex quo fine mihi dedit hanc animam, cujus nobilitatem ego in me ipſomet ſentio? quare mihi dedit hunc ſpiritum, cujus vigorem ego ipſemet in me recognoſco? in quem finem mihi dedit iſtum intellectum, hanc voluntatem, memoriam, potentias tam generoſas, & tam nobiles, quæ volant penetrare maximè abſcondita, maximè abſtruſa, & altiſſima: quæ amplexantur amore venuſtiſſima, & elegantiſſima, gratioſiſſima, amoroſiſſima, & pulcherrima: quæ mihi in memoriam reducunt illud, quidquid libri continent de notitiis, illud, quod ſapientiſſimi per diſcurſus aſſequuntur,

& experientias, & illud, quod sæcula còntinuo cursu mutaverunt in suis annis? hæc igitur anima tam nobilis in suis actionibus, tam prodigiosa in suis potentiis, & ità per omnia admirabilis in capacitate, qua hìc inclusa intra fragile corpus, homo omnia penetrat, ipsam planè machinosam dilatationem Cœlorum, omnia complectitur ipsa planè distensa spatia maris, & amplectitur omnia, quæ continet vastus globus terræ; cur mihi à DEO data est? anima mea, quis, & qualis est tuus finis, ubi debes habere ultimam, & omnimodè plenam quietem? usque adeò etiam gentiles, etiam Barbari formabant sibi hanc interrogationem, & cùm ipsis lux fidei defuerit, dicit sanctus Augustinus, pervenerunt ad ducentas octoginta octo opiniones, absque eo, ut auderent vel unicam ex eis securè determinare; *qualis sit finis, propter quem homo creatus fuerit?*

IV. Verùm nos Christiani adhuc plura habemus interroganda, quærendo nostrum finem; propter quem finem, postquam me DEus creâsset cum anima tam nobili, voluit me collocare in sua Ecclesia, ubi me potuisset relinquere in meditullio gentilismi? in quem finem me ditavit tot, & tantis Sacramentis? tot & tantis auxiliis? tanta gratia? quem ob finem mihi reliquit normam meis actionibus tam sanctis præceptis, tam salutaribus consiliis, tam proficuis observationibus? anima mea, quis, & qualis est finis tuus, in quo debent firmiter consistere tuæ inquietudines, in quo, & ex quo debent satiari tua desideria, ubi debent requiescere tuæ anxietates? non es fortuitò à DEO creata, siquidem ejus infinita sapientia sic nescit operari. Ita denique, pro quo fine, & in quem finem te fecit DEUS? non fecit te tam nobilem, ut in spirituali tua puritate æmuleris Seraphinos, nec ut tuus finis esset similis fini lapidum, truncorum, & brutorum: non fecit te tam capacem, ut pervenias usque illuc ad Cœlos, ut comprehendas sphæras, ut tuus finis esset tam angustus, prout est globus terraqueus, quantumcunque se ille dilatet. Igitur quare te creavit DEUS? ô homo! solùm propter esse? hoc habent lapides, saxa, & tu es melior illis. Solùm ut crescas? hoc habent plantæ, & tu es nobilior; Solùm propter vivere? hoc habent bruta, & tu es superior omnibus.

V. Et jam, si propter tuas curas, si propter tuas cupiditates, si propter tuas inquietudines, si propter tuas anxietates debemus quærere ultimum tuum finem, dic mihi, creavítne te DEUS, ut in delitiis attenden-

tendas ſolùm ad tuas commoditates, ad opportunitatem, & ad tuum guſtum, ut ſequaris deſideria tuorum appetituum? non; ſiquidem in edendo, bibendo, dormiendo ſolùm beſtia invenit requiem; Homo autem, etiam in horum abundantia, quas non ſuffert, & experitur anguſtias ſpiritûs? quas anxietates cordis? quas debilitates ſanitatis? quos morbos? quas infirmitates? quos dolores? non poteſt igitur hoc eſſe tuus ultimus finis, cùm in eo non invenias requiem. Creavit te DEUS ſolùm, ut videas, & conſideres tuam pulchritudinem? ſolùm ut attendas ad ornatum? ſolùm ut de die in diem cogites, diu noctúque ſpeculeris, quomodo pretioſis veſtibus exorneris? non; Nam in hoc floſculi campeſtres te ùt plurimùm ſuperarent, cùm in illis ſine tanto labore, ſine tanta cura, renideant pulchri, videantur luminoſi, & ſplendeant proprii colores, ratione quorum apparent venuſtiſſimi; ità eſt: ſed citò marceſcunt: non eſt magìs durabilis tua pulchritudo, oblectatio infirmitatis, & temporis. Igitur hoc non poteſt eſſe tuus ultimus finis, ſiquidem poſt tuas ſolicitudines non potes in illo habere ſtabilitatem, quæ te contentet. Creavit te DEUS, ut laxatis habenis tuarum paſſionum, quæras in ſpurco, & turpi amore tuam delectationem? reponas in deambulationibus tua ſolatia, & adlabores in converſationibus, & inviſitationibus tuam requiem? non; quia ipſiſſimæ converſationes, & viſitæ tibi notificant ſuis moleſtiis, inquietudinibus, ſuſpicionibus, & zelotypiis, implendo te amaritudinibus, quòd hic locus non ſit, in quo debes morari, ùt in fine tuo ultimo. Itaque, ſi nec unica voluptas corporis, nec jucunditas, aut deliciæ appetitûs tibi dant requiem; nihil ex his omnibus poteſt eſſe tuus ultimus finis, in quo habeas finalem, & exuberantem animi expletionem. Invitârunt certi amici juvenem, nomine Bolandum, ad quandam hilaritatem, quam inſtituerant, dicendo, ſe ibi multùm gaviſuros; adfuit ille, ſed in medio muſicarum, concentuum, ſaltuum, & epularum nihil aliud faciebat, quàm quòd interrogaverit cum joco ſuos amicos: *Bene cedit: quando autem gaudebimus?* adaugebatur lætitia, jocus, riſus, & ille repetebat: *quando gaudebimus?* hæc agnitio deceptionis gaudiorum mundanorum ſufficiens ipſi fuit ad mundo valedicendum, & fieri exemplar virtutum in clariſſima Religione ſancti Dominici. Oh! quàm optimè poteſt fieri ſemper hæc interrogatio in medio maximorum conventiculorum, & tractationum

in medio saltuum, lusuum, & epularum hujus mundi, *quando gaudebimus?* siquidem in medio horum, quæ parent delectationes, & deliciæ, lusus, & voluptates, cor nunc in solicitudinibus, nunc in rememoratione aliarum rerum, nunc in morbis, nunc in timoribus, pro unico atomo delectationis, & gaudii, suffert multa mala intervalla amaritudinum; hoc igitur non potest esse tuus finis, ô Christiane!

VI. Quæramus igitur hunc finem in alia parte: continebitur fortè in possidendis multis divitiis, in accumulandis multis millibus, in habenda familia copiosa, domô opulenta, amplis possessionibus? Oh! respondeant, & dicant verum illi, qui hæc possident. Quæ curæ ad hæc manutenenda non requiruntur, qui timores, quæ cordis palpitationes, qui tremores, nè perdantur, quæ anxietates ad hæc augmentanda? & in his omnibus, quæ amaritudines de die, quæ vigliæ de nocte, noctu, diúque, quæ inquietudines? & post omnia, dum cruciat dolor, dum morbus aggravatur, dum mors appropinquat, quid juvant hæ ipsissimæ divitiæ? ad quid serviunt? cui sunt usui? quid juvant? nihil, nihil: quomodo ergo id tuus finis erit ô homo! quod tantas angustias tibi causat, hoc quod tam exiguam securitatem habet, hoc quod te ex majori infortunio non liberat, & hoc, quod in majori angustia tibi non prodest? Quidam dives vicinus morti, ùt refert Raulinus tom. 1. de mort. lib. 5. mandavit sibi ante suum lectum porrigi omne aurum, argentum, & gemmas, quas possidebat, quorum omnium magna copia erat, dicebátque animæ suæ: Anima mea, vide hæc omnia, quæ tibi acquisivi pro tuis deliciis, & oblectationibus: non discedas, gaude, distrahas te, & lætare: sed ex hoc motivo nec in minimo cessábant, imò crescebant infirmi anhelationes, molestiæ, & anxietates, quantò magis ille repetebat has refocillationes; éitne possibile, replicabat, quòd, ubi his omnibus frui potes, sic hæc derelinquas, sic discedas, & me sic affligas? sed hoc totum nihil juvabat, dolor nihilominus crescebat; usque dum videndo se nec unicum experiri lenimen, denuò cœpit alloqui suam animam: quandoquidem non vis remanere, postquam ego tibi obtulissem omnes has divitias, exeas igitur cum centum mille diabolis; sic factum est, siquidem eo ipso momentô exspiravit. O DEUS! & erit quis invenendus, qui in divitiis reponat omnem finem suarum curarum?

Ejal

Eja! quæramus noſtrum finem in altera parte, vel alibi. Conſiſtet fortè in honoribus, dignitatibus, & altis ſubſeliis, ad quæ tot, & tanti omni ſolicitudine anhelant, & pro his obtinendis tam viles contumelias ſufferunt? O DEUS! quomodo poteſt eſſe finis, in quo cor conquieſcat, tam aclivis aſcenſus, qui vix admittit reſpiraculum ob turbam negotiorum, gradus tam ferus, & aſper, qui vix ſinit facere paſſum opprimendo pondere intollerabili curarum impertinentium, & moleſtarum viſitationum, & cæremonioſorum complementorum: aſcenſus tam periculoſos; qui in minimo punctilio pedem offendit, & in uno momento perditur honor, & contra quem omnes collimant criticâ, murmurationibus, & riſu, quomodo eundem perdant: aſcenſus, & gradus tam conſtrictus, ut nec ſinat movere quidem caput, nè alii obtrectent, &c. Ah vilis ſervitus, quæ gubernium vocaris, excellentia, & ſuperioritas; Ah intollerabilis remus! qui appellaris locus honoris; Ah honores! qui omnes eſtis venti, & auræ; & ah dignitates! quæ omnes, cùm ſitis montes ad opprimendum, eſtis fumus, qui facilè avolat! Nunquam credidiſſem, dicebat ſanctiſſimus Pater Urbanus VII. Pontifex Maximus, dum ipſi rochetum Pontificium imponeretur ex byſſo ſubtiliſſima, nunquam mihi perſuaſi, quòd tela tam delicata poſſet in ſe continere onus tam intollerabile. Quomodo igitur cum tanto onere triſtitiarum poterunt honores, & dignitates eſſe finis noſtræ quietis? Aperite certam arcam, nihil eſt in ea, ſtat vacua; conſiderate, quòd non, eſt enim impleta aëre: hoc jam ſcimus, ſed quoniam hæc arca non eſt facta ad cuſtodiendum aêrem, dicimus illam eſſe vacuam, & bene dicitis. Homo, itaque cùm DEUS te non fecerit, ut eſſes arca aëris, quomodo non debes inveniri vacuus ex integro ab aëre honorum, & dignitatum? VII.

Ego pro nunc, Dilectiſſimi, antequam inveniamus finem ultimum, quem hodie quærimus, impono finem huic doctrinæ parabolâ, quæ ſerviet locò exempli, & narrat illam devotiſſimus Raulinus tom. 1. de mort. c. 16. Dicit itaque, quòd in certa civitate aliquis dives, & potens, vicinus morti, fecerit teſtamentum cum certa clauſula inuſitata, & rara; etenim declaravit, ſe inſtituere pro hærede totius ſuæ poſſeſſionis, quæ erat copioſiſſima, hominem maximè ſtultum, & ad hoc ità exequendum expetiit juramentum præſtari ab executoribus teſtamenti. Dictum, & factum hominis inſani. Dicetis: jam hoc audio; VIII

dio ; attamen videbitis hac in re conſtitutos in graviſſima difficultate executores, circa determinationem, quis eſſet hæres ; ſiquidem ſtultos ad omnem paſſum inveniebant, ſed quia debebat eſſe maximus, non erat facilè inter multos ſtultos determinare, quis illorum major ſtultus eſſet. Viſitârunt multas claſſes ſtultorum, & non vacat pro nunc illas referre ; & continuando in *ſuis diligentiis*, pervenerunt ad certam civitatem, ad cujus portas, intra multitudinem gentis, & miniſtrorum juſtitiæ obviaverunt miſerabili homini, quem nudum, & ligatum manibus ducebant ad ſuſpendium ; ſubitò inrerrogabant de cauſa, cur hic homo deberet ſuſpendi ? quia is hoc annô deſinit eſſe Gubernator hujus civitatis : propter hoc? commiſerit abſque dubio aliquod delictum ? non, ſed eſt hìc lex, ut annô illô, quô aliquis gubernat, omnia ei ad guſtum fiant, quidquid petit, & mandat, ut ei quàm optimè ſerviatur, & ab omnibus obediatur, ſed completô annô in momento ſine aliqua remiſſione projiciatur foras, & ſuſpendatur, & hoc exequi properamus : Papæ ! éſtne hoc ? & invenitúrne aliquis, qui velit agere gubernatorem ? eſt impoſſibile, eſt impoſſibile, ut quis expetat hoc gubernium, quamvis eſſet totius mundi, cùm tam citò illud debeat terminare in patibulo ? & ſic nullum pro nunc habebitis, qui ſit veſter Gubernator. Quomodo non ? intretis civitatem, & illum videbitis ; intraverunt, & viderunt unum, qui magna ſolicitudine, diligentiâ, muneribus, & pecuniis ambiebat gubernium. Sícne ſuccedit ? dicunt attoniti videndo illum ; potéſtne talis homo inveniri in mundo ? jam itaque non habemus opus ultrà defatigari, iſte, iſte eſt maximus ſtultus, qui eſt, & qui poteſt in mundo eſſe ; & illicò eidem totam aſſignârunt hæreditatem. Pater, dicetis mihi, ubi hoc ſucceſſit ? Scitis ubi? hìc hoc ſuccedit hodie, hodie, & ſuccedit in toto mundo. Ille potens, qui facit teſtamentum, eſt mundus, qui quotidie ſucceſſivè moritur : *Teſtamentum hujus mundi*, ùt dixit Spiritus Sanctus Eccleſ. 14. v. 12. & inſtituit pro hærede omnium ſuorum bonorum ſtultiſſimum ; & quis eſt ille ? tu, & ego, qui, non conſiderando, quòd omnes mundi res, omnes ejus voluptates, joci, delectationes, omnes divitiæ, & honores nihil aliud ſint, quàm patibulum, quod infamiter nos ſuffocat, & turpiter occidit, nihilominus ea quæris tanta ſolicitudine, ut propter illa obliviſcaris nobiliſſimi finis, propter quem te DEUS creavit.

Nunc,

Nunc, cùm nihil creati poſſit implere cor noſtrum, cùm nihil ſufficiat nec in cœlo, nec in terra, extra DEUM, dare quietem completam noſtræ animæ, nihil extra DEUM eſt finis, ob quem fuimus creati; quæramus itaque ſolummodo hunc finem, in quo inveniamus noſtram requiem, & noſtram gloriam.

INSTRUCTIO XII.

De fine ultimo, ad quem fuimus creati, qui eſt ſolus DEUS.

SI eſſet tam facilè ſequi, prout facilè eſt divinare illud, quod omnes deſiderant, & illud, quod omnes quærunt, nullus ex nobis eſſet hìc, qui non foret omnimodè felix. Promiſit Athenis certus Hiſtrio ſuis Auditoribus, quòd prima vice, ubi ad theatrum congregati fuerint, velit cuivis id dicere, quod cogitat; fuit hæc promiſſio, de qua, ubi rumor percrebuit, in diſordinem fuit redactus locus, exarſit curioſitas, & populi innumerabilis concurſus factus eſt, videre, quomodo divinet, & audire, quid dicat; ità inveterata eſt curioſitas in Auditoribus, & fortè hac ex eadem cauſa ſolet eſſe tam exiguus profectus. Jam quando congregati, & jam cum deſiderio impatientes, erant illorum ad ipſius divinationem audiendam immotæ attentiones, Hiſtrio, poſtquam in theatro conſtitutus, populi deſideria magìs accendiſſet ad audiendam divinatìonem, cum multo riſu dixit illis: Eja ergo, quid valet, & divino illud, quid cogitatis? Attendite: *Omnes vultis vili emere, & carò vendere:* Nunquid ſic eſt? conſiderando unus alterum, monſtrando in facie riſum, confeſſi ſunt veritatem; tetigit, dixerunt, tetigit, tetigit clamabat communis applauſus. Non tetigit, ignorantes, exclamat ſanctus Auguſtinus imponendo illis ſilentium lib. 13. de Trinit. c. 3. & conc. 2. in Pſalm. 32. Qui ille eſt, qui hoc factum refert: non tetigit, quia non omnes habent ſemper tales cogitationes; multi ibi fuerint, qui non habebant, quod venderent, nec quod emerent: multi, qui pro acquirenda ſupellectile, juxta propriam æſtimationem non æſtimarent illam carò; & multi etiam, qui prout emunt, ut non ſolvant, ſic illis viliori pretiò res traditur, ut eò citiùs ſolvant; & ideò fortè dicitur: Avidus, & I.

& frauduientus citô pacificantur ; itaque non omnium divinavit cogitationes.

II. Nunc igitur, quid apponitis vos, quòd ego melius vobis divinabo ; Attendite : Omnes desideratis esse beati, consequi requiem, quietem, & delectationem : nullus vult esse infelix : *Ac si dixisset*, corrigit errorem Augustinus, *omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quòd nullus in se non agnosceret.* Nunquid est sic Dilectissimi ? éstne aliquis in toto meo auditorio, quid dico ? éstne aliquis in toto mundo, qui hæc desideria non habeat, has solicitudines? ite interrogando quemlibet, cujuscunque professionis : Miles, quid quæris per tanta pericula ? quæro habere quietem postmodum in pace ; navigantem, quid quæris in tantis discriminibus ? habere quietem aliquando in mea domo : Artificem, mercatorem, agricolam, virum, mulierem, quid quæris per hos angores, anxietates, diligentias, labores, solicitudines ? quid quæris, quid desideras, quid vis ? requiem, decentiam, satisfactionem meorum laborum, & delectationem : iste est finis, ad quem concurrunt, sicut lineæ, quærendo centrum, omnes curæ hominum : sed quis in mundo hunc finem consequitur ? O DEUS ! respondeat mihi vel unicus ex meis Auditoribus, imò vel unicus ex toto mundo. Homo habésne totalem requiem ? stásne, & vivis ex integro contentus ? nihil ultra habes, quod desideres ? quis mihi respondet ? imò quis mihi poterit respondere ? si Alexander, totius mundi Dominus, quia solummodo ex relatione alter mundus illi defuerat, afflictus incepit plangere? Sed Sancte DEUS ! ista requies completa, ista quies integra, ista voluptas, & delectatio totalis, cùm omnes hæc quærant in mundo, quomodo non est in mundo, & nec in mundo fuit aliquis, qui hæc invenisset ? Hoc ipsum dicam vobis, dicit sanctus Augustinus, magis hæc pronuntians ab experientia, quàm à sapientia in libro recognitionum sui erroris, quem nominavit librum confessionum, lib. 4. c. 12. *Non est requies, ubi quæritis eam, quærite, quod quæritis, sed ibi non est, ubi quæritis.* Scitísne, cur non inveniatis requiem ? quia quæritis illam, ubi non est. Infirmus non mittit pro medicinis ad aurifices, non, sed ad Apothecam. Qui quærit frustum argenti, nunquid vadit, ubi venditur argentum ? Jam si quævis res quæritur, ubi inveniri potest, si quæritis requiem, ubi non est, quam requiem quæ-

quæritis ? quærite, quærite, non dico vobis, ut non quæratis ? *quærite, quod quæritis ;* ſed ſcitote, quòd ibi non ſit, ubi quæritis. Nunc igitur, ſi quærere debeamus ; ubi ergo eſt illa requies, ut ibi quærendo, illam inveniamus ?

III. Hæc ipſiſſima eſt interrogatio, quæ hodie nobis occurrit, & ſequitur in Catechiſmo : *Quare fuit homo creatus ?* Oh ! ſi reſponſum poſſem ſculpere cuſpide adamantina in omnium veſtrûm cordibus ! Reſpondet itaque Catechiſmus : *Ut DEUM amet, & ſerviat DEO in hac vita ; ac poſtmodum eum videat, & illô fruatur in altera ;* Iſténe eſt noſter finis ? iſte eſt noſter finis. Itaque fateor, & cognoſco, noſtrum principium fuiſſe viliſſimum & abjectiſſimum totius mundi : *Pulvis es ;* pulvis ſumus ratione noſtri principii, ſed non ratione finis. Prodeat Angelus puriſſimus, prodeat Cherubinus ſapientiſſimus, prodeat Seraphinus excelſiſſimus, & dicant mihi, an habeant finem nobiliorem, ſublimiorem, & principaliorem : Homines ad videndum DEUM ſumus creati, ad requieſcendum in DEO, ad poſſidendum DEUM, ad fruendum DEO. Quid quærunt noſtra deſideria, ſi hunc finem non quærunt, quid nos ſtimulant noſtræ curæ, ſi nos non ſtimulant ad hunc finem ? nunquid quæritis requiem, quietem, & delectationem ? Medium ad hæc perveniendi eſt in hac vita ſervire DEO, reliqua omnia dolus, & deceptio. Venite ad me omnes, qui eſtis afflicti, & certè tales omnes eſtis, dicit Chriſtus JESUS : Venite ad me omnes, qui ſub onere gemitis oppreſſi pondere, & gemitis omnes ; Venite ad me, & ego reficiam vos, tollite ſuper vos jugum meum, jugum meæ legis, & invenietis requiem ; *Et invenietis requiem animabus veſtris.* Potéſtne eſſe medium ſuavius ? Certè nullus eſt, qui non poſſit ſubitò illud arripere. Si ad hoc, ut ad cœlum pervenire poſſemus, opus foret, ut quis eſſet, Prælatus, Princeps, vel Monarcha, potuiſſent habere excuſationem inferiores, ſubditi, quibus medium defuiſſet perveniendi ad tam altum finem. Si pro vivendo DEO opus foret multùm præcellere ſapientiâ, eſſe multùm doctum, remanerent ſemper in tenebris idiotæ, & ignorantes abſque eo, ut aliquando poſſent frui hac luce immenſa. Si ad capiendam poſſeſſionem hujus regni æterni neceſſariæ forent divitiæ : Pauperes, ah pauperes ! deberent permanere in ſuis gemitibus, & portæ cœli illis fierent adamantinæ. Jam autem quale medium ſufficit ad conſequendum tam altum finem ? quæ dili-

diligentia ad consequendam fruitionem hujus requiei æternæ ? Sola ista: *Servire DEO in hac vita:* & hoc absque distinctione personarum ? Sinè distinctione , nam si pauper sclavus DEO servivit , & Dominus , seu Patronus ejus non observavit DEI præcepta , sclavus requiescet in suo æterno fine in cœlo , & Herus cruciabitur sinè fine in inferno ; Si plebeus , abjectus , si pauper ei servivit , sublimatos se videbunt in corona , Magnus autem , Potens ,& Monarcha se videbunt depressos in æterna infamia.

IV. Dedit itaque DEUS tam sublimem finem sinè distinctione personarum , cum æqualitate omnibus statibus , omni sexui , & omnis conditionis personis , nè infletur , & superbiat potens , & dives , videns quòd ille , qui modò ad januam ejus prostratus eleemosynam quærit , quòd pauper , & inops sclavus , qui pro nunc tam vilis , & humilis illi servit , futurus sit tam bonus , & tam glorioſus ſicut ille in cœlo ; si planè eum non superaverit propter sua opera in gloria : nè se affligat miser , & mendicus , egenus , & infirmus , videndo , quòd , si sciat uti bene in DEI servitio his temporalibus disgratiis,& infortuniis , illum expectent felicitates æternæ. Hoc est quoad personas. Et quantum ad media ad consequendum hunc finem ? nihil obstat , quod nos perturbare possit. Persuademus nobis , Auditores mei , & hoc non est pietas , sed fides , quòd omnia , quæcunque mundus habet cum omnibus suis creaturis , omnia hæc media sint , quibus nos DEUS providit ad consequendum nostrum finem , qui est hìc illi servire , & ibi illô frui. Omnes divitiæ , & paupertates , omnes infirmitates , seu robur , seu vires membrorum , omnes venustates , vel deformitates , honores , vel dishonores , omnia hæc media sunt , vel ut dives unà cum suis divitiis ei serviat , vel ut pauper cum suis necessitatibus eum quærat , vel ut sanus applicet in DEI servitium suas vires , vel ut infirmus lucretur suâ patientiâ , & doloribus finem suum , vel ut ille , qui se videt abjectum , despectum , prostratum , animet suas actiones ad lucrandum honorem: Omnia ista sunt media , quæ nobis viam monstrant ad nostrum finem ultimum. Jam quid nobis deest , quin illum assequamur ? O DEUS : solùm nostrum velle , sola nostra voluntas.

V. Hæc cogitatio suffecit ad convertendum illum magnum Aulicum, de quo refert Sanctus Augustinus. lib. 8. confess. c. 6. Qui erat inter primos in aula Imperatoris , & dum maximè elevatus esset inter vo-

vores, & ſpes omnimodè ei arrideret, cœpit cogitare de ſuo fine. DEUS Sancte, & quid ego prætendo, quid quæro tam prolixis aſſiſtentiis, vigiliis, ſolicitudinibus, & ſervitiis? *Omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus pervenire?* Quid ego hìc poſſum obtinere, quid feliciùs mihi accidet? Gratia Imperatoris, ſua amictitia, ſuus favor, hoc eſt ſummum, & propter hoc quanta pericula caſuum, quantæ æmulationes, quantæ invidiæ, & aſſecutâ amicitiâ, favore, &c. quanto tempore res durabit? O DEUS! hoccine eſt? & hæc omnia ſunt neceſſaria ad conſequendam amicitiam Imperatoris? nunc autem, ſi ego volo fieri amicus Dei, quid me prohibet? Nihil, nihil, ſolùm ſi ego id voluero, ero in inſtanti; jam modò ero amicus DEI, ſi volo. O Domine! tuus itaque amicus ex hoc momento fieri volo: *Amicus autem DEI, ſi voluero eſſe, ecce nunc fio,* Animæ, animæ, obcæcatæ, & perditæ, quò vadimus malè applicando noſtros labores, & deſideria; appetitis honores, ſplendores, divitias, in DEO infinitas invenietis, certas, & æternas: *Gloria, & divitiæ in domo ejus;* Trahunt vos voluptates, joci, & deliciæ? in DEO eſt immenſus torrens, qui inundat voluptatibus omnes Beatos: *Et torrente voluptatis ſuæ potabit eos.* Arridet vobis apparatus ciborum, varietas potûs? in DEO invenitur compendium immenſum omnium dulcedinum: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* in DEO eſt, ſicut in ſuo fonte, omnis ſuavitas delicatiſſimorum liquorum: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* In DEO includuntur convivia abundantiſſima, quæ ſatiant ſinè nauſea, delectant ſinè damno, & ſatisfaciunt ſinè tædio, ſinè moleſtia, & ſinè pœna: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Recreat vos pulchritudo camporum, amœnitas hortorm, varietas guſtuoſa florum? omnem ſimilem pulchritudinem venuſtiſſimam invenietis in DEO unitam & abſque omni temporis corruptione: *Et pulchritudo agri mecum eſt.* Et tandem rapit vos curioſitas, & conſideratio horum, quidquid in hoc mundo reperitur machinoſarum fabricarum, opulentorum mineralium, maturatorum & delectabilium fructuum, coloratorum, & variorum florum, harmoniacarum, & canorarum avium, quidquid conveniens veſtræ utilitati, & delectationi eſt in brutis, quidquid pretioſi, & ſplendicantis eſt in lapidibus; Ecce omnia hæc non ſunt plùs, quàm exigua micula, non ſunt plùs, quàm minimus radiolus, non ſunt plùs, quàm minima ſtillula illius immenſi pelagì pulchritudinis, So-

lis illius infinitæ venuſtatis, & elegantiæ: *Meus eſt enim orbis terræ, & pulchritudo ejus.*

VI. Jam itaque conſulite vobis intereſſatæ cogitationes, conſulite vobis: Si poteſtis in uno ſolo bono comparate vobis omnia bona unita, quæ cæcitas eſt veſtra, quæ ſtultitia, quòd ità perdatis hoc infinitum compendium omnium bonorum per tot diſcrimina? Si DEUS eſt compendium omnium bonorum, nihil reſtat quærendum infra DEUM, nec ultra DEUM, dicit Sanctus Auguſtinus: Nihil infra DEUM, quia totum eſt frivolum, fraudulentum, caducum; Nihil ultra DEUM, quia nihil ſupereſt: *Bonorum ſumma, nobis DEUS eſt, neque infra manendum eſt, neque ultra quærendum; quia alterum nullum*, Sanctus Auguſtinus. Si igitur in DEO habes omnia, quid quæris extra DEUM anima? In DEO eſt origo omnis felicitatis, ibi eſt fons, qui ſinè exſiccatione fœcundat mundum bonis, & inundat cœlos gloriâ: ibi eſt centrum omnis tranquillitatis, in quo ſolummodo invenient requiem omnes noſtræ cupiditates: ibi eſt finis, in quo ſolummodo ſuam ſatisfactionem noſtra ſuſpiria conſequentur; Et hoc eſt DEUS, anima! iſte eſt tuus finis: ſi hunc optineas, omnia optinuiſti; ſi hunc perdas, omnia perdidiſti: *DEUS meus, & omnia.* Siſtite parumper, quis hoc dicebat? unus pauperculus, qui nihil in terra poſſidebat: unus humilis, qui locum infamiſſimum elegerat pro ſe in mundo; unus deſpectus, abjectus, qui ſe lutum æſtimabat eſſe platearum, nimirum Franciſcus; nunquid illum jam noviſtis? Igitur iſte pauperculus, iſte humilis, ſolummodo habendo DEUM, & nîl ultrà, nîl ultrà, omnia poſſidebat: *DEUS meus, & omnia*, Eja, attendite modò ad illud, quod dicebat moriens Henricus VIII. Rex Angliæ, ille ſacrilegus, ille maledictus, cui in inferno ſervit pro infami mitra, corona Angliæ. Totum ſuum finem repoſuit in ſatisfactione ſuorum appetituum, & conſignavit animam ſuam beſtialiſſimæ, & monſtruoſiſſimæ libidini. Repudiatâ ſuâ legitimâ ſponsâ, amaſiavit ſibi ſub nomine matrimonii viliſſimam meretricem Annam Bolenam, & ad patefaciendam iſtam infamiam, perdito erga DEUM reſpectu, & erga mundum pudore, negavit obedientiam ſupremæ Sedi Sancti Petri, & fecit ſe caput infernalis hydræ hæreſis Anglicanæ, deſtruxit intrà unum annum decem millia templorum, diripuit, & furatus eſt eôdem annô mille Monaſteria, dejecit omnia Altaria Religionis, ut erigeret alia infamia im-

impietati, flumina ſparſit ſanguinis Catholici, multis vitam abſtulit, rapuit omnes reditus, & hoc, quod eſt magis lamentabile, traxit innumerabiles ad æternam damnationem animas: & quantum attinet ad injuſtitias ſuæ tyrannidis potiùs, quàm ad jura ſuæ coronæ, plenus erat divitiis, ſubmerſus in deliciis, abſorptus, & immerſus in impudicitiis, nihilominus cor ejus, abſque eo, quòd poſſet ſatiari, ſemper erat inquietum. Et ecce, adeſt tempus mortis, quod dejiciendo illum in lectum, compulit veritatem confiteri; & jam vicinus morti, inter ultimos anhelitus, recolligendo vires, finivit ſuam maledictam vitam his vocibus: *Omnia perdidimus*! O! quæ veritas vel maximè lacrymabilis! perdidiſti Rex infortunate regnum, perdidiſti tuas divitias, perdidiſti tuas delicias, perdidiſti tuas voluptates, perdidiſti vitam temporalem, & perdidiſti æternam: perdidiſti animam tuam, perdidiſti gloriam, ſolùm quia DEUM perdidiſti, qui tuus erat finis: *Omnia perdidimus.* Ah dilectiſſimi! conferte modò iſtud *omnia* Henrici VIII. cum illo *omnia* Sancti Franciſci. Henricus, poſſeſſor Regni, potens, dives, ſolùm quia perdidit DEUM, omnia perdidit: *Omnia perdidimus.* Franciſcus nudus, humilis, & pauper, quia ſolum DEUM habet, habet omnia: *DEUS meus, & omnia.* Oh! ſi attenderemus ad iſtum finem in omnibus noſtris operibus, in omnibus noſtris actionibus, & cogitationibus, dirigendo easdem omnes ad illum conſequendum, & relinquendo eas omnes, quæ nos ab illo ſupremo fine avellunt; Hæc eſt omnis ſapientia Sanctorum, & utinam hic ſit totus profectus, & lucrum noſtræ doctrinæ.

VII. Narrat Frater Thomas Cantipratanus in man. exempl. Verb. finis; Iviſſe certum juvenem ad nundinas, ubi ad forum pervenerat, circuibat viſitando multas officinas diverſarum mercium, hìc videbat pannos, ibi telas, ibi alias merces, plena denique omnia, & impleta diverſis mercibus. Pervenit tandem ad unam officinam omnimodè vacuam, apertam, & ſinè indicio, vel minimè alicujus mercis; erat in illa venerabilis Seniculus. Forſan ex curioſitate, vel ex joco, Domine, dixit illi juvenis: quid vos hìc venditis, cùm hìc nullas merces videam? Hoc, quod ego vendo, reſpondit cum gravitate Senex, eſt Sapieniia. Quid Sapientia? hoc nunc prima vice audio: cogitabam ego, Sapientiam eſſe mercedem Cœli, & quòd hìc in terra multis pecuniis non poſſit comparari, nec altis dignitatibus, & ho-

noribus poſſit obtineri ; poſtquam autem vos dicitis, quòd hìc vendatur, conveniamus de pretio ; fiat DEO favente. Petiit Senex magnam quantitatem numeratæ pecuniæ, juvenis eandem porrigit ; & poſtmodum Senex illi dixit : *Attende in omnibus operibus tuis, in omnibus tuis actionibus, cogita ſemper primariò, ad quem finem debeas cum illis pervenire.* Bene eſt : Veniat itaque Sapientia, quam ego emo. Sed quam majorem ſapientiam, dicit Senex juveni, petis, aut deſideras, quàm iſtam ? jam tibi illam conſignavi. Quid replicat juvenis, & hæc eſt tota ſapientia ? Domine ſic eſt. Hoc non valet, ego me confiteor deceptum, reddantur mihi meæ pecuniæ : cogitavi ego, quòd mihi daturus ſis integrum cumulum notitiarum, totum repoſitorium, vel promptuarium textuum, & integram ſlotam ſcientiarum : hæc eſſet ſapientia : quid autem hæc mucedo ? cum hac nuga mihi prodis ? In hoc, in hoc conſiſtit tota ſumma ſapientiæ, reponit Senex, vade tantùm, & nunquam hujus obliviſcaris, inſcribe in omnibus partibus, in omnibus parietibus tuæ domûs iſtam ſententiam, & cum tempore experieris. Non modico labore opus erat ad ſedandum juvenem, qui omnimodè credebat ſe eſſe deluſum. Abiit tandem, inſcripſit ſententiam ſuæ domui, & expoſuit manifeſtam ; *Attende in omnibus operibus tuis* &c. Elapſis aliquot diebus, ecce venit tonſor pro radenda barba, & cùm incepiſſet tondere, advertit juvenis illum hærere, & turbari, ac finaliter ceſſare à tonſura, ex defectu animi proſequendi opus. Magiſter, quid vobis accidit ? interrogat juvenis : Ego ſincerè vobis confitebor, dixit tonſor : quòd ego conductus, & ſolutus à certis veſtris inimicis, venerim, vos nunc occidere, ſed à quo intravi, & legi illam ſententiam, quæ ibi ſcripta eſt, cœpi apud me ipſum de illa diſcurrere : ad quem finem poſſum pervenire concluſionis per actionem tam injuſtam ? & hæc ſententia me retinuit, me turbavit, & tibi dedit vitam, & me coegit confiteri veritatem. Tunc juvenis agnovit, & ſenſit, quàm bene expenderit pretium, quod perſolvit pro Sapientia, quam communicata ſententia in ſe continet. Oh ! quàm multò meliùs hoc experiremur omnes in noſtris operibus, & in noſtris animabus, ſi in omnibus noſtris partibus, & actibus teneremus ſcriptam, & præ oculis haberemus illam ſententiam : *Ad quem finem fuit creatus homo ? ut DEUM amet, & ei ſerviat in hac vi-*

ta,

ta, & postmodum illum videat, & fruatur in altera. Iste finis supremus refrænaret nostros appetitus, componeret nostras actiones.

VIII O DEUS vitæ meæ! Requies perfecta nostrorum desideriorum, Centrum nostrorum cordium, Principium nostræ felicitatis, & finis nostræ gloriæ, qui solo tuo aspectu inundas Cœlum dulcedine pro tot millibus Beatorum, & qui sola tui memoria submergis in deliciis tuos in terra servos. Nè permittas Domine, nos fieri tam infelices, & tam mali gustus, ut derelinquendo dulce nectar tuarum consolationum, bibamus tanta cum aviditate repetitum fel, quod nobis mundus porrigit. Usquequo Domine obliviscemur tuæ pulchritudinis, quæ tenet suspensas omnes Angelorum Hierarchias, quærendo voluptates, in tot apparentiis, quæ nobis mentiuntur nos decipiendo, & in tantis mendacibus deliciis, quæ nos irrident? Usquequo sitis nostrorum desideriorum, relinquendo impetuosum torrentem tuarum deliciarum, vagabitur quærens aquas turbidas, & lutulentas hujus Ægypti, & cisternas dissipatas hujus mundi? O DEUS meus! quando curram ad te, ùt centrum meum? quando quæram te, ùt finem meum? quando amplectar te, ùt quietem meam? O Esca omnia excedens! quæ sola satias, dulcedo, quæ sola delectas, unicam guttulam distilla de tuis infinitis voluptatibus, & spernemus, ùt amarissimum absynthium omnia delectamenta mundi hujus, & solùm utemur creaturis tuis ùt mediis, non autem ut amor noster in eis stabiliatur, sed per quas, calcando illas, transeat ad consequendum finem, te nimirum fruendi, & videndi in gloria.

INSTRUCTIO XII.

De principalibus mediis, quibus debemus consequi nostrum ultimum finem, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas.

I. SCire, posse, & velle, omnia hæc conjungi necessarium est, ut acquirant lucrum in executione opera. Qui scit, sed non potest, nihil consequitur; qui potest, sed non scit, nihil lucratur; qui scit, & potest, sed non vult, ipsius scire & posse illi nihil prodest; quamobrem ad omnia nostra, & omnes nostros conceptus necessarium

um eſt, ut ſemper conjungantur hi tres infinitivi: *ſcire*, *poſſe*, *& velle*. Ecce iſta ſunt, quæ nos docet Catechiſmus. Jam modò agnoſco, Pater, replicat aliquis, ſublimitatem, & pretioſitatem finis ultimi, ad quem ego fui creatus, qui eſt DEUS, DEUS eſt meus ultimus finis, hoc ego fateor; dum autem iſte finis eſt ità abſconditus meis oculis, ità occultus, & abſtractus meis ſenſibus, quomodo potero ſcire, & cognoſcere, qualia in illo bona ſperanda habeam? ſi iſte finis eſt à me ità diſtans, ità ſublimis, tam altus. Ah miſerum me! cùm ſint tam exiguæ, & tam debiles meæ vires, quomodo illum potero conſequi? Adhuc plùs habeo, quod opponam; & eſt: cùm mei ſenſus demonſtrent mihi in mundo res amabiles, mei appetitus, me trahant ad volendum eas; quomodo poſſum plus velle unum finem, quàm hæc omnia, quem nec video oculis, nec invenio, & palpo manibus, & quem præterea omnibus meis viribus naturalibus, etiamſi illarum eſſent plurimæ, obtinere non valeo? Igitur quomodo poſſum illum velle? Itaque ad conſequendum noſtrum finem, mihi objicitis tres difficultates: *Scire*, ad cognoſcenda bona, quæ in hoc fine ſupremo includuntur, *Poſſe*, ut cognitis his bonis, animemini ad illa quærenda: & *velle*, ut ſpretis bonis mundi, vel utendo illis ſolummodo in ordine ad conſequendum illum finem, in illo fine ſupremo reponatis totum veſtrum amorem, & integrum veſtrum *velle*: Nunquid hoc ipſiſſimum eſt, quod mihi opponitis, *ſcire*, *poſſe*, & *velle*? Hoc eſt Pater; quoniam dicitur mihi, quòd medium conſequendi meum ultimum finem, qui DEUS eſt, ſit ſervire DEO in hac vita, de hoc hucuſque nihil ſum informatus, quapropter interrogo pariter: in quo conſtabit hoc ſervitium DEI? quid eſt illud, quod mihi faciendum eſt, ut ei ſerviam? Juſta eſt, & rationabilis veſtra interrogatio, ſed non feſtinatio, cùm enim pauper inſtruens non habeat os ex ſacco, non poteſt omnia ſpargere ſimul uno ictu. Procedamus tardè, & totum prodibit; ſiquidem jam Cathechismus præocupat omnes iſtas difficultates, & replicas huic prudenti, & ſagaci interrogationi in hoc, quod ſequebatur *quibus operibus principaliter DEO ſerviatur*? ac ſi diceret: Vide hoc, tu mihi dixiſti, quòd ſerviendo DEO, conſequar fruitionem illius, qui eſt meus finis, hoc eſt veriſſimum. Sed quoniam hoc *ſervire* DEO continet in ſe tanta, & ego habeo exiguam memoriam, nè obliviſcar, conſtringe mihi omnia

mnia brevibus verbis, & dic mihi: *quibus operibus principaliter ſerviatur DEO?*

Advertitis, vel videtis, vobis hoc ipſum hìc reſponderi brevibus verbis: *operibus Fidei, Spei, & Charitatis.* Túne hujus oblivisceris? non obliviſcar; ſed ego ſemper audivi dici, quòd DEO ſerviatur humilitate, pœnitentia, eleemoſina &c. jam, ſi iſtis omnibus virtutibus DEO ſervitur, quomodo mihi hìc nominantur ſolæ iſtæ tres, Fides, Spes, & Charitas? Bene interrogâſti. II.

Attendite igitur nunc ad hanc vocùlam: *principaliter.* Servitur DEO humilitate, ſervitur pœnitentiâ, eleemoſynâ, & ſervitur DEO omnibus aliis virtutibus, ſed *principaliter* ſervitur operibus Fidei, Spei, & Charitatis. Quare *principaliter*? quia ſi iſtæ tres virtutes deſunt, omnes reliquæ virtutes nihil ſerviunt, nec proſunt, nec DEO placent, nec quidquam valent. *Sinè Fide impoſſibile eſt placere DEO*, dicit Sanctus Paulus ad Hebr. 11. v. 6. Fide ſervitur DEO *principaliter*, quia ſinè Fide emnes aliæ, quæ apparent virtutes eſſe, non ſunt virtutes, ſubjungit Sanctus Auguſtinus lib. 4. cont. Jul: c. 3. n. 2. quia, non habendo Fidem ad dirigendas easdem ad verum illarum finem, qui eſt DEUS, fiunt propter fines terrenos, & ideo non ſunt veræ virtutes; ſed apparentes, vanæ, & ſinè fructu. *Minùs impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimùm deviando*, dicit Sanctus Thomas. 2.2. q. 4. art. 2. quid importat, quòd inter gentiles apparuerint caſtæ Veſtales, abſtinentes Pithagorici, modeſti Stoici: quòd inter Japonienſes apparuerint pœnitentes Bonzii, & apud Indos apparuerint Religioſi Brachmanes: quid juvat, quòd inter hæreticos voluerint videri mortificati illi perverſi, qui ſe vocabant Apoſtolicos in Gallia, vel multùm auſteros Vigardi, & Viguini in Germania? ſi omnes, quoniam non habuerunt Fidem, & ſi nec erat Charitas, nec abſtinentia eorum, nec modeſtia, nec religio, ſed hiſtrioneriæ, & fictiones, & cum omnibus illorum virtutibus omnes in inferno torquentur; *Sinè Fide impoſſibilè eſt placere DEO.* Iſtis tribus virtutibus *principaliter* ſervimus DEO, quia è contrario, ubi iſtæ virtutes in anima inveniuntur, illæ adducuntur, advocant, & uniunt omnes alias virtutes in illa. His tribus virtutibus *principaliter* ſervitur DEO, quia Fides in ædificio ſpirituali eſt fundamentum, ſinè quo fundamento tota III.

domus corruit; est id, quod columnæ est basis, quæ sinè illa cadit; est illud, quod arbori est radix, sinè qua arescit. Spes in hoc ædificio est instar parietum, & columnarum, sinè quibus non potest imponi tectum, & sic nec erit domus: Spes est id, quod corpori humano sanguis, sinè quo nec possunt currere spiritus, nec habere motum: est id, quod in arbore flores, qui, si congelentur, fructus emanebunt. Charitas in hoc ædificio est tectum, sinè quo non erit domus, mandra brutorum, quæ erat sala, seu aula, & hospitium rationabilium hominum; Charitas est id, quod in arbore fructus, sinè quibus ad nihilum servirent radices, & nullum profectum facerent illius flores: & est finaliter id, quod in corpore humano vita, sinè qua, quale remanet corpus mortuum? jam hoc sæpiùs vidisti. Hac itaque de causa istæ tres virtutes sunt illæ, quibus DEO servitur *principaliter*; & finaliter sunt hæ principales, quia licèt reliquæ virtutes nos etiam ducunt ad nostrum ultimum finem, sed ducunt per circuitum, illæ incedunt directè; Volo dicere: omnes aliæ virtutes habent pro objecto immediato aliquid creatum, & etiamsi cum hoc serviant, vel ad tollenda impedimenta Fidei, vel Spei timores, vel Charitatis offendicula; Attamen istæ tres virtutes respiciunt directè DEUM, ùt nostrum finem: illuc nos conducunt, ibi nos colligant, & ibi nos illi uniunt; credere in DEUM, sperare in DEUM, amare DEUM; idcirco illis servitur *principaliter* DEO. Audite nunc Principem Theologorum sanctum Thomam, ut videatis, quòd sit Theologus in vulgari lingua noster Catechismus: *Cùm in agibilibus finis sit principium, necesse est virtutes Theologicas, quarum objectum est ultimus finis, esse priores cæteris virtutibus.* D. Th. loc. cit.

IV. Maneat igitur firmum, quòd operibus Fidei, Spei, & Charitatis *principaliter* DEO serviatur; pro primò: quia omnes aliæ virtutes, si istæ desint, non sunt, nec merentur vocari virtutes; pro secundo: quia è contrario, ubi sunt hæ tres virtutes, subitò habet anima omnes alias. Pro tertio: quia omnes aliæ virtutes, si habent valorem, & meritum, fit exinde, quia sunt fundatæ supra istas tres; pro quarto: quia omnes aliæ virtutes non respiciunt directè DEUM, prout istæ tres, quæ directè in DEUM ex integro collineant; & sic, quamvis serviatur DEO aliis omnibus virtutibus, tamen solis istis tribus

bus ſupra omnes alias ſervitur DEO *principaliter*. Meherclè! & quantum laboris non cauſavit hoc verbulum *principaliter*.

Hac itaque de cauſa iſtæ tres virtutes vocantur Theologicæ, & V. ut debitum conceptum formemus de illarum valore, judico illas explicare in ſequentibus doctrinis unam poſt alteram, adunando hìc interrogationes, quas ibi facit Catechiſmus, ubi à parte tractat de virtutibus Tgeologicis. Vocantur itaque virtutes Theologicæ, quia directè DEUM reſpiciunt, & ſic Theologicæ eſt idem, ac virtutes Divinæ. *Quare habent tam altum nomen?* interrogat Catechiſmus: *Quia nos uniunt DEO, & ille ſolus illas infundit*: quod idem eſt, ac dicere: vocantur Divinæ, quia omnes tendunt in DEUM, & vocantur Divinæ, quia omnes veniunt à DEO; DEUS eſt, qui nobis illas dat, DEUS eſt, qui nobis illas infundit in Baptiſmo, prout alia vice dicam. Et quare nobis illas infundit? ſcitis quare? ad tollendas difficultates, quas mihi à principio objiciebatis, quarum non ſum oblitus. Infundit illas nobis Deus, ut cum illis acquiramus, & habeamus *ſcire*, *poſſe*, *& velle*: per Fidem, quæ illa eſt, quæ illuminat noſtrum intellectum, ſcimus, qualia ſint illa bona æterna, infinita, & immenſa DEI, qui noſter finis eſt, intellectis itaque, & cognitis per Fidem bonis, nè viribus deficiamus in difficultatibus, quæ nobis opponunt; ut aggrediamur omne illud, quod nobis apparet aſperum in virtute. Virtus Spei reſtabilit, & dat vigorem noſtris viribus; nam qui ſperat pervenire ad gaudium æternum, quomodo ſe non animabit ad ſufferendum amore illius qualemcunque temporalem laborem? Exploratâ itaque per Fidem bonitate infinitâ hujus noſtri finis ultimi, roboratô, & fortificatô *poſſe* ad quærendum illum per Spem; Charitas tota inamorata in hoc bono infinito, ſuaviter nos trahit, dulciter nos conducit, & potenter adjuvat, ut ſpretis his bonis caducis, vilibus, & deceptoriis, ſolùm complectamur omni noſtro amore, integrâ noſtrâ animâ illud bonum, quod ſolum eſt bonum, illud bonum, quod ſolum eſt ſecurum, illud bonum, quod ſolum eſt æternum. Et videtis hinc, qualiter conſecutio noſtri finis non poſſit eſſe per ſolum noſtrum naturale *ſcire*, quod nihil aſſequitur, non poteſt eſſe noſtris naturalibus viribus, quæ nihil poſſunt, non naturali amore, qui ſolùm occupat ſuum velle in rebus viliſſimis; ſed ſo-

lùm per *ſcire*, *poſſe*, & *velle* ſupernaturale, quod nobis DEUS dat, quod nobis DEUS infundit cum Fide, Spe, & Charitate.

VI. Jam iſtis aquieſco, Pater: ſed habeo nunc fortem objectionem ſupra verba Cathechiſmi: *Operibus Fidei, Spei, & Charitatis*: Quæro ego: Cogitationibus Fidei nihil promeremur, hinc non ſunt illæ meritoriæ vitæ æternæ? Reſpondeo: ſi quis ſimiles cogitationes habeat, qui eſt in gratia, ſtantibus unitis in anima Fide, Spe, & Charitate, iſtæ cogitationes ſunt meritoriæ vitæ æternæ; conſtat ex Sacra Sciptura: *Credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Gen. 15. v. 6. Et Sanctus Paulus: *Sancti per Fidem adepti ſunt repromiſſiones.* ad Heb. 11. v. 33. Et confirmat hanc reſponſionem Sanctus Thomas 2.2. q. 2. art. 9. & cum illo omnes Theologi. Nunc igitur, ſi cogitationibus Fidei meremur, & ſervitur DEO, & optinetur vita æterna, qua de cauſa ſolummodo dicit Catechiſmus? *Operibus Fidei*, &c. In veritate, juxta hanc argumentationem videmini eſſe Theologi; verùm major Theologus præ vobis eſt Cathechiſmus.

VII. Reſpondeo primò: Ille, qui dicit *operibus*, jam ſupponit cogitationes; qui nulla actio humana eſſe poteſt abſque eo, quòd priùs præcedat cogitatio; ſiquidem, qui non præcogitat id, quod facit, operatur inſtar bruti. Secundò: *Dicit operibus*, dando ad intelligendum, quòd, ut ſit meritum, non ſufficiat ſola Fides, ſed debeat eſſe unita cum Charitatate, quæ illa eſt, quæ dat vitam Fidei, & illa etiam ad quam ſpectant opera, *Fides, quæ per Charitatem operatur*, dixit Sanctus Paulus ad Gal. 5. v. 61. Tertiò: *Dixit operibus*, ut intelligamus, quòd nihil ſervirent cogitationes, deſideria gloriæ, & bona verba, quibus fiunt propoſita, ſi opera ſe opponant illico ſimilibus cogitationibus, iſtis deſideriis, & talibus propoſitis. Ah Chriſtiani! quid nobis dicit Fides? quòd poſt hanc vitam ſit alia vita æterna, & in illa æternum baratrum pro peccatis, & peccatoribus, vel æterna gloria pro virtutibus, & pro bonis operibus: Credimúsne hoc ſic eſſe? confitemúrne hoc ſic eſſe? cognoſcimúsne? Jam cum, & ſimilibus cogitationibus, qualia ſunt noſtra opera? Ex una parte tibi proponit appetitus voluptatem illicitam, vindictam iniquam, injuſtitiam, fraudem, &c. Ex altera parte Fides tibi dicit, quòd hôc admiſsô, ſit perdere cœlum, quòd hoc ſit præcipitare ſe in infernum, & quomodo te reſolvis? Tua opera nobis dicant: Reſolvis te obedire tuis ap-

appetitibus, & non Fidei; Ad quid itaque ſerviunt iſtæ cogitationes, ſi talia ſunt tua opera? Animæ Chriſtiauæ? ubi eſt Fides noſtra? quid nobis proponit Spes? quòd pro qualicunque actione bona, quam propter DEUM facimus, daturus ſit nobis DEUS in gloria centum pro uno; Speramúsne hoc tali modo? deſideramúsne hoc? confidimúsne nos hoc promiſſo potituros? Sed quomodo, ſciendo illam virgunculam periclitari propter ſuam paupertatem de honeſtate, illam viduam onuſtam, & gravatam prolibus, & magis miſeriis perire, & tam facili modo his neceſſitatibus remediari poſſemus, hoc non facimus? Quid itaque poſſunt, ad quid ſerviunt iſta deſideria Cœli, ſi hæc, & talia ſunt tua opera? Anima, ubi eſt ſpes? quid dicit nobis Charitas? quòd DEUS ſolus ſit ſummum bonum, bonum æternum: quòd ſolus mereatur noſtrum amorem, cùm omnia bona mundi ſint mendacia, ſint falſa, & caduca. Cognoſcimúsne hoc ſimili modô? videmus hæc, experimur omni die, & deflemus omni momentô; verùm, cur noſtra voluntas, noſter amor, & noſtri affectus omnes, relinquendo DEUM, volant continuò ad creaturas, ad bona, quæ cognoſcimus deceptoria, & ad voluptates, quas toties experti ſumus amaras? itaque quid ſervit hæc cognitio, & hæc erroris apprehenſio, ſi ſunt talia opera? Animæ ubi eſt noſtra Charitas? propterea optime nobis dicit Catechiſmus, quòd conſecutio noſtri finis, adeptio gloriæ debeat fieri operibus: *Operibus Fidei, Spei, & Charitatis.* Nunc ergo hoc cognoſco, apprehendo, & fateor; nihilominus pro fine non debeo omittere dicere unam rem, & eſt: cur hodie Pater non narravit exempla, prout aliis vicibus fecit? Multa reſtabant explicanda; non facias mihi tot interrogationes, & ego tibi dicam plura exempla; verùm audite nunc, quod referam, quod complectitur omnia.

VIII Refert Sofronius in ſuo prato ſpirituali, quòd ſanctus Geneſius, Epiſcopus Cirenenſis converterit ad noſtram ſanctam Fidem famoſum Medicum, nomine Evagrium, ab eo poſtmodum in certa occaſione petiit ſummam trecentorum Scutorum pro diſtribuenda eleemoſyna pauperibus; dedit illam petitam ſummam lubenti animô, & gratum ſe exhibens ſanctus Epiſcopus ſcripſit manu propria ſyngraphan, in qua obligavit pro ſuo Fidejuſſore ipſum JESUM Chriſtum, promittens: DEUM Medico ſoluturum centum Scuta pro uno Scuto de ſu-

pradictis trecentis Scutis; ſubſcripſit illam ſuo nomine, & Evagrio conſignavit. Elapſo aliquo tempore, appropinquante Evagrii morte, vocavit Evagrius ſuum filium, tradens ei ſyngrapham cum mandato, ut antequam portaretur corpus ſuum ad ſepulturam, eandem ſupra pectus ſuum, id eſt Evagrii, deponeret: mandatum Patris ad unguem executus eſt filius. Elapſis tribus diebus poſt ſepulturam, ecce Evagrius ſancto Epiſcopo apparuit Geneſio, dicens: Pater, perge ad Eccleſiam, & aperi meum ſepulchrum, quia tibi volo reſtituere tuam ſyngrapham, quam mihi tradidiſti: ſequenti die Epiſcopus convocato omni Clero, & populo, proceſſit cum omnibus ad Eccleſiam, curat ſepulturam Evagrii aperiri, & invenit Evagrium tenentem ſyngrapham in manu, hanc accipiens Epiſcopus, videt ex altera parte folii, in quo ille ſcripſerat, hanc exaratam ſyngrapham receptæ pecuniæ; Ego Evagrius Medicus tibi ſanctiſſimo Geneſio Epiſcopo fateor, de ſumma trecentorum Scutorum, quam tibi extradedi, ad faciendam eleemoſynam Chriſti pauperibus, juxta promiſſionem tuam, quam mihi feciſti, DEUM mihi ſoluturum centum Scuta pro uno, & confiteor coram Sancta Eccleſia, mihi ſatisfactum eſſe, quàm optimè, copioſiſſiméque perſolutum, & quòd ultra nihil habeam quærere nec à te, nec à JESU Chriſto Domino meo, & Redemptore mundi. Audientibus hoc cunctis, qui convenerant, exuberans lætitia in omnibus effudit ſe in lachrymas, & voces laudis Summi, & Omnipotentis DEI; Epiſcopus autem mandavit ſervari pro æterna memoria illam ſyngrapham.

IX. Oh! ſi hanc ſcripturam portaremus omnes intra cor noſtrum cuſtoditam, ad excitandam, & reviviſcendam Fidem noſtram, ad incitandam, ad animandam Spem noſtram, ad inflammandam, & infervorandam noſtram Charitatem. O DEUS meus! ſi ità ſcis ſolvere, quis non exponet, quis non dabit totum, quantum poſſidet, ut te ſecurè teneat, & obtineat? Quis non conſignabit tibi ex integro cor ſuum amorem, & totam ſuam animam ad conſequendam tuam viſionem, ad contemplandam tuam faciem, pro obtinendis per ſpem tuis præmiis, & pro fruenda per Charitatem tuâ gloriâ.

IN-

INSTRUCTIO XIV.

De prima Virtute Theologica, quæ eſt Fides.

EX eo, quòd idem nomen habeant res, quæ inter ſe ſunt diverſæ, evenerunt in mundo æquivoca; quæ ſi quandoque placent, quia apparent acumina; pluries tamen obſunt, & lædunt, cùm ſint deceptiones, & fraudes. Hunc modum loquendi cum æquivocatione, quamvis voluerint vocare artificium Politici, certum eſt tamen, eſſe multùm antiquam induſtriam fraudulentorum, quorum mos eſt æquivocare, ut confundant, & confundere, ut decipiant. Hac de cauſa veritas abhorret omnem æquivocationem; Et cùm nos in noſtra Fide gaudeamus ſumma veritate, veritate æterna, ideo nec quidem in nomine Fidei, debemus admittere æquivocationem. Jam itaque hoc nomen *Fides*, in diverſis occaſionibus ſignificat res multùm differentes: Primò hoc nomen *Fides* ſignificat fidelitatem, modò ſit in promiſſione, quam facimus, vel verbò, quod oppignoramus nos hoc, vel illud faciendi, vel hoc aut illud adimplendi; Hinc, qui ſic promittit oppignorando ſuum verbum, ſolet dicere: *Faciam hoc vel illud in fide honeſti viri*; Modò ſit fidelitas, quam ſervamus in adimplendo, & ſic hæc adimpletio vocatur obſervatio Fidei promiſſæ; Et ideo de fradulento, qui nihil ſolvit, & nihil adimplet: quod promiſerat, ſolemus dicere: *Quòd nulli ſervet Fidem*; & hæc eſt pariter illa Fides, quam vocamus Fidem conjugalem, id eſt, illa obligatio, quam mutuò inter ſe habent conjugati, ſervare nimirum unus alteri fidem matrimonialem, adimplere obligationes, quas unus alteri promiſit in illorum ſtatu ſancto. In altera ſignificatione vocamus etiam Fidem, confidentiam, quam in quopiam habemus; ideo ſolemus dicere: *Non habeo Fidem cum Titio*, id eſt, non confido, quòd aliquid boni mihi ſit facturus, *non habeo fidem ad hoc medicamentum:* id eſt, non habeo fiduciam, quòd hoc medicamentum mihi proderit pro ſanitate, aut meliorationem ſit allaturum. Significamus pariter per hoc nomen *Fides* intentionem, conſcientiam, quâ operamur; ideo dicitur: *Titius erravit, ſed operatus eſt bona fide:* In hoc ſenſu Juriſtæ illum, qui poſſi- I.

poſſidet aliquam rem malâ conſcientiâ, verbi gratiâ, quia injuſtè, & malevolè poſſidet, quia comparavit ſciens rem eſſe furtivam, vel quia non poterat vendi, vocant *malæ fidei poſſeſſorem*, qui nunquam præſcribit, ſemper manet obligatus ad reſtitutionem. E contrario, illum, qui poſſidet, vel emit aliquam rem ſinè omni malitia, credens, quòd bene, & ſinè dolo emerit, & licitè poſſideat, vocant *bonæ fidei poſſeſſorem*. Ità pariter vocavit Fidem conſcientiam ſanctus Paulus ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt.* Omne illud, quod fit contra dictamen propriæ conſcientiæ, peccatum eſt: ſicuti nos videbimus, quando explicabimus damna erroneæ conſcientiæ.

II. Nunc ergo in nulla ex his ſignificationibus tractamus hìc de Fide, ſed in quantum ſignificat credulitatem, quâ credimus illud, quod alter nobis dicit. Et ſi credimus illud, quod nobis dicunt homines, vocatur Fides humana; Ideo de inſtrumentis publicis dicimus, illa debere eſſe ſubſcripta à partibus, vel cum aliis juridicis cæremoniis, *ut faciant Fidem*; intelligitur: fidem humanam, ſinè qua non poſſemus vivere inter homines. Verùm ſi id, quod credimus, eſt illud, quod DEUS dicit, & ideo credimus, quia DEUS hoc dicit, hæc Fides eſt divina, de qua tractamus, & ſi ſinè Fide humana eſt tam difficulter inter homines vivere, ſinè iſta Fide divina eſt omnino impoſſibile vivere cum DEO; *Juſtus ex Fide vivit*, dicit ſanctus Paulus ad Hebr. 10. v. 38.

III. De iſta itaque Fide tanquam principali, & unica porta, per quam debemus intrare ad noſtram æternam fortunam, tanquam fundamento, & baſi, ſupra quam debet inniti omnis noſtra felicitas, & omnis noſtra gloria, interrogat hodie Catechiſmus: *Quid eſt Fides?* Cùm quo ad modum ſit interrogatio Theologica, neceſſe eſt, ut pariter reſponſio ſit Theologica, ſtudebo hac in re clarè omnia vobis proponere: *Fides*, dicit, & reſpondet, *eſt lumen, & cognitio ſupernaturalis, quâ abſque eo, quòd videamus, credimus illud, quod DEUS dicit, & Eccleſia nobis proponit;* nec verbum deeſt, nec verbum ſuperfluum eſt, & in hoc continetur totum eſſentiale Fidei. Eſt lumen, quod elevat intellectum ad cognoſcendum illud, quod non comprehendit, vel quod non aſſequitur; ideo dicit: *lumen, & cognitio*, quia Fides non eſt lux materialis oculorum corporis, ſed lux, quæ in intellectu ſe recipiendo, illum elevat, & ſublimat ad credendam, & cognoſcendam veri-

ta-

tatem, quam ille nunquam poſſet ſuis viribus naturalibus aſſequi; & ideò iſta lux eſt ſupernaturalis. Adjungit immediatè obſcuritatem, quæ omnimode Fidei eſt neceſſaria; & ideô dicit: *quâ, abſque eo, quod videamus. credimus*, quia ſi lux materialis illuminat, ut oculi videant, iſta lux ſupernaturalis, iſta lux divina illuminat intellectum ut ille credat id, quod oculi non vident; *argumentum non apparentium*, illam vocavit Sanctus Paulus ad Hebr. 11. v. 1. & Sanctus Auguſtinus apud Hurtad. de Fid. diſp. 49. *Quid eſt Fides: niſi credere, quod non vides:* id, quod credimus itaque, & non videmus, eſt illud, quod DEUS nobis dicit; hoc eſt totum objectum, & punctum noſtræ Fidei Chriſtianæ, & ut hoc credamus, neceſſe eſt: ut nobis id Eccleſia proponat; & iſtud eſt Fides noſtra Catholica.

Jam autem illud ipſiſſimum quod Catechiſmus vocat lumen ſupernaturale, alii Theologi dicunt; eſt ſupernaturalis, alii, eſt habitus infuſus, & omnes per differentia verba dicunt eandem rem. Explicat hoc primarium lumen doctrinæ Jeſuiticæ Eximius Doctor Pater Franciſcus Suarez de Fide diſp. 7. 5. 1. n. 5. Attendite dicit: illi, qui Fidem vocant habitum infuſum, explicant, quod Fides facit ex parte intellectûs, quod eſt eum adjuvare, & facilitare ad credendum illud, quod ille ſe ſolo nunquam poſſet. Illi, qui eam vocant lucem, vel lumen, explicant hoc ſic, quod Fides facit verſus objectum, quod eſt monſtrare intellectui ſuum objectum ſupremum, quod DEUS eſt. Itaque Fides eſt lumen ſupernaturale, & eſt habitus infuſus, totum idem eſt; nec multùm intereſt, quòd una eadémque res explicetur duobus nominibus ità diſtinctis. Advertite hoc clariùs: faculam aliquam quandoque vocamus candelam, quandoque lumen; candelam, quia ardet, lumen, quia illuminat: candelam, quia ignis eſt reſtrictus in flamma, lucem, quia ſpargit lucem in ſphæra. Ità pariter Fides, eſt ideò lumen ſupernaturale, quia nos illuminat erga DEUM, & eſt habitus infuſus, quia dum DEUS illum nobis infundit, facilitat intellectum, ut ille poſſit credere id, quod ſinè hoc habitu ſupernaturali, & infuſo non poſſet. Pater, hoc jam intellexi; ſed quid eſt habitus infuſus? Bona interrogatio; ecce me! ut interrogationi ſatisfaciam. Sunt aliqui habitus acquiſiti, alii infuſi; habitus acquiſitus vocatur illa facilitas, quam conſequimur per frequentationem multorum actuum. Quid vobis videtur, quid ſint omnes artes, omnia opi- IV.

ficia? Sunt habitus acquisiti per repetitionem, & continuationem eandem rem faciendo, quanta felicitate musicus ludit in aliquo instrumento, quanta celeritate trahit pictor lineas formando imaginem, & quàm audacter obambulat histrio in fune supremo in aëre? Videtur tantùm jocari: Jam præsumat quis id ipsum facere, qui non scit: manus ipsi propriæ videbuntur plumbeæ, digiti lapidei, & pedes tam graves, ac si ponderarent decem centenarios: omnia ipsum confundunt: intricant omnia, impediunt, & post omnia nihil tangit. Quid est hoc? cur ille tanta facilitate hoc facit, quod huic impossibile evenit? scitis quare? Quia ille habet habitum acquisitum, hic verò non; quod hunc facilitat, est habitus, quem habet, quia jam sæpiùs eandem rem practicavit, quia sæpiùs hoc in usum redegit. Ità pariter habitus infusus nos facilitat facere res, quas, ex eo quòd sint supernaturales, nunquam possemus facere, si DEUS nobis non infunderet hunc habitum. Alterum acquirimus, quia est de rebus naturalibus, quæ cadunt sub nostra habilitate, & aptitudine, sub nostro ingenio, & industria; sed priorem nunquam possemus acquirere, cùm enim sit de rebus, quæ excedunt vires naturæ, solus DEUS ex sua infinita misericordia illum nobis dat, & infundit.

V. Et quid cogitatis, quòd fortè ipsissima facilitas, quâ creditis Mysteria nostræ Fidei, nihil plùs sit, quàm vestrum velle, seu quia vos vultis? Esset hic error, & hæresis Pelagii, condemnata in Concilio Arausicano; bene itaque intelligamus, sciamus, & recognoscamus, quòd hoc credere, quô credimus nos veritates nostræ Fidei, ex integro sit opus DEI. *Hoc est opus DEI, ut credatis*, dicit nobis JESUS Christus, ùt refert Concilium Arausicanum c. 6. & 9. Totum hoc est donum singulariſſimum, quo per merita Christi, & non alia de causa, voluit nos seligere à Barbaris, ut nos salvaret: *Vobis donatum est pro Christo non solùm ut credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*, dixit Apostolus ad Philip. 1. v. 29.

VI. Igitur hunc habitum infusum, hoc inæstimabile beneficium, hoc donum supernaturale Fidei, rationabiliſſimè vocat lumen Catechismus, fundamentô sumptô ex Scriptura: Sanctus Petrus ait 1. c. 2. v. 9. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, Sanctus Paulus ad Coloss. 1. v. 12. *Qui dignos vos fecit partis Sanctorum in lumine*; Et in alio loco ad Ephes. 5. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domi-*

mino. Iſaias c. 50. v. 10. *Populus, qui ambulavit in tenebris, vidit lucem magnam.* Quoniam id, quod eſt lux in mundo, hoc eſt in anima Fides: Quid eſt mundus ſinè luce? Confuſio mœſta, obſcuritas intorta, in qua nec venuſto fruimur, nec quod gratum eſt, videtur, nec quod jucundum, cognoſcitur; Idem apparet hortus plenus floribus, ac rubus ſpinarum. Intrate in cænaculum in obſcuro, ornatum ad ſtuporem ditiſſimis, & ſuperbiſſimis tapetibus, ſpeculis, ſtatuis, ſupellectili ſummi valoris, & pretii; inde tranſite ad carcerem tenebroſum, quem incolunt glires, mures, & vermes, plenum aranearum telis, cujus ornatus, & ſupellex ſunt compedes, manicæ ferreæ, catenæ. Quid vobis videtur de uno, & altero loco? Quantum me attinet, dicetis, eſt unus ſicut alter, quia in tenebris intravi, neſcio dicere, quale ſit cænaculum, nec qualis ſit carcer, cùm ſinè luce proſpiciat unus ſicut alter. Ità in oculis Divinis ſunt animæ, quæ carent lumine Fidei; Nihil in illis eſt jucundum, & gratum, nihil alicujus valoris, nihil pretioſum. Secundò Fides eſt lumen, quia ſicut aberrantes in medio noctis in condenſa, & ſpiſſa ſylva, in intricatis, & erroneis montibus ſinè lumine non poſſumus ſecernere iter ad exeundum devii; Sicut dum nobis noctu aliquid deperditur, non poſſumus ſinè lumine illud invenire, quantumcunque quæramus: & ſicut ſinè lumine non poſſumus frui hujus vitæ delitioſis, & amabilibus objectis; quomodo poſſum vivere, querelabatur quondam Tobias, qui non video lumen cœli? Ità ſinè lumine Fidei, inter tenebras noſtræ ignorantiæ errantes, nunquam inveniremus viam ad noſtram æternam domum, quæ Cœlum eſt; Nunquam reperiremus inæſtimabilem gemmam, quæ nobis à temporibus Adami deperdita eſt, quæ eſt gratia, & nunquam frueremur voluptatibus melioris vitæ, quæ eſt æterna. Tertiò: Fides eſt lumen, quia ſicut noſtri oculi ſinè lumine non poſſunt deprehendere, nec videre objecta, ità noſter intellectus ſinè lumine Fidei non poteſt cognoſcere DEUM, nec DEI ſuprema Myſteria.

VII. Sanctus Severinus, Primus Apoſtolus Norvegiæ, ùt refert Baronius ad An. 473. dum prædicâſſet Evangelium illi populo, experiebatur magnam, & duram reſiſtentiam in multis idololatris intermixtis illis, qui jam erant Chriſtiani; & ut confirmarentur illi & reducerentur alii ad Fidem, curavit illos congregari omnes in Eccleſiam, &

ut omnes tam Chriſtiani, quàm Idololatræ apportent ſecum in manu candelam exſtinctam. Illis itaque congregatis, & omnibus habentibus candelam exſtinctam in manibus, proſtratus ante Altare ſanctus Epiſcopus: O Domine! dixit deprecans Omnipotentem, & DEUS verè, dignare nunc monſtrare iſtis lumen cognitionis, & demonſtra illis, quomodo diſtinguantur illi, qui te DEUM verum adorant, ab illis, qui malam vitam ducunt adorando cultu ſuperſtitioſo falſa Idola. In momento, ubi hoc protulit, omnes candelæ, quas tenebant in manibus Chriſtiani, fuerunt accenſæ, abſque eo, quòd quis vidiſſet, vel ſciviſſet, unde flamma adveniſſet, & ſolæ extinctæ, & ſinè lumine manſerunt Idololatrarum. Miraculum, quod ſufficiens fuit efficere, ut omnes illi amplecterentur in inſtanti lumen Fidei. Ah Catholici! Candelam accenſam ponunt nobis in Baptiſmo in manu, quæ ſignum eſt noſtræ Fidei; Alteram accenſam candelam nobis in manu ponunt in momento formidabili noſtræ mortis; Oh! quæ ſunt hæc duo lumina, unum dum naſcimur, alterum dum morimur. Illo lumine in Baptiſmo monſtrat nobis Fides patentes, & apertos omnes theſauros DEI; videmus per hoc lumen prævenientem DEI gratiam, & videmus in poteſtate noſtra ſanctiſſima Sacramenta, videmus vias pro noſtro remedio, & videmus patefactas portas gloriæ; Et cum lumine in articulo mortis quid nobis reſtat videndum? Videbimus diſperſa, & diſſipata tanta lumina: videbimus perditam tantam cognitionem: videbimus ſpreta tot & tanta auxilia, neglecta, & dilapidata tot & tanta media, & tot ſacrilega Sacramenta: videbimus per hoc lumen tot caſus in peccata, tantas cæcitates, tot & tantas culpas: videbimus obſeratas propter noſtra delicta Cœli portas, & apertas illas inferni; Oh DEUS nos cuſtodiat! itaque nè hoc eveniat, conferte hanc lucem cum illo lumine, & videbitis utrumque lumen eſſe Fidei.

VIII Hìc autem mihi opponetis gravem difficultatem. Pater, ſi fides eſt lumen, quomodo ergo eſt obſcura? Si eſt lux, ſi eſt lumen, quomodo hoc lumen eſt, ut non videamus? Ità ſubjungit Catechiſmus: *Eſt lumen ſupernaturale, quô, abſque eo, quòd videamus, credimus*, Lumen ad id, ut non videamus? Lumen, & obſcuritas ſunt contraria; itaque quomodo poſſunt ſtare in Fide conjuncta? magna difficultas, ſed expectate. Contingit venire navim pleno curſu, & expanſis velis anhelantem attingere hunc portum; verùm cùm curſus longior fuerit,

rit, ob distantiam, quàm ut lumen diei suffeciſſet, ſpargens nox ſuas tenebras, aufert ei portum ex oculis implendo illam periculis, ſi progrediatur, inveniendi in portu naufraginm. Jam quid faciunt in navi exiſtentes? quis hoc ignorat? Fixis oculis aſpiciunt, & quærunt laternam, ſeu ignem ſpeculatorium, & hôc deprehensô ex navi in Pharo, vel in caſtello, qui ſua lingua lucida illos ducit in cognitionem,& dicit: Portus eſt hìc. Oh! quàm ſubitò navigantes figunt oculos in hac flaṁa; quomodo attendunt in ſuis paſſibus,quomodo obſervant ſuos motus, attendunt, nè admittant, ut navis aliò dirigatur, quàm ad Pharum, quia agitur de rebus, de mercibus, de vita; ſi portum aſſequantur, aſſequuntur deſideratam ſalutem, & tali modo conſequuntur. Nunc ego quæro: Eſtne ibi pro illis lumen? ità, & multùm clarum; Attamen ibi eſt obſcuritas: Eſt ſicut in media nocte; Vidéntne illi portum? Non vident,quia propter noctem eſt obſcurus: ſed ſciunt,quòd ibi ſit portus? Ità, quia hoc ipſis eſt clarum; & notum. Itaque non me ultra interrogate. Ecce noſtram Fidem, & ſciatis dignitatem hujus comparationis, quòd bona ſit, quia à primo Magiſtro noſtræ Fidei Sancto Petro procedit, qui dictante Spiritu Sancto epiſt. 2. c. 1. v. 19. ſcripſit: *Cui benefacitis attendentes, quaſi lucerna lucenti incaliginoſo loco, donec dies eluceſcat*, Navigamus, Dilectiſſimi, mare periculoſum hujus vitæ in obſcura nocte noſtræ ignorantiæ, ſed in hac lumen Fidei nos ducit, lumen Fidei nobis monſtrat, ubi ſit portus, ubi ſit ſecuritas, & noſtra ſalus; Nunc non videmus illud, quod nobis hoc lumen ſupremum demonſtrat, & hoc eſt eſſe obſcuram Fidem: Sed bene ſcimus, quòd ibi ſit totum illud, quod nobis dicit, id eſt, eſſe claram lucem; Sed ſi ab hoc lumine avellamus oculos, quorſum tendunt noſtri paſſus? Tendunt ad ſcopulos culparum & in naufragium damnationis æternæ.

IX. Nunc itaque, per iſtud ſignum luminoſum noſtræ Fidei, credo, quòd DEUS nobis voluerit ſignificare, ut illud æſtimaremus, prodigiô tam ſtupendô, quod, antequam incipiam narrare, affirmo factum in publica præſentia totius numeroſi populi Flandrici diſtrictûs, & præter relationem graviſſimorum Authorum, quos citat noſter Engelgrave cœl. Panth. in Feſt. Purific. §. 2. ſubjungit, hoc ipſum approbâſſe duos Summos Pontifices Sixtum IV. & Clementem VIII. Itaque Arras civitatem populoſam, & inter alias celebriorem Flandriæ, corripu-

it funeſtiſſima peſtis, ex qua innumerabiles moriebantur, & poſtquam in terra non invenieretur remedium huic malo, debuit poſtmodum de cœlo porrigi; A quo aliàs? quàm ab illa, quæ eſt Refugium afflictorum? & ab illa, quæ eſt Salus infirmorum, MARIA Sanctiſſima? Apparuit illa una eadémque nocte in diverſis locis duobus juvenibus, qui ob publicas inimicitias inter ſe, cauſabant in tota comunitate multa ſcandala, & dixit cuivis ex illis, ut quilibet illorum ex parte Virginis Sacratiſſimæ accederet Lambertum, Epiſcopum illius Civitatis, eíque diceret, ut ſequentis Sabbathi nocte expectaret in Eccleſia proviſus magno vaſe pleno aquâ, ſiquidem in illa aqua ſe illi velle largiri univerſale remedium contra peſtem, quæ in tantum affligebat omnes. Uterque cum ſua legatione adfuit, convenerunt concordes ante Epiſcopum, qui in momento rationabiliter cognovit cauſam, cur hos MARIA elegerit, ut nimirum fierent amici, & ſic primò auferretur ex civitate illorum ſcandalum, ac poſtmodum Civitas conſequeretur remedium. Nam publica mala communiter DEUS immittit propter ſcandala; Ah civitas chariſſima! Compoſuit Epiſcopus in eodem loco inter eos amicitias, & inſimul uniti expectaverunt MARIAM nocte ſequentis Sabbathi, tum medio noctis, repletum totum ſpendore templum, apparuit cum incredibili pulchritudine Regina pulchritudinis, & Angelorum; geſtabat in manu faculam accenſam, & annuens Epiſcopo, ut aquam benediceret incurvans poſtmodum faculam Virgo, ſparſit in illam aquam aliquod guttas de cera, dicens: Date ex hac aqua infirmis, & reponens, faculam ardentem in altari MARIA, diſparuit. Acceſſerunt immediatè bibendo ex illa aqua omnes infirmi, & ſanati ſunt, peſtiſque ceſſavit. Sed nondum incepi vim miraculi enarare.

X. Poſuit Virgo Sanctiſſima, illam faculam ardentem in altari Annô 1105. nullus fuit auſus illam tollere, habentes omnes debitum reſpectum illi manui, quæ illam poſuit. Effluxit dies unus, dies alter, & facula ſtetit ardendo; Tranſierunt ſeptimanæ, & facula non ſolùm continuabat ardere, verùm etiam obſervârunt illam non minui, nec minimùm conſumi. Tandem recognoſcentes hac in re eſſe altiorem flammam, faciunt circa faculam fiſtulam argenteam, quæ illam circumdabat; Et quanto tempore vobis videtur hoc durâſſe? In præſenti neſcimus; ſed cùm Author hoc prodigium ſcripſiſſet, affirmat, fa-

faculam assiduè arsisse, & jam numerabantur quinque centeni sexaginta, & plures anni: Absque cessatione diu noctúque mansit ardens, non tantùm sinè conbustione sui, sed etiam sinè descensu flammæ vel ad unum digitum, ibi, ubi, fistula argentea illam circumdabat. Ex eo quòd stillat, alii multi confecti sunt cerei, Custoditur in Ecclesia civitatis Arras magnus globus de cera; & facula ibidem permanet in suo lumine, & ardore.

O Fides Catholica, quàm clara argumenta habent tuæ veritates! & sicut servit illa lux materialis, ut eò meliùs videamus lucem supernaturalem, qua nobis monstratur Divina, indeficiens, & æterna; ità, fideles Christiani, sequantur hoc lumen nostra opera, ut acquiramus cum conformitate nostræ vitæ splendorem illius veritatis, Ut illud: quod modò est lumen Fidei, fiat post hanc vitam nobis in cœlo lumen sempiternum gloriæ. XI.

INSTRUCTIO XV.

Cùm nostra Fides sit cœca, debemus credere ejus Mysteria absque attentione ad nostram vanam curiositatem.

NOstra fides non esset tam admirabilis, tam supernaturalis, & tam prodigiosa, si nostri oculi possent dare rationem illius luminis, si nostra verba possent explicare illius secreta & si noster intellectus posset penetrare illius Mysteria; Plura potest DEUS facere, quàm homo possit intelligere, dicit Sanctus Augustinus. Sed ut aliqualiter apprehendamus illud, quod nobis Fides dicit, percurrat quisque consideratione hunc casum, & bene illum penetret. Certa miserabilis fœmina, vel ob pœnam delictorum, vel ob aliquod infortunium, aut ob malam, falsam tamen famam malè delata, existens gravida, fuit inclusa; seu, ut meliùs dicam, sepulta in profundo, & tam obscuro carcere subterraneo, ut ei ibidem nunquam sole orto, aut die illucescente, parcum lumen unius lucernæ fuerit illud, quod scintillando per intervalla, illi in memoriam solùm reducebat eam vivere. Advenit tempus, & enixa, volui dicere, in lucem, sed non est enixa, nisi ad tenebras, infortunatum infantem, I.

qui

qui etiam jam ex materno utero ſibi perpetuavit carcerem; ibi itaque crevit magìs infelicitate, quàm in ætate; quia creſcebat ad cognoſcendam ſuam miſeriam. Illuxerat illi tandem lumen rationis inter has tenebras, & tunc viderat, quòd plùs ſpatii non haberet pro ſua vita, quàm quatuor palmorum ſub terra excavatorum. Matri quidem erat aliquali conſolationi ſocietas filii, & aliquali ſublevamini illius converſatio, dicere tamen illi ſolebat: Animadverte fili, ibi ſuprà nos, ibi eſt mundus, ô quàm pulcher, ſi illum videres! Ego non ſcio, nec poſſum tibi illum explicare, & exponere, quia tu non potes intelligere, cùm illum non videris, nec te potes reddere capacem penetrandi quantumcunque ego tibi de illo dicerem. Fortè tamen aliquid conprehendes, ſi tibi explicem illum per hoc præſens noſtrum infortunium; vides hanc aquam, quàm nobis dant, tam parcam, tam turbidam, & tam modicam, Oh! ſi illam illic videres, quomodo currat per flumina, quomodo ſcaturiat de fontibus, & quomodo temporibus ſuis pluat de cœlo. Vides hanc lucem hujus lucernæ, nunquid eſt elegans, & venuſta? Oh! ſi illic videres ſolem, hìc ah! hìc mihi deſunt verba: & quomodo me tu intelliges? Audi, & eſto attentus. Congrega in tua cogitatione, & conglomera millies hoc lumen, non attingit; repete aliis mille vicibus, non pervenit; Combina adhuc mille, mille vicibus, non poteſt aſſimilari; & ille unicus Sol ſupprimeret omnia iſta lumina, tali modo, ut in ejus præſentia nullum facerent lumen; Ille ſolus currit per Cœlum, & vides quomodo iſta lucerna repleat hoc ſpatium tam exiguum luce, ſic ille, ſed multò majori claritate, & ſplendore, incendit replendo certa ſpatia tam grandia, tam dilatata, ut ego non habeam verba, quibus tibi hoc ipſum explicare valeam.

II. Jam mihi perſuadeo, quemvis ex meis Auditoribus attentiùs in mente conſiderâſſe ſtatum hujus infantuli, ibi nati, ibi educati, abſque eo, quin totâ vitâ aliquid aliud viderit, præter illum anguſtum carcerem, patriam ſui infortunii: quæ mens illi eſſet? & quid nos ipſimet cogitaremus, audiendo talia, ſi nunquam vidiſſemus? quem conceptum formaret talis infans de hoc ſole, de hoc mundo? crederétne hoc? nimis quàm ſtultus eſſet, ſi hoc ipſum non crederet, dicit hìc Sanctus Gregorius Magnus apud Guill. Perald. Summ. Virt. t. 1. tr. de Fide c. 1. *Stultus puer, ſi matrem ideo exiſtimat de luce mentiri.*

mentiri, quia ipſe nihil aliud, quàm tenebras carceris novit. Sed quantum conſolationis illi adferrent iſtæ cogitationes in hoc miſerabili ejus infortunio! Ah ſi ſemel! Ah ſi aliquando concedatur videre hoc ipſum, quod mihi mater mea dicit! Et quid ſi, ſolùm ut ſuâ lucernulâ gauderet, illi offerreretur liber aſcenſus ad terram ad videndum ſolem, ille aſcendere recuſaret, quid diceremus? Ah Dilectiſſimi! hoc, quod huic infantulo in carcere dicebat mater de hoc mundo; Multò meliùs nobis in carcere hujus mundi exiſtentibus dicit de cœlo, de gloria, de æternitate, & de DEO Mater noſtra Eccleſia, notitiis, quas nobis dat per Fidem.

III. Iſta eſt, dicit Catechiſmus, lux, & lumen, per quod, non videndo, credimus, *Abſque eò, quòd videamus*: Quid igitur quærit tua curioſitas ô Anima? quid complectitur tuus brevis, & exiguus intellectus? ſi non intelligis, ſi non ſcis quomodo formica in corpore tam exiguo, & tam parvo habeat omnes operationes vitæ; Si non capis, quomodo apis ex floribus fabricet mel tam dulce, cur præſumis velle comprehendere, quomodo exiſtat eſſe indeficiens DEI, quomodo ſit unus in Eſſentia, & Trinus in Perſonis? Quomodo quæris comprehendere opera DEI, ſi non ſcis quomodo faciant ſua opera certa animalia tam parva, prout eſt formica, apis? Si præterea hoc ipſum, quod manibus tenes, non intelligis, quomodo vis penetrare illud, quod cœlos tranſcendit? Dic mihi; quomodo tua anima exiſtit tota in capite, tota in pedibus? quomodo jam per intellectum diſcurrit, jam per voluntatem amat, jam per memoriam recordatur? Quomodo jam in ſomno tota apparet ſopita, & abſondita, totus intellectus exiſtit obtuſus, tota voluntas remanet ſuſpenſa; Quomodo hoc contingit, hoc ego neſcio: Jam itaque, ſi de tua propria anima, quæ intra te eſt, non ſcis dare rationem, quomodo audes divinare illud, quod contingit illic intra DEUM, ejúſque ſuprema Myſteria? Portabat certus Philoſophus neſcio quid quàm maximé tectum ſub pallio, obviavit illi quidam juvenis, & curioſè quæſivit: quid iſthic portas? & ſubitò Philoſophus reſpondit: ideo rem porto tectam, nè tu videas; ſi enim ego vellem, ut tu ſcires, portarem apertè, nec expectarem, ut me interrogares: *Ideo tectum, nè tu videas.* Jam quid te cogit ô homo! quid te cogit mulier velle illud ſcrutari, quod DEUS vult te non videre? quid te cogit mirari illud, quod DEUS vult

esse absconditum ? Dilectissimi mei, in materiis Fidei oportet claudere oculos, demittere caput; & intellectum subjicere, & captivare ad id, quòd DEUS nobis dicit, & tacere: siquidem illi, qui volunt haberi pro acutis, & ingeniosis, & in conversationibus, volunt se monstrare Theologos, in maximo versantur periculo. Papilio, qui non est contentus videndo lucem, vult experiri etiam flammam, solvit suam audaciam per adustionem alarum. Lumen est Fides nostra, est insuper & ignis; sufficiat nobis cum illius lumine credere illud, quod non videmus: Si velimus illud videre nostro exiguo intellectu, videamus, nè nos præcipitemus in ignem: *Sinè visu, absque eo, quòd videamus, credamus:* Hoc est, meritum nostræ Religionis, & hoc est *cæcum videre* nostræ Fidei. *Cæcum videre* ? ità est. Accipite hoc in quodam stupendo prodigio.

IV. Contigit in China anno 1607. ùt refert Rayn: tom: 9. fol. 776. n. 60. ut certus quidam ex illis incolis persuasus, & convictus ad Fidem à Patribus Societatis, qui ibidem illam prædicabant, expeteret Baptismum, verùm subitò cœpit dubitare, quomodo posset illud Fide videre, quod oculis non videbat, itaque se traxit, & Babtismum suscipere recusavit. Eô ipsô instanti modo admirabili effectus est cœcus; ità quidem, ut elevando oculos sursum, clarissimè videret cœlum, sed deprimendo oculos, nihil omnino videret de toto mundo: elevabat oculos, & dicebat, jam video, deprimebat, jam non video. Quid est hoc ? desiderat Babtismum, & in momento facta petitione Baptismi, sensit se ex integro sanum: cœpit eum petitionis pœnitere, & sentit secunda vice prout prima se esse cœcum pro mundo, & oculatum pro cœlo; hoc sufficit, siquidem postmodum absque ulla cunctatione, aut pœnitudine effectus est Christianus. Ah fideles! Visus Fidei totus versus cœlum nec mensurandus est, cum visu terrenarum rerum, & vilium hujus mundi: figamus omnem nostram attentionem in Fide, & illico omnes rationes, argumenta, discursus, curiositatésque dissipabuntur, quia eò non pertingunt; DEUS est, qui hoc dicit: nihil restat, quod ultrà quæramus.

V. Ideò adjungit Catechismus, *quâ absque eo: quòd videamus, credimus illud, quod DEUS dicit:* O quale fundamentum! ô quæ basis, per quam est ità firma, sicut ipsemet DEUS nostra Fides; est ità secura nostræ Fidei veritas, ut DEUS cessaret esse DEUS, si illa deficeret; itaque illud

illud, quod DEUS dicit, hoc eſt illud, quod noſtra fide credimus, & illud credimus, quia DEUS hoc dicit. Hìc inter homines credimus illud, quod nobis aliquis dicit, primò, quia ſumus perſuaſi illum bene hac de re eſſe informatum, & ità illum non decipi; & ſecundò, quia illum tenemus pro homine honeſto, & probo, & ſic credimus illum nos non velle decipere; hac de cauſa ſufficit dicere: *Ego hoc vidi, hoc audivi ab homine probo, & honeſto.* Jam quid dicemus de ſapientia infinita, cui nihil eſt abſconditum, de bonitate immenſa, quæ nec leviſſimam quidem maculam admittit? certè ſi noſter intellectus capax foret Fidei infinitæ, omnem hanc deberemus adhibere DEO; ſiquidem eſſet digna correſpondentia infinitudini Divinæ Veritatis: *Credulitas digna DEO*, hoc eſt illud, quod dixit ſanctus Auguſtinus. Veritas ex uno de duobus deficit: vel quia fallitur ille, qui loquitur, vel quia vult decipere illum, cui loquitur. DEUS non poteſt falli, aut decipi, quia eſt infinitè ſapiens, nec poteſt fallere, aut decipere, quia eſt infinitè bonus, & infinita Veritas: ſequitur ergo, quod illæ veritates, quas DEUS nobis loquitur, ſint tam ſolidæ, tam firmæ, ità ex toto infallibiles, ut priùs ceſſaret DEUS eſſe DEUS, quàm veritates noſtræ Fidei ceſſarent eſſe veritates.

Et ecce itaque hoc *quare*? noſtræ Fidei, quod eſt illud, quod in VI.
ſcholis vocant objectum formale; éſtque illud *Veritas DEI;* hac de cauſa dicit Catechiſmus: *Quid nos docet Fides?* Reſpondet: *ut credamus in DEUM ſicut in infallibilem Veritatem.* Quamobrem ſi interrogeris: quare credis Myſteria Fidei? non debes hanc rationem reddere: credo illa, quia natus ſum in gremio Eccleſiæ; quia ſum educatus illius lacte, & illius doctrina; quia video, quòd omnes illa credant; quia ſic mihi illa credenda perſuadent, & ità mihi illa prædicant; quia ſi illa non credo, à Præpoſitis punior! non, omnia iſta dicta non ſunt rationes, nec motiva, quæ ſerviunt Fidei. Quid itaque, & quomodo debeo reſpondere? *Credo, quia DEUS hoc dicit*; & nîl ultrà. *Quare credis, quòd DEUS ſit unus, ſolus in Eſſentia, & Trinus in Perſonis?* Credo hoc, quia DEUS dicit. *Quare credis, ſecundam Perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis factam Hominem, & ſimiliter manſiſſe DEUM, & pro nobis paſſum, & mortuum?* Credo id, quia hoc DEUS dicit; & hæc eſt unica, & infinita ratio totius noſtræ Fidei: *quia hoc DEUS dicit, qui eſt veritas infallibilis.* Inde itaque eſt, quòd quamvis ſint tan-

ta, & tam diversa Mysteria, quæ credimus, nihilominus unica Fides tantùm sit; *Unus DEUS, una Fides, unum Baptisma* dicit sanctus Paulus ad Ephes. 4. Nam modò sit hoc Mysterium, modò illud, modò de rebus divinis, modò de creatis, quoniam omnia credimus solùm ideò, quia DEUS dicit, nostra Fides est solùm una, quamvis sit de rebus contrariis. Pono in exemplo: credo esse infernum perpetuum pro sceleratis, & credo esse gloriam æternam pro bonis, & unum, & alterum, infernum perpetuum, & gloriam æternam credo, & ideò hæc credo, quia hoc DEUS dicit; ecce unicam, & solam rationem credendi duas res contrarias; & ideò est *una Fides;* & hac de causa ille, qui non credit, aut intermittit credere unum articulum Fidei, perdit omnem Fidem, & est hæreticus; nam si DEUS est, qui omnia Mysteria dicit nostræ Fidei, ille, qui omittit credere unum articulum Fidei, perdit totam Fidem, quia in illo solo omittit credere illud, quod DEUS dicit, & perdit absque dubio Fidem; quemadmodum Cythara non est concordata, & contemperata, si unica sola chorda dissonet; quia harmonia, quæ est unica, & sola, ab omnibus chordis unitis, & concordatis ad unum ordinem, & sonum componitur.

VII. Optimè, Pater! Cùm autem mihi DEUS nunquam apparuerit, nunquam mihi dixerit, nec revelaverit Mysteria Fidei, quomodo sciam, quòd Deus ille sit, qui hoc dicit, ut credam ejus Mysteria? Hanc ipsissimam interrogationem jam prævidit in altera parte Catechismus: *Unde scis, quòd hoc DEUS dixerit?* & respondet: *Ex nostra Matre Sancta Ecclesia, à Spiritu Sancto directa;* ideo etiam adjungit: *quia absque eo, quòd videamus, credimus illud, quod DEUS dicit, & Ecclesia nobis proponit.* Quis non videt aviditatem, qua suspensus è collo materno infans quærit inquietus pectus, & antea plangens, modò sibi traditis uberibus, acquietatus, clausis oculis sugit, totus securus, absque eo, quòd videat, quid bibat, absque eo, quòd sciat, cujus lac sit coloris, sinè examine, an sugat venenum pro nutrimento. Quid cogitatis? diceret nobis, si sciret loqui, si intelligeret, quid cogitatis? si Mater mea est, in cujus visceribus vitam accepi, nunquid dabit per ubera venenum? si mihi dedit in suo ventre *esse*, & vivere, quomodo de suo pectore dabit mortem? ità pari modo dilectissimi, vobis dicit Pater noster sanctus Petrus: quasi infantes tenellu-

luli in innocentia, ſinè alia indagatione, debemus recipere ex uberibus Matris noſtræ multò melioris Eccleſiæ puriſſimum lac ejus doctrinæ: *Quaſi modò geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite.* 1. Pet. 2. Hoc ipſum quod Mater comedit, etiam proles manducat, dicit ſanctus Auguſtinus, ſed quoniam proles tenera eſt, nec poteſt cibum maſticare, maſticat Mater, digerit, & dulcorat ad dandum proli in proportionatum alimentum; non aliô modô Eccleſia ùt noſtra Mater, colligit, & congregat omnes veritates, quas diſperſim revelavit DEUS in omnibus ſuis divinis Scripturis, Traditiones, quas perceptas ab ipſiſſimo fonte Veritatis Chriſto Domino, nos docuerunt Apoſtoli; Definitiones, & Canones, quos in octodecim Conciliis Generalibus ſtabiliverunt congregati Sanctiſſimi, & Doctiſſimi, & Inſigniſſimi Viri, quos mundus habuit; & ab omni iſta ſubſtantia veritatis, DEUS per os ſui viſibilis Capitis, quod eſt Summus Pontifex Romanus, in omnes nos derivat, in dulci lacte Fidei Chriſtianæ, omne nutrimentum, & alimentum vitæ melioris. Quamobrem ſecuritate, & certitudine infinitè majori credimus veritates DEI omnia illa eſſe, quæ credit noſtra Fides, ex eo, quòd nobis hæc credenda proponat Eccleſia, quàm ſi tibi, & mihi, in particulari illa nobis diceret, & revelaret DEUS; quia in tali revelatione particulari poſſemus, & deberemus timere periculum deceptionis diabolicæ, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, prout toties fecit aliquibus animabus, fabellas diligentibus, & revellationes amantibus; verùm in illo, quod Eccleſia nobis proponit, eſt impoſſibile ineſſe vel leviſſimam deceptionem, aut fraudem, quia ſemper habet aſſiſtentiam Spiritûs Sancti; nec poterit deficere ſua Fides, vi promiſſionis JESU Chriſti: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua.* Luc. 22. v. 32. nec unquam poterunt errores hæreſum, qui ſunt portæ inferni, prævalere contra Eccleſiæ veritates. Et ſicut hucuſque per mille ſeptingentos & quinquaginta tres annos in deſpectum tot hæreſum, in deſpectum tot perſecutionum crudelium, ſanguinolentium, & terribilium, eſt conſervata ſemper, & ſemper durabit firma, & ſecura regula veritatum Catholicarum uſque in finem ſæculorum.

VIII

Prodigioſus eſt ad hoc propoſitum eventus, quem refert Vincentius Bellovacenſis ſpeculo hiſtor. c. 17. In terribili perſecutione Galerii, inimici crudelis nominis Chriſtiani, Aſclepiades Miniſter Im-

peratoris, & Dæmonis, roboratus officiô, & plùs ſua crudelitate, & tyrannide affligebat Chriſtianos terribilibus, & ſtupendis tormentis. Inter iſtos certus quidam ſanctus Martyr, nomine Romanus, quando inter lacerationes, ſcorpiones, & ſcalpra vel maximè dilaniantia ſuum corpus ſtabat, tunc maximè confortatus in ſpiritu, conſtantiſſimus in Fide, ità longè diſtabat à negatione Fidei propter cruciatus, ut potiùs omni conatu procuraverit reducere miſerabilem judicem ad agnitionem, & lucem veritatis noſtræ Fidei; & hac de cauſa oblitus ſuorum dolorum, & pœnarum, converſus ad Aſclepiadem: Vide judex, dixit illi, ſi mihi non vis credere circa veritates Fidei, quas tibi propono, interroga hunc infantulum innocentem, & ex ejus ore, qui pro nunc non ſcit loqui, neque mentiri, audies eandem veritatem, quam ego tibi prædico; Digitô monſtrabat, dicendo hunc infantulum paucorum menſium, qui pendebat ab uberibus Matris Chriſtianæ, quæ illuc ad ſpectaculum cum aliis accurrerat. Vix ceſſavit loqui Sanctus Martyr, & ecce tenellus infantulus, qui totus immerſus erat in ſugendis uberibus Matris, relictis in inſtanti uberibus ocellos convertit ad conſiderandum Tyrannum crudelem, alta, & clara voce, ut omnes poſſent audire, elevat clamorem, & dicit: *Chriſtus Jeſus eſt verus DEUS.* Obmutuit ſuſpenſus præ admiratione totus concurſus hominum; verùm ſacrilegus Tyrannus, magìs in choleram excitatus, faciem vertit maximè iracundam in infantulum dicendo: *Quis tibi hoc dixit?* & infans maxima cum manſuetudine, & dulcedine reſpondit: *Mihi hoc dixit mea Mater, & meæ Matri DEUS.* Soluta tunc multitudo in applauſus ex eo, quòd tener infantulus illuſum, & pudore affectum judicem coram omnibus demonſtraverit Quàm pulchra reſponſio dilectiſſimi! non ſolùm ad confitendam noſtram Fidem, abſque eo, ut nos ingeramus in curioſas diſputationes, ſed ad obſerandum os dæmonio, quando nos invadit in iſta materia tentationibus periculoſis, & dubiis; quis tibi dixit, quòd poſt hanc vitam te expectet infernus inextinguibilis, & æternus, ſi mortuus fueris in peccato mortali? quis tibi dixit, quòd in futura vita ſit gloria æterna, in præmium bonorum operum? quis tibi dixit in Sacramentis exiſtere totum remedium pro tuis peccatis? *Mihi Mater, & Matri DEUS*, mihi dixit mea Mater, quæ eſt Eccleſia Catholica, & meæ Matri, id eſt Eccleſiæ, dixit DEUS.

O Ma-

O Mater amoroſſima Sancta Eccleſia! millies, & millies nos fortunati, qui in tuo gremio ſanctiſſimo nati ſumus, qui ſumus alimentati lacte puriſſimo, doctrinâ tuâ nutriti. O! & in tuo ſinu pretioſiſſimo utinam ſolveretur noſter ultimus ſpiritus de carcere corporis, profitendo, & confitendo tuas veritates, ſequendo tua conſilia, exequendo tua mandata, ut ſicut modò tuis armis in hac vita militamus, ità poſtmodum in Cœlo triumphemus cum palmis incorruptibilibus gloriæ. IX.

INSTRUCTIO XVI.

De ineffabili certitudine noſtræ Fidei, & de exterioribus argumentis, quæ illam confirmant.

Die 31. Julii, in Feſto S. P. noſtri IGNATII.

COronamus hodie explicationem de Fide, non ſolùm, quia finimus hodie illius explicationem, hoc enim vocamus coronare opus in omni lingua bona; Verùm etiam quia finimus die ſacro illius, qui Fidei tot lucratus eſt triumphos, qui impoſuit tot incorruptibiles coronas Catholicæ Religioni. Et quamvis ſit parca merces Magnatibus correſpondere ſolùm memor â gratâ pro beneficiis imponderabilibus, liceat tamen mihi ſolùm leviter attingere, quantum meo Glorioſo Patri ſancto Ignatio debeat pro beneficiis Eccleſia tota; Cùm nec ſit hodie meæ profeſſionis celebrare Panegyricum, nec mea lingua ſciret unquam pertingere ad ponderationem tam innumerabilium debitorum. Id unicum dico, quòd ſancto Ignatio debeat Sancta Eccleſia, debeat mundus, & animæ debeant Catechiſmum, & explicationem Doctrinæ Chriſtianæ, quam ille inſtituit, & quidem tanta ſolicitudine, & curâ, ut ad exercitium hujus ſancti Miniſterii voluerit, ut ſe obligarent illi, qui volebant eſſe ejus Societatis, ſpeciali votô. Talem utilitatem, & emolumentum animarum agnovit in Explicatione Doctrinæ Chriſtianæ, quæ, quòd per multa jam ſæcula ad oblivionem devenerit, monſtrabat diſſolutio morum: Quanta priùs erant lachrymabilia damna ex ignorantia illius, tanta poſtmodum erant ex- I.

pe-

perientia teſte, in indicibilibus lucris animarum, & ſunt nunc lucra, & profectus ex hac Doctrina. Et quòd, ſi ſancto Ignatio obligati ſumus ratione Catechiſmi, erit rationabile, ut tantum debitum illi hodie ſolvamus, ſaltem gratâ memoriâ.

II. Quoniam felicibus auſpiciis Regiminis Demetrii accreverat Respublica Athenienſium, non invenerunt aliam recompenſationem, qua debitum Demetrio perſolverent, quàm erigendo totidem ſtatuas æreas Athenis, quot dies annus numerat. Trecentis, & ſexaginta quinque ſtatuis, licet ſtatuis compleretur numerus dierum anni totius, non tamen ipſis etiam videbatur juxta debitum illorum complêſſe congruam remunerationem: Non acquieverunt, nec contenti erant, quòd in una ſola ſtatua Demetrium ſemper inveniſſet tempus permanens in duratione; Voluerunt, ut quivis dies in nova ſtatua illum haberet ſemper novum in memoria; Et hac de cauſa, ad memoriam ejus perpetuandam, in deſpectum temporum, perexerunt illi erigere ſtatuas pro numero dierum. O Ignati! Sanctiſſime Pater mi! quot ſtatuas glorioſas tibi poſſet erigere Fides, ideò, quòd tam gloriosè illam defenderit tua conſtantia; Ideò, quòd illam dilataverit per univerſum orbem tuus zelus: & ideò, quòd tuus fervor illi acquiſierit innumerabiles animas? quot obeliſcos æternos poſſet erigere Eccleſia ideò, quòd promoveris ſacrum ſplendorem ad ejus cultum, elegantem ſupellectilem Altaribus, continuationem proficuam ad concionandam, & ſalutarem frequentiam Sacramentorum; Quot trophæa glorioſa poſſet figere tota Chriſtiana Respublica in omni ſua ætate, cui omni ſervivit, in omnibus ſuis ſtatibus, quos omnes juvit; & in omnibus ſuis melioratis moribus, quos omnes complexata fuit charitas Ignatii, fervor, & zelus: Pauci eſſent, & valde pauci dies anni ad numerandas tuas glorioſas ſtatuas, deberet illas conſcribere gratitudo hìc per numerum inſtantium, ut correſponderent tuis Apoſtolicis Miniſteriis; Verùm ſufficit, quòd illic in Cœlo numerentur per æternitates, quæ implent tuas glorias triumphales; Et cùm plùs non aſſequatur noſtra gratitudo, ſubminiſtret ergo hodie materiam tuis gloriis Catechiſmus; & eris hodie exemplar Doctrinæ Chriſtianæ, cujus toties fuiſti inter infantes Magiſter.

III. Jam itaque eminentiſſimum, & ſupremum Fidei non conſiſtit ſolummodo in eo, quòd non ultrà videndo credamus, reſtat nobis adhuc

huc alius gradus ascendendus, ut fiat integrè completa, ultimata, & perfecta nostra Fides. Adhuc ultrà alius gradus? Quid ergo plùs restat faciendum, quàm claudere oculos, & subjicere intellectum ad credendum omne id, quod DEUS nobis dicit? Ego hoc dicam: Hoc, quod ultrà restat, est, quòd non solùm debeamus claudere oculos ad non volendum illis videre secreta, & abscondita Mysteria nostræ Fidei, sed etiam non videndo illa debemus credere firmiùs, certiùs, & securiùs, quàm si illa vidissemus. Hoc nos docet interrogatio, quæ in Catechismo sequitur. *Vidésne tu, quòd DEUS sit Trinus, & Unus*: Vel: *Quomodo JESUS Christus est DEUS, & Homo?* Resp. *Non, sed credò hoc multò magis, quàm si viderem.* Multò magis, quàm si viderem? Quomodo hoc potest esse, Pater? Nos non habemus alium modum exponendi, & explicandi veritatem, de qua nullatenus dubitamus, quàm dicendo: *Ego hoc vidi, ego hoc vidi.* Hæc est tota securitas, & integra certitudo, quâ credimus certam veritatem. *Fidem habeo*, dicit Notarius perhibens testimonium illi rei, quam videt, & hæc est tota Fides humana. *Scio hoc evidenter*, hæc est tota ponderatio certitudinis: nunc autem dico, omnem similem securitatem, talem certitudinem, & istam evidentiam omnem esse perexiguam, plurimùm fallibilem, & minimè securam respectu Fidei Divinæ, & supernaturalis, quam nos profitemur: Et sic magis debemus credere ejus suprema Mysteria, & veritates, quàm si illæ videremus.

IV. Credite mihi Auditores mei: Fortè non forent tot, & tantæ deceptiones, si tantùm sæpius oculis nostris non crederemus; illi nobis sæpiùs patefaciunt veritatem, hoc non nego, sed quoties inducunt nos in errorem, & decipiunt? quoties æquivocos vel ob distantiam, vel ratione lucis, vel propter apparentiam fingunt in anima colores? & quoties etiam viciati vel ob passionem, vel ob affectum tinguntsuo colore res, & permitunt in eo, quod ità malè est visum, culpam, vel in malè desiderato, dishonorem? non videtis in collo alicujus columbæ colores tam varios, quos sol tam vivos exprimit, jam cæruleum, modò nigrum, jam aureum: videtis hoc? & hoc totum est fallacia, & deceptio, accedite propiùs, & videbitis ibi nullum colorem de istis inveniri, qui se tam varios præsentârunt. Ità decipiuntur oculi, & cum oculis quoties intellectus? Hæc vel illa, quia ipsam videtis ornatam, vobis apparet, quòd quærat peccatum; Advertite, illa

poteſt eſſe columba. Videtis illum baculum miſſum in aquam! Quomodo obliquus ibi ſtet, totus apparet duplicatus: & tamen horum nihil eſt, quàm quòd oculi veſtri ſint obliqui, qui vos decipiunt. Quomodo hoc poteſt eſſe, ſi ego ibi ſto hoc videndo? obliquus, & duplicatus ſtat, non eſt dubium? Itáne? Jam extrahite baculum: videtis, quomodo ſit rectus? Itáne decipiuntur oculi? Ita. Itaque ratione veſtræ intentionis ſitis tantundem circumſpecti, nè ille baculus, qui toties, quia in aquam miſſus, & vobis paret non eſſe rectus, fortè ſit aliud quàm veſtra intentio obliqua. Solem, cui oculi debent medietatem viſûs ſui, elevate illos, quomodo illum videtis? Quomodo? Ibi ſtat firmus, & fixus abſque motu de loco in locum; Sinè motu? Ah oculi ingrati! nunc videbatis, perfecit hic ſol currendo millena miliaria. Ità etiam ipſa luce decipiuntur oculi: Videte, an per hoc ipſum non decipietur intentio, quando judicatis fixum, & otioſum illum, qui fortè correſpondendo ſuis obligationibus non quieſcit á ſuis laboribus. Et jam, ſi noſtris ipſiſſimis oculis videmus, quomodo decipiantur noſtri oculi, parùm eſt illos ex integro claudere in noſtra Fide ad credendas ejus veritates; Verùm etiam iſtas multò magìs debemus credere, quàm ſi illas videremus: Nam, ſi videndo illas poſſent oculi noſtri pati aliquam deceptionem, credendo illas per Fidem, eſt impoſſibile, ut vel minimam, vel leviſſimam deceptionem habeat ejus certitudo.

V. In Capella regali Palatii Sancti Ludovici Regis Galliæ, ad confundendos illius temporis hæreticos, apparuit noſtra Vita Chriſtus JESUS in hoſtia conſecrata patenti corpore oculis in forma pulcherimi Infantis. Manſit in tali forma longo tempore, ſinendo ſe videre omnibus, quotquot volebant. Perveniunt Aulici currendo ad Sanctum Ludovicum: O Rex, & Monarcha! Veniat Veſtra Majeſtas ad videndum grande prodigium; Ecce in Hoſtia ſtat patens noſter DEUS in forma infantis elegantiſſimi. Et quid cogitatis, quid Rex reſponderit ad hæc nova? Eat videre Chriſtum in illa Hoſtia, qui dubitat, an ibi ſit, dum eſt conſecrata: Ego enim ſum multò certior, ex eo, quòd id mihi dicat Eccleſia, quàm ſi meis viderem oculis; & nec prodigium videre voluit, nec ſe de loco movere. O Fidem heroicam Regis Sancti, & Chriſtianiſſimi! Nihilominus tamen, abſque eo, quòd amor filialis me decipiat, cogito ſublimiorem illam

lam Fidem fuiſſe mei Patris Sancti Ignatii. Sæpius dicebat, quòd, quantumvis nec unica litera ex omnibus Divinis Scripturis in mundo remanſiſſet; quantumvis deeſſent in ſcripto omnes veritates, quas DEUS revelavit in omnibus Divinis paginis; Ille promptus ſtaret, & conſtans non ſolùm in credendo omnes veritates noſtræ Fidei, ſed etiam, quòd ſemper dum ei occaſio offerretur, vitam daret pro illis, ſolummodo propter illud, quod DEUS ei manifeſtavit per illas frequenter habitas revelationes in Manreſa. Tam profundum habent hæc verba fundum, ut vix intellectus aſſequi poſſit illorum altiſſimos ſenſus. Illic Sanctus Ludovicus credidit plùs Fidei, quàm ſuis oculis; Actus heroicus, ſed debitus, quia oculi poſſunt decipi: Hic Ignatius credit veritates Fidei, etiam abſque Divinis Scripturis; Actus ſublimior, imò maxime ſublimis, cùm Scripturæ Divinæ ſint regula infallibilis noſtræ Fidei, ùt Suarez loquitur de Fid. Diſp. 5. Sect. 2. n. 6. Jam autem tenere Fidem, quæ etiam duret conſtans uſque ad ipſam mortem, etiam ſinè regula tam infallibili, hoc eſt ſupremum, quò Fides poteſt pertingere; Et hæc, hæc fuit Fides Sancti Ignatii. Sanctus Paulus dicit ad ſuum Diſcipulum Timotheum 2. ad Tim. 3. *Ab infantia Sacras Literas nòſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per Fidem.* Noſter Pater Sanctus Petrus nobis dicit: Quòd omnis firmitas, & ſtabilitas, cui non poteſt adverſari, aut contrariari noſtræ Eidei, continetur in Divinis Scripturis, *habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Et ſuper omnia noſtra Vita Chriſtus, ad perſuadendos obſtinatos Phariſeos, ut crederent æternas Chriſti veritates, illis dicit apud Sanctum Joannem cap. 5. *Scrutamini Scripturas: Illæ enim teſtimonium perhibent de me.* Nunc itaque, cùm Scripturæ ſint, quæ nos docent veritates Fidei, cum ſint illæ, quæ dant æternam firmitatem, & certitudinem, illæ, quæ teſtimonium perhibent Fidei Myſteriis irrefragabilibus; Qualis foret illa Fides, quæ, etiamſi illi deeſſet hæc ſecuritas Scripturarum, hæc certitudo omnium Divinorum teſtimoniorum, ſtaret nihilominus ità firma, & ità conſtans in credendo omnes veritates de DEO, quas profitetur Eccleſia, ut pro illis daret vitam? Nil ultrà reſtat, quò aſcendat actus heroicus Fidei; Hæc itaque erat Fides Sancti Ignatii; Quid mirum! quòd illum DEUS poſuerit in ſua Eccleſia, ut eſſet propugnaculum veræ Fidei contra maximè ſacrilegas furias hæreſum, quas evomuit infernus in Luthero,

Calvino, Melanchtone, & in aliis perverſis hæreſiarchis? Verè neceſſariam habebat Ignatius Fidem tam firmam, tam ſublimem, tam heroicam ad reſiſtendum ſtrenuè tantæ hæreſi in Germania, Flandria, Anglia, & Gallia: Ad dilatandam Religionem Catholicam, mediantibus ſuis filiis, per omnes quatuor mundi partes; Ad replendam Eccleſiam, & cœlum tot animabus, quot illius hæroicæ Fidei debentur.

VI. Sed redeamus ad explicationem. Igitur abſque eo quòd videamus, debemus credere veritates Fidei, magis quàm ſi illas videremus. Nunc *Quare*, interrogat Catechiſmus, *hoc creditis tanta certitudine?* Reſp. *Quia hoc dicit DEUS, & Eccleſia proponit.* Quamobrem credimus tam fixa, & firma certitudine, quia cui credimus, non eſt minùs ei credere, quàm DEO; hæc eſt tota ratio infinita, quæ facit noſtram Fidem ex omni parte infallibilem: quòd tota innitatur veritati. DEI; quia eſt DEUS, qui hoc dicit. Jam in hoc hæreo, dicet mihi aliquis, ego autem valde bene ſcio, noſtram Fidem habere clariſſima, efficaciſſima, & fortiſſima argumenta, præter iſtud: non eſt itaque ſola hæc ratio noſtræ Fidei, ſed ſunt tot, quot habet argumenta clara ſuæ veritatis, quæ ſunt innumerabilia. Pro certo bona replicatio; ſed ut reſpondeam vobis ad illam, neceſſe eſt, ut ſciatis, quòd ſemper, dum facimus aliquem affectum Fidei, in eo inbibantur, & conjungantur duo diſtincti actus: unus eſt actus intellectûs, & iſte eſt *credere*; alter eſt actus voluntatis, & iſte eſt *velle credere*; & eſt illud, quod Theologi vocant *piam affectionem voluntatis*; ità, ut ſi iſta deeſſet, nec intellectus crederet.

VII. Nunc itaque: quantum ad actum *credendi*, qui eſt actus intellectûs, motivum illius unicum, ſua ratio, quare credit, non eſt, nec debet eſſe alia, quàm veritas DEI, quæ nullô modô poteſt fallere. Sed quantum ad actum *velle credere*, motiva, quæ illum excitant, rationes, quæ illum movent, ſunt omnia illa innumerabilia argumenta, & teſtimonia clara Fidei. Iſta ſunt, primò: Sanctitas, Puritas Religionis Catholicæ; quòd videamus, quòd nos conducat ad amabilem pulchritudinem virtutis, & quòd releget, profliget, & abominetur omnem deformitatem vitiorum; Secundò: Duratio permanens hujus noſtræ Fidei per tot ſæcula, cùm non ſolùm non potuerint exſtinguere ejus lucem tot turbines perſecutionum hominum Poten-

Potentiſſimorum, & Imperatorum Orbis, tot hæreſes, tótque ſchiſmata, verùm potiùs flammam ejus ſemper excitabant, confortabant, & augebant, duraverit tantò purior, & clarior, quatò magis oppugnata. Tertiò: Si conſideremus modum, quo propagata ſit hæc noſtra Fides per totum univerſum, per os aliquorum hominum pauperum, abjectorum, depreſſorum ſinè literis, ſinè eloquentia, ſinè potentia, ſinè armis; Et ſuffecit in illis virtus, & veritas DEI, ad ſubjiciendum, non unam Civitatem, vel unum Regnum, non, ſed totum mundum. Quartò: Videndo hanc Doctrinam Catholicam conjunctam, & conſociatam pietati morum, ſanctitati vitæ tot & tantorum, & tam inſignium heroum, quomodo in tot Concliis tam Generalibus, quàm Provincialibus indagatum fuerit omni ſtudio de veritatibus noſtræ Fidei, ſemper tamen inventæ erant puriores radiis ſolis, & illas confeſſi ſunt examinatores firmiores, & ſtabiles cœlis. Quintò: prophetiæ, & figuræ omnium Divinarum Scripturarum, quas videmus punctualiſſimè adimpletas tam in Authore noſtræ Fidei, noſtra vita Chriſto JESU, ſicut & in Myſteriis ſupremis, quæ nos docuit. Sextò: Innumerabilia ſtupenda, & prodigioſa miracula, qualibus tot ſæculis proceſſit DEUS confirmando, & quolibet die confirmat veritates noſtræ Fidei; Et ipſa poteſtas, quæ in Catholicis eſt viſa, & videtur toties ſupra elementa, ſupra infirmitates, ſupra mortem, & ſupra dæmones. Septimò: Sanguis tot millionum Martyrum, quem tam hilares, & læti ſparſerunt unà cum vita inter tanta tormenta in confeſſionem, & defenſionem veritatum noſtræ Fidei; Et omittendo alia mirabilia teſtimonia, quæ illa habet, poſſumus rationabiliter exclamare cum Davide: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, Pſal. 92. v. 5. O Domine DEUS noſter! ità amabili violentia, dulci vi, trahunt nos ad credendum tuas veritates claritas, & abundantia exceſſiva; quibus nobis confirmant illas tot teſtimonia, & tanta argumenta. Hæc itaque ſunt motiva, quæ movent voluntatem ad volendum credere, & ad faciendum, ut illa poſtmodum ſubjiciat intellectum veritati DEI: *Captivans intellectum in obſequium Fidei.*

VIII Verùm, ut perveniamus ad plenitudinem Fidei, reſtat alter gradus, & ille eſt eſſentialiſſimus, & ſcandendus. Diſtinguunt Theologi cum ſancto Auguſtino, & ſancto Thoma tres actus in Fide, qui omnes debent concurrere uniti, ut Fides ſit Fides perfecta, & meri-

toria vitæ æternæ. Sunt itaque in Fide isti tres actus, ùt loquitur sanctus Thomas 2. 2. q. a. 2. *Credere DEO; credere DEUM, credere in DEUM.* Et sanctus Augustinus Tom. 10. Serm. 181. de Temp. *Aliud est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere DEO*, est credere illud, quod DEUS nobis dicit, & credere illud, quia DEUS hoc dicit, & hæc est ratio nostræ Fidei; *Credere DEUM*, seu quòd sit DEUS; hoc est album nostræ Fidei, hoc est illud, quod credimus: & objectum materiale illud vocant; Et si hinc non progrediamur, ulterius nihil fecimus; Scitis, quantum nihil? Quia & dæmones hoc faciunt: Dæmones credunt, quòd sit DEUS, dicit S. Jacobus cap. 2. v. 19. *Et dæmones credunt.* Dæmones credunt DEO, dicit sanctus Augustinus Tract. 29. in Joan. *Et dæmones credebant ei, & non credebant in eum.* Itaque Christiane, in quo distingueris à dæmonio? In hoc, quòd ego credam in DEUM, mihi dices, & dicis valde bene, si tamen, quod dicis, veritas est; Quid est *credere in DEUM*? Jam hoc ipsum explicat sanctus Augustinus ibidem: Quid ergo est credere in eum? *Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire.* Nôstis, quid sit *credere in DEUM?* Credere amore tam subtili, tam sublimi, charitate tam vera, ut omnia tua opera, cogitationes, & verba, omnia colliment, omnia sint directa ad DEUM. *Credere in DEUM*, dicit sanctus Thomas, est, non solùm credere intellectu illius ultimum finem, in quo solùm possunt habere requiem creaturæ. Jam si hoc est *credere in DEUM*, dic mihi modò, credis tu in Deum? Examina tuam conscientiam, & respondebit tibi.

IX. O Ignati! Si non esses tu tam igneus, nec volarent tam incessabiles semper erga DEUM ex tua ardenti Fide ardentes flammæ! Solebat affirmare, ùt refert Euseb. Nier. in vita, quòd, si sentiret in sua anima minimum impulsum, qui non dirigeretur ad DEUM, subitò caderet mortuus; quapropter non ambulabat, non aggrediebatur quidquam, non respirabat, nisi quærendo in omnibus majorem DEI gloriam. Ad hoc pulcherrimum centrum suorum desideriorum, ad hunc finem immensum suarum aviditatum optâsset conducere post se totum mundum. *O mi DEUS!* solebant illum audire ingeminare alta voce, quando stabat quatuor, vel quinque cubitis elevatus in exstasi super terram; *O mi DEUS! si omnes homines te cognoscerent.* Hæc erant ejus continua suspiria dilatare per Fidem cognitionem DEI usque

que ad remotiſſimos, & barbaros gentiles. Ecce hìc nihilominùs, cùm fuerit Fides ſancti Ignatii tam prodigioſa, tam ſublimis, cùm ipſum DEUS elegerit pro defenſore ſuæ Fidei contra Hæreticos; Cur ſuprema Majeſtas permittit, ut in materia Fidei patiatur tantas, & tam terribiles calumnias? Nunc ipſum habent pro illuſo, nunc illum denunciant pro hæretico, nunc illum accuſant, ùt obſeſſum; Alcalæ ipſum incarcerant; Salamancæ illum onerant catenis; Romæ raptatur per tribunalia; Cur permiſit DEUS, ut tantum pateretur Fides Ignatii? Ego cogitabam ſemper rationem generalem fuiſſe, ut per hoc ex illo formaretur magnus Sanctus. Nunc autem adjungo Fidem Ignatii fuiſſe tam raram, tam ſublimem, tam prodigioſam: quòd homines non fuerint ſufficientes illam explicare; itaque cœlum hoc onus in ſe ſuſcepit, ut mediantibus his perſecutionibus illam mundo patefaceret.

X. Alcalæ liber declaratur à calumniis, quas ipſi affinxerant, quòd eſſet hæreticus; ejiciunt eum è carcere, mandando illi, ut ſe veſtiret more ordinario ſtudioſorum; & quoniam ex integro erat pauperrimus, neceſſarium fuit illum permittere ad quæredam eleemoſynam cum certo bono Sacerdote, qui illum ducebat. Pervenit cum ſua petitione ad certum Nobilem, qui inter alios ſe diſtrahebat pilæ majoris, vulgò pallonis luſu. Nobilis reſpondendo humili petitioni Ignatii, cum multa cholera, & ira, exprobravit pariter vel maximè Sacerdoti, quòd tales homines protegeret, & adjunxit: *Combuſtus moriar, ſi iſte non meretur comburi*, alludendo ad præteritam infamiam, quòd eſſet hæreticus. Attende tibi ô miſer! nè tibi hoc eveniat; ipſiſſimo die pervenerunt Alcalam novalia de Nativitate Principis Hiſpaniæ Domini Philippi, qui fuit hujus Nominis ſecundus, & ille Nobilis, ad concurrendum cum aliis ad univerſalem lætitiam, curavit trahi ad ſuam domum unum vaſculum pulveris pyrii; Tranſibat ille circa dictum pulverem diſponendo feſtivitatem lætitiæ, quando, ſaltando una ſcintilla, volavit pulvis ſupra illum infelicem, & eundem intra ſuas flammas involvit. Quid eſt hoc? quid hoc debet eſſe? eſt declarare cœlum Fidem Ignatii, eſt publicare cœlum quàm longè abſit, ut ille comburatur ùt hæreticus, qui ardenti lumine Fidei debet illuminare mundum, & debet accendere in DEUM totum univerſum, debet illuſtrare pulchrrimis ſplendoribus Eccleſiam, & debet conducere

cere ad cœlum lumine Doctrinæ Christianæ innumerabiles animas.

XI. O ! sic fiat Sanctissime Pater ! & postquam Doctrinâ Chrstianâ reliquisti in Ecclesia semen Divinum pro tanto bono, & commodo animarum, & pro tanta reformatione morum : Oh ! & pone in meo spiritu fervores, ex quibus videat Filius, quamvis indignus tuus. Accende in corde meo unicam saltem favillam illius zeli, quo tu exercebas istud tam Sanctum ministerium ; ut animæ assequantur illius fructum, ut in emendatis moribus lætentur de illius profectibus, & emolumentis ; Et ut totum cedat ad majorem Gloriam DEI, qui unicus tuus scopus est, fiat ut animæ, augmentando merita, dirigantur ad promovendam majorem DEI Gloriam.

INSTRUCTIO XVII.

De secunda Virtute Theologica, quæ est Spes, & de bonis, quæ debemus sperare.

I. SI ex me quæreretur : Quid sit illud, quo totus mundus est plenus ? Responderem esse Spem. Et si rursus intorrogarer, qua re vel maximè mundus sit vacuus ? Responderem ût ante, esse Spem. Ità ut cùm Spes sit illud, quo totus mundus plenus est, hæc ipsa sit illud, quo totus vacuus est mundus. Quomodo hoc esse potest ? Eja, cùm hoc ipsum oculis cernatis, cur hoc ex me quæritis ? Nullus sinè spe vivit, & nullus invenitur, qui de sua spe non conqueratur. Incipit Spes in minimo infantulo, & in senibus non desinit esse Spes ; Infans totum, totum sperat per vitæ spatium sibi obventurum fortunæ commodum ; Et senex, quando illi nihil restat jam ampliùs sperare, sperat tamen adhuc diutiùs vivere : Pauper sperat suæ melioratione fortunæ, & dives augmentationem suæ substantiæ. Sperat Studiosus honorem, Miles præmium, Mercator lucrum, Agricola messem, Artifex laborem, prætendens altiorem locum. Omnes, in summa omnes sperant : Qui fruitur bonis, & lætatur, sperat incrementum suæ sortis ; Et qui patitur, sperat melioratione sui infortunii. Qui nihil possidet, aggreditur diligenter, &

& ſedulè ſuos labores fundando omnia in ſola Spe nuda; Et qui omnia perdidit, dum ultrà illi nihil reſtat, finaliter reſtat illi Spes. DEUM immortalem! & quàm plenus Spe ſtat mundus, quòd ille ipſe videatur reſpirare vitâ, quàm aſpirare Spe. Attamen hoc ipsò modò quam vacuum, & deceptum ea ipſa Spes teneat mundum, edicant hoc veſtra lamenta, veſtræ querelæ, & veſtræ lachrymæ. Ipſæmet veſtræ Spes hoc dicant toties, priusquam illas aſſecuti fuiſſetis, in fumum reſolutæ, & toties, poſtquam illas conſecuti eſtis, vanæ. Spes tandem ultimò, ſi bene animadvertitis, ſunt univerſales cauſæ noſtrarum inquietudinum, noſtrarum anguſtiarum, noſtrarum nauſearum, & omnium infortuniorum; Vel jam dum nos falsâ apparentiâ decipiunt; Quæ cœcitas, quæ præſtigiæ, quæ obnubilationes rationis, & quæ tenebræ intellectûs? Vel jam quando nos ſua dilatione affligunt; quæ turbationes, vel anxietates, quæ convulſiones, qui timores! Vel quando inter manus diffluunt; quæ ſolicitudo, quæ pœna, quis furor, & quæ rabies! Vel quando etiam conſecutæ nos tormentant; Qui labores, quæ onera, qui ſudores, quæ ſarcinæ, quæ ludibria, qui contemptus! O Munde! quis ſcit? forſan non eſſent tot afflicti, qui experti ſunt ſe deceptos, irriſos, & vacuos, ſi non fuiſſent tam pleni ſua Spe. Jam quid de hoc dicemus? Quid reſtat dicendum, quòd nos ipſi, abutendo Spe, in qua poſitum eſt omne noſtrum gaudium, nos ipſi Spem convertamus in noſtrum prolixius tormentum. Non conſiſtit damnum in Spe, ſed in hoc, quòd nos neſciamus ſperare.

II. Ecce nunc hoc nos docet Catechiſmus: ut mutando in infinitè majus bonum noſtram Spem, ibi nobis iſta ſerviat pro completiſſimo gaudio: *Spe gaudentes*, ad Rom. c. 12. v. 12. Quandoquidem hìc Spes mundi nobis ſervit pro tanto martyrio: *Expectatio juſtorum lætitia, Spes autem impiorum peribit.* Prov. 10. v. 28. dicit Spiritus Sanctus. Definiunt ergo cum Sancto Thoma Theologi Spem in communi dicendo: *Spes eſt ſperare aliquod bonum futurum, arduum, & poſſibile ad aſſequendum per ſperare bonum*, diſtinguitur Spes à timore; quia iſte expectat malum. Per hoc, quòd hoc bonum ſit futurum, diſtinguitur Spes à gaudio, quia gaudium contemplatur bonum jam præſens. Per hoc, quòd hoc bonum ſit arduum, diſtinguitur ſpes à deſiderio, quod non conſiderat, num ſit facilè, vel difficile illud, quod appetit; Spes autem contemplatur illud bonum, quod non eſt in ſua manu conſequi,

ſed illud obtinere debet per manum, vel voluntatem alterius, & ideo vocatur bonum iſtud arduum. Et ultimò tandem bonum debet eſſe poſſibile, nam ſi illud contemplaretur ùt impoſſibile: non ampliùs eſſet Spes, ſed ejus contrarium, quod eſt deſperatio.

III. Sunt itaque in Spe tria conſideranda; Primò: bonum, quod ſperatur. Secundò: à quo, & per cujus manum ſperatur. Tertiò: quomodo, & quibus mediis ſperatur. Ecce nunc hìc triplicem doctrinam, quæ ordine ſequitur. Vidimus, & conſideravimus jam primam virtutem Theologicam, quæ eſt Fides; hanc ſequitur Spes; nam ſi Spes debet contemplari bonum, quod ſperat ùt poſſibile, hoc ipſum illi monſtrat priùs Fides, dicit ſanctus Thomas 2. 2. q. 17. a. 2. Videmus per Fidem, qualia ſint bona æterna, quantùm ſecuræ promiſſiones Divinæ, quantùm prompta ſint ad noſtrum favorem illius auxilia, & quantùm celer, & velox ad nobis ſuccurrendum tota ejus infinita miſericordia; jam credendo hæc omnia, quid ſequitur? illa ſperare dicit, Sanctus Paulus ad Hebr. 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hac de cauſa ergo poſt Fidem, infundit nobis DEUS hanc virtutem ſupernaturalem, hunc habitum, iſtud donum inæſtimabile, quod receptum in noſtra voluntate, illam elevat, & ſublimat, ut ſpernendo caduca; & vilia bona terrena, ſperet. Quid eſt illud, quod debet ſperare; jam nobis dicit Catechiſmus: *Quid eſt Spes?* Reſp. *Sperare beatitudinem, &*

IV. *media ad eam.*

Ità, ut illud, quod ſperamus per hanc virtutem Divinam, per hanc Spem ſupernaturalem, ſit ſemper videre DEUM; ſit amare, & frui DEO in æternum; ſit pervenire ad poſſeſſionem gloriæ immenſæ; obtinere totum abyſſum gaudiorum, voluptatum, & deliciarum; ſit denique, poſſidere in uno bono omnia, omnia bona; & hoc ſinè formidine illa perdendi, ſinè timore, quòd ampliùs Finem ſint habitura, ſinè pavore, quòd nobis illa aliquis ſit ablaturus. Ità eſt; hoc eſt beatitudo. O DEUS! ô DEUS quorſum tam malè dirigimus noſtras Spes? Dilectiſſimi, *convertimini ad munitionem vincti Spei*: inclamat nobis Zacharias Propheta c. 9. v. 12. Vos, qui inceditis trahendo catenas ponderoſas Spei hujus mundi; vos, qui ità incarcerati gemitis inter viles Spes terræ, convertimini ad munitionem Spei, & vivetis tam læti, & hilares ùt liberi, *Convertimini, convertimini ad mu-*

nitio-

nitionem vincti Spei: eſt bonum, quod ſperamus in cœlo infinitè ſecurum. Quomodo igitur occupamus noſtras Spes in his bonis tam vanis, quæ inter manus diffluunt? Refert Cornelius à lapide in Epiſtolæ Jacobi caput 4. v. 13. ſequentem apologum vanæ ſpei. Portabat Ruſticus ad vendendum in civitate amphoram lactis, & imponendo illam ſupra caput, ibat onerando plùs caput ſequenti Spe imaginaria, quàm amphorâ: tanti vendam lac meum; ex quo pretio emam gallinam, illa mihi excludet tot pullos; illos alam, & grandiores effectos vendam, ex pretio emam porcellum, quem impinguatum vendam, emamque vitulum, illum ſaginabo, & vendam; Quid tantô pretiô faciam? emam equellum, cui filius meus inequitet, & quàm mirabiliter, & dexterè incedet? Jam mihi videor illum conſiderare, quomodo incedat ſaltitando? ac geſtiens ſubſultate cœpit, ac exprimere ſpeciem filii in equo exultantis; ſubſiliens ex capite amphoram excuſſit, & lac omne in terram effudit, ac cum lacte pariter omnes ſuas ſpes, conceptus, & gaudia profudit. Et nunc, quid eſt factum de gallina, de pullis, de porco, de equello, quæ omnia in imagine videbat? Ah ſpes deluſoria! Applicate, applicate vobis, quia *ad literam* quotidie id vobis ſuccedit. Diſcurſus, cogitationes, machinæ: tali, & tali modo excreſcet capitale, hac, & hac via augebitur lucrum; ex hac, & hac parte erit majus emolumentum, ex hac major favor, & gratia, his diligentiis, hoc labore obtinebitur abſque dubio hæc promotio, vel illud officium: Ah ſpes fallaces, vanæ, deceptoriæ! & ubi eſt DEUS? ubi æterna gloria? quando in ſimilibus bonis fugacibus veſtram Spem reponitis, & ad hæc ſolùm colineatis? & quid tandem vobis ſuccedit, quid evenit? Hoc ipſum, quod illic ruſtico, & hoc, quod hìc cani. Pervenit ille ad ripam fluminis portans in ore fruſtum carnis; vidit hoc majus in umbra, aquâ hanc repræſentante; & quoniam illud majus in aqua videbat, hoc ipſum, quod ore portabat, in aquam dimiſit ſpe alterius majoris acquirendi, ùt credebat; fruſtum in aquam cecidit, & umbra majoris diſparuit, canis autem remanſit fruſtô privatus, quod habebat, & illo, quod ſperabat, & ità deluſus eſt. *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus.* Aggæi 1. v. 9. Tales ſunt Spes terrenæ. Oh! quantò meliùs de illo bono, quod in omnem æternitatem ſecurum eſt, poteſtis dicere cum ſancto Paulo 2. ad Tim. 1. v. 12. *Certus ſum, quia po-*

potens eſt depoſitum ſervare in illum diem juſtus Judex. In DEO ſunt omnes repoſitæ meæ divitiæ, & certus ſum, me ſuo tempore reſervatas, & cuſtoditas inventurum.

V. Eſt illud bonum, quod ſperamus in Cœlo, immenſum; quomodo igitur in certis bonis tam vilibus, tam contemptibilibus, & tam caducis reponimus noſtram Spem? Hoc eſt mirari araneam ex ſuismet viſceribus trahere fila, quibus tam anxia, tam ſolicita, tam inquieta, non ceſſat fabricare ſuam telam. Animalculum inquietum, quid hoc totô tuô artificiô te ſperas adepturum? quid ſperas tot tuis præinventionibus, & tanto labore? Scitísne, quid ſperet? Unam, vel alteram muſcam; & propter unam muſcam tantæ defatigationes? pro una muſca tanti labores, tantæ eviſcerationes, & tam parùm ſperare, pro una muſca? Ah dilectiſſimi! nihil aliud ſunt veſtræ Spes, ſi illas in terra reponitis; etiamſi ſperetis montes aureos, theſauros opulentiſſimos, coronas, ſceptra, imperia, hæc omnia tam vilia ſunt, ùt una muſca: *Et telas araneæ texuerunt*, dicit Iſaias c. 59. v. 5. O! quantò meliùs, fixis oculis in Cœlum exclamabat meus ſanctus Pater Ignatius, quàm abjecta, quàm contemptibilis mihi terra videtur, dum cœlum aſpicio; *Quàm ſordet mihi terra, dum Cœlum aſpicio!*

VI. Eſt illud bonum, quod illic ſperamus, infiniti gaudii; quomodo igitur toties illius obliviſcimur, ſperando illud, quod nos afficit infamiâ, cauſat pœnam, & tormentum? Amilcares Generalis Carthaginenſium obſidendo Syracuſas Siciliæ urbem, ſomniavit quadam vice, ſe nocte ſequenti in civitate cœnaturum: animatâ hoc ſomnio ſuâ Spe, mandavit exercitui civitatem aggredi; verùm erumpentes animoſi, & imperteriti obſeſſi ex civitate, primi hoſtes aggrediuntur, talem ſtragem faciendo, ut ipſum Amilcarem ceperint conducentes captivum in Patriam, & tali modo eſt aſſecutus ſuam Spem; cœnavit Siracuſis, ſed ſclavus captivus, & vinculatus ille, qui ſomniabat, ſperando, ſe victorioſum fore. Quot, & quanti in conſecutione illius ipſiſſimæ rei, quam ſperabant, experti ſunt ſuum tormentum, ſuam infamiam, & dedecus? Hæc ſunt bona mundi: anguſtiæ dum ſperantur, labor, & afflictio, dum quæruntur, & dum poſſidentur, tormentum. Oh! quantò meliùs dicebat propriâ edoctus experientiâ ſanctus Franciſcus: *Tanta eſt gloria, quam expecto, ut omnis me pœna delectet;* & ut verum fatear, Auditores mei, ſi ſpes, etiam horum bo-

bonorum deceptibilium, & fallacium, quæ nos irrident, & ſubſanant, ſufficiens eſt efficere nobis moleſtiam levem, & laborem exiguum, ſufficiens eſt ad ſufferendas tot, & tantas pœnas, vigilias, cordis palpitationes, & anxietates, Spes boni immenſi, lætitiæ infinitæ, & gloriæ æternæ, quomodo non ſufficiet ad efficiendos nobis ſuaves labores, pœnas, & dolores? quomodo nobis non erit facilè ſupportare paupertatem paucorum dierum, ut acquiramus divitias infinitas? bene operari per tam brevem vitam, ut gaudeamus vitâ æternâ? dare eleemoſynam pauperi, ut lucremur, & acquiramus præmium, & mercedem immenſam? Contemptus omnium temporalium pro poſſeſſione æternorum bonorum tam certa, & ſecura?

VII. Sed ſolùm ſperamus gloriam; extendit ſe noſtra Spes etiam ad ſperanda media pro illa conſequenda. Et qualia ſunt iſta media? ſunt omnia illa, quæ nos poſſunt ducere ad Cœlum, ſive ſint ſupernaturalia, vel naturalia, ſive mundi, vel Cœli. Sperandum itaque nobis ſemper eſt in liberaliſſima manu DEI, nobis illam ſemper affuturam auxiliis ſuæ gratiæ, ſine quibus nunquam poterimus facere nè quidem unicum opus bonum, & meritorium vitæ æternæ. Debemus ſperare in ſua infinita miſericordia, quòd nobis ſit condonaturus noſtras culpas; & tandem debemus ſperare, quòd totum, totum, quod eſt neceſſarium ex parte DEI ad nos ſalvandos, totum promptum habeamus, præparatum, & facile; Et, quòd ſi remaneret Spes noſtra examinata, defectus ex parte noſtra eſſet, & non ex parte DEI: *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Oſe. c. 13. v. 9.

VIII. Poſſum ergo ſperare à DEO ſanitatem, vitam, ſupellectilem, & reliqua bona temporalia? Reſpondeo, quòd ſi illa ſperamus in ordine ad ſerviendum DEO cum illis, exempli gratiâ, ad evitandas omnimodè ejus offenſas, ùt D. Thomas loquitur 2. 2. q. 17. ar. 2. ad 2. accumulanda per illa pro cœlo plura merita, non ſolùm poſſumus, verùm etiam ità illa ſperare debemus, & hic erit actus virtuoſus Spei ſupernaturalis. Jam, Pater, ſi Spes eſt virtus Theologica, & talis appellatur ex eo, duòd tota DEUM reſpiciat; & quia ſolus DEUS eſt ejus objectum: quomodo igitur Spes pariter reſpicit pro objecto, quod ſperat, res creatas, & etiam temporales, & caducas? Forte argumentum, Nónne dico ego, vos jam eſſe Theologos; verùm reſpondeo, omnes res, quæ non ſunt DEUS, ſperat noſtra Spes in ordine

dine ad perveniendum videre DEUM; hæc eſt ejus principalis meta, & ſcopus, hoc eſt Spei principale objectum. Sperat hæc omnia Spes, ſed in eis non ſubſiſtit, conſiderat ea, ùt media conducentia ad conſequendum ſuum finem ultimum, qui eſt DEUS, & ità ſolus DEUS eſt Spei ſcopus, ſiquidem omnes aliæ res non divertunt illam, quinimò conducunt ad fruendum ſuo fine ultimo: *Ubi eſt unum propter aliud, ibi unum tantum;* dicunt Philoſophi. Quando una res ordinatur ad aliam, hæc non conſideratut ùt diſtincta. O DEUS! qui ſic ſperat, ſemper lucratur: non poteſt remanere deluſus, qui ſe ità aſſecurat, bene poterit aliquali tempore affligere, vel neceſſitas; vel anguſtia, ſed non deerit opportuno tempore ſuccurſus.

IX. Narrat Franciottus, ex quo refert Romulus Marcelli in Quadrag. Domin. IV. Neapoli, non ante longum tempus, fuiſſe Nobilem, qui ex ſua Conſorte procreavit filiam; homo ille poſſidebat à fortuna non exiguam ſubſtantiam; ſed pernitioſo vitio luſûs vel maximè deditus. Evenit ipſi illud, quod ſimilibus infortunatis evenire ſolet, de die enim in diem plura perdendo in extremam devenit paupertatem, ità ut nîl ultrà reſtaret, quàm ludere, & ſe tantò majoribus debitis onerare, quantò plùs obliviſcebatur ſuæ obligationis. Advenit tempus mortis, mors ùt ſummè executiva, contra quam nihil valent nec lites, nec fraudes illorum, qui de fraudibus vivunt, vitam ei eripuit. Mortuus itaque ſinè teſtamento, quia non habebat ſuprà quid teſtamentum conderet? & quamvis abſque formato Teſtamento obierit, reliquit tamen afflictæ uxori, & infelici Filiæ copioſam hæreditatem miſeriarum, quæ de die in diem creſcendo, in tantum excrevit, ut intra paucos menſes nihil habuerint ad manducandum. Filia jam in ſtatu nubili, ſi apparebat Angelus in perfecto ſtatu pulchritudinis, Angelus erat in puritate ſuæ innocentiæ. Derelictio, & paupertas cum pulchritudine eximia; bene poteritis exinde vobis perſuadere luctas, & certamina, quæ illi faciebant munera propter paupertatem; audaciæ, propter ſolitudinem; & blanditiæ propter pulchritudinem; verùm honeſtas ejus fuit firma ſemper contra omnes quotquot illam ità oppugnare conabantur; ſtatuit conſtanter potiùs vitam ferrô amittere, quàm pretiô auri pudicitiam. Igitur, ô DEUS! illa, quæ tantò magis de ejus pudicitia debebat zelum habere, illa inquam erat, quæ tantò turpiùs, quantò afficaciùs illam oppugna-

gnabat ; Quis hoc cogitaret ? Propria mater, multæ matres fæpiùs non ſolùm hoc cogitant, verùm hoc ipſum faciunt. Propria mater erat, quæ exacuendo in flammis infernalibus ſuam linguam, repetitis inſtantiis illam exhortabatur, ut reſignata ad culpam pro vili ſuſtentatione, ſuum corpus proſtitueret, & pudicitiam venalem exponeret. Speramus in DEO, dicebat innocens virguncula, ſiquidem verba ejus ſecuriora ſunt cœlis; & ſi propter noſtras culpas ille nobis nollet aſſiſtere, citiùs mors me liberabit de hoc infortunio, quàm ut quæram illius ſublevamen mediis DEUM offenſivis. Vendatur hoc, quod nobis ſupereſt, hôc pactô, ut remaneat honor, & pudicitia pro ſupellectile, & pro capitali primario Anima. Cœpit ergo mater diſtrahere, quidquid in domo reſiduum erat; ſed non ceſſantibus expenſis diurnis, citò conſumptum omnis ſupellectilis pretium fuit. Ah! Pater vilis, & incaute, exclamo ego hìc, utinam tractando folia, hujus eventûs fuiſſes recordatus! Renovabantur matris ad infortunatam filiam lacrymæ, ſtridores, gemitus, aggreſſiones; Dicebat illi : cùm tam facilè foret vivere nobis in abundantia, vis propter tuam capitoſitatem, ùt tali modo conſumamur inter miſerias; Deſine jam, & impone finem capitoſitati; Ecce enim tuum, & meum remedium poſitum eſt in tua voluntate. In meo cruciatu, & afflictione poſitum eſt, reſpondebat filia ; & cùm nobis nihil remanſerit præter lectum, vendatur & iſte, malo potiùs' ut in duritie nudi pavimenti requies mihi ſerviat pro tormento, quàm ut cum diſpendio pudicitiæ ſomnô opprimant rationem delitiæ Veneris. Venditus fuit lectus, & pretium conſumpum, redivítque neceſſitas, & pugna; ſed ad illam vincendam, optima arma, quæ pudica hæc virguncula elegit, erant, virginem remanere omninò nudam. Tradidit matri omnes ſuas veſtes, ut illas divenderet, præter induſium, quo corpus tegeret. Oh ! quot ſunt, quæ longè ab hoc diſtant, ut veſtes vendant, quin potiùs ſe ipſas pro una veſte vendunt ? Attamen brevi, non ceſſantibus expenſis, finem habuit hic ſuccurſus. Videamus nunc, dicit mater filiæ: quid tibi ſupereſt ad vendendum, ſi te ipſam non vendas ? Nunc hoc videbis, reſpondit filia; & apprehendendo manu forfices, diſſolvit proprium pulcherrimum capilitium, proportionatum ornamentum, quo natura dotaverat ejus venuſtatem, totum illud abſcidit. Ah Abſolon ! quando pervenerunt ad habendum tantum

tum pretium tui capilli? Tradit illud matri, accipe dicens, & vende illud, nam cum hoc priùs caput dabo, quàm pudicitiam. O virguncula prodigiosa! nunc sine tam pulchro ornamento multò pulchrior: sine capillis volebas sclava videri, & pretiò eorundem effecta es Regina tuarum miseriarum; Sustulisti crines infausto cometæ tuorum infortuniorum, & tuis abscissis capillis incatenâsti fortunam per comam; Et si Christus vult, ut nè quidem unus capillus justorum pereat, quot erunt merita, quæ per tuos numeranda sunt capillos? Exit mater ad vendendum capillitium, & vix aliquot passus progressa, obviam habuit Principem, & Principissam de Conca: rapuit illis oculos, & forsan etiam & cor hoc capillitium; quàm pulchri capilli! quàm pulchri! Porrige illos huc Domina, porrige, & volentes eosdem eò ipsò momentò emere, solùm quærunt: an non essent alicujus defuncti? Tunc mater, laxando habenas lachrymis, utinam, Domine, respondit, mortuus jam esset illorum Dominus, nè videre, & experiri cogeretur tot infortunia. Vivit illa, quæ est Domina horum capillorum, & illa, cui nulla ampliùs spes supereſt, unde possit vivere, præter hoc, quod mihi daturi estis pro hoc capillitio. Narravit postmodum totam seriem suorum infortuniorum, conclusitque dicendo: Venite mecum Principes, & videbitis Patronam pulcherrimam, quæ nolendo se spoliare pudicitiâ, usque ad hoc ornamentum, quod ei dedit natura, nudam se fecit. Commoti Principes ad pietatem, eunt cum illa, perveniunt ad domunculam, & inveniunt illam fortunatam virgunculam, quæ, affixa ad pedes Crucifixi, sua totali nuditate illis repræsentabat suas miserias magis, quàm suis lachrymis. Emolliti sunt ad hoc spectaculum Principes; & eò momentò curantes illam cum decentiâ vestiri, & in sua rheda locum illi dederunt, secum illam in palatium perducentes proprium, tenendóque illam aliquo tempore bene custoditam, & tractatam honestè, dantes illi copiosissimam dotem, elegerunt eidem in maritum unum de principalioribus Nobilibus.

X. O DEUS infinité misericors! quis inveniendus erit, qui non deponat in tuis manibus, ad faciendam eam securam omnem suam spem? quis in te speravit, quòd fuisset delusus? & quodsi etiam hìc, in hac valle miseriarum, sic illam omnem scis convertere in fortunam, quomodo ibi illam non convertes in gloriam?

INSTRU-

INSTRUCTIO XVIII.

De ſecuritate, & infirmitate Spei in DEUM.

REm ſingularem, magnam, prodigioſam volo te docere, ô mi Lucille! dicebet ad ſuum diſcipulum Seneca; & eſt, ut conjungas maximæ debilitati conſtantiſſimam fortitudinem, lubrico, & fragili, ſecuriſſimum, & firmum. Volo dicere, ut cum imbecillitate hominis, habeas ſecuritatem tam firmam, ac ſi eſſes DEUS. *Ecce res magna*, dicit Seneca Epiſt. 53. *habere imbecillitatem hominis; ſecuritatem DEI.* Res magna, non eſt dubium, quòd homo patiendo, & ſufferendo à ſua natura humana fragili, eo ipſo tempore fruatar tanta ſecuritate, ac ſi eſſet DEUS. Res magna, repeto dicere, & rationabiliter exigit omnem admirationem à Seneca: *Ecce res magna!* Sed hæc unio prodigioſa, quomodo eſt conſequenda? Quomodo poteſt eſſe, ut homo naturâ ſuâ inconſtans, vitâ ſuâ caducus, ſuis viribus debilis, & omni ſuo eſſe labilis, omnibus his conjungat tandem fortitudinem, conſtantiam, & ſeruritatem DEI? *Habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem DEI.* Seneca remanet ſolummodò in verbis; ſed Iſaias nos docet clarè, & patenter hoc ad lumen æternæ veritatis. Scitis quomodo poſſit fieri hæc conjunctio? dicit Propheta: ſolummodò ponendo in DEO fixam, & ſtabilem noſtram Spem; *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Iſai. 40. v. 31. Mutabunt? ità eſt, quia conſignando illi in manus DEI omnem ſuam debilitatem humanam, ipſe DEUS illis ſe rurſus exolvit dando illis omnem ſuam fortitudinem Divinam. Et ecce jam nunc quomodo homo, ex ſe fragilis, & ſinè viribus, repoſitus ex integro in manibus DEI per Spem, omnia poteſt in DEO, omnia obtinet mediante omnipotentiâ? Utinam ſciretis, quantæ ſint vires, quas habet Spes in DEO collocata, ſolebat ſæpius repetere meus Sanctus Pater Ignatius: Hæc eſt illa, quæ abſque timore confundit totum infernum: Hæc eſt illa, quæ nauſeabunda totum ſpernit mundum; Hæc eſt illa, quæ potenti ſcala cœlos aggreditur. Veniant exercitus inimici, dicebat David, ſi DEUM ex parte mea habeo, nullum timorem ſentio: *Si conſiſtant adverſus me caſtra, non timebit cor meum.* Pſal. 26. v. 3. Exurgant, & extollantur

I.

montes difficultatum, & periculorum, dicebat Sanctus Paulus, ſi DEUM habeo adjutorem, omnia, omnia poſſum: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* ad Philip. 4. v. 13. Pluant ſupra me afflictiones, anxietates, dicebat Job, veniant amiſſiones bonorum, infirmitates, & ſi poſſunt multiplicari, mortes; ſi in DEO Spem meam firmam, & fixam habeo, nihil, nihil ſentio: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* c. 13. v. 15. Hæc fuit arx munitiſſima, & invincibilis plusquam undecim millionum Sanctorum, nempe Spes; Hæc fuit conſtantia tot tenerarum, & delicatiſſimarum Virginum; Spes fuit firmitas tot Anachoretarum ſylvaticorum in ſolitudine, ſolitariorum, & pœnitentium. Et hæc denique ſuit infallibilis ſecuritas omnium Sanctorum. Ecce ergo hìc illam conjunctionem prodigioſam: *Habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem DEI*; Quòd autem iſta conjunctio ſit illa, quam novit facere vera, & ſupernaturalis Spes, affirmat Iſaias c. 50. v. 10. *Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper DEUM ſuum.*

II Jam ad omnem hanc Divinam ſecuritatem invitat Catechiſmus hac interrogatione: *Spes quid nos docet?* Reſpon: *Ut ſperemus in DEO tanquam in poſſe infinito.* Vidimus jam dilectiſſimi, quòd bonum in poſſeſſione ex integro ſecurum: Is duratione, æternum; In ſuo valore, & pretio infinitum; In ſuis gaudiis, & oblectamentis, immenſum. Sed quid faciendum nobis, poſſet mihi quiſpiam dicere, quamvis hoc ipſum bonum ſit tantum, ſi velle illud obtinere, eſt id ipſum, ac velle cœlum Manibus prendere? Cùm noſtræ vires ſint tam exiguæ, quomodo illud conſequemur? Jam nos hac de re inſtruit Catechiſmus: debemus conſequi hoc bonum per manus DEI. DEUS eſt, qui illud nobis dare debet, cujus manui omnipotenti nulla poteſt obſtare difficultas, nec ſe opponere impoſſibilitas; & hac de cauſa ſperamus in DEO, ùt in poſſe infinito. Jam hoc capio, Pater, & confiteor; ſed ſolùm quæro: Quare Catechiſmus ponat pro ratione noſtræ Spei *poſſe* infinitum DEI? ſi diceret: *Ut ſperemus in DEO, ut in amore infinito*, quæ ratio fortior eſſe poteſt? Quia nihil datur, quod fortiùs corroboret Spem, quàm ſcire, quòd ille à quo ſperamus, erga nos habeat magnum amorem; Jam ſi DEUS ab æterno infinitè nos amat, *In charitate perpetua dilexi te.* Jerem. 31. v. 3. Si nos tantum amavit, ut nobis dederit proprium Filium, & miſerit Spiritum Sanctum ùt Magiſtrum, quis non tenebit Spem multò ſecuriorem eſſe,

esse, illum nobis gloriam daturum, qui in tantum nos amat? Est argumentum Sancti Pauli ad Rom. 8. v. 32. *Qui etiam Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Ulteriùs: cur nobis non dicit Catechismus: *Ut speremus in DEO, ùt in liberalitate infinita?* Qui nobis dedit totum hunc mundum, cum omnibus suis creaturis in nostrum servitium; Qui non cessat dare nobis cum vita sustentationem! Qui tandem in nostrum servitium deputat, & mittit Angelos ipsos; & qui nunquam intermittit nobis assistere, & nos adjuvare suis auxiliis; Quæ robustior potest esse ratio, ut in sua liberalitate speremus, quòd nobis etiam sit daturus gloriam? Est argumentum Regis Davidis Psal. 35. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* Plùs ultrà: Quare nobis non dicit, *ut speremus in DEO, prout in veritate infinita?* Siquidem, cùm plenæ sint omnes Divinæ scripturæ promissionibus benignissimis, quibus nos Pater amorosissimus assecurat, se nobis daturum glroiam; quod majus incitamentum ad hanc sperandam, quàm scire, quòd citiùs DEUS cessaret esse DEUS, quàm deesse veritate suis verbis? *Et quæ procedunt de ore meo, non faciam irrita.* Psal. 88. v, 35, Est argumentum Sancti Patris nostri Petri, 2. Pet. 3. v. 13. *Novos verò cœlos secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Plùs, & adhuc plùs, Cur non dicit: *Ut speremus in DEO, ùt in misericordia infinita?* Qui in medio nostrarum omnium culparum, ingratitudinum, & improbitatum non solùm nos expectat, ut nostri misereatur, sed etiam nos vocat, solicitat, quærit; quale majus incensivum pro nostra spe, illum nobis daturum gloriam, qui pro nobis dedit in Cruce Vitam, qui nobis dedit suum Corpus, qui nobis dedit suum Sanguinem? Est valorosum argumentum sancti Pauli ad Rom. 5. v. 5. & 6. *Spes non confundit*, & immediatè subjungit rationem; *Ut quid enim Christus, cùm jam infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est*; Jam, si DEUS est infinitè amorosus, tam liberalis, tam certus, & securus in suis promissionibus, & tam immensus in sua misericordia, quæ omnia sunt motiva fortissima ad animandam nostram spem; Quare Catechismus nobis assignat pro ratione nostræ Spei solummodò DEI *posse* infinitum? *Ut speremus in DEO, tanquam in posse infinito.*

III. Bonum argumentum, & quidem magis ex eo, quòd arguat à pietate, quàm ex eo, quòd vim habeat. Reſervate illud in memoria pro continuo confortativo, & augmento veſtræ Spei, & audite nunc meum reſponſum, dummodo mihi priùs concedatis prænotare certam ſimilitudinem. Viſitavit Carolus V. Imperator quendam magnum ex ſuis Charis, vulgò Favoritis, qui cum morte luctabatur: multa ille ſuſpiria, & motus ex magna æſtimatione, quam erga illum habebat, Imperator; Edic, dicit illi, ſi quid à me petis, fit illud quidcunque, quia ideo hìc ſum. Imperator potentiſſime, reſpondit infirmus, vellem, ut Majeſtas Veſtra mihi prorogaret vitam ſaltem per unicam horam. Oh! iſtud non eſt in manu mea; pete, quidquid vis, quod ego poſſum. Tunc infirmus agnoſcendo inter ſingultus mundi errores vertit ſe ad parietem, dicens: Ah utinam vixiſſem, ſicut debebam ad ſervitia ſolummodo illius Domini, qui in ſua manu habet vitam, & mortem! Confidite nunc in Principibus, reponite veſtras Spes in Monarchis terræ, ſint magni, ſint potentes, ùt velint, tamen ſunt homines, & nunquam reperietis in illis ſalutem: *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Pſal. 145. v. 2. Nunc ergo ego quæro: Defuítne ibi amor? Non; erat enim ille chariſſimus Imperatori, erat illi in deliciis. Defuítne liberalitas? Non; quia hic Monarcha erat tam Magnificus, quàm Grandis. Defuítne promiſſio? Non; quia fuit verbum Regium illud, quod illum aſſecurabat. Defuítne miſericordia? Non; nam Imperator plenus erat compaſſione ob hanc mortem. Quid igitur defuit? Poſſe, poſſe defuit, non potuit plus, quàm voluit. Itaque amor, promiſſiones, liberalitas, miſericordia abſque *poſſe* nihil valent, & nihil ſerviunt.

IV. Jam ergo, Auditores mei, omnes perfectiones, quæ concurrunt ad formandam immenſam abyſſum Divinæ bonitatis, omnes faciunt nobis amabilem violentiam, ut in DEO ponamus omnem noſtram ſpem, non propter aliquod bonum ſolùm particulare, ſed ut ſperemus ab illo omnia bona naturæ, gratiæ, & gloriæ. Amor illius non impellit, libertas illius nos invitat, promiſſiones ejus nos aſſecurant, miſericordia nos animat, & bonitas ejus immenſa aperit nobis portas, nos ſolicitat, nos quærit, nos vocat. Quòd ſi omnibus iſtis perfectionibus unitum non inveniretur in DEO *poſſe* infinitum

tum ad exequendas promiſſiones, non reſtaret omnino ſecura noſtra Spes. Quapropter ideo Catechiſmus nobis dicit cum ſancto Thoma 2. 2. q. 17. Omnipotentiam DEI eſſe principalem rationem, dantem æternam ſecuritatem noſtræ Spei; *Ut ſperemus in DEO, ùt in infinito poſſe.* Ego bene ſcio, quis ille DEUS ſit, cui credidi, dicit ſanctus Paulus ad Tim. 2. 1. v. 12. Bene ſcio, quis, & quantus ſit ejus amor, quanta ſit ejus liberalitas, quæ & qualis miſericordia, & quæ ejus promiſſiones: *Scio, cui credidi,* totum me hoc animat; ſed, præter hoc, ſum certus, ſum ſecurus, *& certus ſum.* Ob quam rem es ità certus ſancte Apoſtole? Mox ſubjungit, & dicit: *Quia potens eſt depoſitum meum ſervare.* Sum certus, quòd ultra ſuas promiſſiones, ſit infinitè potens adimplendi ſua verba.

Animadvertite nunc, dicit vobis ſanctus Bernardus, videte, an DEO ſit aliquid impoſſibile, videte, an aliquid ei ſit difficile, & ſi hoc inveniatis. ego vobis concedo, & do licentiam ponendi Spem veſtram in alio: *Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære aliud, in quo ſperes.* D. Bern. Serm. 9. in Pſal. Qui habitat. Num. 6. Sed cùm non ſit aliud, nec poſſit eſſe, cur non projicimus noſtram totam confidentiam in manus ejus, qui meritò vocatur DEUS Spei? *DEUS Spei* nominatur à S Paulo ad Rom. c. 15 v. 13. Quia Spei pauperis eſt DEUS auxilium, Spei affiicti eſt DEUS refocillatio, & Spei tentati eſt DEUS defenſio, protectio, & refugium; DEUS totus Spei, *DEUS Spei;* Et jam Dilectiſſimi, quandoquidem tota Omnipotentia DEI eſt menſura noſtræ Spei; ſi terræ ſemen confidimus, mari noſtras res, & fortunas, anni temporibus, & tempeſtatibus fructus, ſociis, & correſpondentibus pecunias, quomodo DEO non confidemus noſtras Spes? Fidit homo homini ſuam ſubſtantiam, & ſcripturâ obligatoriâ remanet ſecurus, debitorem ſoluturum debitum; quot & quantas ſcripturas nobis DEUS fecit? dicit ſanctus Petrus Chryſologus Serm. 25. & nullus invenietur, qui DEUM velit habere debitorem ſuæ Spei? *Homo homini exigua chartæ obligatione conſtringitur; DEUS tot, ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur?* Ponere Spem in hominibus ſtultitia eſt, qui opportuno tempore fallunt; ponere ſpem in ſalute eſt ſoliditas; quæ intra diem flacceſcit; in divitiis, eſt error, quæ ad unum motum capitis diffluunt; in amicis,

V.

cis, eſt deceptio; quoties, vel quia nolunt, nos irrident, vel quia non poſſunt, certis dulcibus verbis nos ineſcatos relinquunt.

VI. Illuſtrat hoc ſanctus Auguſtinus gratioſa narratione: Duo amici, narrat Sanctus, deambulabant noctu, cùm eſſent magis diſtracti ab invicem, unus ex illis incidit in puteum; ad ſtrepitum, ad voces, & ad infortunatum caſum accurrit alter, & videns illum pugnantem cum aquis, quæ jam ipſum quaſi ſubmergebant, & cum ſtupore, qui illum quaſi inſenſatum tenebat; cùm ille palpitâſſet in fundo, hic ſtans ſupra puteum dicebat illi, ùt plurimùm ad miſericordiam commotus: Amice mi chariſſime quid hoc? quomodo iſtuc cecidiſti? Reſpondit ex puteo medius ſubmerſus, & cholericus: Amice, extrahe me priùs ex puteo, poſtmodum ego tibi caſum narrabo. Oh! quot, & quanti hujus farinæ reperiuntur? Videbitis, & experiemini plurimos dolentes interrogatores de infortunio, & de paupertate amici; Ità eſt; optima verba: ſed ad porrigendam illi manum, ut enatare poſſit ex ſuffocatione neceſſitatis, vel paupertatis, quàm rari inveniuntur? In DEO, in DEO eſt noſtra Spes collocanda.

VII. Ità eſt, Pater; ſed eſt vigoroſum ſperare in hominibus, aliàs enim finiretur omne commercium humanum. Eſt neceſſarium confidere in noſtra diligentia, in noſtra dexteritate; quia totum in DEO confidere, etiam eſſet DEUM tentare, & petere abſque neceſſitate miracula. Veriſſimum eſt, non poteſt negari. Quærit ſanctus Thomas 2. 2. q. 17. art. 4. An aliquis poſſit licitè ſperare in hominibus, quia per Jeremiam DEUS dicit c. 17. v. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine;* Sed reſpondet Magiſter Theologorum, quòd ſi ſperamus in adjutorio, in favore, in correſpondentia alterius hominis, abſque eo, quòd à DEO auferamus principalem confidentiam, ſi ſolùm ſperamus in altero homine, non ùt in noſtro fine, ſed ſolùm ùt in inſtrumento, ùt in medio ad conſequendum hoc, vel illud, hoc non eſſet incurrere maledictionem DEI. Hoc ipſum ego dico de induſtria, de labore, de dexteritate, de ingenio; Confidamus, confidamus; ſed tali modo, ut ad confidentiam noſtram in noſtra diligentia collocandam, ſubitò in DEO omnem noſtram fiduciam reponamus; ſiquidem ſinè DEO nihil valent omnes diligentiæ, labores, & induſtriæ. Erant in certo (neſcio quo loco) duo artifices ejuſdem artis; unus ſolus cum ſua uxore, & ſine filiis, & familia; alter cum uxo-

uxore, & filiis, & familia; & nihilominus licèt pares fuerint in labore, & tam impares in expensis; ille, qui plùs expendebat, plùs possidebat: ejus filii, & mulier egregiè vestiti, domus ejus erat decens, & omnia denique in eo statu, ut nec minimus notaretur defectus. Et contrario alter post omnem impensum laborem non poterat emergere de mendicitate. Sancte DEUS, quæ infelicitas erit hæc mea? Ubi tu invenis pecuniam? dixit suo vicino: Audi me, respondit alter, cras manè me expecta, ego te illuc conducam, ubi pecuniam invenio; plurimùm exinde ille lætatus, & desiderans auroram sequentis diei cogitabat, se inventurum aliquem locum, in quo cumuli pecuniarum reconditi essent. Vocavit eum Vicinus manè, ad Ecclesiam conduxit, audiêrunt simul Missam, & nullô verbô ulteriùs ei dictô, redivit domum. Bene, cras ad locum illum pergemus, dixit intra se alter, cogitando, absque dubio aliquod interveniſſe impedimentum. Quid faciendum? veniet manè crastinum. Redivit altero manè punctualiter alter, audiêrunt Missam, & nec unâ syllabâ eidem dictâ reliquit eum domi suæ. Hæc mihi apparet cantilena. Sequenti manè rediit alter, hic autem domi degens dixit illi plurimùm turbatus: Non indigeo ductore ad Missam; hoc, quod à te petii, fuit, ut me illuc ducas, ubi soles invenire pecuniam. Illuc planè te conduco, respondit alter. Scias, me nunquam laborem aggredi, quin priùs Missam audiam, & ibi rogo *DEUM cum omni fiducia, ut* de me curam gerat, & pro tota domo mea, & ut ei diligenter serviam, rogo illum, ut mihi det bonum lucrum ex meis laboribus; hoc ego omni die facio, & effectum video, & ego ipsemet nescio, quomodo res succedat, ille mihi in omnibus succurrit. Vide tu nunc, an hoc ipsum facere velis. Fecit alter id ipsum, & intra paucos dies cœpit frui in sua domo eadem felicitate. Ah Dilectissimi! quot conqueruntur, omnia illis in malum cedere, intra manus omnia evanescere; si DEUM non habent, quid restat ad habendum? Oh! ego non cesso à meis laboribus, Pater. Sit id verum; sed si sine DEO sunt isti labores, ad nihil serviunt. Esse industriosum, ac si DEUS non esset in nostro labore, nihil juvat, sed recurrere ad DEUM immediatè cum omni confidentia, acsi nulla nostra esset industria, hoc juvat. Non potes pro nunc plùs, noli plùs lucrari: successivè melior accrescit confidentia in DEUM. Projice in Divinam Majestatem

tem tuam ſpem fixam, & ſecuram; & ſi illa talis eſt, dicam, impoſſibile eſſe, DEUM tibi velle deeſſe. Oh! quantum poſſem de hoc dicere, & exemplis Scripturæ confirmare, ſed maneamus more noſtro ſolito in exemplis humanis.

VIII Refert ſanctus Gregorius Magnus lib. 3. Dial. 36. Quòd navigando per mare Adriaticum ſanctus Maximilianus, Epiſcopus Syracuſanus, Regni Siciliæ, quadam vice Româ, ibant in ſuo Comitatu multi alii itinerantes, & dum optimè navigant, ecce eo ipſo tempore incipit mare furere; oritur tempeſtas tam horrida, ut intra paucas horas procelloſæ tempeſtatis, perditô jam gubernaculô, quod ordinariè ſuccedit, malis dejectis ſinè velis remanſerint; verùm etiam hoc erat minimum, ſiquidem horrendis ictibus fluctuum exagitata navis, per mille partes aperta, tantùm aquæ jam admittebat, ut intra ſcafam ſubmerſi, non jam mortem mirarentur, & viderent vicinam, ſed præſentem. Quales fuerint clamores, quales anxietates, non jam propetendo auxilio, quod non ſperabant, ſed ad horrorem mortis, quam jam videbant? Ad hæc omnia igitur ſanctus Epiſcopus clamabat melius intra cor ſuum, projectâ in DEUM tunc ſecuriſſimâ anchorâ omnis ſuæ Spei. Jam tota navis volvebatur in profundum, quando Spes ſancti Epiſcopi volabat nihilominus aſſiduè ſecura ad cœlum. Ecce nunc, O Domine! tempus, in quo opus eſt, ut tua pietas ſuccurrat, & demonſtret, non eſſe majus remedium, & melius pignus tuo omnipotenti brachio. Sic evenit cum una multitudine prodigiorum; nam tali modo tota navis quaſi ſubmerſa, ſinè cura, & gubernaculo, abſque malo, & velis vehebatur juxta impulſum tempeſtatis, navigabat uno die, & altero; omni hora, qui in navi erant, expectabant mortem, & omni momento experiebantur prodigia. Navigabant integris octo diebus, uſquedum ad portum perveniſſent ſui deſtinati itineris; unus poſt alterum in portum ex navi exiliit, quis tunc fuerit eorum jubilus? Ultimus exiliit ſanctus Maximilianus, & eo ipſo inſtanti, quo in terram exſcendit, navis in profundum abiit, quaſi hac re illis dicendo: navem ſecuriorem, quæ illos portabat, Spem in DEUM fuiſſe.

IX. Oh! Utinam in hac Spe omnes navigaremus hoc undoſum mare hujus mundi, ubi, in nulla re alia, quàm in Spe fixa, & firma in DEUM, poteſt habere ſecuritatem noſtrum iter. Oppugnant nos flu-

fluctus paupertatis, inconſtantia fortunæ, tempora tribulationum, ſcopuli infortuniorum, & tota tempeſtas vitæ, vel tota noſtra vita, quæ procella eſt, in DEO, in DEO reponamus omnem noſtram Spem, & ſic pertingemus ad felicem finem, & lucrabimur portum æternæ gloriæ.

INSTRUCTIO XIX.

Quòd illa ſit vera Spes, quæ unit cum ſecuritate ex parte DEI continuum timorem noſtræ propriæ imbecillitatis.

I. SIcut ad evolandum leviter uſque ad Cœlum indiget avis utraque alâ, ſiquidem una ala ſola, quamvis ſufficiat pro impedimento, non ſervit ad volandum; ità noſtra Spes, cùm debeat evolare ultra Cœlos, uſque ad ipſiſſimum conſpectum DEI, debet eſſe intra duas alas, ſecuritatis nimirum, & timoris; ut, ſi ſola ſecuritas cauſaret aliquam negligentiam, timor ſemper ei aſſiſtens, non ſinat dormire ſimilem cogitationem; & ſi ſolus timor debilitaret ſpiritus ad conſequendum id, quod ſperatur, neceſſarios, ſecuritas eum animaret ad dimicandum. Gloriabatur apud Scipionem miles Romanus ſe habere ſcutum non ſolùm in labore, & artificio bene effigiatum, & politum; ſed etiam in expolitione, & temperatura impenetrabile ſagittis inimicorum. Valde bonum eſt ſcutum, reſpondit ei Scipio; verùm miles Romanus non debet ponere confidentiam in ſolo ſcuto, quod illum defendit; ſed illam debet pariter reponere in altera manu, quæ tractat generosè, & fortiter acinacem. O quantò meliùs ego dicam ad noſtrum propoſitum! Miles Chriſtianus, qui debet per ſpem aggredi Cœlum, non debet ſolùm fidere in manu, quæ illum aſſecurat, non debet eſſe contentus ſecuritate, quam illi porrigit ſcutum Spei; ſed etiam debet abſque ceſſatione movere alteram manum, ſi vult acquirere cum victoria deſideratam coronam. Iſta eſt definitio Spei, ſecundùm Magiſtrum ſententiarum, in 3. diſt. 25. Divum Thomam 2. 2. q. 18. art. 4. quem ſequuntur cum ſancto Thoma Theologi: *Spes*, dicit, *eſt expectatio certa futuræ beatitudinis proveniens ex gratia DEI, & meritis noſtris.*

II. Nunc ergo, Dilectiſſimi mei, aggredimur hodie inquirere, quomodo debeat eſſe conſtituta noſtra ſpes. Vidimus jam, quid illud ſit, quod ſperamus, nempe eſt Beatitudo, & pro illa omnia media neceſſaria; Vidimus pariter, à quo, per cujus manus, in quo illam ſperamus; in DEO, qui, præter amorem, veritatem, liberalitatem, & miſericordiam infinitam, eſt etiam infinitè potens. Reſtat nobis ſcire ex parte noſtra, quomodo illam ſperare debeamus? Hoc eſt illud ipſum, quod interrogat Catechiſmus: Tu mihi jam antea dixiſti illud, quod ſperamus, eſſe Beatitudinem; Hæc ipſa Beatitudo, quæro ego nunc: *Qualibus mediis obtineri poteſt?* Reſpondeo; *Gratiâ DEI, & meritis JESU Chriſti Domini noſtri, & noſtris bonis operibus.* Ecce tibi hìc duas alas, quibus Spes evolat uſque ad Cœlum; & ecce hìc duas manus, quibus Spes pugnat uſque ad conſequendam coronam: una manus DEI, quæ non ceſſat dare nobis ſuam gratiam; & altera noſtra propria manus, quæ debet cooperari bonis operibus, correſpondendo auxiliis ſibi cœlitùs datis. Nec DEUS ſe ſolo vult totum facere, nec nos ſoli abſque DEO poſſumus quidquam facere. Ideò ergo DEUS ponit gratiam, & auxilium, & his nos adjuti debemus ponere cooperationem, id eſt, bona opera. Exinde naſcuntur in vera Spe gemelli, nempe ſecuritas, & timor; Securitas, ex parte DEI nunquam defutura media neceſſaria propter ſuam infinitam miſericordiam; Verùm iſta ſecuritas mixta continuò timori noſtræ imbecillitatis, noſtrarum malarum inclinationum, & noſtrorum perverſorum appetituum; cùm neſciamus, an noſtrum liberum arbitrium, tractum ab illis, ſpernendo vocationes Divinas, non æſtimando Divina auxilia, ſe ſic præcipitaturum in peccata, uſquedum in illis, à morte correptos, præcipitet nos in infernum: Cum timore, & tremore, nobis idcirco dicit Apoſtolus ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operemini.* Iſte timor ſanctus fuit ille, qui incitando, & quaſi calcaribus urgendo juſtos, ſemper fecit illos accumulare virtutes, & merita, quibus nunc fruuntur in gloria; & è contrario, ſecuritas privata timore eſt illa, quæ decipiendo ſemper peccatores, demerſit eos in infernum: *Formidare debent*, dicit nobis Sacroſanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 13. *Formidare debent ſcientes, quòd in Spem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt.* Dilectiſſimi, Dilectiſſimi, Spes gloriæ eſt illa, quam habemus, poſſeſſionem glo-

gloriæ nondum obtinuimus, & quis ſcit ex hìc præſentibus, an in terribili pugna cum dæmonio, mundo, & carne, abreptus ab horum appetitu, ſpernendo Divina auxilia obſtinatus ad Divinas inſpirationes, non ſit caſurus in peccatum mortale illo amaroſo momentô mortis; O DEUS! hoc eſt, ad quod contremiſcunt, & concutiuntur firmiſſimæ Cœli columnæ, hìc obrigeſcunt altiſſimæ cedri Libani: hìc incurvati gemunt maximi gigantes ſanctitatis.

III. Non eſt ergo certitudo Spei, ſicut eſt certitudo Fidei, quia hæc eſt omnimodè ſecura, ex omni parte certa, & infallibilis. Quare? Quia tota certitudo Fidei tenet ſe ex parte DEI, qui eſt illud, quod nobis dicit veritates, quas credimus, & ſic ex nulla parte poteſt deficere; Certitudo autem Spei non ſolùm tenet ſe ex parte DEI, unde nunquam poteſt minui, ſed etiam includit noſtram cooperationem, noſtra bona opera, noſtra merita, & ex hac parte, oh quantum periculum eſt, nè noſtrum liberum arbitrium, & ipſiſſima noſtra voluntas nos damnet! Ex parte DEI certitudo tam firma eſt, ut in illa debeamus habere totalem ſecuritatem, ſed ex parte noſtra imbecillitas tam debilis, tam caduca, ut nos ſemper debeat retinere in continuo timore. Sed, Pater, quomodo poſſunt uniri circa eandem rem ſecuritas continua illam conſequendi, & timor continuus illam amittendi? Bene interrogatis, & ego vobis ad hoc reſpondebo cum ſancto Paulo. Ponunt in fine curſûs, ſeu ad metam præmium pro illo, qui illud obtinuerit currendo; præmium eſt, & ſecurum, certum, de hoc non eſt dubium. Sed pro quo eſt certum? Pro illo, qui cucurrerit. Jam, quid hinc ſequitur? Currere, currere: certus, & ſecurus inveniam præmium; ſed timoroſus, me illud perditurum, ſi non curro: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum*, 1. ad Corinth. 9. v. 26. Ità eſt, ſic ego curro, dicit Apoſtolus, non ad rem incertam, non: quia illam certam, & ſecuram habeo; *Non quaſi in incertum.* Sed non ceſſo currere bonis operibus, quia timor, quem habeo, nè perdam illud præmium, ſi à curſu deſiſtam, incitat me, fortificat, & vivificat meam ſpem.

IV. Ecce idcirco vobis hìc duo extrema pericula, quæ debet Spes evitare. Unum, ſi timor eſt ità exceſſivus, ut obliviſcatur ſecuritatis, cadit in diffidentiam, & poteſt ſe ipſum præcipitare in lachrymabilem deſperationem. Hìc periclitantur illi, qui propter diffiden-

tiam ſunt faſtidioſè ſcrupuloſi, illi, qui ſunt pleni amore proprio, nihil in DEO confidentes, continuò in corde proprio portant feretra, enſes, patibula; & nîl aliud vident, quàm rigores, vindictas, juſtitias; abſque recordatione, quòd in DEO ſit pro illis amor Paternus, qui illum amant, & miſericordia infinita pro illis, qui illum quærunt. Alterum extremum eſt, ſi ſecuritas ſit exceſſiva in tantum, ut obliviſcatur timoris, cadit in temeritatem ſtultam, in præſumptionem ſtolidam, & ſic decipiendo animas, illas damnat; hac via currunt præcipites ad infernum audacter peccantes. Unum, & alterum eſt periculoſum; periculoſius tamen præſumptionis, quæ non habendo rationem de ſuis culpis, ſtultiſſimè confidit. Succedit in animæ vulneribus illud, quod ſolet ſuccedere in corporis cicatricibus; in his, ſi vulnus multùm intumeſcit; eſt periculoſum, dicit antiquus Medicus Celſus: quod ſi autem planè non intumeſcat, eſt periculoſiſſimum; *Nimis intumeſcere vulnus, periculoſum, nihil intumeſcere, periculoſiſſimum.* lib. 5. c. 26. In periculo vivit, qui multùm propendet ad timorem, & turbatur diſtorſionibus, & inquietudinibus obliviſcendo ſecuritatis, qui autem ſe totum ſecuritati tradit, oblitus timoris, & habens culpas terribiles, quas tamen ſtulta præſumptione ſpernit, eſt in ſtatu periculoſiſſimo.

V. Oh Pater! dicit mihi Anima aliqua ſcrupuloſa: vivo in certis anxietatibus, & in certis afflictionibus terribilibus, an non damnabor? huic pro nunc non reſpondeo aliter, quàm repetendo illi formalia verba aurei libelli Thomæ à Kempis de imit. Chr. l. 1. c. 25. n. 2. quæ ſunt ſequentia: Cùm quidam anxius inter metum, & ſpem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus, in Eccleſia ante quoddam Altare ſe in oratione proſtraviſſet, hæc intra ſe revolvit dicens: *O ſi ſcirem, quòd adhuc perſeveraturus eſſem!* Statimque audivit divinum intus reſponſum: *Quòd ſi hoc ſcires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene ſecurus eris.* Móxque conſolatus, & confortatus Divinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſavit anxia fluctuatio. Anima timoroſa, Anima diffidens, ubi oblita es promiſſionum DEI tui? dubitas? tremis? Igitur perge de die in diem magìs, & magìs te aſſecurare faciendo bona opera; ſic te aſſecurat S. Petrus, 2. Pet. 1. v. 10. *Magìs ſatagite, ut per bona opera veſtram vocationem, & electionem certam faciatis.* Jam, Pater, jam adlaboro operа

ra bona facere ; ſed mihi videtur , nihil me per illa mereri ; aliquas communiones tam tepidas , orationes , ſed ſine devotione ; tam exiguum fervorem in me , oh quantum experior ! Quid igitur merebor? O DEUS! ô DEUS ! Quæ hæc eſt ignorantia ! Hæc eſt periculoſiſſima tentatio , qua dæmon prætendit , ut hoc , quod boni facis , intermittas ; operare tu , & confide in DEO , qui tam bonus retributor eſt , ut etiam hauſtum aquæ frigidæ remuneret, quem tu alteri porrigis ex miſericordia. Non ceſſes à tuis bonis operibus , quamvis tibi minima videantur ratione promiſſionis DEI , apud DEUM tibi ſemper remanet præmium. Certus ſanctus Seniculus Anachoreta. ùt refert Engelgr. Tom. 1. Luc. Evang. Dom. Septuag. §. 2. habebat à ſuo tuguriolo longiùs diſtantem fontem , ex quo aquam hauriebat ; defatigabatur ex itinere ob nimiam ſenectutem , quare , nè ultrà tantùm pateretur , determinavit eligere tuguriolum propiùs ad fontem. Hoc ambulans apud ſe recogitabat , dum iret ad hauriendam aquam : quando Ecce Angelus in forma viſibili , qui abſque prolatione vel unius verbuli , numerabat digitis : unus , duo , tres , quatuor , &c. Quid facis ? dixit illi ſenex ; & Angelus ; vado tecum numerare paſſus , quos facis uſque ad fontem , ſiquidem cuivis eorum correſpondebit in Cœlo præmium. O Summe DEUS ! exclamat ſanctus Senex: ſi ità remuneras numerum paſſuum, jam non volo admovere meum tuguriolum ad fontem ; imò volo longiùs dimovere , ut per plures paſſus accreſcant mea merita. Ità fecit , & poſuit *tuguriolum medio miliari* à fonte magis diſtans. Attende modò tu , & vide, an DEUS non ſit numeraturus tua bona opera. Anima diffidens recordare , quòd ipſemet David , qui certis vicibus conſiderabat in DEO ſolam ejus juſtitiam ; *Memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Pſal. 70. Aliis vicibus contemplatur etiam DEUM , ùt meram miſericordiam : *DEUS meus miſericordia mea.* Pſal. 58. Et aliis vicibus , ad bene gubernandos ſuos paſſus , & ſuas actiones uniebat in ſua meditatione unam , & alteram, juſtitiam , & miſericordiam : *Miſericordiam , & judicium cantabo tibi Domine.* Pſal. 100. Hoc eſt iter ſecurum , attendendo ſemper ad hæc duo extrema.

VI. Itaque , Dilectiſſimi , timor conjunctus ſecuritati , hæc eſt vera Spes ; antequam peccemus , debemus timere Divinam Juſtitiam , dicit ſanctus Gregorius Magnus , ſi autem peccavimus , debemus ſperare

rare cum omni ſecuritate in Divina Miſericordia. Sed confiſi in hac Spe, cadere de uno in aliud, & aliud peccatum, hoc eſt alterum extremum periculoſiſſimum præſumptionis, qua totus infernus plenus eſt. Dicunt Medici, quòd contra venenum Cicutæ, ſi poſtmodum bibatur vinum, ſit antidotum, quod ſanat venenum; verùm, ſi cum hoc ipſiſſimo vino bibatur commixta Cicuta, non habet remedium venenum. Spes eſt noſtrum remedium poſt lapſum in peccata; ſed confiſi in Spe, ſi committatis peccata, hoc facere eſt ex Spe damnationem. Qualis eſt veſtra Spes Dilectiſſimi? Vivere in continuis voluptatibus, delectationibus, recreationibus, committendo continua peccata; & poſtmodum ſperare in DEO, quia magnus eſt, quia Pater, quia miſericors, oh quàm deceptoria ſecuritas! O Spem plenam abominatione! *Spes illorum abominatio animæ!* Job. 11. v. 20.

VII. Incolebat ſanctus Ægidius Diſcipulus ſancti Franciſci certam ſpecum faciendo ibi terribilem pœnitentiam; acceſſerunt illum ob ſuam famam videndi gratiâ, duæ Perſonæ magnæ authoritatis, magnorum proventuum, & commoditatis; & multùm compuncti, quando illum viderunt in illa tam terribili auſteritate, poſtquam cum illo aliquo tempore converſati fuiſſent, inſtantiſſimè eundem rogârunt, quatenus illos DEO recommendaret. Ut veritatem fatear Domini, reſpondit Frater Ægidius, vos eſſe illos, qui me debetis DEO recommendare, utpote qui plus habetis Fidei, & Spei præ me. Nos: dixerunt illi; Ità eſt; ſiquidem ego hìc ſum ſegregatus ab omni commercio humano, veſtitus iſto ſacco ſmucido, lectus meus pavimentum eſt, lapis cervical, & ſuper omnia tamen ſemper tremo, & timeo, an non ſim damnandus, & ad omnem paſſum timeo, ne cadam ad infernum; & vos veſtiti holandicis pannis, & Purpuris, vehimini rhedis, famulos ad obſequia habetis, ùt plurimùm honorati, & reſpectati; & his omnibus non obſtantibus vivitis confidentiſſimi vos in Cœlum venturos. Recommendate me DEO, Domini, qui plus Spei, & Fidei habetis, quàm ego. Hoc documentô illos dimiſit bene admonitos. Ah Auditores mei; videte Jobum, qui vellet abſcondi in inferno, tremens ab ira DEI, & videre poſtmodum illum, qui ſolummodò curam habet ſuæ commoditatis, abſque operatione vel unius operis boni totum ſecurum, in ſecuritate viventem, qua ſibi promittit æternam gloriam. Quæ eſt hæc ſecuritas? Unus Hilarion, poſt ſeptuagin-

ginta annos in deſerto transactos, tremit, & vacillat ad exitum Animæ, & vivit ùt plurimùm confidens perveniendi ad cœlum ille, qui nîl aliud numerare poteſt, quàm annos plurimos culparum? Quæ eſt hæc confidentia? ſcire, quòd ſine bonis operibus non poſſit cœlum acquiri, & vivere inter peccata mortalia, ſolummodò attendendo ad delicias, ad vanitates, & recreationes, & tali vita ſperare cœlum? Quæ ſpes eſt veſtra, Auditores? Tanta ſecuritas in illo, quod tam periculoſum eſt, & in illo, à quo tantum dependet? Tempus erit pro facienda pœnitentia. Quid ſi DEUS in pœnam illius, quod prodegiſti, tibi tempus auferat? Ego ſum liber, & in unico inſtanti poſſum pœnitere. Et quid ſi, indurata tua voluntate, duplicando dæmon ſua oppugnacula, turbatâ animâ inter anguſtias, radicatis affectibus malignis, ob vivaciores repræſentationes, non poſſes eradicare tuum liberum arbitrium ad ſequenda auxilia Divina, prout illa pro nunc non ſequeris, & in illo momento mors advenit? Ah confidentiam ſtultam! Ah diabolicam perſuaſionem! & ah cæcam temeritatem, quæ ità te ex integro in infernum præcipitat!

VIII

Narrat Petrus Damiani Lib. 6. c. 30. Monachum quendam unam poſt alteram obligationum ſuarum ſpernentem deveniſſe tam oblivioſum ſuæ perditionis, ut deſiderans ſe dedere ſecuriùs ſuis voluptatibus, abſque timore mortis, fecerit pactum cum diabolo, ſe velle illi conſignare proprium corpus, & animam pariter, ſub certa una conditione. Qualis eſt? interrogavit dæmon. Ut tribus diebus ante meam mortem, reſpondit Monachus, venias me certiorem facere de meo tranſitu ex hac vita. Faciam, quod petiiſti, repoſuit inimicus infernalis, & Monachus hôc contentus, effrænis factus eſt ad omne genus vitiorum, vivendo tam alienus à ſuo ſtatu, quàm à ſua conſcientia, & à ſuo DEO, qui non ceſſavit iterare animæ illius inſpirationes, quas tamen ille omnes ſpernebat dicendo multùm ſecurus: Tres dies habeo, & intra tres dies tempus ſufficientiſſimum habeo confitendi mea peccata, pœnitendi de illis, & gloriam lucrandi æternam. Advenit tempus, quod & tibi, & mihi adveniet: Appropinquavit illi dies mortis, venit dæmon in puncto temporis, claréque illi dixit, intra tres dies illum moriturum. O quale nuncium! etiam pro Viris ſanctiſſimis terribile, quale erit pro illo, qui ità vixit? quæ ſuſpiria, quas lachrymas non profunderet, quas ageret pœnitentias!

Plu-

Plurimùm turbatus Monachus advocavit alios Monachos, retulit illis totum ordinem ſui miſerandi ſtatûs, & quomodo ultimatè jam ipſi tempus dæmon intimaverit. Eja, dicunt illi, ſaltem hoc tempus lucreris, nè totum perdas, Frater, unica pœnitentia vera totum hoc poterit remediare cum Divina infinita miſericordia; ſtude facere Confeſſionem generalem, & contritam. Verùm eô momentô, quo illi nominabant Confeſſionem, remanebat profundiſſimô ſomnô obrutus; Frater, non eſt modò tempus dormiendi, clamabant alii; ſed voces nihil proficiebant: Expectabant Monachi, & interea divertebant ſe adinvicem converſatione de aliis rebus, & in momento redibat ad ſe infirmus, & proſequebatur diſcurſum colloquendo eis; verùm ubi diſcurſum de confeſſione facienda reſumpſiſſent, eo inſtanti obdormiebat. Afflicti Monachi non diſcedebant à lecto, & infirmus ad qualemcunque alium diſcurſum manebat attentiſſimus; Proferebant rationes, argumenta, exempla de infinita DEI miſericordia, omnia audiebat, ſed omnia in caſſum, ſiquidem ubi rediiſſent ad diſcurſum, ut confiteatur, eô ipsô momentô redibat ſomnus. Ità tranſierunt tres dies, uſque dum in fine illorum, abſque minimo ſigno pœnitentiæ tradidiſſet animam ſuam dæmonibus, qui in forma certorum canum nigerrimorum per multos dies non receſſerunt ab illius infelicis Monachi ſepulchro.

IX. Similes notitias jam vidi multos habuiſſe, ſimiles impœnitentias jam expertus ſum, & easdem planxi in non paucis. Dilectiſſimi! bene ſcio DEUM mihi nunquam defuturum ſuis auxiliis, ſed non ſcio, an in mortis hora correſponſura ſit Divinis auxiliis mea perverſa voluntas: Bene ſcio, DEUM ex parte ſua mihi tenere præparatam gloriam, ſed ex parte mea neſcio, neſcio, an cum perſeverantia finali obtenturus ſim gloriam.

INSTRUCTIO XX.

De Charitate.

I. SIcut inter metalla eminet in pretio aurum, inter elementa ignis, inter cœlos empyreum cœlum, inter planetas Sol, inter Ange-

An-

Angelos Seraphim; ità inter virtutes eminet, & præcellit Charitas, ſive dilectio DEI, & proximi. Ea enim eſt aurum radiantiſſimum, in quo cœleſtia eminent bona: ignis eſt cœleſtis, & Divinus, qui animos omnium circa ſe inflammat: empyreum cœlum eſt, in quo habitat DEUS, & Beati: Sol eſt, qui omnia illuminat, fœcundat, & vivificat. Eſt denique finaliter Charitas virtus, quæ ſcit fabricare de hominibus Seraphinos, de ſclavis dæmonis amicos, & filios DEI, & ex iis, qui merebantur infernum, hæredes fortunatos æternæ gloriæ. Eſt illa, quæ dat vitam virtutibus, eſt illa, quæ dat valorem meritis, eſt illa, quæ nobis patefacit Divinos theſauros, & eſt illa, quæ nobis cœlum aperit. Regina ultimatè ſuprema omnium virtutum. Omnes virtutes morales excedunt Virtutes Theologicæ, prout jam dixi, quia hæc pro objecto habent DEUM, & immediatè, & directè eum reſpiciunt, unicum finem noſtrum, & unicam regulam omnis perfectionis: Et ſupra alias duas Virtutes Theologicas, quæ ſunt Fides, & Spes, ſe elevat ùt ſuperior Charitas. *Nunc autem*, dicit ſanctus Paulus 1. ad Cor. c. 13. v. 13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.* Fides eſt illa, quæ nos illuminat ad tendendum ad DEUM; Spes eſt illa, quæ nos eò ducit; Charitas autem eſt illa, quæ nos unit, & dat nobis poſſeſſionem illius Finis infinitè amabilis. Per Fidem videmus, & cognoſcimus illud bonum infinitum, quod debemus quærere; per Spem illud quærimus; per Charitatem autem illo fruimur, amplexamur, & poſſidemus. Fides, & Spes contemplantur DEUM, ſed non ſine mixtura noſtri proprii intereſſe; Fides DEUM contemplatur, in quantum illuminat noſtrum intellectum ſua æterna veritate; Spes contemplatur DEUM, in quantum nos debet ſatiare, & noſtram animam implere ſuâ immenſâ gloriâ; Charitas autem ex toto pura, ex toto generoſa, per omnia nobilis, amat DEUM ſolùm propter DEUM, gaudet de bono DEI, quia bonum DEI eſt, complacet ſibi in perfectionibus DEI, quia ſunt perfectiones ſui Dilecti; in DEO conſiſtit, in DEO requieſcit; ideo eſt unio fortunata, quæ intimè conjungit DEO animam; eſt funiculus, quo ſe communicat DEUS noſtris virtutibus, & eſt nodus amoroſiſſimus, qui nos ſtringendo cum DEO facit in nobis eſſe perfectiones illas, quæ ſine illa nec eſſent virtutes: *Super omnia*, dicit ſanctus Paulus ad Coloſſ. 3. v. 14. *Charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.*

II. Jam itaque Dilectissimi, vobis monstravi, quomodo debeatis ambulare ad DEUM per Fidem, credendo illius æternas veritates: jam explicavi, quomodo debeatis ad DEUM accedere per Spem, securi de ejus promissionibus, quòd nimirum sitis accepturi immensa bona gloriæ Divinæ, sed timorosi propter vestram imbecillitatem, quòd illam gloriam perdere possitis, si non correspondeatis vestris bonis operibus, & meritis Divinæ gratiæ, Utrumque iter ex integro securum, ex integro necessarium, ità quidem, ut si desit Fides, non sit videndus DEUS, si desit Spes, non sit acquirenda gloria: Verùm si Fides, & Spes sint absque meritis, & sine bonis operibus nihil prosunt; Hac de causa adjungo nunc cum sancto Paulo 1. ad Cor. 13, v. 31. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ecce, præter has duas vias, vobis monstro viam excellentiorem, hæc via est Charitas; nam Fides, & Spes, ut nos perducant ad Cœlum, omnino indigent bonis operibus, & meritis; Charitas est illa, quæ nos coroborat, & animat ad bona opera; illa est, quæ dat valorem nostris meritis; nam sine Charitate in anima nec residet virtus, quæ DEO placet, nec adsunt merita, quibus debeatur vita æterna, & consequenter sine Charitate nec datur salus, nec visio DEI, nec gloria. DEUM immortalem! quæ Charitas erit ista, tam pretiosa, tam inæstimabilis, à qua dependet omnis nostra fortuna; & quis erit tam infinitè fortunatus, qui habet in anima sua hanc gemmam valoris tam infiniti? O quàm bonæ duæ interrogationes! Quid est Charitas? & quis est, qui in anima sua possidet Charitatem? His duabus interrogationibus respondebo breviter.

III. *Quid est Charitas?* Hæc est interrogatio, quæ sequitur in Catechismo. Itaque, antequam respondeam, necessarium est scire, quòd nunc non loquatur de Charitate subsstantiali increata, & Divina, quæ est ipsemet DEUS; *DEUS Charitas est*, dicit sanctus Joannes, 1. Jo. 4. Non loquitur de illa Charitate, qua ipsemet DEUS amat nos jam ab æterno: *In Charitate* perfecta, *perpetua dilexi te.* Jer. 31. v. 3. Loquimur itaque de Charitate creata, de Charitate, qua nos debemus amare DEUM; hanc ergo explicat sic communis Theologorum: *Charitas est inæstimabile donum DEI.* Donum? ità est, Dilectissimi, supremum, & maximum, quod DEUS nobis præstat, quia cum hoc nobis dat totum, quod potest dare, quod est *esse* filios, esse amicos, esse

eſſe hæredes DEI. *Donum*, quia ſine ullis meritis noſtris, ſolummodo ex ſua miſericordia, & propter merita Redemptoris noſtri JESU Chriſti, illud nobis concedit DEUS: *Donum*, quia abſque eo, quòd DEUS à nobis expectet aliquam recompenſationem, vel aliquam aliam ſolutionem, præter id ipſum, quod nobis dat, & concedit ex ſua infinita liberalitate. *Charitas eſt virtus ſupernaturalis*, dicunt alii: *ſupernaturalis*, quia eſt ſupra omnes vires totius noſtræ naturæ, quia nunquam illam noſtris viribus poſſemus obtinere; *ſupernaturalis*, quia nos elevat, & evehit, & potentiam præbet ſupra noſtram naturam faciendi opera, quibus meremur gloriam. *Charitas*, explicant alii, *eſt habitus infuſus:* Jam hoc ſcitis, quid ſit habitus infuſus; *habitus*, quia nos facilitat facere illud, ſine quo illud facere eſſet omnino nobis impoſſibile; *infuſus*, quia, cùm nos non poſſimus qualicunque induſtria, qualicunque diligentia illum acquirere, illum nobis DEUS infundit in anima: *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, dicit S. Paulus ad Roman. 5. v. 5.

IV. Jam autem iſtud Donum DEI, iſta virtus ſupernaturalis, iſte habitus infuſus, quid facit in noſtra anima? Quid? Facit illam potentem, & validam ad amandum ſupra omnia ſummum, & infinitum Bonum, quod eſt DEUS, propter ipſum DEUM. Spe amamus infinita Bona DEI, ſed illa amamus amore intereſſato, quia illa amamus ideo, ut illis frui poſſimus: Charitas autem illa amat, quia DEUS illa poſſidet, gaudet, quòd DEUS illa habeat: hoc eſt amare DEUM, & hic amor eſt amicitiæ puriſſimæ: *Quid mihi eſt in Cœlo*, dicebat David Pſal. 72. v. 25. *Et à te quid volui ſuper terram?* Extra te Domine, nihil volo in Cœlo, nec quidquam appeto in terra. *Quomodo poteſt eſſe*, dicebat cor ardens ſancti Philippi Nerii: *Quomodo poteſt eſſe, quòd ille, qui in DEUM credit, & DEUM cognoſcit, poſſit aliquid aliud amare, quàm DEUM? O Domine*, ſolebat amorosè conqueri, *O Domine, cùm ſis in tantum amabilis, & quod plus eſt, cùm nobis mandes, ut te amemus, cur nobis ſolummodò unum cor dediſti, & iſtud tam parvum?* Sed quid quæro exempla hodie, cùm habeamus illud prodigium Charitatis, illam S. Roſam, magis in amore, quàm in Roſeto ſuæ pulchritudinis accenſam: *Ad quem finem eſt iſtud meum Cor?* ſolebat dicere ad ſuum Divinum Amantem, *Si non liqueſcat in cineres amore tui? da mihi illum amorem, quo te ipſum amas, & ſi non, quomodo poſſum correſpon-*

dere tibi? Iſte amor fuit ille, qui Sanctam hanc fecit exorbitare in tantis pœnitentiis, quas etiam tantùm audire, incutit horrorem. Iſte amor fuit ille, qui illam implevit tot, & tantis admirabilibus virtutibus: iſte amor fuit ille, qui illam elevavit ad tantos cœleſtes favores, iſte amor fuit ille, qui illam replevit tot innumeris miraculis, adeò, ut ſi illa vellem ſingula referre, eſſet referre totam vitam Roſæ, quæ nihil aliud fuit, quàm contexta tela ex Charitate. Hoc fuit immortale ſemper incendium omnium Sanctorum: O quid dicam ego hìc de flammis Auguſtini, de fornaculis Franciſci, de igne ardente Ignatii, de ignitis ecſtaſibus Thereſiæ? Sed deeſt tempus pro tanto mari.

V. Jam ergo ſi noſtra Charitas amat in DEO Bonitatem ſummam, perfectiones infinitas; ubicunque inveniat iſtas perfectiones, etiam illas debet amare. Hac de cauſa ergo extendit ſe Charitas ad amandum pariter noſtrum Proximum; cùm enim quilibet ſit imago DEI, invenimus in eo eandem rationem illum amandi. Sed propter hoc ipſum invenimus tamen diſtinctionem in modo illum amandi; id eſt, quòd illum debeamus amare non propter ipſum, ſed propter DEUM, & non ſuper omnia, ſed ſicut nos ipſos. Iſte eſt ergo habitus Charitatis; nam actus Charitatis amandi DEUM, explicabimus proximè in Præcepto primo. Et videtis hìc, quomodo complectatur totum hoc brevibus, & claris verbis Catechiſmus: *Quid eſt Charitas?* Reſp. *Amare DEUM ſuper omnia, & Proximum ſicut teipſum.*

VI. Cùm igitur jam ſciamus, quid ſit Charitas, anima virtutum, valor & pretium meritorum, interrogo nunc: Quis erit fortunatus ille ex omnibus meis Auditoribus, qui poſſidet in anima ſua Charitatem? O! hoc habet facillimam reſponſionem, Pater. Ille, qui facit multas eleemoſynas; ille, qui viſitat Hoſpitalia; ille, qui ſuccurrit pauperibus; ille eſt, qui poſſidet Charitatem. Ah Dilectiſſimi! iſta ſunt ſigna valde bona; ſed cum iſtis ſignis exterioribus bene poteſt eſſe, quòd non ſit Charitas in Anima. Et ſi iſta non eſt in anima, quid proderunt hæc ipſa opera pro Cœlo? Nihil, nihil. Audite hoc ex ſancto Paulo 1. ad Cor. 13. v. 5. *Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Etiamſi quispiam diſtribueret mille milliones ſuarum opum in ſuſtentationem pauperum, ſi non habet in Anima ſua Charitatem, & ſic ipſum mors in-

inveniat, nihil ei proderit, quin non cadat in infernum. Quid ergo dicemus de illis, qui viventes in occasione turpi, dicunt, quòd personam complicem sustentent ex Charitate? Ah Charitas! Hanc vos vocatis Charitatem? simile quid vocatur, & est damnatio. VII.

Procedamus itaque ulteriùs, quis erit, qui possidet in Anima sua Charitatem? erunt fortè Magnates? potentes in sæculo? homines docti, & sapientes? Advertite, dixit semel sanctus Frater Ægidius ad sanctum Bonaventuram: multos favores fecit DEUS vobis literatis, & doctis, quibus ipsi potestis servire, & eum laudare; nos autem ignorantes, & rudes, qui nullam peritiam habemus, quid possumus facere, ut illi placeamus? Respondit illi sanctus Bonaventura: Si DEUS nullam aliam gratiam daret homini, præter hoc, quòd illum possit amare, hæc sufficeret, quia talis DEO exhiberet majora servitia, quàm pro omnibus gratiis unitis. Et nunc quæro, dicit Frater Ægidius: potéstne unus ignorans, rudis, & nullâ literaturâ præditus amare DEUM nostrum tam intensè, quantum aliquis literatus? potest, respondet sanctus Bonaventura, potest una senicula Anus simplex, & rudis amare intensiùs DEUM, quàm aliquis Magister in Theologia. Tunc Fratrer Ægidius, fervore exuberante, prosiliit currendo ad portam, quæ respiciebat Civitatem, & clamore valido dixit: senicula paupercula, ignorans, & rudis, & sine literis, ama DEUM tuum, & poteris esse melior Fratre Bonaventura; & in hoc remansit in ecstasim raptus per tres horas. Ah miserabilis serve, ah paupercule ab omnibus despecte, ah homo vilis, ah mulier derelicta, ama DEUM, ama tuum DEUM, & eris major multis Grandibus Monarchis, & Regibus. *Quis est coram DEO major, & sanctior?* Resp. *Qui habuerit majorem Charitatem, sit ille quiscunque velit:* sit quisquis velit, quia quoad Charitatem non est distinctio, nec exceptio personarum. Et qui non habet Charitatem, quid erit? erit dæmon, sit ille quiscunque. Ità respondit ipsemet diabolus quadam vice adjuratus in præsentia sanctæ Catharinæ Senensis, ut suum manifestaret nomen, & dixit: *Ego sum Spiritus nequam privatus amore DEI.* Ah! si Lucifer, ex Cherubino tam pulchro, tam gratioso, tam venusto, solùm ob perditam Charitatem factus est in instanti dæmon tam ferus, tam abominabilis, tam horrendus; Ah quis erit ex meo Auditorio ille,

le, qui ſit in anima ſua factus dæmon, eò quòd non habeat in anima ſua Charitatem? *privatus amore DEI.*

VIII Jam nobis clariſſimè fuit dictum: ille, qui ſtat in gratia DEI, ille ſolus habet Charitatem in anima ſua. Advertis in anima tua peccatum mortale? Ergo non habes Charitatem in anima, & es tam ferus, horrendus, & tantùm abominabilis in oculis DEI, ſicut ipſemet dæmon. Vis ergo acquirere hanc gemmam inæſtimabilem? hanc vitam animæ? hunc theſaurum infinitum meritorum, & virtutum? totum hoc tibi lucrabitur una vera pœnitentia, una contritio ſincera, unum propoſitum firmum, una confeſſio integra omnium tuarum culparum.

IX. Modò igitur ſi me interrogatis: quando nobis dat DEUS hoc donum tam pretioſum? quando nobis infundit hanc virtutem ſupernaturalem Charitatis? Reſpondeo cum Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 7. & 15. in ſacro Sacramento Baptiſmi DEUS nobis infundit Charitatem unà cum Fide, & Spe. Sed poſteaquam per noſtram malenatam, & perverſam ingratitudinem perdimus per peccatum Charitatem, & gratiam, reſtat nobis ſolummodò remedium in Sacramento Pœnitentiæ, ubi diſponendo nos per dolorem de peccatis, & per confeſſionem illorum, ex ſua infinita miſericordia recipit nos in ſuam amicitiam, faciendo nos de novo filios ſuos donando nobis Charitatem, & gratiam. Et jam ſi facilè eſt tibi fieri amicum DEI, cur differs ô homo? ſi in uno momento potes fieri Dominus Gloriæ, cur vis remanere in inferno?

X. Refert Heroltus in ſuo Promptuario de certo homine potente, & divite, qui fuit ex numero eorum, qui ſolent eſſe magis attenti ad ſua bona, & ſupellectilem, quàm ad ſuam familiam; plùs ſoliciti de augendis ſuis lucris, quàm in virtute educandis filiis, iſte, quod neglexerat in illorum educatione, auxit in ruina; quod erat id, quod ſolùm in mente verſabat ſua avaritia. Habebat duos filios, & unam filiam, qui permiſſi ſuæ voluntati facilè habenas laxârunt ſuis appetitibus, & nè opus eſſet foris quærere inſtrumentum: ipſi inter ſe operantes propriam perditionem fabricârunt infelici Patri ultionem. Evenit (horror præcludit fauces) evenit, quòd minor fratrum, admittendo ſe uri turpiſſimis inferni flammis, præcipitaverit ſe in amorem turpiſſimum ſuæ ſororis, vicinitas cohabitationis erat fortè incen-

centivum, occaſiones plurimæ, ætas præcipitoſa, libertas abſque freno. Ah Patres! attigit profundum infortunium, quod, licèt certis, & multis cooperimentis tegeretur, non poterat longo tempore occultum manere alteri fratri; qui primò per ſuſpiciones rem apud ſe verſando, tandem poſtmodum finiit in evidentiis; & tactus juſta indignatione ob tam turpem abominationem, reprehendit fœdum inceſtuoſum aſperrimis verbis, quibus adjungendo minas, promiſit hæc omnia Patrem reſciturum. Erat jam delinquens iratus videns ſe deprehenſum; & ſummo furore correptus audiendo minas ſibi intentari, accipit pugionem, & occiſo fratre profugit eô momentô ex domo, relinquens in illa ex toto ſuum ſanguinem profanatum. Tunc (quàm tardè!) pervenit notitia cum morte de peſſima vita filiorum ad Patrem. Oh quot ex Parentibus cum ſtulto *quis cogitáſſet?* expectant ſimiles, vel alios tales infames eventus! Magnum ex hoc Pater ſenſit dolorem, & poſtquam ſordidum exhæredàſſet fratricidam, omni ardore illum quærebat ad dignam ei pœnam inferendam. Abſconditus occiſor reſciendo hoc, ùt latro domûs, ſcivit noctu in eam intrare, & ſinendo Patrem obdormire proprium (*quis horror!*) eo ipſo pugione, quo fratrem confecerat, *intulit mortem illi, qui ei dederat* cum eſſe vitam. Rabiem deponit immanitas, ſed ſucceſſum non miror. Totum hoc poſſunt expectare *mali* Patres, & jam ex talibus principiis, qualem *expectatis hujus infortunati juvenis finem?* Fugiens de loco in locum, oblitus DEI, Eccleſiæ, & Sacramentorum, tranſegit aliquot annos; tandem audiens laudari zelum Apoſtolicum certi cujusdam præclari Prædicatoris, de quo illi tanta dixerunt, ut ſe ex curioſitate reſolverit illum audire. Utinam ſemper ſic eveniret curioſis. Deprædicavit Eccleſiaſtes miſericordiam DEI, qua expectat peccatores, amorem infinitum, quo illos vocat, ſolicitat, & quærit: deprædicavit Auditoribus cum energia illud, quod ego ſine illa vobis retuli; id eſt, qualiter in momento; in inſtanti, per amorem purum, & ſincerum, per unicum actum Charitatis veræ poſſent fieri filii DEI. Tantum hic ſermo in corde adoleſcentis effecit, ut eô momentô, quo ex ambone Prædicator deſcendit, petierit ab ipſo excipi ſuam confeſſionem; confeſſus eſt integrè plenus lachrymis, & dolore: Verùm Confeſſarius, antequam eum abſolviſſet, ut dolorem tantò intenſiorem eliceret, & propoſitum, præ oculis ipſi po-

posuit effigiem Crucifixi, exponendo ei illum infinitum amorem, qui effecerat in DEO illud spectaculum tam miserandum. Hoc ipsi dicebat, & convertens oculos ad pœnitentem invenit illum mortuum. Hìc anguſtiæ Confessarii, hìc dubia ejusdem conscientiam torquebant, eò quòd pœnitentem non absolvisset. Die sequenti expetiit ab Auditorio preces pro Anima defuncti. Verùm ubi omnes in genua provoluti fuissent, involavit Columba albissima, quæ portans in rostro schedam, illam sinit cadere ad pedes Prædicatoris; legit hìc, & dicebat: *Titius non indiget vestris orationibus, quia tantum elicuit de peccatis suis dolorem, & amorem erga DEUM, ut auferendo illi dolor vitam, ei jam dederit æternam, quâ fruitur.*

XI. Dilectissimi omittite admirationes, & percipite fructum. Omnia, quotquot DEUS bona possidet nobis in Cœlo danda, & in terra, omnia cifrantur in Charitate; hanc si volumus, possumus illam consequi in momento. Quis stultus erit, ut illam spernat? quis tam amens, qui illam non quærat? O DEUS pulchritudo infinita! bonum immensum! quis te amet, ùt te amant omnes Beati in Gloria!

SERMO-

SERMONES INCIDENTES,

QUI

Continent Doctrinam ſpectantem ad easdem Inſtructiones.

De Amore Inimicorum.

Primo die Veneris Quadrageſimæ.

Diliges Proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Matth. 5. v. 44.

SI amare eſt tam facilè, ac velle, quid eſt jam nunc illud, quod mihi hodierno die reſtat perſuadendum? Omnes fatentur uſque in hanc horam tam eſſe certum, ac probatum, negotium videlicet iſtud amandi non eſſe plùs, quàm velle. Et ſi hæc eſt veritas tam decantata, cur ego volo aures præbere difficultatibus, quas ponderant in injuria circa amorem habendum verſus inimicos offenſi; obſtaculis, quæ repræſentant in ſuo honore læſo, duellatores: impoſſibilitatibus, quas ſecundùm leges mundi allegant Statiſtæ ad ſumendam malenatam vindictam. Quandoquidem obſtacula, quæ per ſolum velle complanantur, non ſunt obſtacula; difficultates, quæ per ſolum velle vincuntur, non ſunt difficultates, impoſſibilitates, quæ per ſolum velle leniuntur, non ſunt impoſſibilitates. Eja ergo; quòd ſi omnes cantent hoc negotium amandi non eſſe plùs, quàm velle, amate inimicos veſtros: *Diligite inimicos veſtros:* Chriſtus JESUS eſt ille, qui id faciendum mandat. Ad quid enim perdam tempus in adducendis exemplis, in allegandis authoritatibus, in diſcutiendis rationibus, in ponderandis argumentis? ſi quis ſuum DEUM non audit, quid aliud talem movebit? Diligendo inimicos habemus ſperan- I.

dam æternam ſalutem, divitias immenſas, quietem perdurabilem, honorem perpetuum. Cur igitur perdendum tempus in proponendo injuriâ affecto, quietem hujus vitæ, utilitatem, & honorem mundi, ſi condonet; quantumvis igitur illi concederem, remiſſionem injuriæ eſſe in hoc mundo maximum infortunium, infamiam, & pudorem; Pati tamen hoc totum nihil eſſet pro conſequendo in Cœlo illo, qui ſolus eſt honor, & eſt æternus: *Solus honor, qui nulli negatur digno, nulli deferetur indigno*, prout dixit ſanctus Auguſtinus. Et ultimatò, ad quid ſubtiles proferam diſcurſus ad demonſtrandum voluntati facilitatem, factibilitatem, ſuavitatem, quoad implendum hoc Præceptum, ſi omnes jam fateantur, hoc negotium amandi eſſe tam facile, ac velle? Ità eſt, dicet mihi quispiam æſtimando ſe Philoſophum; ſed hoc intelligitur de amore objecti grati, in quo cognoſcitur convenientia, in quo invenitur delectatio, & guſtus. Admitto reſponſum; ſed videamus, quid poſſit opponi huic inſtantiæ? Si Fides, ſi Veritas æterna, ſi ipſemet DEUS nos aſſecurat in amando inimico de maxima delectatione quietæ conſcientiæ, de maximo commodo Animæ, & de oblectamento immenſiſſimo gloriæ: Ergo nihilominus amare inimicum erit tam facilè, quàm velle. Plùs ultrà: Nullam habet amor noſter excuſationem, ſi non velimus abnegare Fidem; & qui aures non præbet Fidei, nec me auſcultet, & hoc pro Auditoribus Catholicis ſufficit. Velle malè, & velle bene, totum eſt velle; & ſi velle objectum delectabile, & gratum eſt amor pulchritudinis; velle bene inimico eſt amor pulcher. Unus quærit pulchritudinem; & alter in ſeipſo illam continet; & hoc, quod intercedit inter quærere, & tenere, hoc intercedit inter amorem pulchritudinis, qui pro matre habet naturam, & amorem pulchrum, qui amando inimicum habet pro matre gratiam. Attamen cùm hic ſermo ſit de inimicis, reductus eſt in campeſtre certamen, in quo pugnatur argumentis, & rationibus. Ego igitur fateor uſque in hanc horam, me non eſſe hodie tantarum virium, ut ità provocatus exeam in campum, non cogito tali modo in campo aperto proferre acumina, quæ inveniendo ſcuta excuſationum, & receptus Sophiſmatum, poſt multas defatigationes, & laſſitudines nil aliud efficerent, niſi ut nos, & inimicos noſtros ſine fructu, & effectu ſperato in civitatem redire cogerent. Domeſticè magis pugnare cogito hodie, & ideo, relinquendo ra-

rationes ſtatûs, & vindictas illis, qui æſtimando ſe multùm dishonoratos in puncto ſolo rumpuntur, & in puncto ad infernum decidunt, ùt loquitur Job, c. 13. *Et in puncto ad inferna deſcendunt*; Relinquendo provocationes, arma, ſclopos, & alia id genus, ipſis præſumptuoſis rixatoribus, qui vitas vendunt, & qui unà cum ipſis armis deſcendent ad infernum ad proſequendum contra ſeipſos certamen juxta illud Ezechielis c. 32. v. 27. *Deſcendunt in infernum cum armis ſuis:* Propoſui mihi intrare domos, imò ipſas ſecretas cameras ad quærendos inimicos, qui fortè per impios, & ſceleratos celantur. Si itaque priùs non intravero, non poſſum vobis dicere. Attendite.

Jam ergo, id, quod aliàs ſupponitur in ipſo principio pro indubitato, tanquam jam non incognitum, eſt ipſiſſimum illud, quod mea ignorantia debet indagare. *Diligite inimicos veſtros.* Et qui ſunt, interrogo ego, iſti inimici, quos debemus diligere? Quàm otioſa interrogatio? Non: non me tam citò culpate, antequam demonſtrem meam rationem, & noſtra experientia fateatur, hanc interrogationem nullam omnino habere inutilitatem. Supponitur ex Evangelio, & ſunt ipſimet perverſi Judæi illi, qui hoc ſupponunt, ut amentur noſtri proximi: *Diliges proximum tuum:* Levit. 19. v. 18. Et ſi ego ſecundùm motum noſtrorum morum non poſſum diſtinguere per actiones, quales ſunt illi proximi, qui amantur, quomodo potero cognoſcere, quales ſunt inimici, qui debent amari? Si per actiones, ſi per opera, ſi per effectus nullus ſciret divinare, & diſtinguere in iſta Civitate, quinam conſiderantur, ùt proximi; quomodo in hujuſmodi confuſione erit, qui determinet, quinam conſiderandi ſint, ùt inimici? Etſi jam illud, quod ſupponitur, eſt dubioſum, quomodo illud ſciemus, quod nobis mandatur? II.

Caſus eſt, Auditores mei, multi cogitant (vel ad minimum operantur, ſic ſe gerunt & vivunt, acſi ità cogitarent,) quòd de inimicis, quos debemus amare, ſolùm intelligatur de illis, qui armati provocant volendo illos occidere. Cogitant vindictas, quæ hìc nobis prohibentur, ſolùm illas eſſe, quæ deveniendo ad ultimam ſtragem intentant ſpargere ſanguinem cordis, & ipſam vitam. Cogitant mulieres, hoc negotium inimicitiarum in Evangelio prohibitarum ſolummodo tangere viros, qui gladiô ſimiles ſolent dirimere inimicitias. Cogitant Cognati, & fratres, quòd hæc qualitas odiorum DEO exe- III.

crabilium ſolummodò illis prohibeatur versùs extraneos. Cogitant illi, qui in una domo conveniunt, & cohabitant, hoc negotium rancorum, ſolummodò Chriſtum JESUM inter illos amandare, quos nec vident, nec cum illis converſantur, nec illos alloquuntur. Cogitant illi, qui ſe vocant amicos, quòd has malas voluntates ſolummodò rejiciat DEUS in illos, qui jam ſunt declarati inimici. Et ultimò cogitant aliqui, ibi ſolummodò eſſe inimicitias, ubi interceſſerunt manifeſtæ injuriæ; & cogitant alii, ibi ſolummodò eſſe odia, ubi cum averſione, cum ſeparatione, cum corrugatione frontis, & facici denegatur allocutio, communicatio, & bona humanitas. Nunc utamur his veritatibus, & auferamus operculum. Dantur graviſſimi rancores inter nos, ſine provocationibus, ſine armis, ſine piſtolettis, ſine effuſione ſanguinis, & ſine ablatione vitæ. Inveniuntur funeſtiſſima odia intra eandem domum, eandem familiam, intra illos, qui ſunt ejusdem artis, inter illos, qui ſe alloquuntur, qui inſimul converſantur, & ſe ſalutant; dantur inimicitiæ crudeliſſimæ inter illas ipſas converſationes, quæ vocantur amicitiæ; & finaliter inveniuntur tales, qui alium abhorrent, à quo nunquam ſunt aggravati: datur talis, qui fabricat ruinam illi, qui ſe affabilem exhibet; & eſt, qui machinatur infamiam illi, cui præſtat obſequium, & ſe profitetur ad ejus ſervitia ſtare. O DEUS! quis hic modus vivendi, in quo labyrintho verſatur.

IV. Ego igitur hac de cauſa illud, quod in Evangelio ſupponitur, hoc ipſum omnino eſt, quod vellem perſuadere. Supponitur, ut diligamus proximum. Quid autem iſti intellexerunt per Proximum? Jam patet, quòd non fuerit generalis proximitas, in qua omnes ab Adamo deſcendimus; & ſic non facerent diſtinctionem. Vocabant Proximos, dicit Albertus Magnus, Cognatos illos, qui ſunt ejusdem exercitii, habitationis, officii, & qui ſunt amici: *Proximitas hæc eſt conjunctio originis, vel convictus beneficii, vel redilectionis.* Nunc ſi illos, quos perverſiſſimi Judæi vocant Proximos, videmus inter Catholicos eſſe perverſiſſimos inimicos, ùt noſtri mores procedunt; hoc ipſum cogito eſſe, dicere: *Diliges Proximum tuum*, ac nobis dici: *Diligite inimicos veſtros.*

V. Confuſum, & perplexum me hìc ſenſi, neſciens, quâ viâ intrandum in tam denſam ſylvam veprium, tam venenatarum; quando mi-

hi

hi furatur attentionem una miſerabilis Mulier, quæ faciens ſibi viam inter Janitores, & cuſtodias, intrat, præmiſſis ſingultibus, cubiculum audientiæ Davidis, & poſteaquam proſtrata effudiſſet cor in gemitus, miſcendo lachrymas: O Rex miſericors, dicit: Inveniat benevolum receptaculum in tua benignitate una Mulier, cui ùt viduæ derelictæ & ſoli, volunt intricare ſuam juſtitiam. Dic, mulier, conquieſce; & illa: Habui ego, Domine, duos filios: Oh! utinam nunquam illos habuiſſem, non experirer nunc cor meum in duas diviſum partes! Illi inter ſe rixati ſunt, quid ego ſcio, quid fecerint? provocaverunt ſe in campum; & unus illorum, & (quale infortunium!) alterum vitâ privavit (quis dolor!) & præter tantum infortunium nunc illorum cognati, & mei, conjurantes omnes volunt etiam mihi vitam tollere, volentes inferre ſuperſtiti mortem; *Et ecce conſurgens univerſa cognatio dicit: Trade eum, qui percuſſit, ut occidamus eum, & deleamus hæredem.* 2. Reg. 14. v. 7. Quid tu dicis Mulier? Non leviter te tenet dolor perturbatam; ſiquidem quis tibi credet, tuos cognatos hoc auſos eſſe? Etiamſi hoc diceres de Miniſtris Juſtitiæ, adhuc eſſet dubium. Verùm cognati, quorum erat allevare dolorem, qui tecum participant de cordolio vellent illud ità augere? Quale hoc remedium damno? quale temperamentum convulſioni? jam eſt unus mortuus, quid volunt & alterum occidere? Jam hoc prævenit illa mulier ſapiens: erat filius ſuperſtes hæres: *Et deleamus hæredem:* hoc eſt? Diſtributio hæreditatis? Jam ergo credo ex hoc momento, cognatos fore primos ad occidendum: *Probabile fecit commentum ſuum Thecuana mulier*, dixit noſter Venerabilis Caſpar Sanchez, *cùm ſapiens inducit: & deleamus hæredem; quaſi diceret: Ut tollamus impedimentum, quod nobis ad paterna bona aditum occludit.* Ah intereſſe vile! ah infame intereſſe! quod ità invertis forum naturæ, obligationes ſanguinis, limites rationis, & leges ſanctas DEI. Videmus ſæpiùs annos integros decurrere, quòd hæc, vel illa perſona non viſitet hanc, vel illam Dominam; quòd nec in via, nec in Eccleſia ſe adinvicem ſalutent. Nónne ſunt cognati? imò ſunt ſorores. Sorores? & ſic adinvicem vivunt? Sed quid miramini? Multò plura inter illos contingunt, & plura dicerem: O DEUS! & quis poteſt intra talem, & tantam proximitatem amoris rumpere vinculum? quis intra tam præciſam obligationem, agnitam etiam inter Tygrides, relaxare reſpectum? Quis in-

intra ſanguinem tam unitum, tam unum, dividere corda? Et quis inter duas mulieres, quæ ſe dicunt Chriſtianas, fecit obliviſci Legem DEI propter ſcandalum tam publicum? Intereſſe, intereſſe, quod non recognoſcit propinquitatem aliam, niſi cum pecunia: *Neſcit propinquitatis jura cupiditas, ſed propria utilitas hæc frater eſt:* dixit Tertullianus adverſ. Gnoſtic. eſt caſus, quòd illarum mariti vel litis causâ, quam proſequuntur, vel hæreditatis, quam prætendunt, vel ratiocinii, quod non componunt, vel neſcio, quorum debitorum cauſa, quæ intricata ſunt, vivant adinvicem animis diſtortis, & perdito propter intereſſe reſpectu verſus mundum, & DEUM, occludendo oculos ad juſtum, aperiunt portam ſcandalo, & mandârunt mulieribus, nè ſibi invicem colloquantur, nè inter ſe conveniant, nec una alteram ſalutet; & hæc lex debet obſervari, data à marito ruſtico, & lex DEI eſt hac de cauſa conculcanda? quomodo ſimiles confitentur, quomodo communicant, ſi convenientes inſimul ante idem Altare nec quidem ſe aſpiciant? Hoc, quod ego ſcio, eſt, Concilium IV. Carthaginenſe prohibere admitti, ad Altare oblationes illorum, qui ità publicè monſtrando ſe inimicos, ſe adinvicem non ſalutant. Concilium Carth. IV. Can. 93. d. 90. cap. oblat. Concil. XI. Toletanum mandat, ut talibus denegetur ſanctiſſima Communio, Can. 4. Concilium Agatenſe Can. 31. d. 90. c. plac. diſponit, ut ſimiles, tanquam membra putrida reſecet à ſe Eccleſia per ſententiam excommunicationis. Et hìc videmus, cùm ſit ſcandalum tam notorium, durat odium uſque ad ipſa Altaria clementiæ, & ſimul communicant illi, qui habent corda tàm diviſa. O ſancte DEUS! Non nego ſalutationem unius perſonæ ab alia non eſſe partem omnino neceſſariam ad verum amorem, quem nobis hodie intimat Vita noſtra Chriſtus JESUS; Verùm ſi omiſſio ſalutationis eſt inter perſonas, in quibus per aliquem ſpecialem titulum, vel cognationis, vel obedientiæ, vel publicæ amicitiæ, quam ante colebant, appareat actus, qui negatur deeſſe humanitatis, quis videbit ſcandalum, & per conſequens culpam? & tamen tales accedunt ad Communionem? quomodo confitentur, repeto meam interrogationem? quomodo confitentur?

IV. Sunt idcirco etiam frivolæ excuſationes, quibus, nè intereſſe appareat, volunt deaurare inimicitiam, nimirum non notificavit mihi talem, vel talem ſuam functionem, vel ſuas nuptias, priuſquam aliis

aliis notificâſſet; & ratione hujus punctilii tam vani aggravatur anima integro monte culparum. Vicerat Gedeon Madianitas; & dum omnes tribus Iſraëlis celebrarent victoriam feſtivis applauſibus; ecce tibi ſola tribus Ephraim excitat tam amaras querelas, ut parum defuerit, quin applauſus converſus fuiſſet in ſanguinoſiſſimam pugnam: *Surgantes fortiter, & propè vim inferentes*, Judic. 8. v. 1. Et tota querela fundabatur in eo, quòd illos Gedeon non vocaverit ad pugnam: *Quid eſt hoc, quod facere voluiſti, ut nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian?* Ibidem. Verùm, DEUM immortalem! quare ſola tribus Ephraim eſt illa, quæ ſic ſe offenſam conqueritur? Aliæ tacent, & illa ſola dolet? Ità eſt: Erant Ephraimitæ viciniſſimi cognati Gedeonis, qui erat de tribu Manaſſe, Ephraim autem, & Manaſſe deſcendebant ex Joſepho, & fundabatur cordolium in propinquiori cognatione; ſubtilitas amoris, quod in tantum reſentiant ſe, non veniſſe, nec vocatos fuiſſe cum cognatis ad pugnam; cognati, qui offenduntur ex eo, quòd non fuerint vocati ad periculum, procerto nobiles cognati ſunt; ità hìc apparet, dicit Abulenſis; verùm hoc non eſt, quod veraciter querelam movet, eſt dolor ex eo, quòd nullam ex ſpoliis partem habuerint, & ſtimulus ex eo, quòd filii Manaſſes excellerent; & idcircò quando omnes applaudunt, illi, qui de arctiori ſunt cognatione, ſunt etiam primi, qui conturbabant lætitiam, & jucunditatem victoriæ. Certum eſt, & patet ex textu capitis antecedentis, illos fuiſſe à Gedeone ad pugnam invitatos; adeoque quomodo poſſunt querulari, ſe non fuiſſe vocatos? quia ipſos vocavit cum omnibus aliis tribubus, & ipſorum ſuperbia ambiebat, ut eorum invitatio fieret cum majori, & ſpecialiori cæremonia: *Putabant*, dicit Abulenſis, *ſe contemni, ſi non obſervarentur eis multæ cæremoniæ honoris.* Ah! quot, & quantæ, quæ apparent ſinceritates, & ſubtilitates amoris, ſunt deaurati prætextus maximè ruſticæ craſſitiei, & unico actu læſi honoris, quem allegant pro offenſa, occultant venenata vulnera palliatorum odiorum; Quid hæc, vel illa perſona murmuravit? quid dixit, quid huic, vel illi locuta fuit? Et ex hac relatione unius ancillæ, ob hæc novalia unius hominis maligni, vel unius famuli vivunt, ardendo adinvicem odiis duæ bonæ familiæ? & hoc debet ſcire, & contra murmurare, & hoc ipſum irridere tota communitas? Quòd hic duxerit uxorem, vel illa nupſerit cum meo

dis-

disguſtu, & dishonore ſuæ familiæ; forſan non eſt tantus dishonor, quantum ſibi fingit tua ſuperbia. Sed quæro: ex eo, quòd vos illum non alloquamini, nec illum aſpiciatis, ceſsátne eſſe veſter cognatus, vel filius? Non: diſſolvitúrne hac de cauſa matrimonium? Multò minùs; itaque pati ob hoc matrimonium dedecus, eſt perdere ob hoc odium animam; honor, & anima ſunt perdita? O DEUS! quæ major ſtultitia, quàm una amiſſione mederi alteri, & perdere animam ideò, quia vobis videtur perditus eſſe honor? Barbari, dicit nobis hodie Chriſtus JESUS, gens absque DEO, gentiles, converſantur, & ſalutant ſuos cognatos: *Si ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, nónne & Ethnici hoc faciunt*? O Domine! & ſi nec hoc quidem faciant tui Chriſtiani, quid dicemus? Siquidem in hoc conſtituunt punctum honoris, quod ipſimet gentiles æſtimant infamiam.

VII. Facilem probam ſubminiſtrant nobis difficilia verba 2. Paralip. c. 30. *Congregati ſunt contra Iſraël filii Moab, & Filii Ammon, & cum eis de Ammonitis;* Nihil aliud opus eſt, quàm ſermone vulgari verba proponere, ut omnes immediatè cognoſcant illorum difficultatem. Dicit itaque, illos congregatos fuiſſe ad arma contra Iſraëlitas, nimirum filios Moab, & filios Ammon, & cum illis aliquos de Ammonitis; quis unquam audivit ſimilia verba? *Filii Ammon, & cum eis de Ammonitis;* Eſt idem, ac ſi diceret: Congregati ſunt illi ex Urbe Roma, & cum illis aliqui Romani, illi ex Hiſpania, & cum illis aliqui Hiſpani; Ad quid igitur eſt iſta repetitio tam otioſa, dicit ſanctus Hieronymus hìc, quia illi, quos vocat Ammonitas, non erant de natione Ammonitarum, ideo illos vocat filios Ammon; Erant Ammonitæ ſolummodo habitu, quia illi erant Idumæi. Sufficit authoritas tanti Patris extrahere nos ex hoc dubio; verumtamen adhuc remanet aliud; ſi ſunt Idumæi, cur vocantur Ammonitæ? *Et cum eis de Ammonitis:* caſus eſt, proſequitur ſanctus Hieronymus; bellum agebatur contra Iſraëlitas, contra filios Jacob; & Idumæi filii, & deſcendentes Eſau, fratris Jacobi, erant illorum cognati; jam pugnare contra cognatos fuiſſet pudor Idumæis, & quid faciunt? Mutant habitum, & ſic volunt potiùs vocari Ammonitæ, nè ipſis remaneat infamia, & dicatur in mundo, certos cognatos bellare ùt inimicos contra alios cognatos. Oh! quàm animata ſunt verba ſancti Hieronymi in quæſt. Hebr. in Paral. *Ob reverentiam paterni nominis nolebant in priſti-*

no

no habitu arma movere contra Israël, ſed transfigurabant ſe in habitum Ammonitarum. Quamobrem aliqui ex Barbaris habuerunt pro infamia declarare ſe contra ſuos cognatos pro inimicis, & inter Catholicos ducetur honori fovere inimicitiam crudeliſſimam inter cognationem conjunctiſſimam, & arctiſſimam?

Et ſi ità contingit inter illos, qui ſunt ejusdem ſanguinis, quid VIII
evenit inter illos, qui ſunt ejuſdem mechaniæ, & ejusdem artis? Jam reſpondet huic interrogationi proverbium vulgare: *Quis eſt tuus inimicus? Ille, qui eſt mecum ejusdem officii, ejusdem artis,* &c. Et de talibus oh quot, & quanti inveniuntur! Habentur ſimiles inimici in Palatiis, in Tribunalibus, in Scholis; Habentur inimici in officinis artificum, in conclavibus mercatorum, inveniuntur inimici in domibus, & inveniuntur inimici uſque adeò in Monaſteriis; Habentur inimici in viſitationibus, & ſocietatibus, & ſunt inveniendi inimici in ſolariis. Oh quot inimici! Non: nunquam experimur, quòd nos provocent, eſt verum; ſed auferunt honorem: Non utuntur contra nos gladiis; ſic eſt, ſed illudunt linguis; Non incedunt onerati ſclopetis; verùm circumferunt venenò imbutas intentiones; Non effunditur ſanguis, veriſſimum eſt, ſed faciunt, ut ſtilet ſanguinem reputatio, & bonum nomen; non auferuntur vitæ, hoc concedo, ſed damnantur animæ. Oh colloquuntur ad invicem, ſe viſitant, & ſalutant: Ita, ſed quibus politicis intermixtis, quibus machinationibus, quas non technas ſtruunt! Nulli unquam fiunt injuriæ; Hoc ſcio, nihilominus tamen ſunt inimici: Quare igitur ſunt iſtæ tam perverſæ inimicitiæ? Oh! hìc vertitur cardo rei. Expectate.

Quam injuriam fecit illa ſancta mulier Anna alteri, quæ dicebatur Phenenna, quòd eam continuò roſerit murmurationibus, imò etiam tormentaverit opprobriis? 1. Reg. c. 1. Nulla alia fuit injuria, quàm quòd Anna fuerit melioribus dotibus donata præ Phenenna, & ideo, quamvis infœcunda, magìs amata ab Elcana ſuo Marito. Oh quoties contingit! quia hæc vel illa mulier te ſuperat pulchritudine, prudentiâ, & aliis dotibus, absque eo, quòd tibi vel minimum malum cauſaverit, eò ipsò eam habes pro tanta inimica, hæc debet eſſe totus ſcopus tuorum diſcurſuum, murmurationum, & irriſionum; & unicus pilus, quem in ea advertis, minimi exceſſus, hic debet eſſe integra ſcutella tuo ori in converſationibus. Dura res eſt hæc, ut IX.

verum fatear! In quo offendit David Saulum, ut tanto rancore adlaboraverit toties illi vitam tollere? Tota offensa fuit, postquam David illi salutem dedisset, in Regno assecurâsset, & insignes victorias reportâsset, quòd David ex suis heroicis actibus reportaverit, non scio, quos applausus à mulieribus Jerosolymitanis, & quòd ipsemet DEUS illi dederit decretum successionis Sauli in Regno. Talis vel talis, Nobilis prætendens, quia alter, faciendo, & exhibendo, ut suus æmulus, ob diligentiam suam, & ob suam dexteritatem, ob suum brachium, vel manum peritam, obtinuit gloriam, adeptus est gratiam, lucratus est decretum favorabile, impetravit officium, absque eo, quòd tibi, vel ulli alteri fecerit aliquam injuriam, vel læsionem, in tantum ei offenderis, & pro tanto inimico habes, ut subinde per tuum os quilibet scire debeat, & unde fuerint sua initia? Terribilis casus! Quam injuriam, qualem contumeliam fecit illic Jacob filiis Labani, ut illi ore pleno dixerint eum esse furem, latronem, videndo illum divitem? *Tulit Jacob omnia, quæ fuerunt Patris nostri.* Gen. 31. v. 1. Injuria, quam illis fecit, fuit, quòd Patri eorum serviverit quatuordecim annis instar sclavi, faciendo cum illo pacta licitissima, ob quæ DEUS præmiavit Jacobi laborem, & augmentavit ejusdem substantiam. Hic vel ille Mercator, Artifex, Negotiator, quia DEUS alteri benedicit, quia videt ipsum negotiationibus suis lucrari, quia videt, quod in altum emergat, quia videt, quòd bona accumulet absque eo, quòd alteri aliquod malum causet, habet hunc pro tanto inimico, ut non quiescat illum supplantare, & in ruinam præcipitare in fama, & existimatione? Grave infortunium! Et ut meum discursum abbreviem, quam injuriam fecit Abel Caino? Joseph suis fratribus? & posteaquam nec ipsum cœlum evasit hanc pestem: Quam injuriam fecit Verbum DEI Incarnatum Lucifero tam tumultuoso, & rebelli? O quæ inimicitiæ absque injuriis, quæ odia absque offensis, tantò pernicioſiora, quantò occultiora? Et fortè non? quanta & quot damna sequuntur ex similibus palliatis inimicitiis?

X. Ah DEUS meus! & qualis est mundus? exclamat sapientissimus, & perspicacissimus Salomon: *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem.* Eccles. 4. v. 1. Adverti fervere calumnias, falsa testimonia, imposturas, & vituperia; ille, qui heri in tantum honoratus, jam ex honore dejectus; ille, qui he-

herì divitiis abundabat, jam depauperatus; gemit oppreſſus ob violentias ope deſtitus, nec remanet innocenti aliud ſolatium in ſuo totali infortunio, præter proprias lachrymas. Ah munde! Felix ille, qui jam per mortem eſt ab hac liberatus vita, & multò felicior ille, qui non eſt natus, videre, & pati tot & tanta agmina infortuniorum! Sed ſi tanti cadunt abſque eo, quòd ſciant quare; Si tot & tanti in ruinam deveniunt abſque eo, quòd ſciant, quomodo aliqua manus hoc regit, quæ ſuſque déque movet tanta infortunia. Quæ manus tam valida erit illa, quæ ità confundit totum mundum? Nihilominus in veritate, quantò plùs abſconditur, & celatur, mei officii erit, illam patefacere; & conſiderate, ipſemet Salomon ad hoc ipſum ſpeculandum ſtudium impendit ſuum: *Rurſus contemplatus ſum:* Perrexit conferendo ſucceſſus, inſtitit evolvendo nodos, & tandem invenit; Quid eſt illud, quod invenit? *Omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidia proximi.* Ibid. v. 4. Animadverti jam, dicit, quòd nullam faciat homo actionem, ſit illa ex illis, quas finit moleſtiori labore, vel ex illis, quas perficit faciliori induſtria, quin non ſit expoſita invidiæ vicini, ſocii, illius, qui eſt ejuſdem profeſſionis, vel officii. Iſti ſunt illi, quos ibi Salomon vocat proximos, dixit noſter Cornelius in hunc locum: *Invidia enim eſt inter æquales, & ejuſdem artis: figulus figulo invidet, faber fabro.* Bene eſt: ſed quid hoc habet, quòd agat cum calumniis, cum gemitibus, cum violentiis, cum lachrymis, de quibus jam nunc finit lamentari? Quid, quia invidia eſt tota occaſio, & ratio tantorum malorum: *A calumnia*, proſequitur Cornelius, *tranſit ad invidiam, vel tanquam ab effectu ad cauſam: invidus enim calumniatur facta alterius, ut ea obſcuret:* Et quid vobis videtur, quòd ſimiles exploratores non faciant plùs, quàm quòd aſpiciant, & contemplentur? Hoc aſpicere, & mirari, hoc ſcrutinari, hoc verificare, hoc notare non conſiſtit in alio, quàm in hoc, quòd contemplentur? imo ipſi ſunt illi, qui omnia deſtruunt, illi, qui omnia ruinæ tradunt, & illi, qui omnia diſpergunt. Quare hic, vel ille excidit gratiâ illius, vel illius Domini? quia hic vel alter explorator illi inſtruxit diſſidium. Quare ab illo artifice uſque adeò auferunt laborem in ſua arte? quia ſunt, & dantur multi Argi, qui ſunt Argi invidiæ; Quare hic, vel ille Mercator vacillat in bona fama, ac ſi non eſſet ſolvendo? quia nihil injuſtô pretiô vendebat, & affin-

xerunt illi. quod alios urat, quando, quia illi ſuas merces non vendunt, uruntur ipſimet. Quare illa mulier paupercula, & miſera vivit cum ſuo marito, ac ſi viveret in inferno? quia alia vilis meretrix apud maritum bene ſtat, & ſic hanc perſequitur hac de cauſa. O quales proximi tam perniciosè inimici! *Patere invidiæ proximi.*

XI. Mittit Rex Darius Danielem in lacum famelicorum Leonum, & claudendo lacum lapide, obſignat ſuo Regali annulo; Ecce, an poſſint ſimiles excogitari diligentiæ? Si Daniel non poterat ex tam profundo lacu exire, quid obfuiſſet, etſi apertus manſiſſet? Et ſi jam occluſus fuit lapide, ad quid additur ſigillum Regium? Licèt tales & tantæ cautelæ adhibitæ non fuiſſent, quomodo potuit miſerabilis Propheta effugere? Non adhibentur ratione illius tot diligentiæ, dicit Textus ſacer; Imò ſunt omnes in favorem illius: *Nè quid fieret contra Danielem.* Dan. c. 6. v. 17. Hoc fit ideo, nè aliquod Danieli damnum inferatur; datúrne quid curioſius? Mirabile pro certo, quòd illum permittant in profundo inter Leones famelicos, & afforis lacum ſigillò muniunt; claudat Darius pro Daniele famelicorum ora Leonum, quàm ut claudat os laci ad præcludendum ei omnino omne effugium. Vos non intelligitis, dicit Darius: ſunt Aulici mei Palatii illi, qui conantur vitam aufferre Prophetæ, quia illos ſuperat in mea gratia; jam autem ego de ejus virtute ſum ſecurus, firmiter credo, quòd contra eum non audebunt ſe movere Leones; ſed non ſum ſecurus de invidia, nè hæc ipſi extra lacum vitam auferat. Maneat itaque Daniel inter Leones famelicos, qui minùs feroces erunt meis Aulicis invidioſis; Nam, ſi ab illis, cum quibus vivit, liberetur, multò cruentiores feras effugiet. Talis eſt inimicitia, quæ currit ità palliata inter illos, qui ſunt ejusdem muneris, ut vincant in crudelitate maximam feritatem.

XII. Plùs ultrà adhuc ſe extendit inimicitia inter illos, qui ſe vocant amicos, & ſerviat illis pro experientia Judas, cùm ejus exemplum ſequantur; *Verumtamen*, conquerendo dicit Redemptor noſter, *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Luc. 22. Manus Domine? Manus? Nunquid eſt hìc in menſa tecum Judas? Quomodo poteſt igitur ibi eſſe iſta manus ſola? quia, dum manus eſt in paropſide, eſt alibi totum illud maledictum cor, nimirum in venditione. Ah! & oh! & quantæ ſimiles manus conveniunt, & ad invicem uniuntur in menſa, oſcu-

oſculantur ad ſe invicem in plateis, & nihil aliud eſt præter manus, dum quàm longiſſimè diſtet cor; *Ecce manus:* Manus pro Marſupio, manus pro menſa, manus pro proprio intereſſe, manus ad hoc, vel illud conſequendum, & finaliter manus Judæ ad perdendum, manus tenebrarum ad extinguendam lucem. De omnibus talibus conqueritur amariſſimè Dominus per os Davidis, textus acerbus, Pſal. 34. *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* v. 20. Totus textus eſſet clarus, ſi unicum verbum ſolum non haberet tantam difficultatem: *In iracundia terræ:* Quæ eſt hæc ira? Si hæc ira debet quid terribile denotare, dicatur, in iracundia inferni; ſiquidem ferum, & ſævum, dicatur, in iracundia diaboli; verùm hoc totum adhuc parum eſt, dicit noſter Lorinus in hunc locum; & ideò ad ſignificandam iram maximè terribilem; maximè formidabilem, vocat illam iram terræ. Jam quando videmus hanc iram tam terribilem, & formidabilem terræ? Nunquam; & in hoc conſiſtit terribilitas. Advertite: Alia elementa ſolent ſe monſtrare inimica; quis non timet furorem ignis? quis non fugit? Aër, & aqua dum in mari conjurant, quem horrorem non cauſant ſuâ furiâ? Narrent hoc navigantes, qui etiam antequam è portu ſolvant, jam metuunt. Terram autem quis timet? Nullus: eſt elementum amicum, ſed illud, quod nos ſuſtinet, quod nos ſuſtentat, quod ſe noſtris finit calcari pedibus. Sed ecce, dum tali modo nobis maximè favet, abſque eo, ut nobis aliquid det ad intelligendum, illic in abſcondito ſuorum meatuum per ventos concuſſa, repentè tremit: Quis horror! omnia commoventur, perſtrepunt tecta, concutiuntur ædificia, agitantur campanilia, & quoties reliquit totam civitatem factam commune ſepulchrum? Et iſta eſt ira terræ: *In commotionibus terræ;* percipiunt alii iracundiam coopertam, dum, nos minimè hac de re cogitantes, nos in profundum præcipitat; Elementum, quod, exiſtens noſter amicus, nos minimè hac de re cogitantes, involvit in ruinam, & iſta eſt ira maximè formidabilis; hæc eſt in medio amicitiæ inimicitia maximè terribilis: *Et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant;* Et ſi tot inveniuntur tales amici, quales tandem ſunt inimici, quos nobis hodie mandat amare Chriſtus JESUS? Neſcio, an vobis dicere debeam, omnes eſſe, ſiquidem ii, qui nobis maximè proximi ſunt, maximè etiam ſunt inimici.

XIII Et jam itaque cum omnibus loquitur æqualiter noſter Divinus Magiſter, & Redemptor ; cum inimicis declaratis, & cum opertis inimicis: cum illis, qui intrinſecùs occultant abditum odium, & cum illis, qui extrinſecùs demonſtrant manifeſtam inimicitiam, cum illis, qui alios abhorrent ideo, quia illis fecerunt injurias, & cum illis, qui alios abhorrent, etiamſi illis nullas fecerint injurias, *diligite inimicos veſtros*; Et ſi in hoc amore conſiſtit noſtra vita, innititur noſtra ſalus, triumphet jam in cordibus noſtris verus amor, erga omnes noſtros proximos; quandoquidem non ſufficiunt DEO apparentes ceremoniæ ſolorum verborum.

XIV O ſumme DEUS pacis! O benigniſſime DEUS clementiæ! O JESU amoroſe Patrone noſtrorum cordium! cùm tu in hac cruce, cui te odium tuorum affixit inimicorum, ſtes nos docendo inimicis ignoſcere: Quomodo inter nos cor invenietur, quod tibi reſiſtat, voluntas, quæ te non imitetur, amor, qui tibi non obediat? Quis hic erit, qui nolit ſequi tuum præceptum videndo tuum exemplum? Jam omnes mi JESU te ſequimur, omnes offerimus ab hac hora amorem veracem omnibus, quotquot nos offenderunt; omnes dixi? Ah! non ſcio, quot ex meo Auditorio negant nihilominus concedere hunc amorem tam nobilem. Diſcedant itaque ex numero Electorum DEI, ſeparentur ab ovili, quod in hac Eccleſia tenet Chriſtus JESUS, & jam ipſis amotis infelicibus, ego, DEUS meus, intingo calamum in hoc ipſo Sanguine pretioſiſſimo tui lateris, ſcribo hoc momentô in nomine horum tuorum electorum, qui me auſcultant, generalem condonationem; dicant illam mecum illi, qui volunt hoc ſanguine juvari. Ego, Domine, ad tuos hoſmet ſacratiſſimos pedes relinquo, & depono omnes injurias, quascunque accepi, & quotquot impoſterum mihi obvenerint. Ego tibi ſacrifico omnem dolorem mearum læſionum in victimam tui honoris, & ex nunc offero ex toto corde pacem, & condono omnibus illis, quicunque petierunt id à me, vel petituri ſunt; & propono me pariter ab illis petiturum, quoscunque aggravavi: & promitto, illos me ex omni amore animæ meæ recepturum in amicitiam, quicunque mihi erant inimici. Ignoſce mihi mi JESU illa pietate, qua ego ignoſco, recipe me in tua brachia, prout ego in mea admitto illos, qui me offenderunt; ut, quando ſoluta fuerit anima mea à corpore, & præſentatam ad tuum ſeveriſſimum tribunal mea pec-

peccata accuſaverint, tu ſis meus Defenſor, meus Advocatus; promiſiſti mihi, te mihi condonaturum, ſi ego ignovero; ecce ego ignoſco, & tuo ſacratiſſimo Sanguine hoc ſubſcribo. Chriſtiani, eſt hìc aliquis, qui hoc ipſum nolit tali modo ſtabilire? Declaret ſe, ego hoc ipſiſſimo ſanguine JESU Chriſti ſtabiliam ab hac hora ſententiam æternæ ſuæ damnationis; pereat infortunatus, pereat quiſquis JESU Chriſto negat petitionem tam juſtam; & hic ipſe ſanguis, qui debebat ei eſſe in ſalutem, iſte, iſte ſit ille, qui illum condemnet; nullam inveniat miſericordiam, qui non fuit miſericors, non obtineat condonationem, qui illam alteri dare recuſat, non impetret pietatem, qui in alterum pius eſſe noluit; cadat, cadat, & expugnent eum omnes inimici ejus; fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua; & deſcendentes ejus circumeant vagi, pauperes, & mendici; pereat domus ejus, diſſipetur ejus ſubſtantia, & deleatur de terra nomen ejus; *Et diſpereat de terra memoria ejus, pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam*, Pſal. 108. Perdurent fixæ in archivis DEI memoriæ omnium ejus delictorum, ut dum comparuerit in illo tremendo tribunali, judicetur abſque miſericordia, qui non ſcivit facere miſericordiam; & qui noluit ignoſcere, exeat ab hoc tribunali pro ſemper condemnatus: *cùm judicatur, exeat condemnatus.* Oh non permittat, Domine, tua infinita miſericordia, ut quis in hoc Auditorio inveniatur, ille, vel illa, qui hodie velit exire ex hac Eccleſia damnatus, qui velit ſupra ſe ſumere has horribiles maledictiones ſacræ Scripturæ, ratione conſervationis odii maledicti in ſuo corde; ſed potiùs da gratiam, ut in ſinceritate cordis noſtri ſtabiliamus, firmemus, & roboremus iſtam generalem condonationem: condonemus unus alteri, DEUS meus, quia tu nobis condonas: offeramus omnibus noſtrum amorem, quia tu nos amas: admittamus omnes ad noſtram amicitiam, quia tu nos recepiſti, & recipis in tuam gratiam; Fiat.

Reci-

Recipe ſalutis contra tres infirmitates Piſcinæ.

Die Veneris ſecundo Quadrageſimæ.

In his jacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, & aridorum. Joan. 5. ℣. 3.

1. ERat Jeroſolymis certa prodigioſa Piſcina, non in vanum, ità in communi vocata, ſiquidem, quantumvis nullos piſces habuerit, videtur, quòd in aquis hujus piſcinæ miracula piſcabantur; inveniendo omnes infirmitates in ea ſubitò ſalutem. *Probatica* erat hujus piſcinæ nomen officii, nè eſſet otioſa non faciendo miracula; hæc ſiquidem non debebant eſſe prætextus excuſationis à labore: Serviebant itaque ordinariè aquæ hujus piſcinæ ad lavandas pro Sacrificiis vicini templi victimas, & dum ità aquæ ejus non fuiſſent applicatæ ad hoc munus, faciebant ægrotos attendere ad benignitatem cœli, unde aquis his virtus illos ſanandi veniebat. Hæc omnia in uno complectitur Hebræum nomen vocando illam *Bethſaida*, domum nimirum miſericordiæ; ubi, ſine induſtria humana, aſſiſtunt ſuccurſus Divini. Sic etiam illic eveniebat, tempore ſiquidem non præfixo, deſcendebat Angelus è cœlo, movebat aquas inviſibiliter, & ad earum perturbationem, ſeu commotionem, excitabatur hilaritas in languidis, cum omni feſtinatione unus alterum impellebat, ille, qui primus deſcendebat, hic ſolus erat, qui ſanabatur; hoc eſt accurrere promptè, quando DEUS vocat, id, quod nobis videtur eſſe deſcendere, ſeu cadere, eſt ſe erigere; Id, quod nobis videtur ſubmerſio, eſt ſalus, & curatio, & ille, qui cum reſolutione perdit pedem, quo terræ innitebatur, iſte in aquis gratiæ lucratur totum corpus pro cœlo. Ad ſpem itaque hujus miraculi, in quinque porticibus, qui piſcinam circumdabant, jacebat multitudo grandis languentium, lenientium acerbitatem dolorum ſumptuoſiſſimo *Recipe* expectationis. Rara res! ad aquas ſalutares, ad aquas ſanitatis tam multos infirmos: multos ſanos ego dicerem; Verùm erant infirmi confidentiales; ideo, ſpernendo medicinas, permanebant in ſuis morbis, dicentes: Ecce hic

hìc piſcina. Ecce hìc confeſſio dicunt inter nos infirmi periculoſiſſimi: Committam hoc peccatum, & ſubitò confitebor; Et ſcísne tu, quòd confiteberis? Et ſcis, quòd bene confiteberis? Et ſcis, DEUM tibi daturum auxilium, cujus te tam indignum feciſti? O ſtultam confidentiam! quæ tot reliquit abſque remedio in ipſa ſalute. Non diſtat longè proba: Iſtæ aquæ ſanabant infirmos, ſed quot & quantos non ſanârunt? Quot ad has aquas vitam amiſerunt, ibi ad ipſas ripas ſperati remedii? De unico ſcimus, qui jam numerabat triginta octo annos infirmitatis, & in hac triginta octo annos ætatis dolorum, & triginta octo ſæcula deſideriorum. *In ſua infirmitate*, dicit Evangeliſta: certiſſimè debebat eſſe ſua; bene poterat igitur eſſe pariter infirmus infirmitate alterius: dicunt hoc quotquot vivunt, & ſunt authores culparum in aliis, ſcandalizando, conſentiendo, tegendo. Sua erat infirmitas hujus pauperculi, ſua erat: Sed quæ, & qualis erat hæc infirmitas? Evangeliſta illam omnino ſilentiô præterit; Omnes tamen affirmârunt, illum fuiſſe Paralyticum, & hoc ſolumodo nobis notum reliquerunt; Neſcio, quodnam fundamentum habeatur in hac voce communi populi, etiam dum Evangeliſtæ infirmitatem tacent; hoc debebant advertere ex affectibus, vel quia ſe non movebat, vel quia ſe movebat cum maxima difficultate. Ità eſt: igitur paralyticus eſt. Quid juvat tegere morbum, cùm illum manifeſtent effectus? Hic itaque erat ſtatus hujus hoſpitalis, & piſcinæ, quando Paſcha advenerat; Quale illud? Non dicitur, non ſpecificatur, & ſit illud qualecunque fuerit, nam pro noſtra vita Chriſto Domino in faciendo bene hominibus, hoc eſt ſuum feſtum, & ſuum Paſcha. Tunc ergo illuc ſe Dominus contulit, & portavit in ſuis oculis multò meliores fontes ſalutis, quos ei ſubitò (fortè ùt indigentior) abſtulit ille triginta octo annorum infirmus. Venit appropinquando illi; quàm venuſtè affabilis! & abſque ulteriori oſtentatione inquiſitionis (DEUS enim ſemper magis fructum reſpicit) Homo, dicit illi, vis ſanus fieri? Ille tunc monſtrando, quòd, quantum ſua infirmitas prolixa, tantundem ſe affligeret totalis deſtitutio ab omnibus, de hoc queritur, & finit, ut ſuum velle ipſa ſua neceſſitas muta illud publicet. An velim (ac ſi diceret) an velim? Hac de cauſa ſum hìc, & jam ſunt triginta octo anni', quòd diu noctúque id deſiderem; Verùm in tantum ſum infortunatus, ut enervato doloribus, nè & hoc mihi deſit, nullus

lus inveniatur, qui mihi condoleat; nec ego meipsum possum juvare, nec habeo, qui me juvet: Hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; & licèt ego omnem adhibeam diligentiam, & quomodocunque omnimodè festinem, eò quòd meus morbus tardum gressum mihi causet, semper tardè advenio; Itáne? itaque surge, dicit Dominus, surge; tolle grabatum tuum, & ambula, abi hinc. Quomodo Domine? Et nîl ultrà restat, quàm hoc, nîl ultrà opus est pro infirmo tot annorum? Nihil ultrà opus fuit; erexit se, collegit suos miseros floccos, projecit in humeros, & abiit; Et abiit? Quando suspensus animo præ tanta admiratione se movit? & abiit? Quando attonitus remansit absorptus præ stupore? & abiit? Quando immotus stitit discursum? Abiit, delendo in uno instanti solo receptæ sanitatis triginta octo annorum miserias. Stupendum miraculum! Sed quid alii infirmi? Isti ad piscinam remanent, ut quærant, & nos illorum quæramus salutem; siquidem sufficit, quòd illis Dominus permittat Recipe, ut illam consequantur; non debemus velle, ut DEUS totum operetur; Meliùs hoc explicabit discursus; Attendite.

II. Ad piscinam morborum incurabilium integra communitas infirmorum periculosorum! Ex nunc conciderem animo de illorum consequenda salute, si non esset idem Medicus Divinus ille, qui eis offert remedium, ex quo in uno solo, quem per miraculum sanavit, omnibus reliquit Recipe, ut absque miraculo sanari possint. Intro igitur jam visitare porticus infirmorum, ut citò videam, qualiter ad exemplum illius, qui sanatus est, sed cum Recipe proprio illius, possint omnes curari. Jam non miror tot & tantos ibi fuisse infirmos; hoc, quod adverto, est, infirmitates ibi tam paucas fuisse. Infirmorum magna multitudo; *Multitudo magna languentium*, & infirmitates solummodo tres: *Cœcorum*, *claudorum*, *& arridorum*; Quid hoc vult significare, tot infirmi cum tam paucis morbis? Dicam rationem meæ opinionis: nunc scio, unum solum morbum sufficere ad multorum infirmorum causandam indispositionem, hoc patet oculis; verùm si in hac piscina turbantur omnes infirmitates absque cujuspiam reservatione: *A quacunque detinebantur infirmitate*, itaque accurrerint ad illam infirmi omnium morborum: discursus apparet legitimus, & si omnes illuc accurrebant, dicat nobis Evangelista, ibi esse multos infirmos, &

& etiam multos morbos ; at in tanta multitudine infirmorum ſolæ tres ſpecies morborum ? Non erant illi leproſi , phthiſici , hectici , febricitantes , hydropici ? Eſtne poſſibile , quòd in una civitate tam magna, tam populoſa, prout erat Jeroſolyma, non fuerint plures , quàm tres infirmitates ? Et tamen ad qualecunque hoſpitale noſtræ Civitatis vos conferatis , licèt ibi non ſit magna multitudo infirmorum, ibi invenietis plùs , quàm tres morbos ; Quomodo itaque ad piſcinam, ad quam omnes concurrebant , ſolummodo tres inveniebantur ? Advertite hoc , quod ego cogitavi , & conſiderate illud in praxi. Iſti tres morbi erant illi , qui in ſeipſis habebant impedimentum proprii remedii , & non ità alii ; conſideremus piſcinam : ſors, ſeu fortuna, & ſalus continebatur ibi , non in qualicunque deſcenſu ad aquas , quando iſtæ movebantut ; ſed qui primus deſcendebat , ille ſolus ſanabatur : *Qui prior deſcendebat ;* Nunc itaque, moventur ex improviſo aquæ; ſed cœcus , quia illas non videt moveri , dum ipſi nunciant , dum ille credit , dum ductorem advocat , dum ducitur ; ecce jam locò ipſius adipiſcitur ſanitatem leproſus, qui, non habendo morbum in viſu , illam adeptus jam eſt , & actu exit ſanus, ſícque valedicit, quando cœcus advenit , & remanet ſuſpirans ad ripam ; Quid faciendum? expectanda eſt altera occaſio , expectanda ; patientia ! Rurſus commoventur aquæ , & claudus , & mancus , quamvis videant aquas moveri , uſquedum ad grallas accurrat , & illas ſibi accomodet cum feſtinatione , quanta poteſt , dum ſuus progreſſus retardatur , ecce lucratur occaſionem hecticus , qui quantò plùs delicatus, tantô faciliùs ſe expedit, & jam evadit ſanus à ſuo morbo , relinquendo noſocomium , quando claudus ſolus permittitur ſuſpirare. Alia vice ; pro hac vice patientia. Moventur denuò aquæ , conſiderat illas aridus anxioſus ; ſed cum medio latere mortuo , dum in auxilium vocat, dum adveniunt , dum ipſum humeris imponunt , ecce jam in aquas deſcendit hydropicus, qui non egebat , ut ſe illo quis oneraret , proſiliit jam curatus , & ſe licentiat , dum hic remanet ſuſpirans ; & ecce qualiter de una occaſione in aliam , alii exeant , & iſti remaneant; Sanantur Leproſi , hectici, hydropici , valedicunt , & abeunt ; & ecci, claudi , aridi hìc remanent , hìc manent ſemper morboſi, ſemper infirmi , & ſemper ſine remedio , quia habent impedimentum ſuæ ſalutis in ſua propria infirmitate : *Cœcorum , claudorum , & aridorum.*

III. Ah infirmitates ! quæ tali modo vobis ex vobismet ipſis fabricatis impoſſibilitates ad remedia. Evenit, Auditores (ut veniamus à generali piſcina Jeroſolymitica ad commune noſocomium hujus civitatis) evenit, quòd adveniente Quadrageſima moveantur ad voces Prædicatoris aquæ gratiæ, conveniunt turmatim concurſus magni ad ſermones omnis generis infirmi, ſanantur, per ſummam fortunam noſtram, & illorum non pauci; Sed qui ? Unus quem præcipitavit infortunium, alia, quam ruinavit propria fragilitas; Sed, transactâ Quadrageſimâ, videmus nihilominus reſtare magnam multitudinem; *Multitudo magna languentium.* Quot cœci in laſcivia, qui dum non cognoſcunt veritatem, non vident ſuum infortunium; Ad voces ſurdi, remonſtrationes, conſilia non movent, hìc remanent hærentes, hìc perſiſtunt; uſque ad alteram Quadrageſimam differam, uſque ad alteram; Et quot ſunt anni, infeliciſſime, à quo ità cœcus remanes? Remanent claudi pleni vanitatibus, & ſuperbiâ, baculis excuſationum innitentes, quantò magìs ſe ſe offerant remorſus conſcientiæ, & cognitiones veritatum, tantò magìs ab uno ad alterum annum creſcit vanitas, & in ſua contumacia permanet ſuperbia. Remanent pariter aridi præ avaritia, obſerando ſeipſos ſtrictiùs & magìs, quàm propria ſcrinia, & pejores evadunt omni die, & multò magìs die mortis. Omnibus itaque ſimilibus relinquit hodie Dominus generale remedium in uno ſolo Recipe; tribus verbis ſanavit hodie Paralyticum, & in his ipſiſſimis tribus verbis reliquit Recipe ſalutis toti huic multitudini infirmorum. Eleva te cæce in laſcivia, & ſic ſanaberis: *Surge:* Accipe ſupra tuos humeros tuum lectum claude præ ſuperbia, & ſic remanebis liber: *Tolle grabatum tuum.* Move te, ambula aride præ avaritia, & ſic recuperabis vires tuas: *Et ambula.*

IV. Digna eſt maxima admiratione comparatio, quam nunc vobis propono: Comparate Davidem cum Davide ad cognoſcendum in illo maximè terribilem morbum. Vidit ſe ſemel ex integro victorioſum non minùs de inimicis, quàm etiam afflictionibus, & anxietatibus, exaltatum ad magnitudinem ſolii, & dilatavit oſtia cordis ſui, per quæ præſumptio, & arrogantia illi fecerunt novum aſſultum, & quidem magìs terribilem; mandavit numerari ſuos bellatores, glorioſus videndi campos anguſtiatos numero ſuorum agminum: Factus eſt ad mandarum Regis computus, & quando illi ſuus Capitaneus Generalis Joab

jam

jam præsentat listam computûs bellatorum, in manibus adhuc illam tetens, tunc *percussit*, dicit sacer Textus 2. Reg. c. 24. v. 10. *Percussit David eum*; Remorsus conscientiæ, angustiavit illum scrupulus, & ità afflixit, ut immediatè prostratus ad terram resipiscens, & humiliatus, ô Domine! exclamaverit ad DEUM, cognosco meum peccatum, & video illud magnum esse; *Et dixit ad Dominum: Peccavi valdè in hoc facto.* Ibid. Mittitur à DEO Propheta Gad, & antequam Propheta vel unicum proferret verbum, exit ei David obviam, & præoccupat exprobrationem confessione spontanea suæ culpæ: *Confessione prævenit DEI nuntium*, dixit sanctus Ambrosius. Delicata, ut verum fatear, conscientia! Verùm expectate: Peccat altera vice David, committendo illud enorme adulterium cum Bethsabæa, exequitur sanguinosum homicidium, & implet Jerosolymam scandalô; & post hæc omnia, unus & alter transit dies, unus & alter mensis, & jam quasi integer annus, & David permanet ità quietus, ità sine remorsu, ità sine timore, ità sine scrupulo, ut adveniente tunc Propheta ex parte DEI Nathan, illique ob oculos ponente de puncto ad punctum commissum delictum clarum, patens, præter commutationem nominum, & post hæc omnia, nec David delictum viderit, nec immediatè resipuerit, nec delictum cognoverit. Stupeat nunc, quisquis intellectum habet ad hanc comparationem. Ibi vix committit peccatum, & jam fit cautus, jam advertens, & jam plangit. Hìc committendo tam enorme delictum per spatium unius anni, nec illud videt, nec cognoscit, nec resipiscit. Hoc dum illi à Nathan ob oculos ponitur, illud non videt; & illud, etiam priusquam illum Propheta Gad illo oneret, jam David illud confitetur, & deflet: Quid est hoc? quid debet esse? Secundum peccatum fuit lasciviæ, & Davidem reliquit adeò & totaliter cœcum, ut ei auferat intentionem, & applicationem animi etiam ad admittendum illud ipsum, quod ipsi offertur in proprium remedium.

V. Per hoc mihi solvitur dubium; dubitabam ego: quare, cùm cœcitas intellectûs sit pœna generalis omnium vitiorum, nihilominus præ omnibus aliis vitiis dicitur amor lascivus nomine, proprietate, & factis cœcus? Hujus rei dat rationem sanctus Thomas 2. 2. q. 35. a. 6. ad 3. *Quia vitia carnalia in tantùm magis extinguunt judicium rationis, in quantum longiùs abducunt à ratione;* quia quantò magis accedit per carnem sensualitas ad brutale, tantò magis appropinquat cœcitati; & cùm re-

maneat laſcivo tollerantia brutalis ob plagas, quibus laceſſitur; anxietas, labor, ſua propria cæcitas eum impedit quærere remedium ſuæ miſeriæ. Et quid cogitatis, dicit ſanctus Paulinus, Philiſtæos fuiſſe illos, qui ut crudeles eruerunt oculos Samſoni? nihil aliud fuit præter laſcivum amorem, qui eum excœcavit; non eſt nunc mola illud, quod illum tractat ùt jumentum, meretrix vilis fuit illud, quod illum depreſſit ùt brutum; non audiviſtis aliàs hunc ſucceſſum? Tradidit illa Samſonem quatuor vicibus in manus ſuorum inimicorum, & ad tot repetita pericula nondum videt ſuas proditiones: decipit illum una, & altera vice, & nondum cognoſcit proprias deceptiones, quas palpat; ſuperfluos itaque jam habebat oculos, qui illud ipſum, quod aſpiciebat, non videbat; otioſus fuit intellectus, qui hoc ipſum, cujus cognitionem habebat, non intelligebat; jam ille per laſciviam cœcus erat, jam brutum per amorem evaſerat; itaque nihil ultrà fuit ſuperadditum eruendo ei oculos, & ligando eum, ùt jumentum ad molam, quàm dare illi pœnam illud ipſum, quod erat culpa, aſſignare illi pro pœna illud ipſum, quod eum delectabat, & alligare proprium tormentum ad illud, quod ſibi delegerat pro voluptate: *Cœcitate puniuntur, & mola; quia dignus eſt opere jumentario, qui ſemetipſum lumine rationis orbaverat.*

VI. Ah mola cœci infantis! ille cœcè ejaculatur flagellum, & cœcè cauſat motus appetitùs brutalis; quæ poſt ſolicitudo! non quieſcit; quæ anxietates! non conſiſtunt; qui labores! non reſpirant; quæ vigiliæ, qui timores, quæ anguſtiæ! & ſemper in humeris flagellum, & ſemper in corde commotiones; gemunt amaritudines, ſuſpirant anxietates, palpitant afflictiones, & rota non ſiſtit; & hoc totum quare, ô homo? ut diabolus ex eo manducet, quod tu ſine intermiſſione operaris; ut diabolus triumphet ex eo, quod tu teipſum angendo gemis; & ut diabolus te aſportet, & illud, de quo tu moleſtiâ afficeris: *Qui peccatum operatur*, replicat ſanctus Paulinus, *in mola vitæ ſuæ hoſtile triticum molit, ut diabolum paſcat, quæ ſibi fames eſt.* Homo infortunate, mulier infelix, ſclavi unius cœci, infantis, magìs cœci, quò magìs oculati, ex quo, ut remaneatis omnimodè ſine oculis, dicitis vos illos reponere in illo, quod amatis, tollendo illos ab eo, quod eſtis: dicite mihi, cum tot infortuniis, quæ patimini, cum tanta perſeverantia in ſufferendo, cum tanto labore viribus deficiendo, cum tanta ob-

obſtinatione inſerviendo, quid aliud poteſtis lucrari, quàm quod lucratur à bruto tollerante, & à cœco irremediabili? etiam jumento hebetiſſimo, & viliſſimo, velant oculos, proſequitur ſanctus Paulinus, dum illud alligare volunt ad molam, quia ſi videret, territum ad ictum flagelli jumentum, quæreret ſe ſalvare à labore. Itaque ſemper hac via progredi, & ſemper manere ſitibundi, movere ſemper hanc molam, & vos ſemper famelici, quale eſt hoc infortunium? quid habes aliud infelix mulier, quàm vitam viliorem præ ſclava in hoc, unde ſperâſti ſuſtentaculum? quid acquiſiviſti? tugurium pro domo cum veſtibus attritis, quas tu veſtimenta acquiſita appellas; laqueum diaboli, quem tu gemmarum globum vocas, funem, qui te ad infernum trahit, quem tu nominas uniones; & cum hoc maximam infamiam, maximam damnationem, & peſſimum nomen; quid juvat, quòd tu omnes, & omnes te videant, ſi omnes te digitis demonſtrent? quid importat, quòd tibi omnes applaudant, ſi te omnes irrideant? & quid importat, quòd modò ſcintilles, ſi tam citò reducta per infirmitatem in horrorem omnium reſolvenda ſis in viles cineres? & non prævides hoc? & non circumſpicis de remedio? Es itaque cæca, & brutum effecta. Quid tu habes homo infortunate præter flagellum continuum diaboli in illo, in quo reponebas tuam delectationem? intradæ, ſi quæ adſunt, jam non ſufficiunt; capitale, ſi quod habuiſti, periit; jam labor eſt ſine profectu, fraudes jam non valent, luſus, & riſus jam omnes tibi nauſeam cauſant; jam omnia, ſupellex, & alia neceſſaria domeſtica ſunt vendita; jam paupertas adventat, jam te vides tam bene deſolatum veſtibus quàm honore, tam privatum pecuniâ, quàm conſcientiâ, ità ſpoliatum crumenâ quàm animâ: dic mihi homo, ſi homo es, & non potiùs brutum, homo ſi es uxoratus, cùm te talis ſtatus retinere deberet, magìs te effrænem facit, concubinarium in oculis tuæ uxoris, & abſque reſpectu ad ſcandalum populi, & ſine pudore ante oculos DEI, & ſine timore; dic mihi, quot & quantas admonitiones accepiſti ab amico, quot remonſtrationes tui peſſimi ſtatûs à Prædicatore, quot lachrymas extorſiſti tuæ uxori miſeræ, quot miſerias cauſâſti tuæ familiæ, quantas nuditates, & inopias tuis prolibus; quoties te jam monuerunt tua infortunia quantas res ex tua non amiſiſti ſubſtantia, quot inſpirationes à DEO ſenſiſti, & quanta damnatio tuam expectat animam? Et ſuper hæc

omnia

omnia non est tibi remedium? Non, non: igitur cæcus es, & jumentum.

VII. Dices mihi, hos lapsus esse tuæ fragilitatis; nunc contra hos offero tibi cum JESU Christo remedium; surge jam ex lapsibus, cœcis propriissimis: *Surge:* Oh! non possum relinquere amorem tam inveteratum: non est hoc à te solo faciendum, sed cum gratia. Videtur mihi impossibile relinquere correspondentiam tanto tempore habitam; DEUS est, qui hoc totum facilè faciet, modò tu te resolvas? Occurrunt multa impedimenta: Age! non enim volo excusationes; quòd si non, veni mecum ad piscinam. Quid ibi videres, dum ad infirmum triginta octo annorum advenit quidam, quem infirmus pro homine habebat, pro tunc enim eum plùs non cognoscebat; & resolutè illi dicit: *Surge;* Domine, poterat illi infirmus respondere, & responso ad hominem valde commodo, sunt jam triginta anni, à quo hìc jaceo, & nunc, sine aliis adhibitis mediis, tu mihi dicis, ut surgam? Estne hoc tam facile? quomodo possum surgere, cùm sim Paralyticus? cùm ego vix possim præcipere membris corporis mei, quomodo tu mihi mandas, ut surgam? non videtur tibi has esse multò magìs legitimas excusationes præ tuis, quascunque tu potes deponere in tua hac passione? non essent magìs veræ quàm tuæ, quas tua allegare potest turpitudo? jam expecta: quis est ille, qui cooperatus est infirmo? *Surge*, & surrexit: quomodo res accidit? DEUS cum illo, & ille cum DEO; DEUS dando illi vires, & ille adhibendo suam diligentiam; ille obediendo, DEUS adjuvando: in veritate surrexit, & ecce tibi superata impossibilitas. Itaque cœce lapse, surge sine excusationibus, DEUS enim tibi dabit vires; resolve te, & videbis, qualiter DEO te sua manu adjuvante, vinces impossibilitates: in quo statu tu pro nunc te invenis, in eodem hærebat ille prodigus, dum dixit cum resolutione: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Luc. 15. v. 18. Et in veritate ità fecit, & in surgendo consistebat ejus remedium: *Et surgens venit ad Patrem suum.*

VIII. Idcirco tempus est, siquidem expectat me fortis replica; & est: si infirmi in amore lascivo sunt cœci; quare debent esse claudi, vani, & superbi? Non potest hac in re esse, dicet aliquis, accommodatio, & comparatio magìs improportionata; siquidem vanitas, & superbia, quis non scit, est vel maximè ex integro vitium capitis; ver-

vertigines patiuntur ſuperbi, & vani, non poſſunt itaque eſſe iſti claudi: *Claudorum:* Recognoſco difficultatem argumenti, ſed pro me Rex Propheta reſpondebit: O Domine, alloquitur DEUM, totam tuam miſericordiam imploro, quia bene animadverto, id multum eſſe, quod ego poſtulo; Et quid eſt illud, quid petit David? Jam dicit: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Pſal. 35. v. 12. Pes, ſancte Propheta? & non dicis, non veniat mihi caput ſuperbiæ, ſed pes? ità eſt, non habet plures, quàm unum ſolum pedem ſuperbia, *Pes ſuperbiæ:* & quis erit iſte pes? Tam imbecillis dicit Aggellius, tam debilis, tam ruinoſus iſte pes ſuperbiæ eſt vanitas; *Pedem ſuperbiæ, pompam in inceſſu, quam vana gloria ſciat, intellige*, Omnis hæc ſuperbia in rumore, ipſa pompa, ipſe apparatus, quem vocant *Gala*, hæc ipſa oſtentatio ſe non eſſe minorem aliis, in luxu, & expenſis, quid cogitatis, cui hoc totum innitatur? Quis pes cogitatis, hoc totum ſuſtentat? Pes vanitatis, *pes ſuperbiæ*; & ut verum fatear Auditores mei, pro hac aſſertione non indigemus multis Authoritatibus; dicamus rem clarè noſtrô modô loquendi: Quot portat in uno pede iſta vanitas, hæc pompa, iſtæ oſtentationes, quibus eſt plena hæc civitas? hoc velle omnes æquare, hoc competere eſſe meliorem, hæc ſuperbia quot ſuſtentat uno pede? *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*: dicam rem aliô modô; quot capitalia claudicant, quia viſitationes, tractationes, conventicula debent continuari? quot & quantæ familiæ claudicant! quia non debet deeſſe rheda cum pompa? quot bona nomina, vulgò *Credit*, claudicant, quia quantumvis tale *Credit* per fraudes fiat, non debent deeſſe publici conventus, vulgò *Galæ*? Quot viri claudicant, quia quamvis ſit de alieno, mulieres debent ſe pomposè veſtire? Quot conſcientiæ claudicant, quia quamvis cum peccato fiat, non ſunt omittendæ functiones? & quot animæ claudicant, quia licèt id ſanguine pauperum fiat, manutenenda eſt pompa? Oh quot animæ claudicant? & quoniam in uno incedunt pede, citò deficiunt; & quoniam incedunt claudicando, citò cadunt; Ah utinam non ſit caſus ad infernum: *Bene ait pes ſuperbiæ, non pedes*, dicit noſter Lobetius in Opere Moral. de pec. *ſuperbo enim pes eſt unicus qui diu conſiſtere non poteſt.*

IX. Poſſum itaque jam credere, confeſſuros mihi illorum infirmitatem. Imò multò pejus eſt, reſpondent mihi, cùm hoc totum; ſit violentum; ſiquidem mea qualitas, meum officium, & ſtatus meæ

obligationes &c.--- ſufficit, ſufficit, jam etenim ſæpius audivi hanc cantilenam; & jam apparet, illos etiam velle ſtabilire quaſi pro lege Divina debere eſſe vanum, & ſuperbum pro ornamento qualitatis. Non volo pro nunc citare Eliſabethas ex Hungaria, & Portugallia, quæ non ceſſárunt eſſe nobiles, nec eſſe Reginæ, licèt laneis ſint uſæ veſtimentis. Hoc, quod idcirco dico, eſt, quòd excuſationes non valeant, ſi volunt admittere remedium, & ſi non veniant mecum ad piſcinam; *Tolle grabatum tuum*, dicit Dominus ad paralyticum. Domine, potuiſſet ille reſpondere, quò debeo illud tollere, ſi hìc in hoc loco eſt, ubi ego illo opus habeo, ſi propter meum morbum neceſſe eſt mihi præcisè jacere in illo; quomodo igitur nunc tu mihi mandas, ut illum tollam? cùm oporteat, imò obliger hìc remanere, quia hìc ſpero meam ſalutem; quid ergo eſt hoc, quod mihi nunc dicis, ego hoc non intelligo? Non videris ſcire virtutem, quam iſtæ aquæ habent, hìc mihi eſt remanendum, ut ſaner, ſi abeam, diutiùs patiendum eſt, quomodo itaque tu vis, ut ego tollam meum grabatum? omnia hæc poterat dicere; qualitates, locum, obligationes, reſpectum; ſed nihil horum dixit: tolle grabatum tuum, & immediatè ſuſtulit, & finitæ ſunt excuſationes qualitatum, loci, & obligationis: *Tolle grabatum tuum.*

X. Jam itaque, ſi tu vis ſanus fieri in pede, quo claudicas, tolle ſupra humeros omnem iſtam oſtentationem, quæ, ùt tibi videtur, te portat, & extollit valde glorioſum, & ſis in veritate illud, quod tibi ſupra humeros poſuiſti; Volo dicere: Exactè æſtima tuum capitale, menſura bene tuas vires, ſubmitte humeros tuos, & examinando pondus molis hujus totius, relinquendo tali modo omne illud, quod te opprimit, remanebis in pedibus multò validior, & robuſtior. Illic David noluit admittere arma Saulis, dum pugnare volebat contra Goliath; priùs illa probavit, & jam armatus tentavit, an ſic poſſet incedere, & immediatè ſubjungit: *Non poſſum ſic incedere.* Reg. 1. c. 17. v. 39. Et ad quid mihi eſſet galea, lorica, ocreæ, ut defendant corpus ab ictibus, & caput; Si ego me in pedibus invenio debilem? non poſſum talibus armis uti, non poſſum, & depoſuit ea. Quæſo vos hìc eſſe attentos: Exit in campum, prodit micantibus óculis, librat jactum, proſternit Gigantem, amputat caput, & revertitur; Sed quomodo revertitur? Hoc ipſum dicit ſacer textus; *Aſſumens autem David caput Phi-*

Philiſtæi, attulit illud in Jeruſalem: Arma verò ejus poſuit in tabernaculo ſuo. Ibid. v. 54. Revertitur David imponendo caput Gigantis humeris ſuis: quàm monſtruoſum, formidabile, quàm grande, & validum onus! Et tamen ſimul cum capite portat etiam omnia Gigantis arma, lanceam, gladium, thoracem & humerale, quæ omnia erant proportionata illi turri carneæ, ponderis, & magnitudinis *intollerabilis*. Jam ergo nunc interrogo; Et potéſtne incedere David omnibus his armis onuſtus? Potuit ex campo certaminis uſque in Jeruſalem. Res rara! Dic mihi modò, cur antea ex Jeruſalem uſque ad campum non potuerit incedere, imò nec paſſum facere cum ſolis armis Saulis, & modò ex campo uſque in Jeruſalem *incedit cum omnibus armis*, & capite integro Gigantis? Oh! quàm multum intereſt, dicetis mihi, *inter ire* ad pugnam, & redire victorem ex pugna; Multum intercedit inter portare in ſe ſuſceptæ rei obligationem, & venire cum felici exitu ſolutum tam gloriosè ab obligatione ſuſcepta: Multum intereſt inter ire ùt pauperculum paſtorem, & redire jam ùt triumphantem liberatorem Israëlis. Bona reſponſio; Nunc hoc ipſum ego dico: Probavit priùs David, & trutinavit, an poſſent ſui pedes ſuſtinere pondus armorum: Arma quidem ſunt ſplendida, dicit, & ego oneratus tanta obligatione? Nolo ſplendorem cum obligatione; arma inaurata Regis, dum ego ſum Paſtorellus? Non, non deſidero illa; & depoſuit ea hac de cauſa, & illis relictis, *tutos fecit pedes, confirmavit plantas*, remanſit victor, & potuit poſtmodum hoc, quod antea non poterat. Bonum itaque remedium; impone humeris tuis illud, quod tibi portandum eſt, examina te, an poſſis, vide, an ſint tui ſplendores, vel potiùs obligationes, & debita, & hoc bene conſiderato te meliùs de tuis aſſecurabis pedibus, in quibus tam periculosè claudicas, quia tantis te oneras obligationibus: *Tolle grabatum tuum.*

XI. Videmus in hac ipſa via curioſum, & maximè ornatum currum, ſeu rhedam, famulos, quorum veſtes ſunt multi valoris, & in rheda valde glorioſum Dominum: Nihilominus ego quæro; Quis portat, & quis portatur? Currus Dominum, an Dominus currum? Stulta pro certo interrogatio: Et quis non videt, rhedam eſſe illud, quæ portat cum tanta pompa ſuum Herum; & ità ego hoc ipſum video; Nihilominus tamen videamus, an mea interrogatio habuerit fundamentum: *Pater mi*, dicit 4. Reg. c. 2. v. 12. ad Eliam Eliſæus: *Pa-*

ter mi, currus Israël, & auriga ejus: Duo cognomina sunt ista multùm distincta, & etiam omnino opposita; quia currus est illud, quod portat, auriga portatur, & utrumque officium eodem tempore Elias exequitur? Est currus, qui supra se portat, & est auriga, qui portatur? Sic est, quia utraque res insimul unitur, portare, & portari; Sed cum hac distinctione (bene illam observate) quòd dum ille portatur, est ille, qui solus portatur, *& auriga ejus*, exiguum est hoc pondus; unum hominem portare: verùm postmodum ille solus ùt currus portat, quid? Omnem populum, & populum numerosissimum, portat omnem Israëlem; *Currus Israël;* taliter, quia ille solus portatur, solus portat omnem populum; terribile onus. Ad propositum: portat suum Herum rheda? Ità: sed eo ipso tempore Herus totam hanc rhedam portat, portat equos, portat aurigam, portat famulos, & portat omne id, quod domui suæ est, quod est tota familia, qua ille utitur: *Currus Israël, & auriga ejus:* Magnum pondus, & terribile onus! Et qui pedes sufficiant tantum sustentandi? Assecuremus itaque, & stabiliamus bene pedes, nè totum corruat.

XII. Sed quid faciet ille; qui totum onus retinet in corde? *Filii hominum usquequo gravi corde?* Psal. 4. v. 3. Isti sunt aridi, dicit Eminentissimus Hugo: *Aridorum per duritiam cordis, quia indevoti sunt, & incompatientes ad opera misericordiæ:* dantur quidam homines, qui suum cor totum habent in pecuniis, & òmnes pecunias in corde, medio latere aridi, nec erga DEUM passum faciunt, aut facere possunt, nec eleemosynis pauperibus succurrere. Quoad DEUM, sunt sine succo devotionis. Quàm sunt aridi? cum pauperibus, quàm sicci, absque una sola guttula pietatis? Est cor dives, & potens in tota republica corporis? est illud, quod thesaurizat omnem monetam currentem sanguinis, ut postmodum partiatur eundem inter spiritus vitales corporis; sed quid? si obstruatis vias communicationis, si clausæ sint portæ ad dandum, remanet totus sanguis in corde; modò siccatur brachium, modò crus, modò medium corpus. Oh infirmitatem tam terribilem, quæ jam à principio vitæ se interponendo cum morte, in uno corpore unit medietatem sepulturæ! Quæ infirmitas est ista? Est infirmitas, in qua omnes uniuntur infirmitates, & omnia mala in unum conveniunt; est denique cor possessum ab avaritia: *Radix omnium malorum.* 1. ad Tim. 6. v. 10.

De

De his loquebatur Job, & dicit, DEUM illos præcipitaturum, prout ſolet meſſor decutere ſummitates ſpicarum: *Sicut ſummitates ſpicarum conterentur.* Job. 24. v. 24. Punitionem non miror, ſed ſimilitudinem conſidero; ſicut ſummitates ſpicarum? dicat ſe illos proſtraturum ùt arbores, quas, dum maximam oſtentant pompam in frondoſitate ſuorum ramorum, ſecuris ad radicem poſita, proſternit; ſicut turrim, quam, quando firmiſſimam in ſua elevata altitudine ſe monſtrat, fulmen ex fundamento humo coæquat: vel ſicut ſtatuam, quam, quando maximè ſplendet aurô, & argentô in capite, & pectore, lapillus ſufficit, deſtructis pedibus fictilibus, totam redigere in pulverem; Sed *ſicut ſummitates ſpicarum?* Quare? Notate. Germinat ex granello calamus; quàm pulchra, recens, quàm lætè reſultat ab infra ejus decor, canna, erecta ſemper quærit cœlum, attollit ſe ſemper in altum; incipit ſpica impleri: pergit grana accipere, lactatur ſemper rore, quem è cœlo percipit, quo ſemper ſe erigit ùt ad ſuum benefactorem; ſed ubi jam granellis onuſta eſt, videns ſe plenam, pedetentim deficit ſuccus, & incipit aurô colorari; & ità dum ſe experitur plenam, & aurei coloris, ſiccum jam vertit caput, cœli obliviſcitur, totam ſe inclinat, & tota ejus applicatio eſt ad terram: *Sua ſponte arefacta*, dicit noſter Corderus, *Languitudo collo eſt, & cervicem inclinat.* Antea dum eſſet pauper, ità recta; & modò quando plena eſt, & ſatur, ità inclinata eſt? antea tota collineabat in cœlum, & modò tota ſua propenſio ad terram? Quid eſt hoc? & cùm jam ſit ex integro ſicca, contenta ſuo colore aureo, & granis, nè quidem minimum è cœlo vult admittere ſuccum; cadat itaque ſemel illa, quæ ſic ſe inclinat: *Ut ſummitates ſpicarum conterentur.* XIII

Ah ſpicæ rationales, plenæ ſed ſine ſucco, aridæ, & ſiccæ! Videbitis pauperem hominem in noſtra civitate ex officio honoratum, & cum incommodo mendicum, venatur ſuam fortunam: quàm modeſtus in ſuis actionibus! quàm attentus in Divinis, frequens in templis, ſedulus ad Sacramenta percipienda! quàm devotus! Ah ſi DEUS mihi daret fortunam mediocrem ad ſuſtinendas meas obligationes, quàm frequens eſſem in ejus ſervitio: ſi DEUS mihi daret capitalia, quomodo ego ſuccurrerem pauperibus: ego aſſecuro, quòd non deberent redire inconſolati à mea porta, quia ego ſcio, quid ſit eſſe pauperem. Bene eſt: quàm bona deſideria, quàm ſanctæ intentiones! XIV

Interim per ſuam diligentiam vix acquirit centum ſcuta, immediatè illi creſcunt deſideria ad plura acquirenda; elevat ſe canna iſta nihilominus ſine oblivione cœli: ſucceſſit illi certa emptio, commercium lucroſum arriſit; altiùs, & altiùs exoptat aſcendere capitale. DEUS concedit, ut capitale accreſcat ſicut ſpuma: jam evaſit homo triginta, vel quadraginta millium ſcutorum, incipiunt prodire ex ſpica ariſtæ; jam eſt in ſtatu colligendi vel omnem telam, vel lanam totius flottæ, & jam cum his ariſtis tranſcendunt ſummam coacervata quinquaginta, aut centum millia ſcutorum: exponit ſummam ad intereſſe, exigit viginti pro centum; incipit fieri in patria vir nter potentes; & ecce videtis jam hìc hanc ſpicam, quæ ob onus, & pecunias inclinat cervicem ad terram, jam nihil reſtat cogitationis de DEO, nihil de cœlo; ſpiritus omnimodè ità ſiccus, ſicut & arida manus, & anima media mortua. Ah homo! & quomodo eſt cum promiſſionibus, quas in principio tuarum fortunarum feciſti? multa habeo negotia; quomodo eſt circa eleemoſynas? habeo multas obligationes: quid eſt circa DEUM, ô homo? Quomodo? Non habeo alium DEUM præter meam pecuniam; *Ut ſummitates ſpicarum conterentur.* Jam autem ſcias, quòd iſtud eſſe jam ſiccum pro cœlo, eſt eſſe præparatum ad falcem; te DEUS demetet, & relinquendo grana pro aliis, ariſtæ remanebunt ad comburendum te in inferno.

XV. Multò pejus eſt, quòd, cùm infirmitas ejus ſit tam periculoſa, illi videatur ſe ſtare bene, & ità communiter, & ordinariè dicunt: Titius bene ſtat, vel Titius bene ſedet. In veritate ità ſedebat Matthæus in telonio: *Sedentem in telonio:* conſiderat illum ſanctus Petrus Chryſologus tam bene ſedentem inter ſaccos, qui illum circumdabant, in negotio dandi, & recipiendi; iſte conſignat, ſeu annotat, ille numerat; hìc adſtant, qui inſcribunt, ibi, qui computant; & ità convertendo ſe ad nos ſtupefactus: non videtis dicit, quòd videatur tam bene ſedere? & ecce pejus habet, & periculoſiùs infirmus eſt, præ illo paralytico, qui jacebat in lecto; *Fratres, deteriùs jacebat in telonio Publicanus, quàm Paralyticus jacebat in lecto.* Ille lapſus in miſeriam ſui morbi, iſte oppreſſus onere ſuorum ſacculorum: ille impeditus ab humore, iſte incarceratus à cupiditate; ille ex defectu virium ſe non movet, ille oppreſſus divitiis non ſurgit. Pejus itaque habet Matthæus, pejus præ Paralytico. *Deteriùs jacebat;* ſiquidem ſi huic morbus

bus corpus premebat; huic cupiditas animam immobilem redebat: ſic alligabant vincula cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebatur, ut ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret; nec poteſt ſe levare ad virtutem, nec paſſum facere ad DEUM; itaque, etiamſi vobis videatur tam bene ſedere, aridus eſt, & quidem aridus ad mortem.

Jam itaque infortunatè infirme, *ambula:* & in hoc tuum inve- XVI
nies remedium: exi ex hoc tuo ergaſtulo, quod te incarcerat; fac aliquot paſſus ex iſta ſclavitudine, quæ te opprimit; derelinque modicum hoc criminale, quod te includit ùt incarceratum. Ambula versùs DEUM, versùs capitale tui ſpiritûs, versùs lucra tuæ animæ. Oh! habeo multas obligationes: uxorem, filios, familiam, & DEUS mihi mandat, ut horum curam habeam: non hoc nego, ſed tanto tempore ſedes, ut pro tua ſalute nec paſſum facias, quando tot & tantas ſolicitudines circa pecuniam perfers? ut anima tua, nec pro unica diligentia, tibi ſit obligata, quando tua ſubſtantia tantos tibi debet labores? ut non inveniatur locus pro DEO, otium pro templo, & Sacramentis frequentandis, pro bonis operibus exercendis, dum ſuperſunt dies, menſes, & anni pro negotiationibus, pro officiis, pro ratiociniis, pro lucris? Appage! hìc non valent excuſationes; meliùs te potuiſſet illic illas allegare Paralyticus; Ambula diſcede hinc, dicit illi Dominus: *Ambula;* Domine, potuiſſet ille reſpondere, quibus pedibus debeo ambulare, ſi illos non habeo? ſi vix firmus remanere poſſim in hoc grabato, quomodo me potero regere in pedibus? Quibus viribus, cùm mihi omnes deſint; & ideo hìc hæreo expectans nihilominùs, quàm ſalutem adipiſci? Quomodo igitur mihi modò dicis, ut ambulem? Omnia hæc potuiſſet dicere; ſed nihil horum dixit; ambula, & eo ipſo momento ambulavit, & in veritate diſceſſit. Vide, an te magìs tua impediant negotia, quàm illum ſuus impediverit morbus; vide, an tuæ dependentiæ magìs te incarcerent, quàm illum incarceraverit infirmitas? Itaque ad ſervien-
dum DEO non debes allegare excuſationes, ambula, ambulà, & fies ſanus: *Sequere me*, dicit illic Dominus Matthæo, quando vel maximè erat aridus inter ſuas pecunias; Diſrumpe hæc vincula, gloſſat Chryſologus, ſolve laqueos, te, teipſum quære, & quidem in tantum, quantum alia incedis quærendo; certè non remanebis perditus, ſi te-
ipſum

ipsum lucreris : *Disrumpe vincula, solve laqueos, quære te, perde usuram, ut te valeas invenire.* Et quid ad hanc vocem fecit Matthæus ? *Et secutus est eum :* Dereliquit eô momentô libros, computus, sacculos. Et quid invenit ? Thesauros cœlestes, & optimum librum Evangeliorum.

XVII Ego finivi meum sermonem ; sed nescio, an nihilominus consecutus fuerim vestrum remedium ; ex eo, cùm ad hoc necessaria sit vestra voluntas ; parùm serviet, etiamsi ipse Medicus cœlestis applicet medicinam, si voluntas etiamnum durè resistat. Finivi, saltem absque hoc, quòd locum querelandi permiserim tantæ multitudini quamvis infirmorum ; Verum est, quòd unicum Redemptor noster ad piscinam curaverit, sed omnibus reliquit *Recipe* securum pro consequenda salute. Si igitur etiamnum volunt remanere lapsi cœci, remaneant cœci ; si volunt remanere titubantes vani, remaneant claudi ; & si nolunt moveri avari, remaneant aridi ; nam fortassis, perdendo hanc occasionem, aliam non sunt habituri.

O JESU Medice amorosissime nostrarum animarum ! Operare
XVIII tu tuis inspirationibus id, ut ex tuis verbis percipiant salutem nostræ aures ; siquidem nihil efficiet tam utilis medicina, si ad calorem tuorum auxiliorum non moveatur nostra voluntas. Illumina tu illos, qui cœci sunt, ut videant, & cognoscant statum miserabilem, in quem prolapsi sunt : Adauge vires aliis, ut excutiendo à se onus tantò magis intolerabile, quantò magis vanum, tutam reddant animam à pejori ruina : & aliis da efficacem resolutionem, ut rumpendo laqueos tam periculosos, in Te solùm quærant lucrum illud, quod præter id, quòd sit infinitum, est æternum ; & inveniamus omnes in solo tuo amore salutem, in sola tua gratia, vitam, , & in uno, & in altero stabilitatem æternam in tua gloria.

De

De reſtitutione rerum aliis ablatarum.

Tertio die Veneris Quadrageſimæ.

Occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus. Auferetur à vobis Regnum. Matth. 21. ℣. 38. & 34.

ILli tres termini fraudulentorum, quos ſolent adhibere in ſolvendo, nimirum quod ſolvant, *tardè*, *malè*, *& nunquam*, ſi non ſunt hodie literalis intelligentia, ſaltem apparent genuiſſima allegoria Parabolæ noſtri hodierni Evangelii, quod nobis ſuppeditat immediatè materiam ad multùm utilem, & importantem doctrinam. Et quoniam hi tres termini ſunt ex ſe ſatìs largi, & ſatìs longi, ad inveſtigandum illos cum majori commoditate, neceſſe habemus lucrari tempus: Stringo itaque narrationem Evangelii; eſt hæc ex integro Parabola, quam cùm poſtmodum Judæi morte ſanguinoſa Redemptoris noſtri convertiſſent in veram literalem hiſtoriam, totum inſimul nobis Catholicis remanet hoc ad incutiendum timorem, nè fiamus, aut ſimus hujus Parabolæ, vel ſimilis imago in noſtris moribus. Fuit itaque Paterfamilias, qui omni conatu ſuæ diligentiæ plantavit vineam, & ab infimo uſque ad turrim nullis parcendo expenſis, providit illam omni ſupellectili neceſſariâ ad ejus culturam, & omni tutella, quæ poſſet eſſe neceſſaria ad obtinendum lucrum, & ad promovendos ejus labores. Interim oportebat illum longè proficiſci, & hac de cauſa locavit illam certis agricolis pactum cum eis ineundo, ut pro perceptis fructibus, & proventibus vineæ, certis temporibus Domino penſum ſtipulatum perſolverent. In acceptatione vineæ coloni, & fruitione proventuum, nullam habebant difficultatem; ſed in ſolutione, hìc erant litigia. Elapſo itaque tempore, mittit Dominus ſervos ſuos ad percipiendos fructus locationis, & coloni tantundem ingrati, quàm inhumani, & tantundem ſtolidi, quantum ruſtici, unum de ſervis ceciderunt, & alium occiderunt, & tertium lapidaverunt; Egregia dimiſſio, & ſalutatio pro certo, pulchra ſolutio! Elabitur unus terminus; ſuſtulit patienter hoc factum, cùm fuerit Patronus diſcretus, & generoſus: ſivit elabi tempus ſecundum ad terminum alterum, & I.

mittit ſecunda vice ad colonos pro fructibus ſuos ſervos, ſed fructus, quem percipiunt, eſt ùt primus, vulnera, mortes, & lapides. Agitur ſecundus jam terminus, & nihilominus fraus perdurat; & tamen invenit dilationem in generoſitate, & magnitudine illius, qui non ſolùm erat Dominus, ſed, qui ſe etiam volebat monſtrare Patrem. Labebatur tertii terminus temporis, & jam nunc videndum erat, an infamis moveretur ingratitudo, ſtatuit mittere, non ultrà ſuos ſervos, ſed ipſum proprium filium. Sed quando obſervat reſpectus ruſticitas? quando intelligit humanitates intereſſe? Imò videndo filium, cœpit vel maximè in illis inflammari cupiditas hæreditatis. Venite, dicunt, & hoc ipſum eſt dicere, quod facere: occidamus eum, & hoc, quod ſuum eſt, erit noſtrum; & in veritate ſic faciunt crudeles coloni, & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. Hoc jam eſt tertiò: hoc eſt illud, quod ſucceſſit, hæc facti ſeries. Quid vobis videtur, quid debeat fieri iſtis colonis? Quid? reſpondent irati, & cholerici Phariſæi: Pereant, ſolvant, cum omni violentia auferatur ab eis vinea, & tradatur illis, qui ſciant honoratè reddere fructum temporibus ſuis. Nunquid hoc ipſum dicitis Catholici? Nunc expectate, dicit Phariſæus Dominus, & ego hoc ipſum hìc repeto illis omnibus, qui me audiunt: contra vos ipſos determinâſtis pœnam, & fulminâſtis ſententiam. Vos ipſimet eſtis coloni, & agricolæ toties ingrati, & hac de cauſa à vobis auferetur vinea, & cum vinea ablata remanebitis privati regnô. Quilibet recurrat ad ſuam conſcientiam, & videat, an ſe non ſentiat in hac ſententia comprehenſum; & dum vos hoc cogitatis, & recogitatis, ego vobis hoc diſcooperio: non intermittetis vobismetipſis attendere, mentem ad meam dictionem applicando. Incipiamus.

II. Perſuadere, ut res ablata reſtituatur Domino proprio, valde timeo, nè hodie me in vanum fatigem: Nihilominus tamen conſtitui prodigere hoc intervallum, perdere hoc tempus, fruſtrari mea deſideria, diſperdere laborem, ut tali modo DEUS in tantum per meum os juſtificet ampliùs, & ampliùs ſuam cauſam: Siquidem etiam ſanguis illorum ſervorum, quos illic ablegavit Divina Majeſtas, ad exigendos ſuos fructus, qui non erant alii, quàm DEI Prædicatores, & Prophetæ, prout eſt communis ſenſus, etiam ſine conſecutione penſionis, ſparſus fuerit, idcirco tamen non manſit perditus. Nihil itaque

que obtineant hodie meæ voces ; Sufficit, quòd ego in DEO ſperem illas non remanſuras malè impenſas. Ad tres terminos itaque fuit ibi dilata à colonis ſolutio, qui reſpondent aliis tribus terminis, per quos hìc ordinariè videmus, reſtitutionem fieri rerum alienarum: *tardè*, *malè*, & *nunquam*; Sic ſoletis dicere; ſed ecce, in hoc tam conſueto modo loquendi habet mea ruditas difficultatem; Quandoquidem qui *tardè* ſolvit, tamen ſolvit; quomodo itaque iſta ſunt compatibilia inter ſe, *tardè*, & *nunquam*? per hoc, quod intermediat, mihi dicetis, quia ille, qui ſolvit *tardè*, ſolvit *malè*, & ille, qui *malè* ſolvit, *nunquam* ſolvit; Bona reſponſio, nihilominus tamen inſto: Quare, ſi non ſolvit, dicitur de tali primò, quòd non ſolvat, cùm, quod ſi ſolvere, eſt nunquam, hoc id ipſum ſit, ac dicere, quod non ſolvat? Pro certo non; bene ſunt compatibilia inter ſe tò *ſolvere*, & tò *nunquam*: nunquam ſolvit, & nihilominus in veritate ſolvit. Quomodo hoc poteſt ſuccedere? Videtur vobis eſſe myſterium; Eamus itaque ad Evangelium: & quæro: Solverúntne illi coloni aliquid per hos tres terminos? Nihil in veritate, nihil ſolverunt, & manſerúntne ideo liberi à ſolutione? Minimè: ſolverunt vel maximè, ſiquidem ſolutio illos multùm conſtitit, nimirum perditio fructuum, perditio lucri, & perditio vineæ: *Auferetur à vobis regnum*: hoc itaque eſt ſolvere ad tres terminos: *tarde*, *malè*, & *nunquam*, non ſolvendo ſecundùm obligationem, ſolvunt caſtigatione: non ſolvendo per hoc, per quod ſolvere, illis conveniebat, ſolvunt æterno damnô, & non ſolvendo illud, quod minùs erat, ſolvunt perdendo illud, quod plus eſt. Non cogitabant illi de alia re, quàm de *habebimus*: acquiremus, adipiſcemur; & hoc infortunatum *habebimus*: oh quot, & quæ delicta illis facilia reddit! oh quas enormitates complanat! oh quas atrocitates facit illis leves videri! moriatur innocens, pereat pauper, cadat debilis, deſertus: fundatur ſanguis, vitæ in mortes mutentur, & acquiramus, habeamus; *Occidamus*, *& habebimus*. Verùm dum illi talibus cogitationibus occupantur, dum ſolummodo mente volvunt, *habebimus*, DEUS decretum fulminat: *Auferetur à vobis*, auferetur, hoc totum auferetur à vobis. Ah quomodo ſuccedit! ah quomodo hoc videmus! ah quomodo id ipſum experimur! Veſtes, vaſallitæ res; vos dicitis; jam imminuuntur, ob facilitatem, quâ, quaſi avolant; ſi ſimilia conquiruntur ex furtis, ex defraudationibus, ex ſan-

guine pauperum, & ex ſudore miſerabilium; ſi in nulla parte mundi pro certo vivitur ex eo: quod furtô aufertur, prout hic; quales debent eſſe Officiales Miniſterii, quales Miniſtri Statûs? Jam autem, ſi omnia perſolvenda ſunt absque omni remedio, Auditores mei, venio vobis proponere unum ex duobus, aut voluntariè ſolvenda, & reddenda eſt res ablata illi, cui debetur, aut DEUS violentè illam vobis auferet. Eligite, quod placet, eligite. Aut ſolvendum eſt ſecundùm Legem Divinam; aut ſolvendum cum ſententia æternæ damnationis: Aut ſolvendum eſt cum merito, & cum honore, aut ſolvendum cum æterno dolore, & æterna infamia: Aut ſolvendum liberando ex laqueis, anguſtiis, & anxietatibus conſcientiam, aut ſolvendum perdendo cum rebus ablatis ſalutem, & animam: Non patet ex hinc exitus, non effugium.

III. Nec poteſt eſſe hìc in meo auditorio, qui hanc neget veritatem, ſi eſt Catholicus: vel ſolvere hìc, vel ibi: vel reſtituere alteri ablatum, aut damnari. Sed quoniam ſe vident jam conſtrictos, cognoſcunt, & fatentur ſuam obligationem; Nihilominus quærunt terminos: Solvam, dicunt, jam ſolvam. Solvam? ſumus jam itaque in primo termino, qui eſt ſolvere *tardè*: Et an non? Intelligamus iſtud *ſolvam* illorum, qui non reſtituunt. Unum ex duobus: vel habes, unde ſolvas, vel es redactus in ſummam paupertatem, nihil tibi remanſit, quo poſſes ſatisfacere? Si eſt ſecundum, ex hoc puncto tibi admitto terminum: ſolves, quando habueris, & poteris, & nec quidem unicam ſyllabam per totum meum ſermonem tecum loquor. Sed ſi habes, unde ſolvas, vel ex integro, vel ex parte, ſit in pecunia, ſit in ſupellectili, ſit in fructibus, ſit in qualicunque genere: Dic mihi, quot jam ſunt anni elapſi, à quo dicis, *ſolvam*? Fuiſti executor teſtamentarius Titii, feciſti tuam ſubſtantiam ſanguinem Titii orphanorum, feciſti tua lucra ejus legata, & donata; non fuit difficile tegere tua vitia in judicio teſtamentario, ſi tamen factum eſt, quòd res ad tale judicium devenerit. Iſtud, cum quo triumphas, & dominaris, non eſt tuum: *ſolvam*. Habuiſti longa ratiocinia, & computus cum Sempronio in rebus componendis; venerunt ad comitia aliqui productus, vulgò *Partite*, reliqui ſunt ſilentiô preſſi; computus ſunt compoſiti, ſunt adæquati, ſed contra te vociferatur liber propriæ conſcientiæ; quòd hoc totum, vel maxima pars illius, unde

tot

tot millia lucraris, sit alienum: *solvam.* Vicisti illam litem injustam, datum est bonum bibale Advocato, traxit utile ex suis fraudibus vel Procurator, loquendo, vel Referens devorando clausulas; intervenit illa, quæ vocatur gratia, & est maximum infortunium, ad sententiam, & totum in tuum prodit favorem; verùm in tribunali tuæ conscientiæ, ubi nec fraudes valent, nec palliamenta excusant, nec bursæ, nec sacculi lucrantur gratiam, clarè vides, hoc totum non esse tuum, quamvis tibi aliter de hoc dicant inimici DEI; non est tuum: *solvam.* Fuisti Director Consilii, vel regiminis in illa Provincia, fecisti id, quod ordinariè fieri solet, cannam piscatoriam ex sceptro, rete, ex jurisdictione, quo prædatus es miseros: & quamvis obtinueris literas liberatorias, in quibus subdolè, & per machinationes, quæ non ignorantur; ad terrendos offensos, ad subornandos ministros communitatis, ad faciendum omnes tacere, te declarant pro Sancto, & pro digno ad obtinenda majora officia in servitio Regis; tua anima tamen persistit tibi dicendo, te non esse dignum, quàm ut stes in imo inferni, & totum hoc, quod lucratus es, quod acquisivisti, quod rapuisti: *solvam.* Quot quadragesimæ transierunt? quot anni? quot Confessiones peregisti decipiendo Confessarios cum isto *solvam?* IV.

Auditores mei! Ecce est introductus inter nos certus error, qui esset intolerabilis etiam inter Calvinistas. Persuadent sibi non pauci, quòd ad implendum præceptum restitutionis, & in conscientia standum securè, sufficiat solùm habere voluntatem restituendi aliquando, fixum in animo habere, & propositum solvendi, & cum hoc dictamine, etiamsi non solvatur multis annis, credunt se vivere multùm securos. Est error, repeto, est error gravissimus. Præceptum restitutionis, dicit sanctus Thomas, & cum illo omnes Theologi, videtur, quòd de hoc nullus possit dubitare, est præceptum partim affirmativum, & partim negativum. Affirmativum nobis dicit, ùt sanctus Thomas loquitur 2. 2. q. 62. a. 8. ad 1. *Solve alteri.* Negativum mandat nobis: *Non retineas id, quod alienum est:* Et sic non obligat nos solummodo solvere qualicunque tempore, hoc est affirmativum; sed etiam non retinere, non differre, nè quidem unô momentô, si fieri potest, siquidem istud est *esse* præceptum negativum, quod omni tempore obligat, & momentô. Est sicut pruna viva in manu, res aliena, ubi non sufficit habere propositum illam abjiciendi; nam si non

abjiciatur, immediatè magis, & magis urit, & magis, & magis crescit vulnus; In tantum non sufficit solùm propositum restituendi, ut quavis vice, dum hujus recordatur, & non restituit, juxta mentem gravissimorum Theologorum, committat debitor novum peccatum mortale; de novo aufertur illud, quod non solvitur; de novo furtum committitur illius rei, quæ injustè retinetur: *Non multum interest*, dicit Concilium Generale Lateranense sub Innoc. III. can. 39. *Non multum interest, præsertim quoad periculum animæ, retinere injustè, ac invadere alienum.* Itaque, etiamsi maximum propositum habeas restituendi, si non statim restituas, permanes in peccato mortali, es in statu æternæ damnationis; quare confiteris, si dum non restituis, hæ ipsissimæ confessiones nil aliud sunt, quàm repetita sacrilegia; Audi hoc ipsum dici à sancto Augustino, Epist. 54. ad Maced. *Si res ablata reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Anteacta quadragesima dixeras Confessario (si tamen factum est hoc te confessum fuisse, de quo valde timeo, cùm tales hoc ipsum nè quidem soleant confiteri) dixeras, te restituturum: præterita dixeras hoc ipsum, feciſtine? restituisſtine? Non. Jam quæ, & qualis est tua confessio? & cum hac te multùm securum credis? Ah! hæc non est confessio, sed deceptio; non est hæc absolutio, sed damnatio, dicit tibi sanctus Augustinus, vide, an debeas admittere ejus videri: *Pœnitentia non agitur, sed simulatur.*

V. Pater, ego, est veritas, habeo, nec hoc possum negare, habeo bona mobilia magni valoris, supellectilem sumptuosam, gemmas, & argentum, sed non possum restituere: habeo, sed non possum; habeo, sed non possum; intelligamus, & perpendamus hoc: Advertitis certò matutino tempore hyemis ad fontem aliquem, qui est per frigiditatem aëris congelatus: immittitis vas: dicitis, aqua non est? Est mendacium, siquidem aqua ibi est, & quidem tanta, ut fons ex integro plenus sit; nunc, quare nec unicam haurit guttulam immissum vas? Expectate pauliſper; sinite oriri solem; incipit iste splendere, & suos radios immittere tam efficaces, quàm benignos in aquam congelatam, & jam liquefit, jam dissolvitur, jam ibi aqua adest, & jam fluit. Quid hoc factum est? unde venit ista aqua? Erat ibi, sed stetit sicut silex. Habeo, sed non possum. Quare? Quia hoc cor est congelatum, est magis obduratum præ saxo, nec solis Divini admittit lucem benignam gratiæ, nec efficaciores radios auxiliorum; quia

quia congelatum vivit in nocte avaritiæ, quantum plenius, tantò minùs potest restituere. Sic hoc experimur, illos ordinariè, qui potentiores sunt, allegare majorem impossibilitatem restitutionis. Inter alia, quæ DEUS abominatur, est dives mendax: *Divitem mendacem*, Eccli. 25. v. 4. Et quis est iste dives mendax? In nullo magis verificatur, quàm in illo, qui opulentus supellectile, dicit, se non posse solvere. Et quid juvat, quòd tu sic loquaris, si DEUS, qui tuum cor intuetur, optimè intelligit illud, quid dicere velit hoc *non possum*, esse solenne mendacium: *si dixeris: vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Prov. 24. v. 12. De capris dicit Plinius, quòd, quò macilentiores sunt, tantò sint fœcundiores; quodsi autem impinguentur, non est ultrà ab eis sperandus fructus. Oh! meæ obligationes sunt nimiæ, decor necessarius tam meæ personæ, quàm mei statûs: uxor, filii, splendor, & apparatus, quem exigit mea qualitas officii, & meus locus, & si alienum restituero, non erit possibile, ut hæc omnia in eo statu conservem, in quo nunc sum. Procedamus tardè, & cautè.

VI. Certum est, ego hoc non nego, convenire Doctores graves, quòd si necessitas, ad quam devolveremini restituendo aliena, sit tam gravis, quòd vos oporteret petere eleemosynam, & vestros filios, vel perdere omnino vestram reputationem, & ùt vulgò dicimus *Credit*, vel decidere in communem despectum, vel cum damno aliquid commutare, exempli gratiâ: dare vel cedere pro duobus florenis id, quod valet decem; tali modo itaque, si ille, cujus retinetis pecunias, non patitur æqualem necessitatem, siquidem in pari necessitate ille plus juris habet, quàm vos, in hoc quod suum est; in tali casu, cum his circumstantiis, conveniunt dico, Authores graves, vos aliquantum posse differre restitutionem, vel illam sensim, & sensim faciendo, & per partes. Hoc ego vobis non nego, ut non credatis, me argumentari solis exaggerationibus. Sed nunc interrogo: erítne necessitas tam gravis, ut retineatis rhedas, famulos, & illorum sumptuosum vestitum, vulgò livréé, & ob hanc causam non sitis solvendo? Non, siquidem alii nobiles, tam boni stemmatis, ac fortè vos, hoc non habent, & tamen exinde non minùs permanent, & habentur in æstimatione, prout requirit illorum qualitas. *Erítne* necessitas prægnans, ut pro una, & altera, ùt vocamus *Gala*, quingen-

genta, & quandoque mille ſcuta adſint, ut habeatis abundantiam pro viſitis faciendis, & recipiendis, tractationibus, & commeſſationibus, pro luſu, & denique pro diabolo; & ut ille miſer, cui in tantum retinetis pecunias, nec ei ſolvitis, interea pereat nudus, filii ejus vivant in miſeriis anxii, ejus filiæ in periculo, cùm media deſint illas in honeſto collocare ſtatu? & vos vel lucrando in negotiatione, vel luxuriando in vanitate cum proximi pecunia, cum ſuo ſanguine, cum ſuo dishonore, infortunio, & ſua miſeria tripudietis; & hoc eſt illud, quod vos vocare ſoletis, *non poſſum?* Oh, & quot, & quantæ animæ damnantur propter hoc infortunatum, *non poſſum!*

VII. In repræſentatione cujusdam Regis ponit rationes noſter Redemptor cum ſuis ſervis in una parabola Matth. 18. Ponderabantur rationes accepti, & expenſi, & ultimatè manſit debitor unus ex illis, non minoris quantitatis, quàm decem millium tallentorum; ſumma grandis, ſed de hoc infelici, dicunt, non eſſe illum ſolvendo: *cùm non haberet, unde redderet:* ſunt itaque finitæ rationes; quia ſi non habet, unde ſolvat, quid cum ipſo eſt faciendum: quid? dicit Dominus, ut vendatur ille, uxor, & ſui filii in ſclavos, & mihi ſolvat id, quod debet. O Domine! & quis eſt iſte rigor tam alienus à tua benignitate pietoſa, tam extraneus à tua generoſa liberalitate! Ecce ego recordor valde bene de aliis duobus, qui pariter grandem quantitatem debebant, quia non habebant, unde ſolverent, utrique donâſſe æquali liberalitate illorum debita: Luc. 7. *Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque*; ſi itaque iſte miſer non habet, quare cum tanto rigore exigitur ab illo, ut ſolvat? ità eſt, habet, dicit poſtmodum ipſemet textus; obſervate: *Juſſit eum Dominus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi;* Et omnia, quæ habebat? ità eſt, dicit hìc Doctiſſimus Abulenſis, habebat pariter bona immobilia, quàm mobilia; *Scilicet tam bona mobilia, quàm immobilia.* Sed, Sancte DEUS, quis hoc intelliget? primò dicit textus, quòd non habebat; *cùm non haberet:* & modò nobis dicit illum habere; *Et omnia, quæ habebat.* In quo hæremus? dum attendendo bene ad textum, ſolutionem agnoſcemus: non habebat, ut ſolveret; *cum non haberet, unde redderet;* ſed habebat ad oſtentationem: *Omnia, quæ habebat;* non habebat: non allegabant ejus excuſationes, ſed habebat, quod demonſtrabant realitates: non habebat pro eo, quod erat ob-

obligationis, ſed habebat pro vanitate, & pro dilapidatione. Solvat itaque, ſolvat, & de reliquo maneat ſclavus. Ille? optimè. Sed ejus paupercula uxor, ejus infortunati filii, quare debent vendi? quia illi erant maxima cauſa contractorum debitorum, & erant potior pars in faciendo, ut ſic negaretur reſtitutio; quia ad conſervandam pompam in uxore, & luxum veſtium; in filiis verò vanitatem, luſum, & diſſipationem, ille nunc dicit, ſe pro illo non habere, cui debet habendo pro illo, ut poſſit pomposè ornari. *Quia magna debita*, dicit inſignis Oleaſter in cap. 3. Iſa. *Uxoris, & filiorum gratia contraxerat: non enim timuit aliena rapere, ut uxorem, & filios pomposè indueret, & ornaret.* Eſt forſan tale veſtrum *non poſſum?* ego cogito abſque multo judicio temerario, ſic eſſe. Videmus ſuperfluitates, faſtum, expenſas: videmus, quòd luſus continuetur, intra unam noctem mille, vel etiam duo millia ſcutorum perdantur. Adveniat creditor petendo illud, quod ſuum eſt, vel locò creditoris veſtra propria vos moneat conſcientia, & ad omne hoc reſpondetur: non habeo, non poſſum. Jam autem DEUS faciet, ut poſſitis, ruinando veſtram domum, exponendo ſub haſta veſtra vendibilia bona, relinquendo veſtram uxorem, & filios in maximè miſerabili ſtatu, & damnando veſtram animam ad æternam, & infernalem ſclavitatem.

VIII Et jam, cùm iſtas frivolas excuſationes videamus ſemper durare, quando implebitur ille terminus, *ſolvam*? Tunc in morte. O quàm tardè! Videtis, quòd ego bene dixerim, dum vix audiviſſem hunc terminum, *ſolvam*, quando eramus in primo termino, qui eſt tò *tardè*; & tamen hoc ipſum adhuc tranſiret, adhuc non eſſet tantum malum, ſi pro tunc debitum ſolveretur; ſed quàm rarus, quàm ſingularis eſt ille, qui etiam pro tunc reſtituit. Semper cum attentione obſervavi, unica ſola vice in tota Hiſtoria Evangelica referri, ſanctum Petrum piſcatum fuiſſe hamô: quindecim vices recenſentur in Evangeliis variarum piſcationum Apoſtolorum, & in omnibus ſemper notatur, illos piſcatos fuiſſe retibus; & hac unica vice fuit hamô, quando ad Chriſtum venerunt exactores petendo tributum, ſeu didrachma, mittit Petrum ad mare, & ordinat, ut injiciendo hamum eum piſcem tollat, qui primus aſcenderit, & in illo inveniet nummum, ad perſolvendum tributum. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle;* Matth. 17. v. 26. Eſtne poſſibile, quòd,

cùm ordinarium exercitium piſcationis Apoſtolorum fuerit cum retibus, in hac occaſione Chriſtus velit, ut fiat hamô? Qua de cauſa hoc fuerit? & cur requirit in piſcatore majorem curam? Quæ prolixitas illud expectare, illa patientia in componendo filo, menſurare proportionaliter ſuber, nè filum nimium mergatur, accommodare eſcam hamo, illum in aquam jacere, & attentionem, abſque motu, ad ſuber & tractum habere; in demergendo hamo exactè æſtimare pondus, ut non ſit tale, quod frangat cannam; & poſtmodum ex parte piſcis: aliquando non poteſt induci ad deglutiendum hamum unà cum eſca, & bene opus eſt tota ejus ingluvie, ut eſcam inglutiat, nè jactus vanus evadat; quid non facit piſcis, dum ſe ſentit trahi ex aqua? Quid? quando ſentit obliquari ſibi fauces, & jam læſas hamô? Quomodo reſiſtit, quomodo ſe agitat ---? uſque ad manus piſcatoris deveniat, perimendus. Jam tota hæc prolixitas, & moleſtia in piſcatione unius piſcis? Nónne melius foret, ut Petrus jaciat rete, in quod amore aquæ tot prodeunt dulciter compulſi, abſque eo, quòd aliquid advertant, quia pecuniam habet iſte piſcis, igitur hac de cauſa debet adhiberi hæc ſingularitas? Ità eſt, hoc totum intenditur, ut ille, qui tenet pecuniam in gutture, illam reſtituat, & ſalvus fiat. Quæ anxietates! quæ anguſtiæ! quæ inflexiones! & poſt hæc omnia adhuc erit fortuna, ſi cum morte luctando, conſignaverit monetam. De reliquis piſcibus ſperent Prædicatores Evangelici capere plena retia; Verùm ex iis, qui tenent pecuniam alienam in viſceribus, fortuna erit lucrari vel unicum, & erit fortuna, ut talis capiatur in morte, unde provenit id rarò nos videre, & experiri. Et fortè non? Ad quid cogitatis, tendunt in plurimis iſtæ repugnantiæ, imò etiam impoſſibilitates, quas allegant ad non conficiendum teſtamentum? Tendunt efficere, nè diſcooperiantur fraudes, nè patefiant debita, & ut non propaletur defectus pecuniæ. Advenit mors, dicit talis damnatus ex his, qui inter nos converſantur, *divites ad prædam natos*, vocat illos Tertullianus, advenit mors: Relinquo Prætorem, & Magiſtratum, tanquam poteſtatem habentes, & ibi percipientur mei Executores: ego morior, & fraus ante me. Homo abſque anima, tua te fraus præcedet; & quamquam ità ſit, nam bene fraus tua procedit cum poteſtate tenebrarum: priùs te præcedet hìc inter homines. Quid igitur per hoc intendit, ſi quantùm DEUM attinet, tuæ frau-

fraudes non poſſunt ultrà durare, quàm uſque ad mortem? Siquidem eo momentô, quo exſpiras, vadis ad videndum in illis tremendis libris DEI, regiſtrata clariſſimè omnia tua ipſiſſima onera reſtitutionis, quibus te non exonerâſti? quid facis cum tua poteſtate, quam poſt te relinquis? nîl aliud, quàm ut conſigneris poteſtati tenebrarum, & abſque omni remedio damneris?

IX. Non dicatur idcirco meam malignitatem eſſe id, quod omnes videmus, Ego concedo, quòd ille, quod tamen pro nunc non ſuccedit, niſi cum admiratione, conficiat aliquale ſuum teſtamentum; ego condeſcendo, quòd ille, quod quidem nunc non videtur niſi per miraculum, declaret ſe debere Titio decem, vel duodecim millia ſcutorum: ſed quæro, an apponat pariter illum à decem, vel viginti annis hanc ſummam debere? An faciat mentionem damnorum, & præjudiciorum certorum, & notorum, quæ alter pertulit ex retentione per tantum tempus ſuæ propriæ rei? Non; omnimodè hujus nulla fit ratio, aut mentio. Hoc nunc eſt tranſire jam à primo termino, qui eſt *tardè*, ad ſecundum terminum, qui eſt *malè* ſolvere. Iſtud eſt *malè* ſolvere; & non ſolvere eſt hoc. Mandat DEUS Exod. 22. quòd ſi quis fuiſſet furatus bovem, aut ovem, & jam illa occidiſſet, vel vendidiſſet; pro uno bove, quem furatus eſt, ſolvat quinque boves, & pro ove ſolvat quatuor oves; *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* Et quis ex vobis non adverterit ſolicitam diſtinctionem, quam facit lex? Pro una ove, quam furatus eſt, reſtituet quatuor; id eſt iſtas quatuor, præter compenſationem ablatæ, ut reſtituat, in pœnam, & mulctam, quam lex imponit delicto, dicit Doctiſſimus Abulenſis. Non pono in hoc meam refle-xionem; ſed, quòd ſi quatuor ovibus, pro una, quam furatus eſt, ſolvit pœnam legis, & implet reſtitutionem; ille, qui furatus eſt bovem, cur debet uno plùs ſolvere? Ità, ut pro ove ſolvat quatuor; pro bove ſolvat quinque? Ità eſt, dicit cum Theodoreto, & Oleaſtro noſter inſignis Cornelius in hunc locum: *Ut per illum ſarciat damnum, quod bovis Dominus paſſus eſt in agricultura; ad hanc enim non ſervit ovis, ſed ſervit bos.* Notate: ille, qui furatus eſt ovem, in ove remanſit totum damnum, quia ovis in tantum non ſerviebat, Domino in alio; ſed ille, qui furatus eſt bovem, toto illo tempore, quo

illum retinuit, privavit Domino illo, quod ille hos debebat dare, lucro, & profectu, jam junctus currui, jam arando; non manet damnum in bove solùm: sed causavit præjudicium in eo pariter, quod alter bove poterat lucrari. Itáne? Itaque solvat unum plùs pro illis damnis, quæ causavit; *Quinque boves pro uno bove restituet.*

O damna! O præjudicia! O ruina! Nescio, an semel restitutæ!

X. Ex eo, quòd vos non restitueritis Domino æs alienum, ille perdidit occasionem emptionis, in qua lucratus fuisset tantum, quantum prout lucratus est alter, qui illam fecit; solvisset illâ pecuniâ, quod debebat, suum verbum tenuisset, & sustentâsset se & suam familiam. Deest illi in aliqua occasione illud, quod vos illi detinetis; ille hac de causa fide defuit creditori, compulit hic illum, & convenit, vidit se angustiatum, ursit eum ad satisfaciendum, remansit perditus, & jam se videt sinè *Credito*, sinè mercibus, & aliis rebus, & perit ille, & sui filii; Quis causavit hæc damna? & quis illa tenetur solvere? Ille pauper artifex, vel mechanicus, qui se experitur ruinatum, suam artem vel mechaniam ex integro jacere, suam domum depauperatam, si à vobis in tempore solutus fuisset, non fuisset coactus, & adactus, ad faciendam fraudem, ad contrahenda debita, quæ illum in carcerem deduxerunt, ultimúmque illi imminet infortunium. Quis hæc damna causavit? & quis obligatur ad solutionem? Et non loquor nunc de aliis miseriis, & infortuniis, pro quibus satisfaciendis non est, non datur capitale in hoc mundo. Wladislaus, Rex Polonorum, abstulit violenter res ad suos Vasallos pertinentes; sed instituit tantum, & in tantum illum verbis commovit, tam Sancta, quàm sapiens Regina Hedwigis uxor sua, ut se determinaverit ad restitutionem ablatorum. Facta est rerum ablatarum restitutio: & tunc, optimè, dixit Regina sancta, jam solvimus illis appertinentia; sed quis poterit illis proprias solvere lacrymas; *Pignora quidem reddidimus agrestibus: cæterùm lacrymas illorum quis reddet;* O lacrymæ! O gemitus! O suspiria miserorum; Quomodo solventur ô Potentes? quæ fames? quæ nuditates? quæ miseriæ? Causatæ omnes ex eo, quia non solvistis, quod debuistis, quomodo illas solvetis vos Magnates terræ? Eò usque res devenit, ut vestri servi, vestri sclavi, ex eo solùm, quia vestri sunt, ausint, & licentiam habeant excoriandi derelictos? Pauper artifex, mechanicus, qui se sustentat hodie eô, quod hodie lucra-

lucratur! Unus miſer mercenarius, qui hodie comedit id, quod hodie promeritus eſt labore ſuo, ſi eis non ſolvitis eorum laborem, ſi vultis, ut eorum ſudor ſit tributum veſtræ introductæ tyrannicæ ſuperioritatis, unde habent, quod manducent? Qualiter ſe debent ſuſtentare? *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque manè.* Levit. 17. Mandavit DEUS in Levitico; non differes ad manè ſolutionem mercenario, quam ei debes pro labore hodierno: & ſi vos differtis non ſolùm in cras, ſed in multos dies, & annos, quæ præjudicia hinc ſequuntur miſeris hominibus? Si pro illo, pro quo in tota patria alii ſolvunt quatuor groſſos, in veſtra domo ſolvitur ſolùm duobus, quæ tyrannia eſt iſta? Tyrannia, quæ implet terram gemitibus, clamoribus cœlum. Ah! quæ rationes vos expectant ô Præpotentes! XI.

Apage, jam hoc video, & agnoſco: ego mandabo, ut ſolutionem præſtent ex integro mei hæredes. Quid hæredes? Ad hoc res devolvitur? Nunc jam eſt id, non ſolùm ſolvere *tardè*, & ſolvere *malè*, ſed ſolvere in tertio termino, qui eſt *nunquam.* Perpendamus hoc, & intelligamus bene, Catholici: pecuniâ exiſtente in ciſtis, tempus ſufficiens, quia non contingit, nec invadit morbus tam feſtinanter, commoditas, & occaſio præ manibus adeſt reſtituendi; & poſtmodum ut reſtituent, ut ſolutionem præſtent mei hæredes, non procedit anima ſecurè, non vadit anima ſecura. O DEUS! & quanta videmus in ſimilibus caſibus; potésne tu reſtituere? Ità: ibi adeſt pecunia, vel res aliena, & tempus etiam habeo, vel, & eſt de tempore; cur non facis, dum potes, fac igitur? Non. Itaque quantumcunque confitearis, damnaberis. Audi ſanctum Auguſtinum jam citatum: *Si res ablata reddi poſſit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur.* In jure non vult conſentire Jurisconſultus, ut dicatur, illam mulierem peperiſſe, ex cujus ventre jam mortuæ extrahunt infantem L. Etiam ff. de verb. ſignif. *Falſum eſt eam peperiſſe, cui mortuæ filius extractus eſt.* Jam quomodo vocabitur reſtitutio te illam non faciente, dum potes, ſed ut illam faciant poſt tuam mortem? Hoc non eſt te reſtituere, ſed reſtitutionem poſt tuam mortem extrahere.

Præterquam, quòd experientia funeſtiſſimè omni die nobis demonſtret, quòd rariſſimè alienum poſt mortem reſtituatur; quantos hæredes videmus, quibus nè quidem pro luſu ſufficit tota ſubſtantia; quomodo illis ſufficiet pro certitudine loco illorum Parentum? Reli- XII.

liquit quidam Pater filio ſuo pro hæreditate tres falcones, qui erant magnæ æſtimationis, & pretii, cum hac clauſula: ut illis venditis, pretiô, & valore ex unô perceptô, ſolveret paterna debita, & pro ſolatio animæ illius Miſſas legi curaret, & eleemoſynas pauperibus largiretur; reſidui duo filio in hæreditatem cederent. Mortuus eſt Pater, & paulò poſt avolavit filio unus falco: adhibuit omnem ſuam diligentiam ad eum inveniendum, & quoniam omnis conatus inanis erat, nec falco inveniendus erat, ſeipſum ſolabatur dicendo: abeat feliciter; ille enim eſt, qui avolavit, pro quo vendito pretium acceptum applicandum pro anima Patris defuncti erat. In tota hiſtoria Evangelica invenimus quinque Patres, qui accùrrunt ad Chriſtum, & obſecrant eundem pro bono filiorum ſuorum: Mater filiorum Zebedæi petit ſedes, alii Parentes ſalutem filiorum, alius vitam defuncti filii ſui; Sed unica vice reperimus filium, qui apud Chriſtum ſupplicat pro ſuo Patre; Quid eſt autem illud, quod petit? Petit licentiam eundi, ut Patrem ſepelire poſſit; *Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire Patrem meum.* Matth. 8. v. 21. Marc. 4. v. 36. Luc. 8. v. 22. Fidite jam Patres veſtris filiis, repeto, qui omnimodè ſolùm feſtinabunt vos ſepelire, & poſtmodum frui hæreditate. Et de executoribus, quod videmus evadere divites poſt ſuum adminiſtratum munus? Et pauperculi orphani, & viduæ fame, & inediâ pereunt; jam quid tales facient cum reſtitutionibus defuncti, qui ampliùs non loquitur? Plùs ultrà: tu ipſemet hoc, quod teneris reſtituere, non habes per fortunam, ſi tamen fortuna dicenda eſt, magna ex parte ex illa, vel illa executione, quam non adimpleviſti? Ex illis debitis defuncti, quæ non perſolviſti? Nunquid illi promiſeras te certè hoc facturum? Feciſtíne? Jam quomodo vis, ut alter faciat illud, quod tu per te ipſum faciendi vires non habuiſti, quia tantùm doluiſti hæc bona aliena à te avelli? Et his non obſtantibus tamen tibi videris ſecure procedere, nec deeſt adulator, qui hoc ipſum aſſeveret? Hoc itaque eſt ſolvere in tertio termino, qui eſt, *nunquam*; & ſic fiunt rudentes damnatorum: hi pro iſtis non ſolvunt, & iſti pro illis damnantur. Baronius ad An. 1055. Ità hoc vidit ſanctus quidam Monachus, refert ſanctus Cardinalis Petrus Damiani: Certus Comes in Francia uſurpabat bona certæ Eccleſiæ; mortuus eſt, & hæc declaratio injuſtæ poſſeſſionis tranſibat ad ſuos hæredes, taliter, quòd

jam

Jam per varios tranſiret uſque ad decimum hæredem, & nihilominus abſque reſtitutione bona penes hæredes manebant; quantumcunque reclamaverint Eccleſiaſtici: Poſtmodum igitur ſanctus Monachus vidit apertum infernum, & in illo ſcalam, quæ per decem gradus deſcendebat uſque in profundum, & in quovis gradu unus de his Comitibus videbatur, qui à primo ad ultimum uſque concatenati unus ad alterum per manus deſcendebant quaſi in rudente. Ah rudentes! Ah catenæ damnatorum! Latro vadit ad infernum, & relinquendo pecuniam hæredibus, ſecum illuc ducit ſuos filios, uxorem, & ſuos executores; iſti, alii, omnes furantur, omnes rapiunt, omnes retinent, & omnes cadunt in infernum inſimul concatenati.

Oh! Ecce relinquo in meo teſtamento multas eleemoſynas pro XIII
mea anima, multa millia Miſſarum, tantos ſumptus funebres, tantam pompam! Magna res! De hoc multa videmus; & poſt hæc omnia ſolviſtine, quod debebas, dum poteras? Non. Vide, cum omnibus iſtis Miſſis, eleemoſynis, operibus piis, funeralibus, pompis, & comitatibus damnaberis; facta reſtitutione rerum alienarum, quamvis pro te nullas curent legi Miſſas, potes ſalvari, de hoc nullum eſt dubium; ſed ſine reſtitutione alieni, quamvis pro te legantur millionnes Miſſarum, infernum evadere non potes, & hoc eſt absque omni controverſia. Eleemoſynæ, quando non ſcitur, non cognoſcitur Dominus rei, quæ alteri ſpectat, ſupplent reſtitutionem, hoc non nego, ſed ſi Dominus ſciatur, ſi Patronus cognoſcitur, vel ſui hæredes, ad nihil ſerviunt eleemoſynæ. Fecerat illic eleemoſynas Zachæus, & quidem tantas, ut in has medietatem ſuorum expenderit bonorum; *dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Luc. 19. v. 8. Et hoc non obſtante, non reſpondit illi Vita noſtra Chriſtus Dominus nè quidem unum verbum vel laudis, vel favoris: dicit poſtmodum ſe actu reſtituere, non reſtituturum aliena: *Reddo quadruplum,* & tunc reſpondet illi Dominus: *Hodie huic domui ſalus à DEO facta eſt.* Ibid. Hodie in hanc domum intravit ſalus, bona ſors, felicitas & ſalvatio; Obſervate, Dominum jam priùs intraviſſe in illam domum, honorando illam ſuâ Divinâ præſentiâ, & nihilominus tamen non dixit in illam introiviſſe ſalutem; Et quando hoc poſtmodum dixit: quando viderat reſtitutionem. Itaque non habetis, unde vos multum conſolemini ex hoc ſolo, quòd infirmus perceperit Sacramenta, quòd ipſiſſimus DEUS ve-

ne-

nerit in ſuam domum, in ſua reali, vera præſentia Sacramentatus; Siquidem, ſi cum hac Divina præſentia non adeſt reſtitutio, nec in hanc domum, nec in iſtam animam intravit ſalus, & ſalvatio. Et quid faciemus, dicit Magnus Auguſtinus, cum toto iſto funerali, & comitatu? Quid prodeſt, quid importat, quòd relinquas, de quo cantent iſti, ſi ſurripis, de quo plangant alii? Iſti cantant in Eccleſia pro hoc, quod illis ſolvis; dum alii plangunt in ſuis domibus ob hoc, quod illis abſtuliſti: *Cui dederis, gaudet, cui abſtuleris plorat; quem duorum iſtorum exauditurus eſt Dominus?* S. Aug. lib. 10. ſerm. 19. de verb. Apoſt. Jam quid cogitas, quem exaudiet Dominus? Voces illius, qui canendo pro te quærit miſericordiam; vel gemitus, & lachrymas illius, qui plorando quærit, & petit contra te juſtitiam? Certum eſt, & eſt de fide, quòd DEUS non poſſit deeſſe juſtitiæ: itaque quam cogitas futuram tuam ſententiam? ut, quoniam nunquam ſolvis, ſemper ſolvas, & ut, quoniam pecuniâ non ſolviſti, ſolvas animâ.

XIV. Differit noſtra Vita Chriſtus Dominus de illo carcere infauſto, de illo loco criminali, nimirum inferno, juxta ſenſum ſancti Hieronymi, & aliorum Patrum, & dicit hæc tremenda verba: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Matth. 5. v. 26. Ego te aſſecuro, te non exiturum ex illo carcere mirabili, donec ſolvas noviſſimum quadrantem; donec reddas; itaque, ſi ſolverit, poterit exire? Hoc dat ad intelligendum ſententia noſtri Redemptoris. Sed, DEUM immortalem! Nónne eſt omnino certum, & de fide Catholica, carcerem inferni eſſe æternum? Nunquam illum exinde exiturum, qui illuc ceciderit? Itaque, ſi carcer hic debet eſſe æternus, quomodo nunc dicit Dominus illum exiturum, ſi ſolverit? Propter hoc ipſum, quia ſicut nunquam pertinget ad finem ſolvendi, nunquam pariter poterit exire: Hìc non præfigitur terminus, id eſt, uſque dum ſolvat: itaque, ſi iſte terminus nunquam poterit ad adimpleri, ille ſemper ſolvet, in termino *nunquam*, & ſic ſemper manebit ſolvens pro ſemper. Omnis pecunia hìc remanet; ibi illam non habet, nec illam habere poterit anima; & ſi ibi perſolvenda eſt hæc pecunia, & nunquam habet poſſe illam habere, nunquam illam poterit exolvere. Hoc itaque ſolvere erit ſolvere pœnâ æternâ: *Donec reddas noviſſimum quadrantem.*

Di-

Dilectissimi, Dilectissimi; quæ in tantum est cœcitas vestra? Do- XV.
letis nunc ,& non vultis à vobis avelli, & abjicere res alienas, quas possidetis, ut pro semper assecuraretis animam? Jam quis dolor erit, ubi hæc omnia relinquere debetis, & perdere, absque remedio in morte, inveniendo pariter perditam animam? Quali labore & defatigatione insequitur canis leporem, superando etiam omnem suam levitatem, & agilitatem anxietate, & posteaquam integra milliaria cucurrisset assequitur leporem, & ecce subitò venator eidem è faucibus tollit prædam. Oh! si mentem haberet, quomodo diceret: Cur ego me debeo fatigare anxiosus, ut alter hôc fruatur, quod mihi post meos omnes labores aufertur? Melius erit hoc relinquere, & manere in mea quiete. Facite itaque hunc discursum, vos rationales, si tamen adhuc tales estis: ut meus filius fruatur, ludat, & dilapidet; ut meus Executor diteścat & dominetur; ut scriba, Advocatus, & Procurator res intricent; & ut extranei, & etiam inimici mei habeant suam partem, tantis laboribus ego thesaurizo, & non volo restituere illud, quod alienum est cum tam evidenti damno meæ animæ? O error absque prudentia! Ità ut sola mea anima sit illa quæ patiatur in inferno per totam æternitatem, ut alii rebus fruantur, alii dominentur, & alii diteścant? Melius itaque erit, ut mea anima lucretur, restituendo aliena, illud, quod absque dubio lucrantur alii, perdendo ego meam salvationem: *Quid prodest homini*, dicit nobis ipsemet Christus JESUS apud Sanctum Matthæum c. 16. v. 26. *si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Universum mundum, dicit, Catholici: non istas minutias quingentorum millium, unius millionis, quæ omnia nihil sunt. Totus mundus acquisitus quid proderit, si postmodùm anima æternùm perdatur? Quid habet Alexander nunc ex toto mundo? Nihil. Et quid habet in sua anima? Infinitudinem tormentorum. Jam quid daret nunc Alexander, ut posset restaurare suam perditam animam? *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ibid. Itaque cùm post perditam animam in inferno, non detur pretium, nec valor, quo posset restaurari, nunc redimatur restitutione rerum alienarum. Eligite, eligite; quia inter hæc duo extrema non datur medium: vel restituere nunc id, quod absque omni dubio relinquendum est, vel solvere æternum id, quod nunquam solvi poterit. Illud, quo fruebantur illi agricolæ, erat solùm vinea, *planta-*

vit vineam, & illud quod perdiderant nolendo solvere, fructus vineæ, fuit integrum regnum; *Auferetur à vobis regnum*: Jam autem perdere pro una re triviali integrum thesaurum immensum, & pro retinenda una sola vinea perdere integrum regnum, quis non videt, quanta sit hæc stultitia?

XVI O JESU mea vita! Illumina tu Domine tam cœcas animas, emolli tu tam dura corda, dissolve tu tam constrictos nodos harum implicatarum conscientiarum, ut, cognoscendo in restitutione alienarum rerum fructuosissimum lucrum, disrumpant uno tempore laqueos conscientiæ, & marsupii, ut relinquendo res alienas, quas nolentes volentes relinquere aliquando debent, acquirant illud pro anima, quo fruentur per totam æternitatem: ut restituendo alienum, quod eis absque dubio mors auferet, tutam faciant sibi proprietatem in bonis, quibus fruentur in æterna vita gloriæ.

De summa necessitate, quæ nobis incumbit in correspondere Divinæ vocationi.

Quarta die Veneris Quadragesimæ.

Si scires donum DEI, & quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere; Tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. Joan. 4. v. 10.

I. HOra erat quasi sexta, id est meridies, sic incipit Evangelista ex abrupto narrationem. Hora sexta, contractæ umbræ, expansa lux, efficaces & penetrantes radii, efferati ardores, ad quorum timorem se subduxerunt avieulæ, bruta se in umbras projicientia refrigerium quærebant, in summa tranquillitate lucis totus aër, quando denique in summè activo ardore fuerat calor; illa hora; qua solus sol regnat, renitet æqualiter pulcher, & ardens, incedendo in suo igneo curru per summitatem cœli: Malè dixi, non enim est iste sol, de quo mihi perorandum. In infimo loco ad puteum sedens Sol Divinus, erat ille qui dispellendo umbras, erat ille, qui spargendo lucem

cem, formando meridiem pro anima, pro tunc quiescebat, non pro suo, sed alterius commodo. Hæ erant dosatigationes JESU Christi nostræ Vitæ, hæc ejus sitis, hæ illius anxietates sedentis illa hora ad fontem Sichar: quando ecce tibi, appropinquat ex civitate vicina Sichem mulier Samaritana pauper juvencula ex servitio, quod, si vas, quod portat, hoc non diceret, fateretur hoc ipsum ejus libera- & procax actio & ingressus: in uno humero funè circumcincta, altero urnam gestans: advenit, & sinè alio respectu, videns ibi sedentem hominem, posito ad oram putei suo vase, incipit funem ex humero dissolvere. Bonum omen ab hoc momento, quòd illa; quæ vixit involuta in malis, incipiat jam dissolvere laqueos mulier; Vertit se ad illam Dominus: Quàm amabili dissimulatione, sed quàm amorosà curà! Mulier, non dabis mihi modicum aquæ? tunc illa, confirmando verbis, illud quod jam cognoverat ex habitu: Quomodo tu, replicat multùm turbata, & iracunda, quomodo tu, cùm Judæus sis, petis à me bibere, quæ sum Samaritana? Hoc est curiosum! A quo hucusque vos nè quidem dignamini Samaritanos? Bene scio, te esse Judæum; & quid? Cogitabas tu, me te non agnituram, sicut tu me non agnoscis? Dicit illi JESUS: Si tu scires, cum quo loquaris, forsitan tu peteres à me, & ego, sinè istis excusationibus, tibi immediatè darem certam aquam vivam; Potéstne quid rariùs dari, dicit illa subridendo; cùm enim puteus hic sit tam profundus, & tu non habes, quo haurias, quam ergo aquam mihi dabis? Quæ aqua potest esse illa? An pupugerit mulierem curiositas, an cupiditas, nescio. Eja age! Ecce jam subtus aquam piscis tendit versus hamum; Nihilominus tamen Piscator Divinus contemptis mulieris difficultatibus, prosequitur sermonem de sua aqua oblata: Qui biberit ex hac aqua, quam ego do, nunquam ampliùs sitiet. Remanserit credo, per aliquod breve tempus cogitabunda, revolvendo intrà se dubia: Quomodo poterit hoc esse? Aqua, quæ simul & semel auferat omnem sitim, quæ aqua poterit ista esse? Sed quid me cogit opponere illi difficultatem? Nunquid ille ipse mihi illam offert? Itaque in veritate à me est petenda. Domine, dicit jam illi, da mihi hanc aquam, ut nunquam ampliùs sitiam, & per hoc me liberabis, nè cogar ultrà huc & illuc ire. Aliæ mulieres habent sitim in eundo, & redeundo. Incidit piscis in hamum, stat securus. Ità,

dicit Dominus, tibi illam dabo; ſed vade priùs, & voca tuum maritum, & venite ſimul ambo. Quid, maritum debeo vocare, ſi ego non habeo maritum? Bene dixiſti; quamvis enim quinque viros habueris, iſte, quem nunc habes, non eſt tuus maritus. Quid eſt hoc Domine? In veritate, ex eo, quod ego video, Propheta es tu, dicit tota plena turbatione: vidit optima eſſe ratiocinia: priùs quinque, & modò unum. Si illi (perpendit hìc optimè certum quoddam magnum ingenium) fuerunt iſti, qui mulierem deſeruerunt, confidite vos viris mulieres: ſi illa ab uno ad alterum tranſiit, unum poſt alterum mutando: credite viri mulieribus: ut verum dicam, optimum eſſet, nec uni, nec alteri fidere. Itaque illa, ùt confuſa miſcet diſcurſum, mutat argumentum, immittendo ſe in materias profundas Religionis de templo, quod Samaritani habebant in Gatizim, & templo, quod Judæi reverebantur in Jeruſalem; ſed ecce cùm illa diſcurſum JESU effugere cuperet, incidit in Meſſiam: Bene ſcio, dicit tandem ultimatè, quòd ex omnibus his dubiis, in quibus verſamur in materia de adoratione, ſit nos expectaturus aliquando ille Meſſias, qui debet venire. Hic Dominus: ego ſum ille, mulier, qui tecum loquitur, & Meſſias eſt; remanſit illa ſuſpenſa, & in hoc puncto, ecce discipuli adſunt, qui ex civitate venerunt, & illa nec vaſis recordatur, nec funis, nec veniam abeundi petit, quia ibi ſuum jam cor reliquerat, diſcedit; quandoquidem medietatem animæ reliquit cum JESU, cum altera medietate currit tota ignea ad totam illam ſpargendam in affectus per civitatem. Pervenit ad civitatem, & ad plateas; Venite, clamabat voce magna, venite, & videbitis hominem, de quo, quid debeam ego dicere, neſcio; & ille de me mihi dixit omnia: ego cogito illum Chriſtum. Sequitur voces mulieris admiratio, admirationem populi concurſus. Turmatim adventant *Sichimitæ*, currendo ad puteum; imò ad fontem clariſſimum; & atracti dulcedine verborum Chriſti, perducunt Dominum *in ſuas domos*; & intra tres dies, *quibus ibi morabatur* Majeſtas Divina, remanet civitas reformata, multi converſi, & Samaritana evadit ſancta. O mulier millies & millies fortunata! Una ſola mulier ſuffecit ad meliorandam integram civitatem! O quantum poteſt aſſequi una mulier, ſi ſe ipſam reformet, mores ſuos corrigat. Bona materia eſſet hæc pro magna doctrina; ſed ad gravius argumentum rapit

rapit me timor, & incitat desiderium vestri remedii. Faxit DEUS, ut illud tangam: immediatè me explicabo; Attendite.

Duplex cogitatio sibi contraria concertat in eodem campo mei cordis in observatione eventûs, quem jam vobis retuli: duæ consequentiæ maximè oppositæ colliduntur in angusta capacitate mei discursûs considerando conversionem tam prodigiosam, quam narravi; & pugnando inter se istæ cogitationes velut duæ magnæ rupes, me relinquunt ità palpitantem, tam tremens cor præ angustia mihi cauſant, tam trementem animam præ timore, tam vacillantem Spiritum præ ambiguitate, ut nec sciam, an capax futurus sim explicandi, & exponendi totum, quod concipio, nec scio, an valeam, ponderare id, quod timeo. Recogitemus eventum nostri Evangelii. Venit Samaritana ad puteum, ignara illius, quod pro illa ibi præparabatur; nesciens hoc, quod ei ibi erat obventurum, videt ibi hominem, quem non cognoscit, quot viderit homines aliàs in loco hoc? Petit ille ab ea modicum aquæ: quid magis ordinarium? Nectitur discursus posteà, & post paucas periodos, id quod videmus, est, illam ex perdita muliere factam sanctam. Tam citò ad duo verba, prout solemus dicere: tam facilè? tam facilè ùt aqua: *Et dedisset tibi aquam vivam.* Ah! quàm citò potest se emendare ex integro anima, quæ in tantum abjecta, & deserta fuerat intra intricatissimos laqueos inferni: tam facilè id accidere potest? O quis jubilus, quale solatium, quæ fortuna! Jam hæc est meta mearum consequentiarum. Sistite nunc igitur, & supponite illam mulierem, prout vidimus, quòd iracundiâ inceperit, prosecutam indignantem, & nolentem aliquo verbò Dominum alloqui, haustâ aquâ ex puteo, & promissis à Domino illi factis de meliori aqua danda pro ultimo respondentem: non est ista hora pro discursu, me aliò vocant mea negotia, jam meridies est, serva hanc tuam aquam pro alia vice, labores mei domi me expectant, & jam serum est, & his dictis eidem terga vertentem. Nunquid hoc sic poterat succedere? Videtur hoc valde naturaliter potuisse contingere. Jam nunc fingite rem sic succesisse, quid fuisset factum cum hac muliere? O DEUS! ô DEUS! Dominus à puteo discessisset, prosequendo suum iter, quia iter faciebat ex Judæa in Galilæam; illa ab hinc prosecuta fuisset vivere in suis peccatis, scimus enim illam intricatam fuisse cum uno viro, & non habita probabiliter alia occasione II.

tam opportuna, & commoda, qualis hæc fuit, ad recognoſcendum ſuum ſtatum lacrymabilem, perſeverâſſet in ſuis ſcandalis, & ſinè omni remedio hodie pateretur damnata in inferno. DEUM immortalem! Per unam occaſionem quid perdidiſſet? ità eſt, ſiquidem in iſta perdidiſſet totum principium ſuæ ſalutis; per unum caſum, ſi illum neglexiſſet, qui tam exiguus videbatur? ità eſt, quia per hunc totum diſſolvit. Hìc abſque reſpiratione, tremens, & plenum horrore cor meum, & meus ſpiritus exclamat attonitus: quòd in tam exiguo poſſit conſiſtere damnatio unius animæ pro ſemper? Quòd ab unico momento, ab unico puncto poſſit dependere non videre DEUM per omnem æternitatem? Non eſt dubium hac in re, non eſt dubium. Hæc ergo eſt contraria cogitatio, quæ me opprimit, iſta oppoſita conſequentia, quæ me concutit: ſi in uno inſtanti poſſum ſalvari, poſſum damnari in uno puncto; à correſponſione inſpirationi, vocationi Divinæ in tali occaſione, quod ego neſcio, quæ ſit, & ſolus DEUS ſcit, poteſt dependere vel mea ſalus æterna, vel mea æterna damnatio? O Catholici! & quis noſtrum eſt, qui multùm æſtimet tenues quoſvis internos motus, occultos impulſus, ſecretas vocationes, quibus DEUS noſtrum cor movet nos vocando, & excitando, vel ad deſerendum vitium, vel ad ſequendam virtutem, vel ad facienda bona opera, vel ad erripiendas mortificationes; quando non ſcimus à quo, ex his impulſibus deſpectis, à quali ex his vocationibus non auditis, dependeat non minùs quàm perdito noſtræ æternæ beatitudinis? Tremenda materia, ſed certa: terribile punctum, ſed ùt terribile, ità verum: *Territus terreo*, dico vobis cum Magno Auguſt. Homil. 11. inter 50. nè inculpetis ut exaggerativum meum timorem. Siquidem cùm ego in æquali cum omnibus vivam periculo, cognoſco bene hanc materiam, ſi non conſequatur effectum ex mea duritia, ut me ſanctum faciat, ſaltem refrænaturam meam temerariam confidentiam, nè evadam incorrigibilis.

III. Eſt omnino certum, & Catholica veritas, omne illud, quod noſtris oculis, noſtræ ignorantiæ videtur una contingentia, vel caſualitas, totum id eſt diſpoſitio, quam DEUS ab æterno præperavit ſuâ infinitâ ſapientiâ! Non diſtat longè exemplum; quid noſtris oculis poteſt eſſe contingens magis, quam videre hominem advenire (permi-

(permittamus modò id, quod in illo noſtra agnoſcit fides) quàm videre hominem venire in meridie ad fontem, qui ex itinere venit, & ſentiens ſe defatigatum, ibi ſedendo capit quietem, & poſt paululum illuc advenit mulier ad hauriendam aquam, & hos inter ſe videre miſcere ſermonem; nunquid apparet hoc totum caſu accidiſſe? & quòd homo ille illuc venerit fortuitò? Jam autem inde, ab æterno hoc DEUS prævidit, ab æterno in ſuis Divinis, & æternis decretis conſervabat præperatum huic mulieri, in hac hora ad hunc puteum, & in hoc alloquio auxilium efficax, cui illa conſentiendo poſuit principium, & fundamentum ſuæ ſalutis æternæ. Ità pariter conſervat præparatum auxilium cuivis ex nobis: huic in hac, illi in illa occaſione, quæ apparet eſſe contingens, caſu adveniens, & quaſi cœcô modô. Uni offerretur in viſitatione, aut deambulatione diſcurſus ſpiritualis, qui tangat ejus animam; alteri occurret in tranſeundo funus, quod ipſius cor vulneret; alii occurret obviam in platea pauper, petens eleemoſynam, & illius cor tangit pulſu vehementiori: alteri obtinget infortunium, amiſſio alicujus rei, diſplicentia, quæ oculis patefaciat, & demonſtret deceptionem: alteri loquetur Prædicator movendo ejus conſcientiam, invitando illum, ut reſolutè deſerat conſuetudinem peccandi. Contingentiæ nobis hæc omnia videntur, & alia innumerabilia, per quæ nos DEUS vocat ad dandam nobis gratiam; & à quali ex his dependebit, dum à Majeſtate Divina probamur, ut nos DEUS dignos ſe inveniat, ſi illi correſpondeamus? Sola Divina Majeſtas ſcit, quæ illa ſit: *DEUS tentavit eos, & invenit dignos ſe.* Sap. 3. v. 5. Nunc itaque: *Si ſcires donum DEI*, dicit hodie ad Samaritanam Dominus: O Mulier, quæ ità diſtracta ſtas, quæ in tantum decepta venis, cui per caſum factum videtur id quod hic inveniſti, oh! & ſi ſcires, quòd hoc ipſum, quod tibi contingens apparet, ſit donum DEI, quo te quærit, ſit auxilium DEI, quo te vocat, & à quo dependet, ſi conſentias, nîl minùs quàm tua æterna fortuna, æterna ſors; *Si ſcires, ſi ſcires*, ô homo, repeto id ipſum tibi, & ſi ſcires, quòd hic diſcurſus ſpiritualis, qui te fervidum facit, quòd iſte internus impulſus quem ſentis, quòd iſta vox Prædicatoris, quæ tuam penetrat animam, quòd hæc detectio deceptionis, quòd hæc amiſſio, hæc notitia hujus vel illius rei, quæ omnia tibi videntur caſualia; O! ſi ſcires ab hac occaſione pendere vel tuam æternam

feli-

felicitatem, si bene scias illâ uti, vel tuam æternam damnationem, si illam negligas. O! quàm bene scires illam applicare in tuum bonum: *Si scires, donum DEI.*

IV. Et non miremini, quòd ab una occasiuncula, quæ exigui videtur esse valoris; quòd ab unica actione, quæ apparet valde minuta, possit sequi vel immensum damnum nostræ æternæ damnationis, vel immensum bonum nostræ æternæ salutis. Si enim, ùt Sanctus Paulus dicit ad Rom. 1. v. 20. *Invisibilia DEI, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur;* Quid levius vapore, qui se à terra elevando etiam nostrum effugit visum; iste itaque sensim ascendendo fit in altiori regione densa nubes, quæ cooperit cœlum, diem obscurum facit, & solem abscondit; quid tenuius exhalatione, quam dum ascendit nec quidem nostri distinguunt oculi? Hæc itaque ascendit, conglomeratur, & augmentatur in fulmen, quod diffringit rupes, turres dejicit, juga montium tremere facit. Quis non videt parcam venam, ex qua nascitur rivus, vix apparet esse sudor saxi, ad cujus originem, & scaturiginem pueri, puellæque jocantur, plaudunt, ac tenui saltu totum alveum transmittunt? Jam iste post pauca milliaria in tantum excrescit, ut vix oculus pertingat ab una ripa alteram videre; armatas classes sustentat, stragem armentis, & campis infert. Sic igitur, non dico nunc, quòd ex eo solùm quia non correspondistis, vel correspondistis huic inspirationi Divinæ, sufficiat solummodo hoc, ut damnemini, vel salvemini hoc ego non dico, sed illud, quod dico, est, quòd ab usu hujus occasionis, istius inspirationis, illius consilii, vel non usu, pendeat, si utaris, multiplicatio Divinorum auxiliorum, augmentatio virium, faciliatio virtutum, & sic ex his, & per hæc adjutoria sequitur cumulus bonorum operum, cum quibus salvaberis; vel pendeat, si spernatur, multiplicatio lapsuum in peccata, debilitatio virium, induratio cordis, augmentatio culparum, & quòd DEUS tali modo procedat retrahendo sua auxilia, usquedum ex integro obstinatus damneris; & sic, etiamsi illa prima occasio videbatur parvula, cùm nihilominus fuerit principium, evenit, & fit ratio, quamvis remota, vel immensi boni, vel damni infiniti: *In tantum*, dicebat ille magnus amicus Jobi. c. 8. v. 7. *In tantum, si priora tua fuerint parva: novissima multiplicentur nimis.* O pyramis, vel ex igne, vel ex triumpho, ô pyramis vel lignea, vel triumphalis, quæ incipiendo in puncto, definit in immensa latitudine!

Simi-

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis: Matth. 13. v. 31. eſt hæc proportio, quæ ſi non eſſet prolata per ipſum os Veritatis æternæ, poſſet noſtro ſenſui videri, non ſolùm falſa, ſed omnino repugnans; quia potius videtur, quòd ſi interrogarem aliquem: quæ res eſt maximè oppoſita cœlo? non reſponderet malè, ſi diceret: rem hanc eſſe granum ſinapis: hoc quaſi punctum ob parvitatem: illud totum quaſi una ſphæra ſpatioſa, cui quaſi in immenſitate ſui ambitûs, ùt plurimùm anguſtus eſt integer mundi globus. Iſtud eſt, ſi conſideratur ùt cœlum, & ſi attendatur ùt regnum; regnum immenſarum divitiarum, valoris infiniti, prætii inæſtimabilis, quomodo ergo poteſt comparari grano viliſſimi valoris? Nondum bene intellexiſtis mordacitatem hujus grani, & vivacitatem hujus comparationis dicit noſter doctiſſimus Oliva; Non comparat Dominus ſuum Regnum ſolummodo huic grano ſicut eſt in ſe, non, ſed illi grano, *Quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo.* Matth. 13. v. 31. Ità ut in agro, & ſimul in eo, quod illud homo acceperit, & ſeminaverit conſiſtat comparatio, & ſimilitudo cum cœlo: *Regnum DEI*, dicit noſter inſignis Generalis lib. 5. Strom. fol. 126. *Simile non eſt grano ſinapis quoquo modo: ſed ſi acceptum illud defoderit homo in hortum ſuum:* Nihilominus tamen non intelligo, in quo poſſit ſubſiſtere taliter ſimilitudo, quòd homo illud accipiat granum, & quòd illud ſeminet; quid hoc illi addit, ut hac de cauſa ſit ſimile regno cœlorum? quid? non poteſt eſſe hac in re imago magis expreſſiva; cùm, ſicut iſtud granum tam deſplicabile, ſi accipiatur, & ſeminetur, naſcitur, creſcit, aſcendit in altum, exornatur, augmentatur, craſſeſcit, in tantum ut arbor magna fiat, alta, venuſta; ità una inſpiratio, conſilium, tactus cordis, unum verbulum, una agnitio deceptionis, granum ſinapis videtur parvulum, deſplicabile, & quaſi quòd ad nihil profit: at iſtud granum illius, vel illius inſpirationis, in corde ſi ſuſcipiatur, ſi ibi ſeminetur germinat ſubitò in aliud opus bonum, ex hoc opere in reſolutionem heroicam, germinat in ſtipitem, ex quo poſtmodum naſcuntur, & pullulant ille, & alter ramus virtutum, quæ non ceſſant florere uſquedum eveniat arbor miraculoſa perfectionum, uſque ad altitudinem, per quam ſublimamur ad gaudia æterna; & unde hoc totum provenit? Ab illa inſpiratione in opportunitate admiſſa, ab illo verbo ſalutifero ſeminato in corde, vel ab illo conſilio, cui dedimus locum in anima: *Quis*

impoſterum exclamat citatus Generalis, *Quis impoſterum minima negligat, quando grano ſinapis DEI regnum concluſum, inficiari non poſſumus?* Quis ſpernet levem, & exiguam occaſionem, unam Divinam inſpirationem, quam quaſi pro nihilo æſtimamus acſi importaret illam omittendo; quando non poſſum negare veritati æternæ, quòd ab hoc granello poſſit dependere adeptio, vel amiſſio Regni DEI.

VI. Et fortè non? Comprobent hoc fortunatiſſimæ experientiæ. Venite mecum, & dicite mihi, quale putetis totius ſanctitatis Franciſci Aſſiſienſis, Seraphini ardentis, fuiſſe principium? Perquirite totam ejus vitam, & invenietis fuiſſe petitionem eleemoſynæ unius pauperis ab eo, quam ille aliqualiter neglexit dare, ſed tactus dolore cordis pauperem è veſtigio inquiſivit, & charitativè eleemoſynam largitus eſt: exinde cœpit hoc prodigium Evangelicæ paupertatis, hoc fuit principium tantæ ſanctitatis; hoc *initium vitæ bonæ.* Prov. 16. v. 5. ùt dicit Spiritus Sanctus. Omnis Sanctitas Sancti Antonii Abbatis, ſtupor deſerti, exemplar Anachoretarum, hæc fuit, & unde initium ſumpſit? Ex auditu decantati Evangelii in Eccleſia, in quo nobis dicit Dominus, ut relinquamus omnia, & eum ſequamur, intellexit hoc Antonius acſi illi ſoli hoc diceretur, executus eſt hoc ipſum ad literam, & ex hoc evaſit tam Sanctus, & aſcendit ad perfectionem tam prodigioſam. Tota Sanctitas Sancti Joannis Gualberti quam originem habuit? Tranſivit caſu per viam, obviavit illi ſuus inimicus, qui Fratrem Gualberti occiderat, petiit hic ab illo veniam, iſte conceſſit; *Initium vitæ bonæ.* Tota Sanctitas Joannis de DEO unde provenit? Ibat ille inconſideratus vendendo ABCedaria, videt apertam Eccleſiam, in qua habebatur ſermo ad populum, intrat ad audiendum ſermonem, tactus voce Prædicatoris, ab hinc reſolvit ſe velle aliam vitam inſtituere *Initium vitæ bonæ.* Tota Sanctitas Sancti Franciſci Borgiæ unde derivavit? A conductu cadaveris Imperatricis ſuæ Dominæ, curavit ille tumbam aperiri, & vidit ejus pulchritudinem in horrorem converſam, determinavit ſe Franciſcus non ſervire ultrà Domino, qui poſſit mori: *Initium vitæ bonæ.* Tota Sanctitas mei Glorioſi Sancti Ignatii, quod principium habuit? Quæſivit ille jacens in lecto ob fractum crus, & vel maximè pro tunc alienus à ſanctitate, quæſivit, dico, aliquem librum, qui res profanas aut actiones nobilium contineret, ad fallendum tempus, cùm autem dom

domi ſuæ nullus ſimilis inveniretur, datus ei liber, qui vitas continebat Sanctorum, pergit ille legendo, cor inflammatur, ſpiritus accenditur, ac tandem commutat militiam terreſtrem cum cœleſti: *Initium vitæ bonæ.* Quid dicam de Sancto Andrea Corſini, cui initium Sanctitatis fuit reprehenſio unica, aſperrima tamen propriæ Matris, & ille ex hac reprehenſione reſipuit? Quid dicam de Beato Gonſalvo Dominicano, cui fuit occaſio repentina perfectionis tam admirabilis lapſus cum rubore inopinatus in lutum in loco publico, conſpurcatus lutô, irriſus ab infantibus, deceptionem mundi agnovit? Ah munde, tunc dixit, non me altera vice irridebis, ſed ego tibi impoſterum illudam. Quid dicam de Domina Sancia Carrilliana, nobili fœmina celebratiſſima per Hiſpaniam ratione ſuæ nobilitatis, prudentiæ, & pulchritudinis, cui, dum ad Sacramentum pœnitentiæ accederet, magis gemmis attenta, & ornatui quàm conſcientiæ, magis plena vanitate, quàm contritione, ſuffecit pro principio vitæ ſanctæ inſtituendæ dictum tunc Magiſtri Joannis de Avila: Ah Domina quomodo omnis hæc pompa mihi fœtet in inferno: hoc dictum fuit initium totius vitæ admirabilis. non poſſem finire ſi omnia vel lem referre hujus argumenti.

Et nunc quæro: ſi iſti omnes non fuiſſent uſi his occaſionibus, VII.
eſſéntne pro nunc tanti Sancti? Neſcio, an forent: hoc enim illic DEUS tenet reſervatum in ſuis altiſſimis, & inſcrutabilibus decretis, ad quæ, ne ſubmergatur, Ezechiel ſtitit gradum: *Aquæ profundi torrentis, qui non poteſt transvadari.* Ezech. c.47. v.5. Sed hoc, quodſcio, eſt, Sanctæ Thereſiæ ecſtaticæ, tam prodigioſæ, tam Seraphicæ, quantum fuit Sancta Thereſia, fuiſſe mònſtratum illum horribilem, illum tremendum locum, qui jam illi præparatus erat in inferno: à qua occaſione dependebat, quòd hæc Sancta deorſum non ceciderit? DEUS hoc ſcit! hoc tamen, quod videmus, & ſcimus eſt, quod certa res quæ videbatur contingentia, certæ eleemoſynæ, certæ ſententiæ Evangelii, certus liber devotus, quia his illi vel illi uſi fuerunt, fuit illis pro incremento virtutis, unde creſcebant de uno ad alterum actum, ſuccededant auxilia & augebant uſque ad ipſam ſanctitatem, quam videmus, quam celebramus, & adoramus; hoc quod videmus, eſt, quòd illa prima minima inſpiratio fuerit ad inſtar illius parvuli fontis, quem illic videbat Mardochæus converti poſtmodum in flumen ſpatioſum,

ſum, & profundum. Eſt, 11. v. 10. Fuerit ad inſtar illius lapilli, quem videbat Daniel, Dan. 2. v. 35. Converti poſtmodum in montem, qui totum implevit mundum, & pertigit uſque in cœlum. Jam autem quot, & quantas occaſiones his ſimiles tu inaniter prodegiſti, quot inſpirationes, quot admonitiones ſpreviſti, quot eleemoſynas neglexiſti.

VIII Jam à contrario (Oh DEUS! & hoc eſt punctum omnibus horribile) à contrario, eſt pariter certum, quòd ab unica occaſione neglecta poſſit ſequi tota noſtra damnatio æterna; non ex eo, quòd elapſa iſta occaſione nobis non ſit æqualiter futurum poſſibile ſalvari, hoc enim non poteſt dici; ſed quia ex contemptu hujus inſpirationis ſequetur impoſterum major difficultas bene operandi, & deſerendi peccatum, minores, & minores vires aderunt ad reſiſtendum appetitibus diſſolutis, reſolutio erit frivola ſeriò quærendi DEUM, & ut omnia uno dicam verbo, ſequetur, ut *gratiam inveniamus*, ùt loquitur Apoſtolus, *vel non inveniamus in auxilio oportuno*, ad Hebr. 4. v. 16. Ut retrahendo DEUS illa ſpecialia auxilia, quæ nobis non tenetur dare, ex lege Providentiæ, nec ex lege Redemptionis, etiamſi nunquam nobis defuturus ſit auxiliis ſufficientibus; ſed indurata noſtra voluntate propter noſtram ingratitudinem, nobis neget juſtiſſimè ſua Majeſtas illud auxilium efficax, quale ex neglectu melioris occaſionis non fuerunt promerita noſtra peccata.

IX. Horribilis caſus eſt regiſtratûs per Spiritum Sanctum in Divinis literis. Elegit DEUS Saulem in Regem Iſraëlis, unxit illum Samuel, juravit ei, & applauſit populus; ſed quia ad initium regiminis debebat novus Rex offerre DEO Sacrificium, dixit illi Samuel: vade in Galgala, & ibi expectabis ſeptem diebus, & ad finem horum veniam ego illuc, ut offeram pro te Sacrificium: *Septem diebus expectabis, donec veniam ad te*, 1. Reg. 13. v. 8. Ivit Saul, expectat, & interim appropinquabat contra illum exercitus Philiſtinorum: populus incipit commoveri, & dilabi, advenit ſeptimus dies aſſignatus, anguſtia faciebat ſæcula de inſtantibus ob dilationem. Videt, an veniat Samuel; ille non comparet, occupant cor ejus anguſtiæ; determinat ſe tandem, & offert ipſemet Saul ſuis manibus Sacrificium; ille vix finit, & Samuel adeſt. Oh! quomodo te expectabam, & quia vidi, quòd tu non veneras, ecce modò finio offerre Sacrificium. Quid feci-

feciſti: Oh te infortunatum! *Stultè egiſti*; nunquid me debebas expectare? nónne tibi dixi ſeptem diebus? ſúntne eiapſi? non. Scias itaque (notate hanc conditionalem horribilem) *quod ſi non feciſſes, jam nunc præparáſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultrà conſurget*, Ibid. v. 13. & 14. Si hoc non feciſſes, ſi in hoc non ſuiſſes inobediens DEO, ſcias quòd perpetuâſſet DEUS in corona, & in regno: ſed quia jam in hoc non obedivîſti, auferet à te DEUS regnum, perdes coronam. Tremendiſſima ſententia! Propter unam rem, quæ videtur tam levis, & exigui momenti? propter unicam ſolam diſobedientiam? non ſolùm propter hoc, quod diximus, eſt tremenda ſententia, non; ſed propter illud, quod poſtmodum ex hoc eſt ſecutum: parùm fuit Sauli perdere regnum, perdidit penes æternam ſalutem. Et quid eſt illud, quod ſequitur? Videte hoc ipſum. Aſſignat DEUS pro ſucceſſore Coronæ Davidem: ecce tibi hìc invidia in Saule; quia DEUS diſponebat ſuaviter, ut David veniret ad aulam, ut vìnceret gigantem, Saul invidioſus incipit eum aſpicere non rectis oculis, conatur illi inferre mortem, perſequitur eum per montes, & ſylvas. O quot, & quanta peccata! ſed nunquid in his ſubſiſtit? minimè. Reſcit certos ſacerdotes illum benevolè ſuſcepiſſe, & hoſpitiô excepiſſe in civitate Nobbe, irâ abreptus, & furiâ, mandat trucidari octuaginta quinque ſacerdotes; Oh qualiter creſcit, & augetur ruina! mandat crudeliſſimè occidi omnes habitatores in Nobbe, abſque reſpectu habito ad ſenes, mulieres, & infantes; curat ſuccendi illorum domos, & ſic omnia redigit in cineres. O quomodo augmentatur præcipitium! à flagitio in flagitium præceps agitur. Inſtruunt aciem Philiſtæi, videt ſe in anguſtias actum, enſe in proprium latus adacto vitam ſibi ex deſperatione abrupit, & ſic ad ſemel regnum, coronam, animam, & ſalutem amiſit. Talíne modo fuit finita illa, quæ tam levis videbatur, inobedientia? Tali modô. Oh! quam formidabilia verba profert Sanctus Chryſoſtomus homil. 87. in Matth. *Dum Samueli non obtemperavit, paulatim atque paulatim labens non ſtetit, quouſque ad perditionis baratrum ſeipſum immiſit.* Sinite me hoc vobis iſta ſimilitudine clariùs explicare: per altiſſimum verticem elevati montis Defrinorum, refert Olaus Magnus, volando avicula, avulſit ex cuſpide verticis parvulum floccellum nivis; cœpit hic tacitè deorſum delabi, & ad omnem motum,

quem volvendo se deorsum faciebat, nix accumulabatur, in qua volvebatur, & in brevi spatio non cessando à suis rotationibus, factus est magnus globus; prosequebatur opus, & crescendo omni passu facta est moles formidabilis; quantò magis crescebat, tantò plùs de nivibus colligebat, & quantò ponderosior fiebat, tantò magis præcipitabatur, usque dum factus jam mons niveus, perumpendo omnia obstacula arborum, & sylvæ oppressit totum territorium, quod monti adjacebat vicinum. Quis cogitaret, quòd ad tantum excidium sufficeret delicatus pes unius, aviculæ? Dicemúsne; quòd hoc totum avicula fecerit? Ità, quia decussio nivis ab avicula fuit principium, unde secuta est tanta ruina: Et non; quia iste actus solus non fuisset sufficiens ad hoc faciendum, si in principio consideretur.

X. Oh! si quisquam Sauli ad sacrificandum contra DEI mandatum accincto dixisset: Siste Rex, vide, id quid facias, cave, quia ex hac actione, quam tu vis facere, dependet perditio pro semper coronæ, regni, & amissio salutis æternæ: *Si non feciſſes, ſi non feciſſes.* Abi hinc, discede ex meis oculis, respondisset forsitan Saul: itaque ob rem tam parvi momenti, ob inobedientiam tam exiguam tanta sequentur? Apage, hæ enim sunt exaggerationes scrupulosorum, & vani timores; non potest esse, quis hoc credat? Non potest esse. Sed in veritate jam videmus, quòd sic fuerit. Nunc itaque Auditores deducamus ex isto horribili successu id, quod respicit nostrum particularem profectum, & exclamemus trementes cum Sancto Gregorio Magno: *En quàm magna perdidit, qui, ut putabat, nulla contempſit;* tam gravem ergo jacturam subiit, pro re tantilla? Propter unam disobedientiam voci Divinæ perdidit regnum, & in puncto temporis prodegit omnem æternitatem? Quid est hoc? In illo momento voluit DEUS probare Saulem, an ipsi in futurum foret fidelis: in illo puncto illum expertus est perfidum, & ab illo momento noluit illi dare auxilia efficacia, quæ ipsi præparaverat, si ab initio fuisset obediens. Est Patronus, & est Dominus absolutus, quis potest investigare rationem hujus; *Quis ei dicere poteſt, cur ità facis?* Job. 9. v. 12.

XI. Hoc est, Auditores mei, momentum terribile, à quo pendet æternitas. Falsò credunt nonnulli, momentum hoc non aliud esse, quàm supremum mortis articulum, atque ideo neglectis aliis eo solum

curas

curas omnes convertunt; ſed graviter decipiuntur: non ſic ſe res habet; ſiquidem momentum, unde pendet æternitas quibusdam illud ætas tenera, in aliis juvenilis, aliis virilis aut decrepita: cum quolibet noſtrum fecit, & facit DEUS id, quod illic cum Saule fecit. Sua Divina Majeſtas in ſuo ſupremo intellectu determinat; ego inſpirabo huic Concubinario tot annorum, huic mulieri laſcivæ, ut accedat, & audiat concionem, ſi ad hanc inſpirationem commotus fuerit, ego illi cor movebo, tali modò, ut ſe roſolvat derelinquere amicitiam illam peſſimam; hac derelictâ facilè faciam, & intrinſecus movebo, ut frequentet Sacramenta; ex frequentiori uſu ſenſim adlaborabit eradicare ex anima malos habitus, & plantando in anima virtutes, & applicando ſe ad vitam bonam, à me habebit gratiam, & aſſiſtam illi ſpecialioribus & ſæpiùs repetitis auxiliis, hinc morietur in gratia, & obtinebit æternam ſalutem: totum hoc ſuccedet, ſi audierit illam inſpirationem. Quodſi verò concionem illam temerè neglexerit, pravæ, cui illigatus eſt, amicitiæ inhærebit, alienis ſe magis & magis involvet amoribus, hinc illi impoſibile videbitur inde ſe extricare: ego retraham mea auxilia, ille taliter indurabitur, ut nec acriores ſentiat ictus, uſque dum gravatus, & onuſtus flagitiis, morte ipſum ex mundo abripiente, æternam damnationem incurret abſque omni remedio. Ego, dicit DEUS, juveni illi pariter inſpirabo, qui mei tam oblivioſus vivit, confidens in ſua juventute, ut ad imminentis feſti ſolemnia animam ſcelerum confeſſione abluat; ſi me audierit, & id fecerit: mentem ejus auxiliis opportunis inſtruam; teneritudinem, & compunctionem cordis ei dabo, ut revera ſeriò pœniteat, pravæ ſocietati valedicat, quæ illum inquietat, ut ſe retrahat à luſu, qui ei eſt ruina, ut domos fugiat, quæ illum præcipitant; ego illi dulcem faciam ſolitudinem, ſuavia exercitia pietatis; talem ſtatum poſtmodum ei diſponam, in quo tranquillus vivat, decedat ſecurus, & in gratia moriatur: totum hoc faciam, ſi hanc meam inſpirationem peragendæ confeſſionis non reſpuerit; quòd ſi me non audierit, levabo manum ad omne id, quod illi ſervo præparatum; pravæ ſocietati manebit irretitus, cæcus proſequetur frequenter ſuos malevolos cœtus, perdet ſubſtantiam, quam poſſidet, in luſu: depauperatus evadet latro occultus in civitate, vel publicus viarum prædo, &

dum

dum minimè cogitabit, vel ibi ùt publicus prædo morietur trajectus globô, vel hìc morte tolletur repentina.

XII. O DEUS! Veritates iſtæ certiſſimæ ſunt, irrefragabiles omnino, & indubitatæ ſicut & horrendæ & terribiles; hìc ſolummodo videmus aliquos caſus, qui ſufficiunt ad implendum nos horrore; ſed non poſſumus videre rationes, & cauſas, *contenebrati ſunt oculi noſtri.* Thre. 5. v. 17. Si igitur pro nunc non videamus, quia DEUS obvelat ſua inſcrutabilia nobis ſecreta & decreta, in die judicii aperientur oculi noſtri, cum remoto ſipario palàm videbimus monſtrante nobis DEO horum vias, per quas illos voluit ſalvare, illorum præcipitia, per quæ illi ipſimet volebant damnari, *vias vitæ, & vias mortis.* Jer. 21. v. 8. illas vocat Jeremias. Oh DEUS! tunc juſti, non ſecùs, ac viatores, qui intempeſtâ nocte occupati non vident, ſe in præcipitii crepidine conſtitutos, DEUM immortalem! exclamabuut, quàm exiguum erat, ex quo ſalus mea pependit. Aliquis eventus explicabit hunc ſucceſſum. Quidam ruſticus exiit ex ſua domo certo veſpere ad colligenda ligna in quodam monte vicino, inter montem, & ad ruſtici tugurium erat fluvius, quem ille per pontem tranſivit; dum ille jam in monte fuiſſet, cecidit pluvia grandis, & talis quidem, quæ implebat flumen aquis tantis, ut majorem partem pontis abſtulerit, nihil in illo relinquendo præter unam trabem. Adeſt interim nox, & ruſticus oneratô lignis ſuô jumentô, redibat domum ducendo jumentum ante ſe versùs ſuam domunculam: pervenit ad flumen, ſecurus de ponte, qui ibi antea fuerat: nihil prorſus ob tenebras noctis videbat, & iter ingrediente jumento per trabem, ſequebatur ille tranſeundo. Oh homo! ſi tu videres, ubi incedas! Tranſiit tandem, pervenit ad ſuum hoſpitium, ſed admiratio non ceſſabat illum ipſum eſſe, licèt ab omnibus videretut. Ubi tranſiviſti? quærunt domeſtici, per pontem reſpondet ruſticus; non poteſt eſſe, hunc enim flumen abduxit: quomodo itaque ego tranſiiſſem, replicat ruſticus? Ad ſedandum certamen eunt omnes ad conſiderandum flumen, & pontem ridendum: accendunt faculas, vadunt ad flumem, & deprehendunt trabem; vide nunc, & attende, per quid tranſieris; tantum ſtuporem res illi incuſſit, & talem horrorem, ut ex ſola cogitatione periculi ſui ibi ſtatim remanſerit mortuus. Jam itaque quis horror erit juſto in die judicii, admiratio, &

& pavor conſideranti totius ſuæ pericula vitæ in quibus vixit facilè cadendi in infernum; Ah! dicet tunc: ſi ſpreviſſem ego illo die illam inſpirationem, ſi malè meos direxiſſem greſſus, ubi nunc ſtarem? ſi neglexiſſem illum impulſum, quem mihi ibi meum cor dedit, ecce quid mihi eveniſſet? O bone DEUS! Parum ſane aberat in illa, vel illa occaſione, nè à cœli ſemita aberrarem, & ad ſpatioſam inferni viam deflecterem? quid eſſet nunc de me? ſi tu me non duxiſſes, & manu tua gubernâſſes? *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitâſſet in inferno anima mea.* Pſal. 93. v. 17. Cùm ab illa reſolutione, ad quam me reſolvi tali die intermittere hanc vel illam recreationem periculoſam, mihi provenerit tota iſta æterna ſors, & fortuna! quid ſi autem tunc non ſic me determinâſſem? *Habitâſſet in inferno anima mea;* nunc ſtarem plorans in inferno. E contrario autem qualiter ululabunt, & plorabunt damnati, videntes pro tunc, quàm pro exiguo lucro, & quàm luridè viam rectam cœli deſeruerint; *Viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Pſal. 106. Ah! ſi ego, prout mihi cor dictabat, intermiſiſſem hanc vel illam amicitiam; Ah utinam prout me impellebat conſcientia, rem alienam reſtituiſſem; Ah utinam huic concioni interfuiſſem, pravam hanc ſocietatem fugiſſem, luſu hoc abſtinuiſſem! Utinam veſpere illo, huic conventiculo, huic comœdiæ, his choræis, huic recreationi (dum tot impulſus ſenſi ad hæc omittenda) me ſubtraxiſſem: tunc fuit, quando tantum perdidi? Ah utinam tunc ſciviſſem! & jam non ſupereſt remedium? Miſerum me! Videbatur mihi nihil eſſe illud, quod ſpernebam, & nunc video eſſe infinitum illud, quod perdidi; *Quàm magna perdidi, quàm magna perdidi, qui, ut putabam, nulla contempſi.* Heu me miſerum! æternùm de me conclamatum eſt; Nullum, nullum ultrà ſupereſt, nec ſupererit remedium!

Ex his ſequitur, Pater, dicetis mihi, quòd ſi ab applicatione & uſu unius ſolius inſpirationis poſſit pendere noſtra ſalus æterna, & non ſciamus, quando talis inſpiratio apud nos ſit, nec quomodo, nec qualis erit iſta inſpiratio, ſequitur, ſemper nos convenire eſſe in attentione continua, in inceſſanti vigilantia, quando DEUS nos vocat, an hæc vel illa erit illa inſpiratio, à qua tantum dependet? Erit neceſſarium ſemper nos eſſe attentos, ſolicitos, nè vel leviuſcula occaſio negligatur, cùm ego ignorem, quænam, illa futura ſit, à qua mea dependet æterna fortuna? Conſequentia eſt hæc, quam ego vo- XIII

bis ſubitò, & abſque omni tergiverſatione totam concedo; ſiquidem quomodo poſſum ego negare veritatem, quam ſtabiliunt, & ſanciunt Sacræ Paginæ? *Fratres* dicit mihi meus Pater Sanctus Petrus 2. Epiſt. c. 1. v. 10.) *magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Fratres mei, in materia ex omni parte tam gravi non datur cura, & diligentia, quæ nimia ſit: vivite ſemper ſoliciti, vigiles ſemper, ut aſſecuretis veſtram vocationem, & veſtram electionem; Nec ſitis contenti qualicunque ſolicitudine, ſed ſemper magis & magis eſtote ſoliciti; *Magis ſatagite.* Oh! dicetis mihi, videmus multos, qui ſe hac ſolicitudine minimè occupant, nec illam habent, nec ſimilem curam curant, concedo hoc, atque ideò *ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem* Matth. 7. v. 13. Multi ſunt, qui nè quidem hac de re rationem faciunt vivunt inter hæc temporalia, ùt plurimùm diſtracti, & peragunt hanc vitam, & moriuntur cum maxima ſatisfactione: Oh millies, & millies infelices! Ego vobis hoc non nego; hac de cauſa multi ſunt, qui æternùm damnantur; Oh! quàm rari ſunt illi, quos videmus dictas inſpirationes Divinas, vocationes, & monitiones immediatè arripere, illis addictos eos eſſe, ac vivere in his, & cum his delicatis obſervationibus: Oh millies, & millies fortunatos illos! Ego vobis lubens concedo paucos ſimiles eſſe; & ideò etiam tam pauci ſunt, qui ſalvantur: *Anguſta porta eſt, quæ ducit ad vitam*, dicit Chriſtus apud Sanctum Matthæum cap. 7. v. 14.

XIV *Chariſſimi mei*, admonet nos Sanctus Paulus ad Philip. 2. v. 12. *cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Et dat hujus rationem Apoſtolus v. 13. *DEUS eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere.* DEUS eſt, qui in vobis operatur tam prima principia volitionis, quàm beatum finem terminationis. Et ideò incedendum nobis eſt ſemper cum timore, ſemper trementes? Imò videtur iſtud motivum eſſe efficaciſſimum pro confidentia prorſus ſecuriſſima, ut nunquam nobis ſe timor objiciat: ſiquidem, ſi DEUS eſt ille, qui operatur, quæ major ſecuritas? Ah, Auditores mei! animadvertite bene hoc, quod Apoſtolus dicit: dicit DEUM operari, ſed dicit DEUM in nobis operari, & ſic noſtra voluntas debet correſpondere, cooperando Divinis inſpirationibus. Itaque, oh quàm juſtus timor! Quodſi voluntas noſtra non correſpondeat, nihil proderit, quid quid DEUS ex ſua parte operatsu

tus fuerit; si nostra voluntas remanet immobilis, nihil DEUS in ea operabitur. Verùm adhuc etiam formidabilius motivum timoris, & tremoris hìc est, ùt explicat noster insignis Cornelius: Id est: si nos in principio, quod est *velle*, non correspondemus DEO; nec Divina Majestas nobis correspondebit in fine, quod est *perficere*: Si ad primam inspirationem resistamus Divinæ vocationi, Divina Majestas non amplius erit obligata in reliquo nobis assistere suis Divinis auxiliis: *Si enim cooperari negligatis, DEUS quoque vos negliget, & gratiam suam subducet, nec ulteriùs in vobis operabitur secundum, tertium, aut quartum bonum velle, & perficere.*

Agite ergo animæ, si vestram desideratis salvationem: si in ma- XV.
teria tam horribili, quàm certa, vultis, ut vobis aliquod relinquam solatium, hoc solùm restat: timere semper, & in omnibus actionibus DEUM, in omnibus ad DEUM recurrere, in omnibus DEUM præ oculis habere, semper cum timore, semper cum formidine vivere: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Prov. 28. v. 14. O supreme DEUS pietatis! tremens totum meum cor, concussus totus meus spiritus, se obsequiosus subjicit, humilis prosternitur ad tua inscrutabilia judicia. Nullam aliam consolationem habeo, quàm revereri, timeréque tuam supremam Majestatem; sed illam timeo amore filiali, confidendo, quòd, ùt generosus Leo de tribu Juda, sis condonaturus culpas illi, qui sub tua potenti manu, sub tua suprema Majestate se humiliat, concedes, ut benignus tua auxilia illi, qui recognoscens suum nihilum, adorat tuam magnitudinem infinitam; in tuas manus me totum conjicio DEUS meus; quæ major securitas, quàm tua misericordia? ut nunquam malè utar, & abutar inspirationibus, & auxiliis tuæ gratiæ.

De malitia, & gravitate peccati mortalis ex eo, quòd sit mors animæ.

Quinto die Veneris Quadragesimæ.

Domine, veni, & vide. Et lacrymatus est JEsus. Joan. 11. v 34. & 35.

SI solùmmodò in amissione tali, cui nullum aliud super est remedium, I.
pro ultimo sublevamento admittitur fletus; Mors unius hominis

non est talis amissio, ut mereatur lacrymas DEI. Ad sepulchrum Lazari defuncti lacrymatur hodie Christus; Et si has lacrymas illi non movet ista mors, cùm jam antea illa prævisa ei gaudium attulerit; *Lazarus mortuus est, & gaudeo*; Joan. 11. v. 15. Si illas non excitat amissio Lazari, eò quòd tantam potestatem in suis manibus habeat eum revocandi ad vitam; si illas non causat compassio, posteaquam facilius, ex solo suo velle potest emanare remedium, quàm ex oculis DEI lacrymæ; Quid est illud, quòd, Lazarô defunctô, tam tenerè, tam amanter DEUS noster fleat? *Et lacrymatus est JESUS.* Ter, cum hac vice, vidit mundus DEUM lacrymantem: Hìc flet supra unum solùm hominem defunctum: Altera vice flet supra integram civitatem, *videns civitatem, flevit super illam.* Luc. 19. v. 51. Et tertiò lacrymatur in cruce pro toto mundo; *Cum clamore valido, & lacrymis*, ad Hebr. 5. v. 7. Ità ascendit motivum ferale lacrymarum ejus, funesta ratio fletûs: Ab uno homine ad integram civitatem, à civitate ad totum mundum. Æqualis debet esse ratio, quæ ob unum solum hominem movet lacrymas in DEO, illi rationi, quæ ob totum mundum DEO causat fletum: ità est, dicit Sanctus Cyrillus; deflet Christus in uno homine solo, unitas & accumulatas omnes infelicitates totius Mundi; deflet in Mundo omnia infortunia unius hominis; & deflet in uno homine solo totum Mundum infelicitatum; quia deflet peccatum, quale, si suffecit totum Mundum mortuum facere, quid non poterit efficere ejus venenum in uno homine solo? deflet Christus, dicit Sanctus Ambrosius, Animam, quam mortuam in peccato videt non solùm illi constituram sanguine suarum venarum, sed videndo ejus duritiem, etiam lacrymas ex oculis expressuram. Flet Christus, dicit Andreas Cretensis, non in tantùm Lazarum in sepulchro defunctum, in quantùm circumstantes Judæos, qui ad apparentiam vivi sunt, & animæ eorum in peccatis sunt mortuæ. Et cùm videat Dominus, quòd in his, ob eorum pertinaciam, restabunt vana sua merita, absque fructu, immensus valor suæ sacratissimæ mortis, & absque consecutione remedii, infinitum pretium sui sanguinis; Quid ultrà remanet DEO, quàm flere, lacrymari? Defleant lacrymæ occulorum meorum id quod propter duritiam hominum, nè quidem restaurari potest sanguine mearum venarum. Tibi itaque Anima, quæ ob peccatum mortale, dum tibi hoc tuum corpus pro sepultura servit, mortua es; *Anima, quæ pecca-*

peccaverit, ipsa morietur. Ezech. c. 18. v. 20. Tibi ipsemet DEUS facit exequias, propter te est hic fletus, propter te gemitus, propter te lacrymæ; quia, spernendo tuô peccatô ejus sanguinem, si illum sibi non applicat tua durities, habes in peccato maximè horribilem, tremendam, & formidabilissimam mortem. Hoc ego solum, nimirum immensam malitiam, gravitatem imponderabilem, deformitatem summam peccati mortalis volo ponderare per hoc breve spatium temporis. Non dicam, quòd concertante cum ipsomet DEO, ejus malitia, dilatentur immensi illius maligni sinus taliter, sicut DEI, cui se opponit, extenduntur sinè termino, perfectionis infinitæ. Non dicam, quòd quotquot accumulata infortunia Mundus habuit in doloribus, infirmitatibus, vituperiis, fame, & miseriis omnia hæc in unum collecta, non sint plus, quàm levis scalptura hujus formidabilis leonis, nimirum peccati. Non dicam, quòd si à terra usque ad cælum empyreum coacervarentur crania, & ossa omnium hominum mortuorum, hucusque, & illorum, qui in universo orbe morientur, omnia ista insimul non sint aliud, quàm exiguus census capitalis veneni peccati: *Stipendium peccati, mors.* ad Rom. 6. v. 23. Non dicam totum infernum cum pœnis, horroribus, tormentis simul unitis sinè fine duraturis, & sinè termino, non esse plùs, quàm umbram gladii sanguinei peccati. Non dicam ascendere malitiam ejus usque ad ipsum Thronum DEI: Pondus autem ejus descendere in profundissimum infernì; & quod se dilatet ejus gravitas per omnia spatia totius mundi, & cœli. O tres mensuras ejus malitiæ! Sed solummodò dicam, peccatum esse mortem animæ; ob quam ipsemet lacrymatur DEUS. O! & utinam saltem percipiat debitum horrorem, imponderabilem timorem, æquam opinionem prout res meretur, nostrum cor. Incipiamus.

II. Videre, & lacrymari, unum ex altero sequitur; sed quoniam non vident nostri oculi, quàm immensa sit peccati malitia, ideò non decurrunt perennes ex nostris lacrymæ oculis. Aperuit Adamo peccatum oculos; nihilominus tamen non agnoverat malitiam peccati, dicit Nicolaus de Lyra, usquedum vidisset ante se suum dilectum Abelem jam mortuum: tunc ad novitatem feralem, horrore concussus, convulsione, & stupore plenus obstupuit; videndo illam primã faciem mortis, quàm nusquam viderat; vultum intuendo pallidum, oculos sinè luce, lividalabia, membra absque motu, & corpus totumfrigidum,

horribile & rigidum. Hoc est, dixit vociferando cum gemitu, hoc est illud, quod meum fecit peccatum. O maledictum peccatum! & tunc laxando habenas lacrymis, non cessavit deflere suam miseriam continuis centum annis. Quid fecisset, si, prout vidit mortem corporalem Abelis, vidisset in Caino mortem animæ? Hanc ego vobis hodie repræsentare volo, ut vestris lacrymis comitemini non jam Adamum, sed Christum: & quandoquidem illam nostri non vident oculi, ex eo quòd succedit in morte corporis, debet illam perpendere nostra Fides.

III. Hoc, quòd est anima in corpore, hoc est DEUS in anima; Moritur immediatè corpus, dum illi deest anima, & moritur anima immediatè, dum illi deest DEUS; *Anima amissa mors corporis, DEUS amissus mors animæ*, dixit magnus Augustinus Serm. 5. de Verb. Domini Nunc igitur, quid accidit in morte corporis? Tres lacrymabiles amissiones. Quia primò perdit homo eô ipsô momentô, quô exspirat, divitias, bona, dignitates, & omnia denique quæcunque in mundo habebat; ille, qui fuit Rex, perdit illicò, dum exspirat, regnum, & coronam: Ille qui fuerat Pontifex, perdit subitò, dum exspirat, omnem authoritatem cum Tiara; ille, qui erat præpotens & dives, jam ex omnibus suis divitiis nihil habet. Secundò: deperduntur cum morte omnia exercitia, & functiones vitæ; nec videt cadaver, nec audit, nec sentit, nec respirat. Tertiò: perdit totum suum esse, reducendo se subitò corpus ab una in alteram mutationem, ad vermes, ad putredinem, ad terram, ad nihilum. Ità hoc vident nostri oculi.

IV. Jam animadvertat hoc nostra Fides in morte animæ, per peccatum mortale causata, in qua perpendat has ipsas tres amissiones, ùt tria puncta meditationis valde proficua. Primò perdit anima sua acquisita. Secundò perdit vitam gratiæ. Tertiò perdit DEUM, & cum DEO perdito perdit totum suum esse. O quæ tres amissiones! quas, quantumvis unirentur in unam omnes linguæ Angelorum, nunquam finirent illas explicare. Incipiamus nihilominus audiendo ipsummet DEUM per Ezechielem loquentem cap. 18. v. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Si justus, dicit DEUS, si sanctissimus, plenissimus meritis, & virtutibus, committat unicum peccatum, etiamsi hoc

ſi hoc commiteret in mediis noctis tenebris, in loco occulto eremi, in profundo alicujus cavernæ, eô momentô, omnia ejus merita, quæcunque ſibi accumulaverat, omnes pœnitentiæ, omnia bona opera, omnia, omnia *non recordabuntur:* Remanebunt in æterna oblivione, nec minimum proderunt, omnia erunt deperdita, qualiacunque velint. DEUS meus; ſint illa quot & qualia velint? & propter unum ſolum peccatum mortale? Propter unum ſolum. Ah! ponderate, & perpendite hoc, Auditores.

Et ut de hoc aliquem formetis conceptum, ſupponite eſſe hìc V. certum hominem octaginta annorum, qui ab infantia ex integro ſe applicuit vitæ virtuoſæ, hunc itaque ſupponite, quòd acquiſiverit ſolus tanta merita, quot & quanta habent omnes Angeli, & Sancti, qui cum Chriſto regnant, ſi hoc eſſet poſſibile; quòd lucratus fuerit tot animas ille ſolus, quot omnes duodecim Apoſtoli, & alii Viri Apoſtolici, ùt Sanctus Franciſcus Xaverius; Supponite, illum ſolum plures pœnitentias feciſſe, quàm omnes Anachoretæ Eremorum, plures quàm Pauli, Stilitæ, & Antonii. Supponite illum plures eleemoſynas diſtribuiſſe præ Eleemoſynariis, Villanovis, & Eligiis: Supponite, quòd ille ſolus ſupperaverit in caſtitate, & contemplatione, Thereſias, Catharinas, & Roſas, ſupponite tandem illum ultimis ſuis annis ſolum paſſum fuiſſe omnia genera tormentorum, equuleos, cataſtas, ſartagines, craticulas, quæ paſſi ſunt undecim milliones Sanctorum Martyrum: O DEUS; quis hic eſſet cumulus meritorum in uno homine ſolo unitorum? & nihilominus tamen hoc parum eſt. Adjungite nunc alteram ſummam, quæ ſola plùs valoris continet præ his omnibus collectivè acceptis. Supponite ſuprà omnia iſta merita, illum acquiſiviſſe omnia illa, quæ habuit Sanctiſſima Virgo in ultimo momento mortis ſuæ. Hìc perditur intellectus etiam alicujus Seraphini. Nunc ſupponite, quòd ille homo cum hoc immenſo cumulo meritorum committeret unicum ſolum peccatum mortale, unicum ſolùm, & illicò moreretur abſque pœnitentia, quid eſſet cum homine? quid eſſet? jam hoc nobis dixit ipſemet DEUS: *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Quod omnia iſta merita eſſent perdita, totùm hoc immenſum capitale dilapidatum caderet in infernum per totam æternitatem. Eſt veritas infallibilis DEI, non cogitate eſſe exaggerationem meæ phantaſiæ.

Quan-

VI. Quanta nunc ergo erit malitia unius peccati mortalis, ſi illud ſolum in bilance ponderis rectiſſimi, & juſtiſſimi Juſtitiæ Divinæ collocatum, & in altera bilance omnia merita Sanctorum, & Angelorum, & Mariæ Sanctiſſimæ unita reponantur, illud ſolum peccatum bilancem raperet uſque in profundum; ſola iſta malitia prævaleret, & ſuperaret, & cum infinito exceſſu, bonitatem imponderabilem tot, & tantorum bonorum operum, & diſplicentia DEI in unico ſolo, excederet omnem complacentiam, quam DEUS habet in omnibus ſuis Sanctis, in omnibus Angelis, & ſua ipsamet Sanctiſſima Matre. O abyſſum malitiæ abſque termino! Rationem hujus dant Theologi; quia ſi in unum omnis honor uniatur, quem demonſtrârunt DEO omnes Sancti, & Angeli, non æquivalet immenſitati injuriæ, quam facit Divinæ Majeſtati unum ſolum peccatum, jam quæ, & qualis erit injuria, quæ ſola ſuperat tot millia millionum honorum? quantum erit illud malum, quod ſolum ſufficiens eſt diſſipare bona tam immenſa? O abyſſum malitiæ ſinè fundo! O mare malitiæ ſinè ripa! O infernum malitiæ ſine termino! ubi manet noſtra fides, ſi hoc credimus, & illud credendo nihilominus peccamus?

VII. Non erant tanta tua merita, O anima! non erant tanta: ſed hoc non obſtante, unicum ſolum meritum, id eſt, unicum opus bonum factum amore DEI, dum in gratia es, eſt theſaurus tam inæſtimabilis, ut habeat pro pretio, & remuneratione poſſeſſionem immenſam DEI, & fruitionem interminabilem gloriæ. Unicum poculum aquæ datum amore DEI, potéſtne eſſe quid levius? Et ecce hoc poculum aquæ tantum valet, quantum omnes voluptates, & oblectamenta cœli. O DEUS! quanta hæc æſtimatio! Jam ergo ad hanc comparationem fac tua ratiocinia, & conveniret tibi, ut ea faceres, quot, & quanta bona opera feciſti per tuam vitam? quoties Sacramenta percepiſti cum bona diſpoſitione? quot Miſſas, orationes, eleemoſynas, jejunia? Jam in concurſu horum, dic mihi, quantus eſſet ex his meritis tuus Theſaurus, quantæ divitiæ? valeret plùs hic theſaurus, quàm mille mundi. Commiſiſti unum peccatum mortale? ô infortunium immenſum! perdita eſt hæc tota ſumma, perditus totus theſaurus in uno momento, totus eſt dilapidatus in unico inſtanti. O ſtoliditatem! O ſtultitiam ſanguineis lacrymis deflendam! per unum aſpectum luxurioſum? per unam cogitationem turpem cum conſenſu, quæ ſubitò

bitò tranſiit ? per unicum verbum, quod ventus abſtulit? perdidiſti divitias & opes infinitas ? perdidiſti capitale immenſum? perdidiſti bona æterna? *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Thren. cap. I. v. 19. Intravit deprædari dæmon in ſuam animam, & dereliquit eam, ſicut civitatem ab inimico exercitu, ob & poſſeſſam, nec in ea prædatores relinquunt argentum, aurum, divitias, nec ſuppellectilem, uſque dum ex integro remaneat civitas deſolata : *Sicut civitas, quæ vaſtatur* : Iſai. I. v. 8. Remanſit tua anima deſolata, ſicut quando in domum aliquam intrant latrones, abſque eo ut advertantur, & eam relinquunt totaliter deſtructam, remanſit anima tua inſtar vineæ cujuſdam, in quam irruens grex famelicorum brutorum, abſque paſtore, qui illa cohiberet, hinc inde diſcurrens, devorat omnia, deſtruit, & devaſtat uſque ad deſolationem, ut nec germen relinquat: remanſit tua anima, ſicut quando in meſſe jam matura cadit grando furioſa, quæ concutiendo ſpicas, nec unicum quidem in illis relinquit granellum. Et ad tuum immenſum infortunium tu nihilominus rides ? O ! ubi eſt tua fides? ubi tuus ſenſus? ubi anima.

Qualis remanet pauper agricola, cui poſt labores totius anni VIII ex improviſo grando omnia deſtruit ſemina, & illum relinquit in miſeriis deſolatum ? Qualis remanet pauper navigans, qui poſt moleſtum, & longum iter, ex improviſo ab exorta tempeſtate navi ſubmerſa, & rebus in navi exiſtentibus, quas per viginti annos corraſerat, ſolus evadit nudus in una miſera tabula? Qualis remanet viator, qui ex improviſo obſeſſus à crudelibus latronibus, & nudus relictus, ei omnia auferunt quid quid lucratus fuerat per multa initera? Et qualis tu remaneres ipſemet, ſi modò domum redeundo, invenires mortuam tuam familiam, combuſtum tuum promptuarium, ſeu diſpenſam, vacuas tuas ciſtas, & ſcrinia, totaliter deſtructam tuam ſubſtantiam, & te ſolum videres depauperatum in tantum, ut nè quidem obulum ſolum haberes ? in uno inſtanti perdita omnia, quæ per tot annos coacervanda, & lucranda erant? unicò aſpectu perdere id, quod tot, & tantis bonis operibus lucratum fuit ? & propter unum vilem guſtum, propter unam luridam delectationem, perdita eſt voluptas immenſa, delectatio æterna, theſaurus interminabilis, & opes infinitæ. Oh! ubi ſunt lacrymæ ad hæc omnia deflenda.

IX. Ità illas ſparſit David cum toto ſuo exercitu videndo depopulatam, & deſtructam ab Amalecitis civitatem Siceleg. Depoſuerunt arma, dicit ſacer textus, & videndo hoc infortunium, omnes reſoluti ſunt in lacrymas: *Planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.* 1. Reg. c. 30. v. 4. Judæi, ùt refert Sanctus Hieronymus, perditâ Jeroſolymâ, & illis de civitate pulſis; quotannis ibant uniti, & pretium certum perſolvebant, ut ſolummodo permitterentur intrare civitatem ad plangendum, prout faciebant, licentiâ emptâ, cum maximo gemitu, deflendo perditionem civitatis. Romani videntes magnam partem de Roma intra unam noctem per Neronem combuſtam, incedebant per plateas ùt amentes clamando, & ululando ad commotionem cordis. Nunc autem, ô Chriſtiane! ſi tu fidem habes, unicum meritum pluris eſt habendum quàm tota Roma, pluris quàm tota Jeroſolyma, pluris quàm omnes civitates hujus mundi: & ſi perdidiſti, non unũ ſolum meritum, ſed plura, qualis, dic mihi, erit tua amiſſio, quale tuum damnum? & dic mihi, ubi eſt tuus planctus? ubi tuæ lacrymæ?

X. Attamen nihilominus ſervit pro aliquo ſolatio illi, qui totum perdidit effugere ex periculo ſalvâ vitâ. Nec hoc ſolatium relinquit peccatum animæ, hoc eſt ſecundum punctum, & ſecunda amiſſio, quæ reſtat meditanda. Ille qui res ſuas, ſuam ſubſtantiam amiſit, poteſt illâ vitâ recuperare; Ille qui perdiderat cenſus, vel proventus, ſe ipſum ſolatur ex eo, quòd illi capitale remanſerit; Sed ſi tu perdidiſti vitam gratiæ, capitale æterni cenſûs, ſi remanſiſti ut arbor, non ſolùm frondibus ſpoliata, & fructibus, ſed etiam ſicca in radice, quid tibi reſtat, *radix eorum exſiccata eſt, fructum nequaquam facient*, dicit tibi DEUS per Oſeam cap. 9. v. 16. Quando & quamdiu es in iſto ſtatu, nec adeſt fructus, nec adeſt proventus, nec ſupereſt lucrum, quia deeſt vita.

XI. Ab anima unita corpori reſultat in corpore vita, quæ (dicendo de illa id, quod hìc ſufficit) nihil aliud eſt, quàm illa facultas, ille intrinſecus vigor, unde vivens creſcit, ſuſtentatur, augmentatur, exornant, movetur, audit, guſtat, iutelligit, amat, diſcurrit: Verùm ſeparatâ animâ totum hoc deperditur immediatè, quia perditur vita; hoc totum videmus. Ità pariter, dum anima manet DEO unita ex eo, quod ei conjuncta ſit, reſultat vita animæ, quæ eſt

eſt gratia. Oh, quæ eſt hæc vita Nunquam poterit homo formare adæquatum conceptum de hoc pretio, & ejus æſtimatione: *Neſcit homo pretium ejus.* Job. 28. v. 13. Vita, quæ ſola valet plùs, & pluris æſtimanda, quàm omnes aliæ vitæ, quas habuerunt, habent, & habebunt omnes viventes in mundo: *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Pſal. 62. v. 4. Aut prout legit ex hebræo Cajetanus. *Melior eſt gratia.* Vita, quæ cùm ſit tota à DEO, facit nos participes ipſiuſmet naturæ Divinæ, tali modò, quòd ſicut ferrum ignitum habet omnes proprietates ignis, excepto, quòd non ſit ignis, & remanet in ſua natura ferrum, nihilominus tamen habet ſplendorem, lucem, & pulchritudinem ignis, ità & anima inveſtita à DEO per gratiam, participat omnes ejus perfectiones, illum exprimit in ſua pulchritudine, & depingit in ſua venuſtate. Vita, quæ formando ex nobis Filios DEI, dat nobis jus ad omnes ejus divitias ùt ad hæreditatem, fundat jus, & eſt nobis inſtar primogenituræ, & capitalis ad petendam ex juſtitia gloriam. Oh quæ vita erit iſta Catholici? Si DEUS creâſſet à ſua æternitate unam creaturam poſt alteram omni momentô, & ſinè ceſſatione, & creâſſet has creaturas tali modô, ut ſemper una alteram quaſi per gradus exceſſiſſet in perfectionibus naturæ, exempli gratiâ in ingenio, in nobilitate, in pulchritudine---quot creaturas creâſſet DEUS uſque ad hoc momentum? & in his, creſcendo quaſi per gradus, quanta eſſet perfectio naturalis, & pulchritudo? Sumite intellectum Sancti Auguſtini multiplicatum millenis, & millenis millionibus, qualis, & quantus iſte foret intellectus? Ponite pulchritudinem Rachelis, quæ millenis, & millenis millionibus accreſceret, qualis hæc eſſet pulchritudo? Sumite authoritatem, & nobilitatẽ Salamonis ad mille & mille vices duplicatã, qualis hæc eſſet nobilitas? Nunc adunate hoc totũ ad invicẽ, & totum conjunctum, & unitum, non pertingit ad perfectionem, ad pulchritudinem, ad nobilitatem, quam habet omnia cum unico, & ſolo gradu gratiæ: *Bonum gratiæ unius*, dicit Sanctus Thomas, *majus eſt, quàm naturæ totius univerſi*: quia unicus gradus gratiæ propter naturam Divinam, quam participat, excedit infinitè, & cum infinito lucro totam naturam creatam, & creabilem. XII.

Iſta eſt vita gratiæ; vita Divina, vita DEI; hac vivere ſe Paulus gloriabatur, quòd nimirum ille viveret, & tamen non erat ille, qui vivebat, ſed DEUS in eo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò*

rò in me Chriſtus, ad Gal. 2. v. 20. Jam autem iſta vita eſt illa, quam nobis adimit peccatum mortale. Qualis hæc erit malignitas, quæ uno ictu adimit nobis vitam, cujus ſolius valor excedit vitas omnes mille mundorum? Imprimite menti veſtræ iſtam conſiderationem: ſi nunc rurſus totum mundum inundaret diluvium univerſale, quot eſſent vitæ, quas aquæ diluvii adimerent? Oh quàm lamentabilis ſtrages eſſet videre totum mundum plenum cadaveribus, omnes civitates factas, & redactas in cumulos mortuorum, omnes campos impletos, & quaſi ſeminatos craniis, & oſſibus ſubmerſorum horibilem aſpectum exhibentibus: verùm multò horribilior ſtrages eſt abſq; dubio illa, quam tu facis auferendo Animæ tuæ vitam gratiæ, quæ majoris valoris eſt, quàm omnes iſtæ vitæ, per unicum peccatum mortale. O diluvium malignitatis, diluvii peſtis, diluvium omnis veneni! Illud monſtrum naturæ Caligula Imperator tantum profecit in ſua immanitate, ut putaverit omnem numeroſiſſimum populum unum ſolum corpus, & unum collum habere, quatenus uno ictu omnium capita decolando, omnibus vitam adimeret; incredibilis crudelitas! jam autem tua major eſt, nec hoc habet dubium, quando animæ aufers vitam gratiæ. Finge tibi, abſque commiſſione peccati, datam eſſe licentiam, omnes nos interimendi, quotquot pro tunc in hac ſumus Eccleſia congregati: qui horror, dices, nollem hoc facere, licèt mihi daretur, quidquid mundus habet; & ecce hic actus quaſi nihil eſſet reſpectu hujus, quem facis, tollendo animæ tuæ vitam admiſſione unius peccati mortalis. Oh! quæ mors, per quam perdit anima talem pulchritudinem, quæ ſufficiebat, ut DEUS in te immoraretur, & ejus Divinos raperes oculos? admiſſò peccatò in momento fit tam turpis, tam abominabilis, ſicut, imò magis, dæmon. Unum ſolum peccatum fecit ex Angelo pulcherrimo, ex Seraphino elegantiſſimo titionem horribiliſſimum inferni. Jam ſi tu in tua anima habes non unum, ſed quinquaginta peccata mortalia; finge, quòd iſta quinquaginta peccata poſſint dividi, & tali modò diſtribui, ut quinquaginta Seraphinis imputentur de illis: qui pro nunc pulcherrimi aſſiſtunt Throno DEI: illicò facerent hæc peccata ex illis Seraphinis quinquaginta teterrimos diabolos; qualis itaque erit fœditas tuæ animæ propter tua iſta peccata, ſi ſola illa ſufficeret facere teterimos diabolos quinquaginta Seraphinos?

XIII O mors! quam unà cum hac vita, & pulchritudine privat nobi-

nobilitate, dignitate, primogenituræ DEI, & relinquit animam quasi patibularium, qui jam uno pede in scala stat, nihilque ultrà ei deest, quàm ut carnifex ei pede ictum det. Sic tu etiam uno solùm pede stas in ripa mundi hujus, quæ est vita corporis, nihil tibi ultrà deest, quàm unicus pedis ictus, volo dicere mortis ictus, ut cadas in tormenta sinè fine duratura, in sclavitatem æternam. Oh! quæ vicissitudo! Oh! quæ permutatio! Pro oblectatione, quæ in momento transit, vitam dare, & perdere æternarum voluptatum! Quæ mulier committeret peccatum, si illicò mutari deberet in draconem teterrimum? Quis Princeps committeret peccatum, si immediatè perditâ coronâ deberet fieri vilis sclavus? Quis nobilis faceret peccatum, si illicò deberet privari dignitate, primogenituræ, & patrimoniò? Quomodo igitur peccando perdimus id, quod pluris valet infinitis millionibus? Aut non credimus, aut stulti sumus. Nullam æstimationem fecit Esau hujus, quòd vendebat in primogenitura, quando id vendidit pro una scutella lentis: *Abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset.* Gen. 25. v. 34. Verùm, ubi jam se vidit carere primogenituræ, dabat rugitus instar leonis sagitta saucii. *Irrugiit clamore magno.* Gen. 27. v. 34. Ah quales erunt tui ululatus, ubi videris perditam cum gratia vitam Divinam, & primogenituram æternam.

XIV Cùm autem mors corporalis non sistat solùm in privatione rerum, suppellectilis, & bonorum, in ablatione vitæ, & vitalium functionum, & operationum; ulteriùs progreditur etiam ad destructionem ipsius *esse*, reducendo intra breve tempus cadaver in vermes, putredinem, terram, & nihilum: istud est punctum nostræ meditationis: & tertia, & totalis amissio; nempe mortem peccati animæ, ultrà hoc, quòd ei auferat merita, ultrà, quòd ei auferat vitam gratiæ, auferre illi totum esse, quod solus DEUS est. DEUM perdere, perdere DEUM, oh, quæ perditio! Video, dicebat Beata Catharina Genuensis DEUM habere tantam conformitatem cum creatura rationali, ut si dæmonio posset tolli hoc sordidum vestimentum peccati, immediatè illi uniretur DEUS strictò vinculò amoris. Itaque totam inclinationem DEI cohibere sufficiens est unicum peccatum! O perversum murum adamantinum! *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEUM vestrum.* Isai 59. v. 2 Totus amor infinitus, retinetur, & captivatur per impedimentum, quod ei unicum peccatum

mortale facit? Hìc mihi deeſt vox, meliùs dicam, hìc deſunt maria immenſa lacrymarum ad deflendum tam ſummum infortunium.

XV. DEUS per ſuam immenſitatem eſt in omnibus partibus, eſt ubique: ſed in anima moratur, quieſcit, habitat per ſpecialiſſimam præſentiam; ideò non potuit majorem honorem exhibere Sanctiſſimæ DEI Genitrici Mariæ Angelus Gabriel, quàm ei dicere: *Dominus tecum.* Luc. 1. v. 28. Hæc enim ſocietas ſingularis Domini per gratiam eſt ſumma omnium felicitatum felicitas. Præſente DEO, quas non poteſt ſibi promittere fortunas animæ? Revolvite ſcripturas, & invenietis hanc veritatem ad omne verbum; *Ego tecum: Ego tecum*, dicit DEUS ad Iſaac, quando illum animat ad non metuendos Philiſtæos: *Ego tecum*, dicit ad Jacob, quando illum confortat, & roborat ad ſpernenda ſuæ peregrinationis pericula: *Ego tecum.* dicit Moyſi, dum illi dat poteſtatem contra Pharaonem. imperium ſupra Elementa, potentiam in mare ad liberandum populum, *Ego tecum*, dicit ad Joſue, dum illum obligat ad ſuſcipiendum ducatum ſui populi: *Ego tecum*, dicit Jeremiæ, mandando illi prædicare veritatem Principibus; & cum DEO ad latus illis aſſiſtente quanta non fecerunt mirabilia, quas non ſunt conſecuti victorias, quas non obtinuerunt felicitates.

XVI. Verùm iſte benigniſſimus DEUS, qui eſt omne bonum, eô momentô, quo anima admittit unicum ſolum peccatum, abſcedens ab ea, eô ipſô momentô quas miſerias, quæ infortunia non immittit illi turmatim? *Væ cùm receſſero ab eis!* Oſe. 9. v. 12. Nunquid idem fuit in Samſone perdere Deum, & perdere fortitudinem, & vires, perdere oculos, honorem, & vitam? Nónne fuit idem in Manaſſe perdere Deum, quod perdere libertatem, & videre ſe incarceratum? Nónne fuit idem in Saule perdere DEUM, quàm perdere quietem, perdere voluptatem, perdere regnum; & perdere animam? Nunquid fuit idem in Heli perdere DEUM, quàm perdere dignitatem, perdere ſacerdotium, perdere arcam, & perdere filios? Nónne fuit idem in Salamone perdere DEUM, quàm perdere ſapientiam, perdere divitias, perdere æſtimationem, & perdere intellectum? Et ultimatè omni populo Iſraëlitico, antea ſtupori totius mundi non fuit eidem perdere DEUM, quàm perdere ſuam Rempublicam, perdere ſuam gentem, perdere ſuum honorem, perdere ſuam libertatem, perdere omnia, & reſtare infamiam totius univerſi? Jam iſte DEUS eſt ille quem tu amiſiſti per peccatum mortale

tale; qualis erit anima tua ſinè DEO? Permanebit in te ſicut Jonas ſinè DEO in medio procellarum immenſi maris, ubi tot infortunia illam oppugnant, quot undæ. Stat in te ſicut Cain ſinè DEO, cum toto mundo terrorum, timorum, & mortium. Eſt in te ſicut pauper cula ovicula, quæ abſque paſtore incidit in dentes luporum, qui juxta ſuam cupiditatem eam diſcerpunt. *DEUS dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite, quia non eſt, qui eripiat.* Pſal. 70. v. 11. Stat ſicut filia abſque Patre, qui illam ſuſtentet, ſinè ſponſo, qui illi ſuccurrat, abſque patrocinio, à quo defendatur. O anima! perdidiſti tuum refugium, ubi invenies ſecuritatem? Perdidiſti illum, qui ſolus alleviabat tuos labores, ubi invenies requiem? Perdidiſti illum, qui te cuſtodiebat, ubi invenies aſylum? Perdidiſti illum, qui eſt Dominus lucis, qua frueris, auræ, quam reſpiras, totius mundi hujus, quem incolis, & totius cœli, quod ſperas. Quomodo itaque ſtabis abſque tam dulci Domino, ſinè tam amoroſo Patre, abſque tam vigilanti paſtore, ſinè tam fido ſponſo? Ah optimè potes jam dicere illud, quod repetebat ſæpius ille infortunatus: *Omnia perdidimus*: quia ſinè DEO, remanens tibi eſſe ſolum pro tormento, totum tuum eſſe unum nihilum, nihilum, in vilitate, & abjectione, in miſeria, & in contemptu: *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* Pſal. 72. v. 22.

XVII Quid totus hic mundus eſſet abſque aliqua luce? *Ex integro* nihil; quia ſinè luce, nec omnes plantæ, nec flores, habent pulchritudinem, nec metalla, & gemmæ ſplendorem, nec omne id, quod in mundo eſt delectabile, habet pretium abſque luce; idipſum paret aurum, quod plumbum, idipſum eſt, quod ſpina, quia deeſt vel illorum coloribus pulchritudo, vel eorum fulgoribus æſtimatio. Nunquid erit anima abſque DEO? In quem finem deſidero vitam lamentabatur Tobias ſenior, cùm lumen cœli non videam? Ad quem finem mihi totus ſervit mundus, cùm mihi viſus deeſt? Quid itaque tu debes dicere, anima infortunata, ſi DEUM non habes? Et ad tam immenſum damnum qualis eſt demonſtratio tuæ ſolicitudinis? Publius Rutilius ideò ſolùm, quia erat ablata dignitas Conſularis, immediatè cecidit in terram mortuus præ dolore; Et tu perdidiſti dignitatem multò altioris gradûs apud DEUM, & nec quidem hoc cognoſcis? Alius Romanus intelligendo ſuam cauſam debere revideri in Senatu,

& con-

& contra illum debere perorare Marcum Tullium, præ desperatione sibi vitam abstulit; & tu habendo in tribunali Divino ipsummet DEUM pro inimico tuo, vivis tam negligenter? Urbanus Tertius Pontifex Maximus audiendo novalia, Saladinum cepisse Jerosolymam exspiravit absque remedio præ tristitia; Et tu, cùm tibi abstulerit, & furatus sit diabolus unà cum DEO tuo Jerosolymam æternæ gloriæ, potes ridere, & jocis vacare? Ægyptii, qui adorabant pro suo DEO teterrimum serpentem, dum iste claudebat oculos, nec illos respirabat; *Tota Ægyptus*, dicit Pierius, *erat luctu, & mœrore consumpta*: Omnes à planctu non cessabant, cum grandi gemitu ululabant, usque dum placâssent suum draconem, & suum dæmonium; Et tu, ob quem occlusit, & obseravit DEUS oculos sui amoris, necdum ablegas cor tuum liquefacta ad DEUM, si non per pœnitentiam, saltem ob timorem tui venturi infortunii? Ille Sacerdos idolo latra Mitchas, ubi ejus domus tota exspoliata fuit, quia & DEOS ei abstulerant, currebat animo languens post prædones, & dum ab illis interrogatus fuisset, quid vellet? *DEOS meos tulistis*, clamat, *& dicitis quid tibi est*? Jud. 18. v. 24. Quid ex me quæritis, quid mihi sit, si mihi meos rapuistis DEOS? Et tu, perditô non aliquô idolô, sed DEO verô, & unicô, persistis absque motu, nec adlaboras, ut illum recuperes? Tandem ut finiam, David habebat pro sustentatione pro pane die, ac nocte lacrymas, ex eo solùm, quòd à propria conscientia illi hæc quæstio moveretur: *Ubi est DEUS tuus*? Ubi est DEUS tuus, ô anima, ubi est? Ubi moratur DEUS tuus? Si itaque illum in te ipsa non invenis, quomodo non elevas usque ad ipsum cœlum tuos gemitus? Cur non distillas cor tuum in lacrymas? Cur non impedis hoc residuum, quod tibi remansit de anima, in suspiria.

XVIII O maledictum peccatum! quis non videt te esse summum malorum, adductis siquidem omnibus malis, non relinquis in anima nec quidem unicum vel minimum bonum? O maledictum peccatum! Quis non magis te fugiet, quàm omnes dæmones simul unitos; siquidem tu solum fecisti in anima mea terribiliora damna, quàm quæ posset in ea facere tota omnium dæmonum immanitas? O maledictum peccatum! Quis te non timebit plùs, quam infernum, postquam omnia tormenta inferni, cum DEO, essent delitiæ, & tu solum relinquendo me absque DEO addis vires inferni martyriis, adauges flammas, foves

foves, & provehis ejus horrores; quis te non abhorrebit odiô implacabili; quandoquidem tu es illud, quod feciſti me perdere plura, & & majora bona, quàm quanta capere cœlum queat & mundus; tu es illud, quod me privâſti tali vitâ, quæ plùs valebat millionibus, & millionibus Imperiorum; & tu es illud, quod feciſti me perdere DEUM meum, meum Creatorem, meum Redemptorem, & meum Patronum, & Dominum; illum, qui tota mea vita eſt, illum, qui eſt totum meum eſſe. O maledictum millies, & millies peccatum! jam nullum aliud mihi contra te remanet remedium, præter meum dolorem, ſolicitudinem, & meas lachrymas; Oh! utinam eas poſſem profundere ſanguineas, ad denuò inveniendum, & recuperandum DEUM meum. Sufficiat itaque peccare, O DEUS vitæ meæ! O JESU vita animæ meæ! Quia tu pro meis peccatis tuum Sacratiſſimum ſparſiſti Sanguinem, volo jam comitari tuas, meis lachrymis lachrymas. Agnoſco meam ſtultitiam, video meum damnum, amiſſionem, & ruinam, & defleo, me te perdidiſſe ob vilem terrenam voluptatem. O utinam in me haberem unitum omnium creaturarum odium ad abhorrendum, & deteſtandum meum peccatum! Oh ſi haberem illud ipſum odium, quo tu DEUS meus abhorres peccatum, hôc ipsô abhorrerem, & deteſtarer! Verùm, quomodo jam ad te levabo oculos meos conſiderando meam ingratitudinem? Quomodo perveniam ad tuam præſentiam, videndo meam improbitatem? Nihilominus tamen video hoc ipſo tempore etiam tuum ſparſum ſanguinem, video tua vulnera, quæ etſi omnia fecerit mea culpa, excepit illa tua pietas in meum remedium, ut me reſtaurare, & renovare queam, ac ut vivam. Converte itaque DEUS meus, converte erga me tuum benigniſſimum vultum, etenim tibi promitto, inſtructus jam abundanter ab immenſo infortunio, quid hoc ſit te perdere; me nihil aliud velle reſpicere, nulli rei alteri attendere, quàm juxta tuam voluntatem, & tuas leges. Utinam hoc obtineam (Oh ſic fiat per tuam mortem pretioſam, te obteſtor) ut conſervem, & cuſtodiam in anima mea tuam gratiam, pignus æternæ Gloriæ.

Finis Partis Primæ.

INDEX INSTRUCTIONUM,

Quæ continentur in Parte prima.

De Explicatione Doctrinæ Christianæ.

INSTRUCTIO I. *Et Proœmialis ad Explicationem Doctrinæ Christianæ.*
INSTRUCTIO II. *De eo, quod unusquisque discere debet ex, vel in proprio nomine.*
INSTRUCTIO III. *De incomparabili favore, quem debemus Deo, quòd nos Christianos fecerit.*
INSTRUCTIO IV. *De Dignitate, & obligatione Christiani.*
INSTRUCTIO V. *De via, quam nobis monstrat Signum Sanctæ Crucis, die Ascensionis Domini nostri JESU Christi.*
INSTRUCTIO VI. *Cur S. Crux non solùm est Christianorum Signum, sed etiam Insigne.*
INSTRUCTIO VII. *Die Theophoriæ, seu Corporis Christi. De origine hujus Festivitatis, & de solenni ejusdem Processione.*
INSTRUCTIO VIII. *Quare inter omnia Insignia Passionis nostri Redemptoris sola Crux est Insigne, & Signum Christiani?*
INSTRUCTIO IX. *De Mysteriis, quæ continent modus, & verba, quibus nos signamus.*
INSTRUCTIO X. *De fructibus, qui nobis obveniunt, dum nos signamus cum devota attentione.*
INSTRUCTIO XI. *De prima obligatione Hominis, quæ est quærere finem.*
INSTRUCTIO XII. *De fine ultimo, ad quem fuimus creati, qui est solus DEUS.*
INSTRUCTIO XIII. *De principalibus mediis, quibus debemus consequi nostrum ultimum finem, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas.*
INSTRUCTIO XIV. *De prima Virtute Theologica, quæ est Fides.*
INSTRUCTIO XV. *Cùm nostra Fides sit cæca, debemus credere ejus Mysteria absque attentione ad nostram vanam curiositatem.*
INSTRUCTIO XVI. *De ineffabili certitudine nostræ Fidei, & de exterioribus argumentis, quæ illam confirmant.* Habita 31. Julii in Festo S. P. Ignatii.
INSTRUCTIO XVII. *De secunda Virtute Theologica, quæ est Spes, & de Bonis, quæ debemus sperare.*
INSTRUCTIO XVIII. *De securitate, & firmitate Spei in DEUM.*
INSTRUCTIO XIX. *Quòd sit illa vera Spes, quæ unit cum securitate ex parte DEI continuum timorem nostræ propriæ imbecillitatis.*
INSTRUCTIO XX. *De Charitate.*

Sermones incidentes, qui continent Doctrinam spectantem ad easdem Instructiones.

De Amore Inimicorum.
Recipe Salutis.
De Restitutione rerum alienarum.
De summa necessitate, ut correspondeamus Divinæ Vocationi.
De Malitia, & Gravitate peccati mortalis, cùm sit mors Animæ.

INDEX

INDEX PARTIS PRIMÆ,

Rerum magis Notabilium.

Litera p. denotat paginam. Litera n. numerum in Inſtructionibus.

A.

ALexander Magnus, eò quòd tenuerit caput inclinatum verſùs unum latus, omnes etiam ejuſdem Proceres ità incedebant. p. 60. n. 6.

Amor ſanctæ Roſæ erga Chriſtum. p. 155. n. 4.

Aſcenſionis Dominicæ dies docet nos Signum ſanctæ Crucis, & quare hoc? p. 30. Inſtruct. V. per totum.

Athenienſes ex gratitudine erigunt Demetrio trecentas ſexaginta quinque ſtatuas. p. 120. n. 2.

Avari ſunt aridi: & quare? p. 188. n. 12. & ſeq. aſſimilantur ſpicis. ibid. n. 13.

B.

Baptiſmus effecit pulcherrimum filIum Caſſani Regis Tartarorum, qui turpiſſimus natus erat. p. 21. n. 7.

In Baptiſmo quamnam Fidem Chriſtianus profiteatur? & an illam obſervet? p. 26. n. 3. 4.

C.

Canis mirabilis, qui ſummè venerabatur Euchariſtiam, ubicunque, vel quocunque illa portabatur. p. 53. n. 8.

Canis ſpe majoris fruſti carnis ex umbra in aqua viſi amittit illud, quod ore portavit. p. 130. n. 4.

Caſſanus Rex Tartarorum, videns ſuum filiolum ex turpiſſimo in pulcherrimum mutatum per Baptiſmum, efficitur etiam Chriſtianus. p. 21. n. 7.

Charitas, medium pro acquirendo noſtro ultimo fine, & illâ Deo ſervitur. p. 95. n. 1. & ſeq. Quid illa ſit? p. 154. n. 3. 4. & ſeq. De illa agitur p. 152. Inſtruct. XX. per totum. Illam poteſt quilibet habere. p. 157. n. 7.

Chriſtianus, etiamſi peritus ſit, tenetur accedere ad explicationem Doctrinæ Chriſtianæ. p. 3. n. 4. & ſeq. Duo præſtat Doctrina Chriſtiana. ibid. Quid Chriſtianus debeat diſcere ex proprio nomine, quod illi in Baptiſmo impoſitum eſt? p. 8. Inſtruct. II. per totum. Cur Chriſtiano imponatur nomen in Baptiſmo? p. 10. n. 4. Imponitur illi Nomen alicujus Sancti, ut Sanctus illum ſuũat in ſuam protectionem. p. 11. n. 6. Ut ſit erga ſuum ſanctum Patronum devotus, & eundem in virtutibus imitetur. p. 13. n. 8. 9. Ut quis Chriſtiani nomen habeat, debet vivere, ùt Chriſtianum decet. p. 15. Inſtruct. III. per totum. Summam gratiam nobis DEUS præſtitit, faciendo nos Chriſtianos. p. 17. n. 3. Quilibet, qui Chriſtianus eſt, ex ſola DEI miſericordia talis eſt. ibid. Grandis dignitas eſt eſſe Chriſtianum; ſed etiam grandis eſt obligatio. p. 23. Inſtruct. IV. per totum. Chriſtianus, qui ſine operibus eſt, habet Fidem mortuam, debet ergo opera habere. ſp. 26. n. 3. & ſeq. Chriſtianus, cui à Chriſto Domino exprobratum fuit illum non eſſe Chriſtianum, ſed Ciceronianum, eò quòd delectaretur lectione operum Ciceronis. p. 29. n. 5. Debet ſequi Chriſtianus Chriſtum, & per Crucem in Cœlum aſcendere. p. 33. n. 3. & ſeq. Ejus Inſigne eſt Crux. p. 38. Inſtruct. VI per totum. Debet imitari Chriſtum Cruci-

cifixum. p. 60. n. 6. & sequent. In corde Christiani fuit inventa insculpta Crux barbarè à Domino occisi, cujus erat Sclavus. p. 62. n. 8.
Christus quandonam nos docuit Signum sanctæ Crucis. p. 34. n. 5. Christus Crucifixus visus à sancta Elisabetha Regina Hungariæ, causa fuit, quòd illa Coronam Regiam ex capite abjecerit, & omnem ornatum Regium deposuerit. p. 35. n. 5. Christum Crucifixum debemus imitari. p. 60. n. 6. --- Mortuus est in Cruce, ut nobis facilia arma pro nostra defensione relinqueret. p. 63. Instruct. IX. per totum. Christus deflet peccatum. p. 227. n. 1.
Claudius Imperator quantum timuerit ob mortem sui antecessoris. p. 19. n. 5. Quando mortem expectabat, proclamabatur Imperator. ibid.
Confidentia, & consolatio in DEO solo inveniuntur. p. 145. Instruct. XIX. per totum. Cooperatio necessaria est in Spe. ibid.
Corpus Christi: Revelationes pro ejus Festivitate. p. 47. n. 2. In quem finem celebretur Festivitas Corporis Christi? p. 52. n. 7. Canis aliquis summè Corpus Christi venerabatur. p. 53. n. 8.
Credere DEO, credere in DEUM, & credere DEUM, quænam sit differentia? p. 125. n. 8.
Crux: quandonam Christus nos docuit Signum sanctæ Crucis? p. 30. n. 1. Per illam debemus sequi Christum, & in Cœlum ascendere. p. 33. n. 3. & sequent. Habet quatuor gradus, ut sit scala ad cœlum, & qualesnam illi sint? p. 33. n. 4. & seq. Est non solùm Signum, sed etiam Insigne Christiani. p. 38. Instruct. VI. per totum. Erit signum damnationis pro sceleratis. p. 41. n. 5. Certa Crux apparebat pulcherrima illi, qui erat in gratia DEI; nigra autem illi, qui erat in peccato mortali. p. 43. n. 6. Crucem sequi est idem, ac ire cum Processione. p. 46. n. 1. Crux, & Sacrificium Missæ ejusdem rationis sunt. ibid. Crux elevabatur cum elevatione Hostiæ, & rursus descendebat cum demissione Hostiæ. p. 47 n. 1. Est vera Christi imago, & ideo adoratur. p. 56. n. 2. Quare inter omnia Insignia Passionis Christi, sola Crux est insigne, & Signum Christiani? p. 55. Instruct VIII. Portanda est à Christiano in corde, & imitatione Christi. p. 58. n. 4. Quæ sunt arma Christiani? Crux: & ideo Christus mortuus est in Cruce. p. 63. Instruct. IX. per totum. Crux est contra feras, exercitus, fœminas lascivas, sagas, & contra dæmones munimen p. 68. n. 6. & sequent. Crux liberat Christianos, & præservat à malis cogitationibus, malis verbis, & operibus. p. 71. Instruct. X. per totum. Per Signum Crucis supra Hæreticum factum, remansit hic mutus. p. 74. n. 5. circa fin. Signum Crucis confert vires ad laborem cuidam acedioso, & otioso. p. 76. n. 6. circa finem. In vestibus cujusdam Hærerici illusoris Signi S. Crucis à fulmine fuerunt relictæ depictæ Cruces, qui ex hoc prodigio se convertit. p. 78. n. 8.
Cyrus interrogavit Tigranem, quid vellet pro sua Conjuge dare, ut libertati restitueretur? p. 60. n. 7.

D.

Damnatio Animæ dependet à minima occasione: & ideo est correspondendum Divinæ vocationi. p. 210. Sermone IV. per totum.
Delectationes, & voluptates terrenæ non exsatiant Animam, & hæ non sunt finis hominis. p. 82. n. 5.
Demetrius ex gratitudine acquisivit ab Athenien sibus trecentas sexaginta quinque statuas. p. 120. n. 2.
DEUS est, in quo solo invenitur felicitas, & hic est noster ultimus finis. p. 87. Instruct. XII. per totum. Quæcunque in mundo sunt divitiæ, & paupertas, sanitas, & ægritudines, media sunt

ſunt ad hunc finem conſequendum. p. 90. n. 4. DEUS numerat, & etiam præmiat paſſus omnes ſuorum ſervorum, amore ſui factorum. p. 148. n. 5.
Doctrina Chriſtiana quid ſit? p. 2. n. 2. Eſt vera ſapientia. ibid. Eſt neceſſaria, & proficua omnibus. p. 3. n. 3. & 4. Juvat ad bonam operationem, & ad Spem, ſicut & ad Orationem bene peragendam. p. 5. n. 6. & 7. Vervex illam docuit certum Indum. p. 7. n. 8.
Dolor de peccatis certi Pœnitentis fuit tam intenſus, ut ex dolore immediatè mortuus fuerit. p. 158. n. 10.

E.

S. Elizabetha Regina Hungariæ viſô Crucifixô abjicit Coronam ex capite, & indumenta Regia depoſuit, nec illis ultrà uſa fuit. p. 35. n. 5.
Euchariſtiæ veneratio à quodam cane. p. 53. n. 8.

EXEMPLA.

Reflectit ſe certus Nobilis ſupra ſuum Nomen proprium, & fit Sanctus. p. 14. n. 10.
Innocentia mirabiliter patefacta cujusdam Reginæ, ad incendium condemnatæ ob ſuſpicionem adulterii. p. 21. n. 7.
Novitius pertæſus onerum Religionis, volens Chriſtum in portanda Cruce adjuvare, ab eodem eſt repulſus vultu ſevero. p. 36. n. 6.
Sacerdos quidam bonæ vitæ, cujus corpus poſt mortem apertum fuit, non habuit cor in ſuo pectore, ſed inventum fuit ad pedes Crucifixi. p. 37. n. 8.
Malorum Chriſtianorum navi Signum ſanctæ Crucis fuit in ſubmerſionem. p. 41. n. 5.
Converſio ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ mirabilis, & quomodo contigerit. p. 44. n. 7.
Crux juvat contra feras, exercitus, fœminas laſcivas, ſagas, & dæmones. p. 68. n. 6. & ſeq.
Per Signum ſanctæ Crucis effectus eſt mutus quidam Hæreticus. p. 74. n. 6.
Signum Crucis confert vires ad laborem cuidam otioſo, & acedioſo. p. 77. n. 6.
Hæretico illuſori fulmen reliquit depictas in veſte, & pallio ejusdem multas igneas Cruces, ex quo ille poſtmodum converſus eſt. p. 78. n. 8.
Exemplum de Eleemoſyna. p. 101. n. 8. Sancti Geneſii Epiſcopi, & Evagrii Medici.
Converſio Idololatrarum, quam fecit ſanctus Severinus, per accenſionem miraculoſam candelarum, quas tenebant Chriſtiani, nullâ Idololatrarum accensâ, ex quo converſi ſunt. p. 107. n. 7.
Fax Atrebati, vulgò Arras B. V. MARIÆ, quæ per centenos annos arſit, abſque ſui imminutione. p. 109. n. 9.
Chinenſis quidam de Fide dubitans, factus eſt cæcus, & ſolummodò, dum ſurſum aſpiciebat, cœlum videbat, de terra autem nihil. p. 114. n. 4.
Tener quidam Infantulus miraculosè loquitur de Fidei noſtræ veritate. p. 117. n. 8.
Exemplum in ſummis moleſtiis honeſtiſſimè conſervatæ pudicitiæ. p. 134. n. 9.
Auditio Miſſæ quotidianæ, quomodo profuerit etiam pro lucro temporali. p. 142. n. 7.
Spes firma in DEO ſancti Maximiliani. p. 144. n. 8.
Confidentia deluſa certi Monachi, qui ſtultè confidebat ſe peccatorum ſuorum remiſſionem in morte obtenturum, & impœnitens mortuus eſt. p. 151. n. 8.
Reſtitutio in vita intermiſſa, ſed relicta Hæredibus, fuit cauſa damnationis à primo uſque ad decimum Hæredem. p. 206. n. 12. circa finem.

F.

Felicitas vera ſolummodò in DEO invenitur, ùt noſtro ultimo fine. p. 87. *Inſtruct. XII. per totum.*

Ferdinandi II. Imperatoris grandis devotio in Processione Venerabilis Sacramenti. p. 49. n. 4.
Festivitas Corporis Christi, & revelationes pro dicta Festivitate. p. 47. n. 2. In quem finem hæc Festivitas celebretur? p. 52. n. 7.
Fides, quam in Baptismo Christianus profitetur. p. 26. n. 3. Sine operibus est mortua. p. 27. n. 4. Est medium pro acquirendo ultimo fine. p. 87. n. 1. & sequent. Est prima Virtus Theologica. p. 103. Instruct. XIV. per totum. Quid est Fides Divina? p. 104. n. 3. Quomodo lumen, & obscuritas possunt esse in Fide conjuncta? p. 108. n. 8. In rebus Fidei non debemus esse curiosi. p. 111. Instruct. XV. per totum. Fidei motivum est credere, quia hoc DEUS dicit. p. 119. Instr. XVI. per totum. Fides S. Ludovici Regis Galliæ. p. 122. n. 5. Fides S. Ignatii. ibid. In affectu Fidei imbibuntur duo distincti actus, unus intellectûs, & alter voluntatis. p. 124. n. 6. in fine. Quænam sint motiva horum actuum credendi? p. eadem. n 7.
Finis ultimus hominis non sunt voluptates, divitiæ, & honores. p. 79. Instruct. XI. per totum. Sed DEUS. p. 87. Instruct. XII. per totum.
Franciscus I. Galliæ Rex, quomodo Carolo V. responderit ad titulos. p. 25. n. 2.
Frater Ægidius mirabatur, quomodo illi, qui vivunt in omnimodis commoditatibus, & affluentia rerum, habeant tantam Spem æternæ salutis. p. 150. n. 7.

H.

S. Helena ex uno de clavis Christi Domini curat fieri frenum, ex altero Cororam Filio Constantino, sed cur hoc est factum? p. 39. n. 2.
Henricus VIII. Rex Angliæ in morte fatetur se perdidisse omnia. p. 92. n. 6.
S. Hieronymus ob frequentem Ciceronis lectionem à Christo castigatur. p. 29. n. 5.
Honores non satiant Animam, ad quos tamen tantâ curâ, & solicitudine à multis aspiratur. p. 85. n. 7.
Honores sunt conjuncti cum onere. p. 23. n. 1.

I.

S. Ignatio debet Christianitas Explicationem Doctrinæ Christianæ, & Cathechismum. p. 119. n. 1. Ejusdem Sancti grandis Fides. p. 122. n. 5. Ejusdem desideria. p. 126. n. 9. Contemptor ejusdem pulvere pyrio combustus, moritur. p. 127. n. 10. Imitari debemus Christum Crucifixum. p. 60. n. 6.
Infirmum Aulicum suum sibi charissimum Carolus V. Imperator visitat, eique suam offert gratiam. p. 140. n. 3.
Inimici sunt amandi. p. 161. Sermone I. per totum. Inimici non sunt solummodò illi aperti inimici, sed etiam cognati, & illi, qui sunt ejusdem officii, artis, aut opificii, contra quos habetur rancor, aut odium. p. 163. n. 3. & seq. Inimicitia inter Cognatos quàm indecora. p. 164. n. 5. & seq. Inter illos, qui sunt ejusdem officii, artis, aut opificii &c. quàm mala. p. 169. n. 8. & seq. Inter amicos quàm detestabilis. p. 172. n. 12. & sequent.
Inspirationi Divinæ est obediendum; quandoquidem ab illa dependet æterna salus Animæ. p. 210. Serm. IV. per totum. Qui nobis videtur casus, est Divina dispositio. p. 214. n. 3.

L.

Lascivi sunt cæci. p. 181. n. 5. &c. --- debent surgere è cœno vitiorum sine excusationibus. p. 184. n. 7.
S. Leufridus dæmonem in Ecclesia flagellat. p. 70. n. 8.
S. Ludovicus Rex Galliæ quantùm æstimaverit *Poisi*. eò quòd ibi Baptismum acceperit? p. 23. n. 1. Ejusdem magna Fides, dum non volebat Christum in Hostia videre ùt infantulum apparentem. p. 122. n. 5.

Maria

M.

Maria Virgo Sanctiſſima docet orare varias orationes certam perſonam Indicam. p. 7. n. 8. Ejusdem Litaniæ ſunt prolatæ à Pſitaco. ibid.n 7.Reconciliat duos inimicos. p. 109.n.9.Liberat Civitatem Atrebatum, vulgò Arras, à peſte. ibid.
Media principalia,quibus debemus conſequi noſtrum ultimum finem. p.95. Inſtr. XIII, per totum.
Memoria Paſſionis Chriſti facit relinquere Mundum certum Nobilem. & ſecedere in ſolitudinem. p. 34. n. 5. Quàm ſit Chriſto grata, & nobis meritoria p. 59. n. 5.
Merita noſtra debent cum Spe uniri. p. 145. Inſtruct. XIX. per totum.
Miſſam quovis die audire, quantum juvet etiam quoad lucrum temporale. p. 142. n. 7.
Miraculum in Proceſſione Corporis Chriſti,quòd candelæ,licèt pluribus horis arſerint,ejusdem remanſerint ponderis. p.49. n.4. Mons ex floccello nivis magnas ſtrages fecit. p.220. n. 9. ad fin.

N.

Naves Chriſtianorum habebant pro Inſigni Crucem. p. 41. n. 5. Navi, in qua vehebantur mali Chriſtiani, Crux fuit in ſubmerſionem. ibid.
Nomen quare in Baptiſmo cuivis imponitur? p. 9. n. 2. & 3. Obligamus nos Nomine DEO, vivere ſecundùm ſuam legem p. 10. n. 4. Quare in Baptiſmo infanti imponitur nomen alicujus Sancti? p. 11. n.6. Nomen Blancæ gratum fuit Gallis,cum qua Matrimonium Delphinus iniit. p. 13. n. 7. Proprii nominis conſideratio certum Nobilem Chriſtianum effecit Sanctum.p.14. n. 10. Nomen Chriſtiani trahit poſt ſe obligationem,ut vivamus Chriſtianè. p. 15. n. 1. & ſeq.

O.

Obligatio primaria hominis eſt, quærere ſuum finem. p. 79. Inſtruct. XI. per totum.
Occaſio, quamvis minima ſit, ab illa dependet ſalus, vel damnatio Animæ. p. 210. n. 1. & ſeq. Probatur hoc per Exempla. p. 218. n. 6. & ſeq. Poteſt eſſe momentum, unde pendet æternitas, quod in Saule apparet. p. 222. n. 10. 11. &c.
Opera bona debent cum Spe uniri. p. 137. n. 1. & ſeq. Sine operibus Fides mortua eſt. p. 27. n.4.
Operationi Divinæ eſt à nobis correſpondendum, aliàs omnia ſunt perdita; & ſic debemus illi cooperari, ut ſalvemur. p. 208. n. 14.

P.

Paſſio Chriſti,ejus recognitio fuit cauſa,quòd quidam Nobilis in ſolitudinem ſe contulerit. p.34.n. 5. Ejus memoria quàm Chriſto ſit grata,& nobis meritoria præ aliis bonis operibus. p. 59. n. 5.
Pater negligens in educandis prolibus. p. 158. n. 10.
Peccatum à Chriſto defletur. p. 227. Serm. V. ubi agitur de gravitate ejuſdem, eò quòd ſit mors Animæ. per totum. Privat Animam omnibus bonis operibus. p. 230. n. 3. & ſeq. Privat Animam gratiâ DEI. p. 234. n. 10. & ſeq. Privat DEO. p. 237. n. 14. & ſeq.
Periculum jam præteritum cauſat mortem certo cuidam Agricolæ. p. 224. n. 12.
Piſcina probatica quid ſit? p. 176. n. 1. Mentio ſolummodò fit cæcorum, claudorum, & aridorum penes illam jacentium, & quare hoc? p. 177. n. 2.
Proceſſionem ſequi eſt idem,ac ſequi Crucem. p. 46. n. 1.
Proceſſio. & Feſtivitas SS. Sacramenti in quem finem celebratur. p. 52 n. 7. Videatur de hac materia Inſtruct. VII. p. 46. per totum. Pſittacus profert Litanias B. V. MARIÆ. p. 6. n. 7.

R.

Recipe Salutis contra morbos ad piſcinam Probaticam. p. 176. Inſtr. ſeu Serm. 2do per totum.

Reſti-

Restitutio rei alienæ est facienda. p. 193. Serm. III per totum. Si restitutio fit, tunc fit tardè, malè, & nunquam; & quomodo hoc? p. 194. n. 2. & seq. Aut est voluntariè facienda restitutio, aut hoc ipsum Deus tolit violenter. ibid. Non sufficit velle restituere, dum res potest restitui, sed debet quantocyùs restitutio fieri. p. 197. n. 4. Non posse restituere, dum res habetur, & aliæ expensæ penes fiunt, est tantùm ac non velle restituere. p. 198. n. 5. & seq. Ad mortem reservata restitutio difficulter fit. p. 201. n. 8. Restituere rem alienam non sufficit, sed etiam est satisfactio facienda quoad damnum causatum per retentionem rei alienæ. p. 203. n. 9. Dictum memorabile quoad hanc materiam Sanctæ Hedwigis Reginæ Poloniæ. p. 204. n. 10. Si possit fieri restitutio, non debet ad Hæredes devolvi. p. 205. n. 11. Nam talis restitutio ab hæredibus difficillimè fit. p. eadem n. 12. Damnatus est ille, qui restitutionem commisit hæredibus, & post illum succedivè etiam hæredes damnati fuerunt. p. eadem. n. 12. ad finem.

Rudolophus I. Imperator pro Sceptro arripuit Crucem, dum illi Principes Imperii obedientiam præstarent. p. 40. n. 4. ad finem.

Ruricula quidam suâ spe delusus. p. 130. n. 4.

S.

Sabinam Poppeiam quomodo imitatæ fuerint aliæ mulieres in colore capillorum. p. 60. n. 6.

Sanctissimum Sacramentum, & revelationes ob illius Festivitatem. p. 47. n. 2. Ob quem finem ejusdem Festum celebretur? p. 52. n. 7.

Salus animæ à minima dependet occasione. p. 210. Serm. IV. per totum. Quàm facilè Samaritana Mulier hanc potuisset negligere. ibid.

Sapientia vera est nostrum considerare ultimum finem. d. 77. Instr. XI. per totum. Sapientiam vendit quidam Senex. p. 93. n. 7.

Saul ob inobedientiam amittit Regnum: & Cœlum. p. 220. n. 9. & 10.

Spes est remedium acquirendi nostrum ultimum finem p. 95. n. 1. & seq. Spe mundus plenus est, & vacuus. p. 128. n. 1. Quid sit Spes? p. 129. n. 2. In Spe sunt tria consideranda. p. 130. n. 3. Spe sua Ruricula delusus. p. 130. n. 4. circa med. Non est reponenda in rebus terrenis, sed cœlestibus, & æternis. p. 132. n. 5. Sperare debemus media pro gloria æterna. p. 133. n. 7. & 8. Sperandum est in DEO cum constantia, & firmitate, nos id obtenturos, quod speramus. p. 137. Instr. XVIII. per totum. Cur Catechismus dicit, ut speremus in DEO, tanquam in posse infinito? p. 138. n. 2. 3. 4. An aliquis possit licitè sperare in hominibus? p. 140 n. 7. Cum Spe opus est cooperatione bonorum operum p. 145. Instr. XIX. per totum. Spei debet esse unitus timor. p. 140. n. 3. & seq. Spem salutis quomodo possint habere, qui vivunt in abundantia, & commodita ibus? p. 150. n. 7.

Stultorum maximus instituitur pro Hærede. p. 85. n. 8. Superbi sunt claudi, & quare? p. 184. n. 8.

T.

Timor, & Spes debent simul uniri. p. 147. n. 3. &c.

V.

Vervex docet Christianam Doctrinam Indum. p. 7. n. 8.

Vocationi Divinæ obediendum est, quandoquidem ab illa dependet salus, vel damnatio Animæ. p. 210. n. 1. & seq. Probatur hoc exemplis. p. 218. n. 6. & sequent.

Voluptates non contentant animam. p. 82. n. 5.

Finis Indicis Partis primæ.

TUBA CATECHETICA,

Id eſt:

EXPLICATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

A

R. P. ANTONIO ARDIA, è Soc. JESU

Italice primum Edita,

ET IN TRES PARTES DIVISA.

Nunc denuo Impenſis

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

NICOLAI

DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopi Varadinenſis

E COMITIBUS

CSÁKY

De Kereſztſzeg, Perpetui Terræ Scepuſienſis, ac Inclyti Comitatus Biharienſis Supremi, & Perpetui Comitis, Sacræ Cæſ. Regiæque Majeſtatis Conſiliarii, &c. &c.

In uſum Diœceſis in lucem edita

PARS SECUNDA.

GASSOVIÆ,

Typis Academicis Societatis JESU. 1739.

TUBA CATECHETICA,

Id eſt:

EXPLICATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Opus, & Munus omnibus Fidelibus

A

R. P. ANTONIO ARDIA, Societatis JESU, dicatum, & propoſitum.

PARS SECUNDA.

Supra Decem Præcepta Decalogi.

INSTRUCTIO I. & Procœmialis.

Quanta ſit obligatio, quòd omnes debeant ſcire, & intelligere Doctrinam Chriſtianam.

In Feſto Nativitatis B. V. MARIÆ, 8. Septembris.

CUm ignorantia fuerit filia pernicioſa, quæ nobis nata eſt ex prima culpa, ipſamet poſtmodum effecta eſt mater, ex qua naſcuntur innumerabilia peccata; & non datur pejor, & pernicioſior ignorantia, præ illa, quæ plurimùm ſibi videtur ſapiens, nec quærit, nec quidem admittit ſui detectionem erroris. Dupliciter eſt cæcus ille, qui etiam ad intuitum claræ, & manifeſtæ comparationis, quod eſt efficaciſſimum argumentum ad deprehendendum, & manifeſtandum errorem, tamen illam non vult ſua videre cæcitas. Si de die in diem vi- I.

demus diversitatem, quid habet nostra passio, ut obstinata maneat? Videmus Dilectissimi, vias, quas DEUS nobis planas monstrat: & videmus præcipitia, per quæ nos impellit ad collifragium dæmon, & ad insistendum his claudere oculos, nè illa videamus, ista est vel maximè ignorantia cæca, quæ nos in innumerabiles præcipitat culpas. Idcirco illi impio Regi Sedeciæ, imagini lachrymabili peccatoris, DEUS permisit erui oculos non in Babylonia, sed in Reblatha, civitate adhuc terræ promissionis, ut ex Sacris constat Literis cap. 25. lib. 4. Regum. Ut (nam ignorantia ejus cæca, non volentis attendere Doctrinæ, & vocibus DEI, fuit causa, quæ illum fecit relinquere terram promissam) iret jam cæcus, quo? Quonam debet ire cæcus, nisi in Babyloniam? id est: in errorem, & confusionem.

II. Ad depellendam itaque istam ignorantiam, ubi jam nobis significavit, quis sit noster finis ultimus, & quæ viæ, & media secura ad illum consequendum, convincit nos hodie fortissimô argumentô Catechismus, unâ clarissimâ consequentiâ. Sinè Fide, Spe, & Charitate, nemo pertingit ad videndum DEUM. Illud itaque est certissimum, quòd, ut scias bene credere, (est illud, quod Fidem tangit) necessarium sit, bene intelligere *Credo*, & articulos Fidei: ut scias bene sperare, & petere, (est illud, quod pertinet ad Spem) opus est bene intelligere *Pater noster*; ut scias bene operari (est illud, quod facit Charitas) necessarium est bene intelligere Præcepta, quæ debemus observare, & Sacramenta, quæ debemus percipere. *Itaque* (est consequentia Catechismi) *itaque sumus obligati scire, & intelligere omnia hæc*: Forte argumentum Dilectissimi, forte argumentum: quid ad hoc debemus respondere? Quid? Debemus concedere, esse nostræ obligationis, quæ nos convincit, & confiteri nostram negligentiam, si fortè irrepsit in materia tam importanti; siquidem in ea nîl minùs pendet, quam nostra salvatio: *Itaque sumus obligati scire, & intelligere omnia hæc?* Respondeo: *Ità, nos esse obligatos: quia hæc non possumus adimplere, quin ea intelligamus.* Et quid est hoc totum, quod ità sumus obligati scire, & non solùm scire, sed etiam intelligere? Est tota utilissima scientia animæ, est tota altissima sapientia cœli, & est tota Doctrina Christiana, quæ in hoc annotatur, & comprehenditur;

ditur: Ita ut, Auditores mei, istud scire, & intelligere Doctrinam Christianam, non sit materia vanæ curiositatis, non; sed solidissimus profectus; Non sit materia solùm pro gustu, non; sed de importantissima necessitate; Non sit materia, quæ datur ad discendum, & addiscenda solùmmodo pro recreatione, & distractione, non; sed vel maximè pro præcisa obligatione. Sumus obligati, obligati sumus scire, & intelligere omnia hæc. Sit ergo ità, sed éstne tanta ista obligatio? hoc nunc explicabo per suas partes.

III. Sinè virtute *infusa* Fidei in anima, nullus potest salvari: Hoc definit cum Sancto Paulo Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 8. Adjungo plùs: Illis, qui jam pervenerunt ad usum rationis; habentibus (prout omnes hìc adstantes, per misericordiam DEI, habemus) qui sufficientissimè nobis proponant Mysteria nostræ Fidei, non sufficit solùm Fides infusa in anima, sed habemus omnimodè necessarium, ut salvemur, elicere actus Fidei, quod est ipsum credere. Lentè, Pater! itaque non sufficiet ad credendum, si quispiam, absque eo, ut curet scire *Credo*, aut aliud Mysterium in particulari, dicat in generali, & in confuso; Ego credo, & teneo omne illud, quod tenet, & credit Sancta Ecclesia Catholico-Romana? non sufficiet solùm istud? Respondeo non sufficere: & hunc fuisse errorem quorundam, qui volebant æstimari pro Theologis absque eo, quòd tales essent, & est damnatus hic error ut hæreticus à Summo Pontifice Gregorio XI. prout constat ex Directorio Dominorum Inquisitorum Part. 2. q. 10. hær. 8.

IV. Jam itaque si non sufficit credere generaliter solùm, sed debeamus credere in particulari, quæ sunt illa mysteria, quæ in particulari à *nobis* sunt credenda? Hìc opus est *loqui cum* distinctione, siquidem dantur (attendite bene) aliqua Mysteria, quæ credere in particulari, est medium omninò necessarium ad salutem. Attendite bene ad vocem, *medium*: Ità se explicat Theologus; nàm sicut medium est ità omninò necessarium ad consequendum, vel assequendum finem, ut sinè medio nullô modô consequatur, ità sinè *credere* hæc mysteria, nullus usu rationis prædituς, in ullo casu salvabitur, vide Suarez Dis. 13. de Fid. Theol. Sanchez c. 2. in Dec. c. 4. Oh! hoc ego nescivi: non datur excu-

ſatio; Oh! hoc ego non adverti: non datur remedium. Oh! hoc ego omnimodè ignoravi: non ſufficit, damnaberis, & damnaberis abſque remedio. Sancte DEUS! & qualia ſunt, Pater! iſta Myſteria, ut illa ſubitò credam, nunc hìc, & ut illorum nunquam obliviſcar? Jam vobis ea dico: Primariò credere, eſſe unum ſolum DEUM verum, & ſimul, quòd iſte DEUS me ſit remuneraturus ſecundùm mea opera: Si operor, & vivo bene, remunerabit me æternô præmiô: & ſi operor, & vivo malè, æterna pœnâ. *Accedentes ad DEUM*, dicit Sanctus Paulus ad Hebr. 11. v. 6. *oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe Remunerator ſit.* Et quòd hoc ſit medium omnino neceſſarium, nemo amplius poteſt dubitare, damnata propoſitione vigeſima ſecunda inter illas, quas damnavit Summus Pontifex Innocentius XI. Súntne præterea, Pater, alia Myſteria, quæ oportet nos credere hac ſtringente neceſſitate? Si vobis debeo reſpondere in materia tam ex toto gravi, & ſummæ neceſſitatis, ſecuriùs, juxta majorem numerum graviorum, & inſignium Theologorum, eſt itidem medium omnino neceſſarium ad ſalutem, credere Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, tres Perſonas diſtinctas, & unum ſolum DEUM verum: & Myſterium Incarnationis Filii DEI, qui propter nos Homo factus eſt; & cum ſit DEUS verus, & verus Homo, eſt unus ſolus Chriſtus noſter Redemptor: hæc itaque ſunt Myſteria, quæ à nobis credenda ſunt ut medium omnimodè neceſſarium ad ſalutem.

V. Sunt nihilominus alia Myſteria, quæ etiam obligati ſumus credere in particulari, quodlibet neceſſitate Præcepti Divini, & Eccleſiaſtici, adeò, ut ſi per ſuam negligentiam, & ſciendo hanc eſſe ſuam obligationem Chriſtianus illa neſciat, ſit in ſtatu culpæ mortalis; & non ſolùm hoc, verùm ſi, & quamdiu permanſerit in hac ignorantia talium Myſteriorum, non poteſt abſolvi, antequam priùs ſciat, & credat hæc Myſteria. Et qualia hæc ſunt? Breviter dicetur: Omnia illa, quæ in *Credo* continentur, quod eſt regula noſtræ Fidei, illud ità vocat Sanctus Auguſtinus Serm. 181. de temp. *Apoſtoli certam regulam Fidei tradiderunt, quam ſecundùm numerum Apoſtolorum duodecim ſententiis comprehenſam, ſymbolum vocaverunt*: Et Serm. 135. de temp. *Symbolum eſt regula Fidei veſtræ brevis, & grandis.* Et lib. 1. ad Catech. c. 1. *Accipite regulam Fidei, quod Sym-*

Symbolum dicitur. Omnia itaque Myſteria, & quodlibet illorum in particulari, ità, ut non ſufficiat credere ſolùm omne illud, quod continet *Credo*, ſed debemus credere per ſe, & in particulari quodlibet de his Myſteriis; & Myſterium communionis Sanctorum tali modo, quo quiſque illud intelligere poteſt: & multò magis Myſterium Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, quòd nimirum ibi ſit realiter Corpus, & Sanguis Domini noſtri JESU Chriſti. Et ſufficiétne pro hoc ſcire memoriter Symbolum? non ſufficit, eſt neceſſe illud intelligere; *Nec putemus*, dicit Auguſtinus contra Marcion: *in Verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla.* Dum itaque intelligimus, & credimus iſta Myſteria in particulari, debemus poſtmodum generaliter credere omnia illa, quæ credit noſtra Sancta Mater Eccleſia, exhibentes nos promptos ad credendum quodlibet ex omnibus aliis Myſteriis in particulari, ſi quodlibet nobis de fide proponeretur.

VI. Verùm extenditur etiam ad plura hujus Præcepti neceſſitas, nimirum nos eſſe obligatos ſub peccato mortali, ſcire, & intelligere decem Præcepta Legis Divinæ, & quinque Eccleſiæ; ſiquidem ſinè ſcientia, & intellectu noſtræ obligationis, quomodo illam poterimus adimplere? indè eſt, quòd non ſufficiat illa Præcepta ſolùm memoriter ſcire, ſed etiam debemus illorum obligationem intelligere; *Scire Leges non eſt earum verba tenere, ſed vim, ac poteſtatem.* Debemus etiam ſcire Sacramenta, & ſpecialiter hæc tria: Baptiſmum, per quem ex ſclavis dæmonis, renaſcimur in filios DEI per gratiam, quam in illo percipimus. Sacramentum Pœnitentiæ: Ah Auditores mei! Quomodo confitebitur ille bene, qui non ſcit partes eſſentiales hujus Sacramenti? Ita, ut ſinè illis Sacramentum ſit invalidum, neque talis conſequitur gratiam. Omnes itaque obligati ſumus ſub præcepto, & ſub peccato mortali illud ſcire, intelligendo bene omnia illa, quæ requiruntur ad illud dignè ſuſcipiendum. Et quoniam per hoc Sacramentum reſtauramus perditam gratiam, Sacramentum iſtud eſt tabula, quæ nobis remanet poſt naufragium, ità illud explicat Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 14. dicens: *Hic enim juſtificationis modus eſt lapſis reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabu-*

lam Sancti Patres aptè nuncupárunt. Hoc eſt illud, quod ex toto certum eſt: ex omni parte ſecurum: Doctrina definita, Doctrina Fidei: præterquàm quòd in hac materia procedamus juxta opiniones Theologorum, quæ inter gentem imperitam, & ſtupidam poſſent cauſare conſequentias maximi, & ſummi periculi. Admiſſo peccatô nullum nobis reſtat aliud remedium præter confeſſionem, & ſi hæc non poſſit peragi ob defectum Confeſſarii; actus contritionis veræ adhibendus ſit. Debemus etiam ſcire, & intelligere Supremum, & Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, cum omnibus diſpoſitionibus, quæ requiruntur ad illud dignè recipiendum.

VII. Sancte DEUS! Eſtne poſſibile, Pater! tanta illa eſſe, quæ debemus ſcire, & intelligere: & quòd hæc omnia obligati ſumus ſcire, & intelligere ſub peccato mortali? Hac de re nullum eſt dubium; omnia iſta debent ſciri, & intelligi in ſubſtantia, ità ut quilibet intelligat quodlibet Myſterium, quodlibet Præceptum, & quodlibet Sacramentum; non dico habere tantam obligationem ſciendi hæc cum ſubtilitatibus, & modis exquiſitis Theologorum, non: ſed modo tali, ut cognoſcat illud, quod debet credere in quolibet Myſterio: illud, quod debet operari, in quolibet Præcepto. Nec dico, quòd illi, qui ultrà non poſſunt, debeant hæc ſcire omnia memoriter ſub peccato mortali, quamvis res habeat graviſſimos Theologos, qui id affirmant; Verùm alii, non minoris authoritatis, dicunt, non futurum peccatum mortale, neſcire hæc omnia memoriter, modò ſciantur in ſubſtantia, & intelligantur. Idcirco ego vobis nunc formo hoc argumentum: Si ſcientes memoriter *Credo* tot ſunt, qui illud ipſum non intelligunt, quod in illo dicunt; quid foret de non ſcientibus illud memoriter? Ultrà: Cùm in Credo includantur tam alta Myſteria, tantæ obligationes in Præceptis, interea inveniuntur non pauci, qui ſe eruditos æſtimant, qui nunquam per ſuam vitam audierunt illud explicari, quomodo ergo illud intelligent? Ego hoc non capio.

VIII. Ah Dilectiſſimi videte! an non ſit neceſſaria, videte, an non ſit proficua explicatio Doctrinæ Chriſtianæ, cùm ſitis obligati illam ſcire, & intelligere ſub peccato mortali; & ſi illam non intelligitis, quid remedii? aſſiſtere cum humilitate ei, qui vobis illam expli-

explicat. Certus Anachoreta, impotens intelligendi certum locum ſcripturæ, ùt legitur in vitis Patrum Lib. 1. perſeveravit jejunando ſeptuaginta hebdomadibus deprecando DEUM, ut ſe ex ſuis extraheret dubiis, & erudiret de illo, quid locus ille ſcripturæ vellet dicere: verùm poſt tam longum jejunium remanſit nihilominus jejunus in ſua intelligentia. Determinavit accedere alium exquiſitum Anachoretam, qui illum hac de re informaret: prodit ex ſua ſpecu, & non poſt multos paſſus, quos fecerat, apparet ei Angelus, quærens ex eo, quò vadis? Vado ad illum; jam ſcias, dicit illi Angelus, te per tanta jejunia, quæ feciſti, non appropinguâſſe tantúm DEO, quantùm ſolo iſto actu humilitatis, quærendo alium, qui te inſtrueret, & idcirco DEUS me mittit ad locum tibi explicandum: Declaravit ei locum illum Angelus, & Senecio remanſit per hoc dupliciter inſtructus. Non dedignetur itaque, qui ſe æſtimat multæ prudentiæ, & illa, quæ cogitat, ſe ut plurimum noſſe, venire ad Doctrinam Chriſtianam ad apprehendendum illud, quod fortè non ſcit, & tamen debet ſcire ſub peccato mortali.

IX. Verùm, non eſt hoc damnum maximum: Ah Patres-familiæ! ſunt rationes, quæ circa hoc vos expectant, DEO reddendas, non loquor de filiis, quia per fortunam cum iſtis minor ſolet eſſe negligentia: ſed de illis miſerabilibus ſervis, & ſclavis, qui vobis ſerviunt integro anno, & ad minús exiguum ſpatium illis non concedetis ad apprehendendam Doctrinam Chriſtianam? Illos, tranſeat, quod excuſet propria ignorantia à culpa in eo, quod eſt de præcepto ſcire, & intelligere; cùm non ſciant ſuam obligationem: ſed vos, qui ſcitis hanc obligationem, Oh quæ culpæ! & oh, quæ onera! Eſt in hac materia graviſſima incuria in domibus Magnatum, ſiquidem, non in paucis, attenditur multum ad liberiam vel livream, ad comitatum famulorum, fortè (& ſinè *fortè*) neſcit Patronus domus, in qua lege vivant ſui famuli, an ſint Chriſtiani, an ſciant illud, quod ſcire obligationis eorum eſt; & idcirco, ſi per incuriam, & negligentiam Patroni veritates Chriſtianas neſciant famuli, Patronus, & Patrona damnantur. Nec ſufficit, quod aliquando ſciverint; quia, cùm ſint res, quarum obliviſcimur, ſi non adhibeatur cura, ut illud,

quod

quod ſciverunt, repetant, non ſubſiſtit ſecura conſcientia. Non dico per quatuor vel octo dies, ſi illis omittatur explicatio Doctrinæ, eo ipſo committi peccatum mortale, ſed, ſi hæc negligentia ſit continua, & ſi illi (prout ordinariè accidit) ob ſimilem negligentiam, nec ſciunt, quod ſcire debent, nec intelligunt non ſolùm perdurant negligentes Patroni in peccato mortali; ſed, ſi ſe in hoc non emendent, dicunt graviſſimi Theologi, illos non eſſe abſolvendos. Nec vobis videbitur nimius iſte rigor, ſi ponderetis tantam multitudinem animarum, quas ſecum Diabolus abducit in infernum ob ignorantiam Doctrinæ Chriſtianæ.

X. Audite caſum extraneum in tali propoſito: narrat illum Cantipr. L. 1. c. 20 Cùm fuiſſent congregati ad celebrandam Synodum Provincialem in Gallia varii Prælati, & Parochi; impoſuerunt certo ſacerdoti ſermonem, per quem debebat initium habere Synodus: ibat ille plurimùm anxius, & ſollicitus ignorando materiam argumenti, de qua loquendum ei eſſet. Id recogitabat afflictus; & ecce illi dæmonium in forma hominis feri apparet dicendo: Quid te affligis? Cauſam afflictionis Sacerdos refert ſimulato homini. Vade, de tam exigua re te affligis? ego tibi dicam ſermonem, quem eis proponere debes: vide, dices illis hoc: Rectores, & Principes tenebrarum infernalium ſalutant Prælatos, & Parochos Eccleſiarum, & illis maximas referunt gratias pro negligentia, quam habent, & exercent in inſtruendo populo: ſiquidem ex ignorantia naſcuntur peccata, & ex peccatis damnatio. Hoc dices, & ſcias me eſſe dæmonium, cui DEUS ità mandat, & obligat me tibi hæc dicere. Sed quomodo mihi credent? Replicavit Sacerdos; dicent me hæc finxiſſe, vel ſomniâſſe. Ego tibi dabo ſignum, ut tibi credant; & tangendo ſua nigra manu faciem Sacerdotis, illam ut carbonem nigrum reliquit, ſubjungens: quantumcunque te laveris, non poteris abſtergere hunc colorem; ſed ſubitò, ut dixeris id, quod ego tibi dixi, lava te illic in Eccleſia aquâ benedictâ, & efficieris albus. Ità evenit: Apparuit horridus, & niger in ſynodo edixit ſuam legationem, & commiſſionem, prout ei dæmon injunxerat, & lavando ſe in continenti aquâ benedictâ, effectus eſt ut antea albus: replevit horrore totam Galliam iſte eventus. Jam autem Dilectiſſimi, cui

ego

ego referam gratias ex parte Dæmonis? Scimus, & eſt omnibus notiſſimum, quem zelum ſanctum habeat noſter Eminentiſſimus Prælatus, & omnes Parochi in explicatione Doctrinæ Chriſtianæ: in tot Eccleſiis eſt continuum iſtud exercitium per totum annum: nunc cui refert gratias dæmonium, quòd Doctrinam Chriſtianam non ſciant tot, & tanti miſerabiles ſervi, & ſclavi? Oh DEUS! Vobis Patribus-familias mittunt ſalutem Principes infernalium tenebrarum, & vobis referunt gratias, quòd veſtra familia, ob veſtram negligentiam, vivat ad inſtar barbarorum, ſinè ſcientia illius, quod neceſſarium eſt ad ſalutem: ob quod tot, & tanti damnantur. De hoc ante DEUM pro nunc vobis non manet, ne quidem leviſſima, excuſatio; facite eos huc venire, cooperamini, ut apprehendant iſtam brevem Doctrinam; ad hoc etenim reſpexit Sanctus Zelus illius, qui eam compoſuit, colligendo in hoc illa, quæ noſtræ obligationis eſt ſcire, & credere ſub peccato mortali.

Pater, dantur ſclavi, & ſervi, ruſtici, & pertinaces, & ſunt rudiſſimi! hoc vos eò magis obligat, ut cum ferventiori, & majori continuatione inſtruantur: & ſi eſt tanta ruditas in eis, ut etiam poſt longum tempus inſtructionis non ſciant id, nec capiant, quod tenentur ſcire, ſaltèm ſcient illud, quod jam dixi: nempe quod eſt ſcitu neceſſarium, ut *medium*: id eſt tale, quod niſi ſciant, & credant, non ſalvabuntur habentes uſum rationis. Ecce tibi compendium: Quod DEUS ſit unus, & ſolus, & tres Perſonæ: quod ſit malos condemnaturus, & bonos præmiaturus: quòd Chriſtus JESUS ſit verus Homo, & verus DEUS: ſciant hoc, & credant, & omnia reliqua, quæ ſunt præcepti: procuretur ſemper, ut hoc taliter ſciant, qualiter poterit attingere eorum ruditas. Et ſi nil ultra fieri poſſit, docete illos recurrere ad illam, quæ eſt fons lucis: ad illam, quæ eſt Mater gratiæ; ad illam, quæ eſt Magiſtra Fidei: ad illam, quæ docuit Apoſtolos: ad illam, quæ illuminavit Evangeliſtas, ad Mariam, ad Mariam. O Domina! quàm tardè venio ad tua elogia, dum jam mihi tempus deeſt: ſed à tuis debitis laudibus nunquam ceſſabunt æternitates. XI.

Certus miles, ùt legitur in Spec. Exempl. Verb. *Salut. Ang.* Exem. 1. excuſſis armis ſæculi factus eſt Monachus Ciſtercienſis: XII.

ſed cum habitu remanſit tam ſtolidus, & rudis, prout antea fuerat; ità, ut nunquam potuerit apprehendere orationes, & rudimenta Doctrinæ. Affligebat hoc plurimùm Abbatem, & cum omni ſua cura, & inſtantiis nunquam poterat obtinere à ruditate ejus plùs, quàm quod addidicerit ſalutationem Angelicam; iſtam quaſi omni momento recitabat, vivendo ſimul vitam inculpabilem. Moritur, & eo ſepulto in cœmeterio bene monſtravit Magna Domina, quantùm eidem charus fuerit; ſiquidem ex ejus ſepulchro crevit arbor, in cujus foliis omnibus, literis aureis, erant ſcripta hæc verba: *Ave Maria gratia plena*: Ad rumorem prodigii accurrerat innumerabilis populus, venit pariter Epiſcopus, curat arborem effodi, & invenerunt illam naſci ex ore hujus Sancti Monachi feliciter rudis, meliùs dicam, feliciter ſapientis, qui ità mediantibus laudibus Mariæ adeptus eſt ſapientiam æternam.

XIII. Oh! opportuniſſimè venis in mundum Aurora pulcherrima, quæ diſpellis tenebras noſtræ ignorantiæ: Stella puriſſima, quæ illuminas mœſtas noſtræ cæcitatis umbras: Sol venuſtiſſimus, implens noſtros radiis proficuiſſimæ Doctrinæ intellectus. Fortunatiſſimè venis recens nata, quæ abbrevias in tuis prærogativis æternitatem: Infans ſtringens in tua infantia gratiæ infinitum: Creatura, quæ intra tuos limites epilogabis Immenſum, hodie te omnes mecum ſalutant: DEUS te amet Filia DEI Patris! in tuas manus recommendo Fidem meam, ut illam illumines. Sis æternùm Benedicta Mater Filii DEI! in tuas manus conſigno meam ſpem, ut illam animes. Salve Sponſa Spiritûs Sancti! in tuas manus pono meam charitatem, ut illam inflammes; ut ego ex mea ignorantia me liberem, tu eſto Magiſtra Fidei: útque à meis culpis liberer, tu eſto Mater gratiæ.

INSTRUCTIO II.

De Ordine, Suavitate, & Harmonia, quam inter ſe habent Decem Præcepta Decalogi.

I. TOta vita hìc in mundo tranſigitur quærendo vitam; & cùm hoc ſit tam commune, & tam frequens, ut ſicut verſatur in curis,

curis, & laboribus, *ità pariter in ore omnium; nihilominus* quid erit? erit illud, quod jam fuit: quòd nunquam obviaverim unico homini hucusque, qui mihi dicat, se vitam invenisse. Fortè hoc non audivistis ab aliquo dici? fortè non est verum, quòd omnes quærant vitam, & nullus illam inveniat? certum est: imò videmus quotidie, multos, dum quærunt vitam, *invenire mortem*, vel inveniri à morte. Quod me attinet, ego cogito id ex eo provenire, quia mors, exæquando ratiocinia, faciendo comparationem, est sinè dubio illa, quæ determinat, quisnam ille sit, qui promeritus est vitam: quis ille, qui illam perdidit, de omnibus istis, qui illam tam solicite quærunt. Res mirabilis est; cùm facillimum sit invenire vitam, constet tamen tot labores, molestias, cogitationes, & sollicitudines ejus inquisitio! Casus est; multos dari modos quærendi vitam, at illam inveniendi unicus, & solus est; & qualis ille est? Demonstravit illum nostra Vita, Christus. Magister (dixit illi in certa occasione quidam Adolescens) quid faciendo vitam obtinebo æternam? Quæ opera, quas diligentias, quæ media adhibebo ad vitam consequendam æternam? Hoc, in veritate, est id, quod quærendum est! Non est contentus lucrari solùm vitam, sed vitam, quæ sit æterna: vitam, quæ nunquam finem habeat: vitam, in qua nihil desit: vitam, quam nec tempus consumat, nec mors auferat, nec morbi furentur: vitam, finaliter, quæ sola est vita. Quid igitur faciam, ut talem vitam inveniam? Oh quam pauci formant hanc interrogationem de tot, qui diu noctúque solùm cogitant de modis quærendi vitam! In quærenda omnis adhibetur cura, & in inveniendâ totalis adest negligentia? Jam quid tali responderet Dominus? Diceret illi, esse necessarium laborare de die, & de nocte in officina: Defatigari in mercaturis continuo, vel in cambiis, vel in promptuariis: vigilare integris noctibus in sollicitudinibus, an me debitores sint soluturi: dies transigere in amaritudinibus, an ad hoc, vel hoc promovebor: per *vias discurrere*, maria *trajicere*, privare se omni solatio, & non cessare, ne quidem momentô, à fatigatione. Hoc illi diceret; siquidem hæc omnia videmus esse necessaria, nec tamen sufficientia, ad quærendam vitam hanc, quæ finitur: Jam vero ad inveniendam illam, vitam, quæ est æterna, an non hoc, & multò

plùs, erit neceſſarium? Non eſt: imò multò minùs eſt neceſſarium. Dixit hoc Dominus duobus verbis ſat brevibus: Si vis ad vitam ingredi, debes hoc facere, quod tibi dicturus ſum: Quid Domine? Dic, quæſo, ſiquidem jam ardeo deſideriô; Ecce nihil ampliùs eſt, quàm iſtud: *Serva mandata.* Math. 19. Sunt duo verba, prætereáque nihil. Eja igitur Auditores mei: ſi tanti, & tot modi adhibentur quærendi vitam, ſi in ea quærenda conſumimur, & tamen vitam perdimus! apprehendamus hunc modum, ſolum, qui adeſt illam inveniendi, procurando nimirum, ut bene intelligamus Præcepta, quæ ad inveniendam vitam ſunt à nobis obſervanda: Si vis ad vitam ingredi, *ſerva mandata.*

II. Aggredior itaque, Oh utinam res fiat cum favore, aſſiſtentia, & auxilio Divino! explicationem noſtræ Sanctiſſimæ legis, legis ex integro amoris, legis ſuavitatis, legis vitæ, legis gratiæ. *Præcepta legis Divinæ ſunt decem*; Quàm brevis numerus, ut eò minùs gravis nobis reddatur eorum obligatio! Et quàm Supremus, & Altiſſimus eorum Author, ut eò facilior, & ſuavior nobis fiat illorum obſervatio! Ille ipſe DEUS, qui vult nos præmiare, eſt ille, qui nobis legem imponit: Ille ipſe DEUS, qui nos ſuâ adjuvat gratiâ ad ea implenda, eſt ille, qui nobis obligationem imponit: Ille ipſe DEUS, qui una manu nos allevat, ut Pater, eſt ille, qui altera manu nobis Præcepta imponit, ut Dominus: Ille ipſe DEUS, qui exhibuit nobis innumerabilia beneficia, ità dicendo, plenis manibus, eſt ille, qui ad numerum digitorum nobis dat ſua Divina Præcepta. Dedit itaque Majeſtas Divina hanc Sanctam Legem in ſummitate montis, Sinai mediante Moyſe, populo Iſraëlitico, deſcendendò ipſemet de Cœlo in nube, tremente terra, fumante toto monte, & toto aëre immutato à fulminibus, tonitruis, & fulguribus. Illinc poſtmodum deſcendit Moyſes, portavit, intimavitque omni populo decem Præcepta DEI in duabus tabulis lapideis conſcripta digito ipſiuſmet DEI; conſtat totum hoc ex Sacris literis Exodi. 19. & 20. cap.

III. Secundùm hanc Doctrinam, Pater, hæc ipſiſſima Lex decem Præceptorum, eſt illa, quam DEUS dedit Judæis? Ita eſt. Hic nunc mea hæret difficultas; Nunquid finita, & extincta eſt omnino lex Judæorum? Non eſt dubium: Eſt hæc lex jam mortua. Nun-

Nunquid nos Chriſtiani ex toto ſumus liberi à lege Judaica? Eſt de Fide, & affirmat hoc ipſum Sanctus Paulus ad Rom. 6. v. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Quomodo itaque nos obligant decem Præcepta, ſi hæc ipſa erant lex Judæorum? Quia hæc lex non fuit propria Judæorum: intimavit DEUS illam Judæis, ſed hæc lex non eſt pro ſolis Judæis; jam me explico: Præter hæc decem Præcepta, quæ ſunt illa, quæ pertinent ad mores, ad adæquatum cujuſvis modum vivendi, qua de cauſa vocantur Præcepta moralia, dedit DEUS Judæis multa alia Præcepta, quæ vocantur cæremonialia; quia in eis ipſis commendabat cæremonias, quæ obſervare debebant in tempore, modo, & ritibus ſuorum Sacrificiorum: dedit illis pariter alia multa Præcepta, quæ vocabant judicialia, circa regimen eorum reipublicæ, circa pœnas, & caſtigationes delinquentium: & ſcitísne, quot fuerint iſta præcepta? inter iſta, & illa, nimirum cæremonialia, & judicialia, erant non minùs quam ſexcenta & tredecim præcepta, & multa ex illis ſub pœna mortis, ſi illa transgrediebantur. O quam terribile pondus! jam itaque iſta ſexcenta, & tredecim præcepta cæremonialia, & judicialia erant propriè Lex Judæorum; quia ſolummodo huic populo, & non alteri, voluit DEUS illam imponere. Tota iſta Lex itaque præceptorum cæremonialium, & judicialium, quæ erat propria Judæorum, eſt illa, *quæ jam ceſſavit*: jam periit, jam illi ſuſtulit noſtra Vita Chriſtus omnem vim, auferendo á nobis tam terribile pondus ſexcentorum, & tredecim præceptorum, & relinquendo nobis ſolùm in ſuis decem præceptis ſuavitatem noſtræ Legis; hac de cauſa rationabiliſſimè vocatur Lex gratiæ.

IV. Verùm, Pater, ſi decem præcepta non erant Lex propria ſolius gentis Judaicæ, ſed obligans æqualiter omnes mundi Nationes, cur hanc Legem DEUS ſolis intimavit Judæis? dicam hoc: decem præcepta ſunt Lex, quam DEUS impoſuit omnibus hominibus ab ipſo principio mundi, ab inde, à quo dantur homines; ſiquidem nihil aliud ſunt decem præcepta, quam lex naturalis, quam ipſiſſima ratio naturalis nobis dictat, & proponit: quòd debeamus bene operari; quòd non debeamus malè facere; quod illud, quod mihi nolo fieri, nec alteri debeo velle; hoc ipſa ratio natu-

ralis dictat cuivis etiam maximè barbaro: hoc ipsum jam est illud, quod nobis explicant decem præcepta, & ideò obligant eodem modo gentilem, Judæum, hæreticum, Christianum, & denique omnes homines, quia quilibet ex sola ratione naturali portat secum hanc legem. Ideo dixit Sanctus Paulus ad Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*; Jam itaque erat in mundo à principio ista Lex naturalis, sed per primum peccatum obfuscata ratio naturalis, ob suam ignorantiam, vel non advertebat, vel negligebat suam obligationem; Ideóque illam promulgavit de novo DEUS, & illam posuit patentiorem, & clariorem ante oculos per decem Præcepta. Illic in alpibus solet cadere tanta nix, ut omninò cooperiantur, & deleantur viæ: Jam quid faciunt, nè aberrando perdantur viatores? Ponunt de distantia ad distantiam certa signa altiora, vel ex lapidibus, vel ex lignis, & taliter ex uno ad alterum procedunt, & agnoscunt, quòd hìc, & hìc viâ securâ procedant, & sic non deviant: taliter, ponendo similia signa, non est facere novum iter, sed monstrare antiquum, quod non videtur. Hoc ipsum est illud, quod fecit DEUS proponendo nobis decem Præcepta: Dedit nobis certa signa clara, quæ nobis demonstrant viam Legis naturalis, vel nè allegaremus ignorantiam, vel nè se demonstraret ignorantem nostra malitia. Est itaque hæc Lex Sanctissima omnium illorum, qui habent rationem naturalem: quod est idem, ac dicere, omnium totius mundi hominum: & sic nec fuit propria solius gentis Judaicæ, nec nos illam ideò observamus, quia Moyses illam proposuit: non; sed quia nobis illam proponit, & explicat Vita nostra, Christus JESUS cap. 5. & cap. 22. apud Sanctum Matthæum, & in aliis pluribus locis in Sanctis Evangeliis.

V. Sunt itaque ejus præcepta decem: quam brevis numerus pro infinito, quem nos DEO debemus. Jam dixi, quod illic Judæi observanda habuerint sexcenta, & tredecim præcepta: Affirmativa, id est, illa, quæ ipsis commendabant illud, quod facere debebant, erant, secundùm doctos Rabinos, tot, quot membra habet corpus humanum, quorum numerus est, ducenta quadraginta octo: Negativa, quæ id prohibebant, quod non erat faciendum, erant tot Præcepta, quot dies annus habet; erant itaque trecen-

trecenta ſexaginta quinque. DEUS Sancte! Pro quovis membro Præceptum; & Præceptum pro quolibet die! Jam quid hoc eſt reſpectu decem Præceptorum, quæ in digitis computamus? Ah Chriſtiani! Computus iſte eſt tantò terribilior, quantò noſtra divina Lex eſt ſuavior: Sed in his decem ſolis conſiſtit epitome omnium Legum, dicit Sanctus Auguſtinus q. 110. in Exod. & Lib. 9. de Civ. apud Corn. Lev. 23. v. 16. Taliter, ut nulla Lex ſit habitura vim, & valorem, nec ſit futura Lex, verùm iniquitas, ſi non eſt regulata juxta iſtas leges Sanctiſſimas. In his eſt nota omnium virtutum, dicit Sanctus Thomas, tres primæ virtutes includuntur in primo præcepto, & virtutes cardinales in omnibus. Prudentia ad faciendas res ſuo debito tempore, & cum debitis circumſtantiis: Juſtitia ad tribuendum cuivis id, quod illi debetur: Fortitudo ad exequendum id, quod eſt juſtum: & Temperantia, ad temperandum, & refrænandum malos affectus, & appetitus. Includitur in his decem præceptis, dicit idem Angelicus Doctor, antidotum contra omnia vitia: contra ſuperbiam primum, & quartum præceptum, quod nos humiliat, & ſubjicit DEO, & noſtris Parentibus, & Majoribus. Contra avaritiam ſeptimum, & decimum præceptum, non furtum facies: non concupiſces, non domum: contra gulam, & luxuriam ſextum, & nonum: contra iram, & invidiam, quintum, & octavum: contra pigritiam, & acediam, primum, & tertium, quæ nobis mandant, ut ſimus diligentes in cultu, & ſervitio DEI. Opera miſericordiæ nobis intimantur in quinto præcepto, quod ordinat impedire, quantum poſſumus, mortem temporalem, vel ſpiritualem proximi: adeò, ut in obſervatione decem præceptorum notentur omnes virtutes, & in exilium mandentur omnia vitia. Sola Sapientia Divina potuit taliter comprehendere omnia in ſolis decem præceptis.

VI. Sed cur dedit DEUS hæc decem Præcepta diviſa in duabus diſtinctis tabulis lapideis? *Tria prima præcepta ſpectant ad honorem DEI: & alia ſeptem ad bonum Proximi:* Dedit itaque illa in duabus tabulis, ut ſepararet in una, tria prima: quæ illa ſunt, quibus debemus honorare, & ſervire directè DEO. In altera tabula alia ſeptem, quæ nos obligant ad amorem, & profectum proximi.

Per

Per tria prima nos dedicamus DEO, ſecundum totum noſtrum internum, & externum: ratione primi præcepti debemus illi offerre totam noſtram animam, & cor, quod eſt illum amare. Ratione ſecundi, omnia noſtra verba, reverendo ſuum Nomen Sanctiſſimum, & non jurando per illud in vanum: & ratione tertii noſtram exteriorem reverentiam, & cultum. Plùs adhuc dicit Sanctus Thomas: Servus debet ſuo Domino tria. Primum eſt, quòd debeat ſuo Domino fidelitatem; hæc requiritur à nobis in primo præcepto, quòd non debeamus cognoſcere alium DEUM, nec alium Dominum. Secundum eſt, quòd illi debeat reverentiam; hoc à nobis exigitur in ſecundo Præcepto, nè utamur in vanum ſuo Sancto Nomine. Tertium eſt, quòd illi debeat ſervitium, ſeu famulatum; hoc à nobis in tertio petitur per cultum, & obſervationem ſuorum feſtorum. In ſecunda tabula eſt conſignatum illud, quod Proximum reſpicit, vel in particulari, vel in generali: in particulari illos, erga quos habemus obligationem, debitum eis reddendi reſpectum, juvamen, & ſuccurſum, ſeu levamen; hoc eſt quartum præceptum: vel in generali, ne ulli faciamus malum, nec opere, hoc prohibet quintum, ſextum, & ſeptimum præceptum; nec verbô, hoc prohibet octavum: nec cogitatione, hoc prohibet nonum, & decimum. Oh quæ harmonia tam ſublimis! Quæ conſonantia tam Divina! Nunc iſta noſtra Lex, hucuſque in confuſo viſa, intrando nunc ad particularia ejus præcepta, omnia illa, nimirum ejus præcepta, in amore ſignantur, in amore comprehenduntur: Amare DEUM, amare Proximum: *Plenitudo legis eſt dilectio.* ad Rom. 13. v. 10. Quis poterit allegare difficultatem circa amorem, niſi ſit brutum? Et cui videbitur arduum adimplere legem tam juſtam, quam nobis ipſa noſtra ratio naturalis dictat, quam exempla tot, & tantorum nobis reddunt tam facilem, quam Divina gratia nobis alleviat? Legem! quæ cùm ſit onus, eſt tale onus, quod nos facit agiles, ut aves plumæ, ut currum rotæ, ut navem vela? Onus ſunt aviculis alæ, ſed aufer eis hoc onus, non ultrà elevabuntur à terra: oneri ſunt currui rotæ, ſed aufer ei rotas, nec ad paſſum movebitur: onus ſunt pro navi vela, ſed tollite ei vela, minimè ſuum proſequetur iter. Ità pariter homo ſine præſidio Præ-

cepto-

Ità pariter homo ſinè præſidio Præceptorum, nec unicum faciet in virtute paſſum, nec unico puncto ſe verſus cœlum elevabit, nec pertingere poterit ad portum gloriæ. Iſta eſt Lex, pro cujus adimpletione nos DEUS abundanter ſuis infinitis replebit benedictionibus. Oh de quot, & quantis nos aſſecurat David in Pſalmo 118. qui eſt longiſſimus; totum hunc David occupat in laudibus hujus Sanctæ Legis; & ſtatim à principio incipit vocare beatos illos, qui per vias hujus Legis ambulant: *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* Sed è contrario, ſi hanc Legem non obſervaverimus, erit decretum de noſtris infortuniis temporalibus, & æternis. Gerebant bellum Vandali, prout refert Salvianus, contra certum populum Chriſtianum in Africa, qui ſolum nomen habebat Chriſtiani, in tantùm ex toto oblitus fuerat ſuæ legis, ſuis perverſis moribus, ut ſcientes hoc Vandali, fecerint inter ſe hunc diſcurſum, timidi de eventu pugnæ; Iſti, dicebant, qui in tantum laudant ſuum DEUM, ut potentem, non videmus, quòd vel *in minimo obſervent ſuam legem*: itaque DEUS eorum debet nobis favere, & aſſiſtere, & illorum præcepta conducamus loco noſtri vexilli contra eos. Ità fecerunt, vadunt ſcribentes in omnibus ſuis vexillis præcepta, & tollendo ea in altum aggrediuntur generosè pauci ex Vandalis exercitum grandem Chriſtianorum, *qui, pleni horridi pavoris*, terribili carnificinâ fuerunt à Barbaris victi, vulnerati, & occiſi. Triumphârunt vexilla decem *Præceptorum in manibus inimicorum* Chriſtianiſmi, quia eadem non obſervaverunt Chriſtiani. Ut quid opus eſt inquirere originem omnium infortuniorum, ſi hæc Lex Divina non obſervetur? Oh quomodo in die judicii triumphabunt de innumerabilibus Chriſtianis dæmones: ſolùm monſtrando illis in ſuis vexillis decem Præcepta? *in his ſolis conſiſtit vita*, quam invenerunt æternam Sancti: hæc ſunt pretium gloriæ, qua jam fruuntur Beati; hæc ſunt amabiliſſima dulcedo, quâ recreantur hilares omnes juſti; & in noſtram majorem confuſionem, hæc eſt lex ſanctiſſima, quam uſque adeò ipſa venerantur bruta.

VII. Caſus prodigioſus eſt, quem refert Pater Alphonſus Andrade in ſuo itinerario: Prædicabant duo è Societate fidem JESU

Chriſti Imperatori in Mogor, vocato Ecevar; & quamvis ſe ſentiret convictum ad lucem veritatis, reſiſtebat obſtinatus, ſentiendo ſe involutum turpiſſimis carnis vitiis. Attamen finaliter voluit experiri, quænam eſſet vera lex, mediô improbô, & ſuperſtitioſô; verùm DEUS, & hoc illum voluit convincere medio. Habebat ſimiam, quam in amoribus habebat ob ſuam habilitatem: curavit itaque in diſtinctis ſchedis ſcribi legem Machometis, legem Licurgi, legem Japoniæ, legem Moyſis, & legem Chriſti; & projectis hiſce ſchedis in urnam, curavit adduci Simiam, ei dicens: Extrahe hinc, & da mihi legem veram: juxta mandatum fecit animalculum: extrahit legem Machometis, eam conſideravit, & cum nauſea ad ſuos pedes dilaceravit, eámque pedibus calcavit: traxit pari modo alias, & pariter illas abjecit: Extraxit tandem legem Chriſti, & immediatè dedit ſchedam in manus Imperatoris. Remanſerant ſtupefacti omnes Grandes aulæ, qui præſentes aderant; ille nihilominus firmus, & durus, hoc, dixit, poteſt eſſe ex pura contingentia; & ſic repetiit ſecundò eandem probam: repoſuerunt eas ipſas ſchedas, & in projiciendo eas in urnam unus ex eis, qui adſtabant, abſcondit illam, quæ continebat legem Chriſti. Redit ſecundò Simia ad urnam, extrahit, ut priùs fecerat, & ad terram, ut priùs, falſas leges abjicit: immittit manum, & non invenit ſchedam legis Chriſti; remanſit ſuſpenſa: inſtabat Imperator, eja da mihi legem veram. Simia poſtmodum cœpit circuire olfaciendo quemlibet ex adſtantibus, & perveniens ad illum nobilem, qui ſchedam tenebat abſconditam, vi eum apprehenſum tenuit tam fortiter, ut eum nullo modo voluerit dimittere, uſque dum ei ſchedam conſignâſſet, quam illa Imperatori extradidit.

VIII. O Lex ſublimiſſima! quæ ità te facis recognoſcibilem etiam à brutis, quomodo tuæ Divinæ luci negabunt ſuos oculos rationales homines? Oh utinam illos omnes aperiamus ad obſervationem tuorum Sanctiſſimorum Præceptorum! quod ſi hìc maximus labor eſt quærere vitam, & vitam pœnarum, & vitam miſeriarum; per obſervationem Divinorum præceptorum inveniemus vitam, & vitam quidem æternæ gloriæ.

INSTRU-

INSTRUCTIO III.

PRÆCEPTUM I.

De gravissima Obligatione, quam habemus amandi DEUM, & qualis debeat esse iste Amor.

HIc in hoc mundo inter homines solet dici, & dicunt tales valde bene: amor recompensatur amore. Sed quomodo amor DEI recompensabitur amore hominis? & quæ est recompensatio, quæ persolutio hæc tam facilis ad debitum, quod est infinitum? quæ satisfactio hæc tam exigui valoris respectu obligationis, quæ est immensa? quæ correspondentia hæc tam suavis ad pondus lucrorum innumerabilium in duratione, imponderabilium in valore, inæstimabilium in pretio? & tamen hæc hic se habent: illa summa bonitas, quæ poterat nos exequi gravissimis pressuris ad persolvenda nostra infinita debita, voluit, & vult, ut ejus amorem nostro solvamus amore: amorem ejus infinitum, nostro parco amore, & limitato: ejus amorem, fontem, & originem innumerabilium beneficiorum, nostro amore, quasi anima, quæ vivificet nostra bona opera: *Ad nihil aliud amavit DEUS, quàm ut amaretur: cum amore nihil aliud vult, quàm amari*, dicit S. Bern. Serm. 83. in Cant. Si opera sunt amores, hæc & istos à nobis desiderat in suis Præceptis. Primum mandatum est amare DEUM super omnia: primum in ordine, & principale, & supremum omnium Præceptorum Divinorum. Ità nobis illud intimat ut Legislator, & illud nobis explicat ut Magister, nostra Vita, Christus JESUS: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua.* Matth. 22. v. 37. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. Ecce hìc itaque in his Divinis verbis comprehensam totam obligationem hujus primi Præcepti. Præcipit Dominus nobis per illud exercere actus quatuor virtutum, & has quatuor virtutes nobis intimat in quatuor verbis: Fidem nimirum, Spem, Charitatem, & Religionem. Istæ sunt quatuor virtutes, ad quarum exercitium nos obligat istud Præceptum; & quamlibet earum nobis intimat Dominus in quolibet verbo, Mentem adhibete? *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*: Hoc est nobis intima- I.

re Charitatem, quæ eſt cor, eſt officina amoris: *Dilectio eſt actus voluntatis, quæ hic ſignificatur per cor*, dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 44. in O. Proſequitur: *Ex tota mente tua*: Hoc eſt à nobis requirere actus Fidei, per quam debemus proſternere, & ſubjicere veritatibus Divinis noſtrum totum intellectum; *Et ex tota anima tua*; Hoc eſt regulari omnia noſtra deſideria, & noſtras cupiditates, reponendo in ſolo DEO omnem noſtram ſpem. Concludit: *Et ex omnibus viribus tuis*: Hoc eſt, ad juſtam menſuram redigere noſtras exteriores actiones in debito cultu virtutum Religionis. Ità intelligit Sanctus Thomas iſtam tam admirabilem, quam Divinam explicationem noſtri Redemptoris, & Magiſtri; Et ità pariter illam ſtringit brevibus verbis Catechiſmus: *De primo Præcepto Legis Divinæ te interrogo*: Ad quid nos obligat amor DEI? Et ſic reſpondet: *Debemus adorare illum ſolum ut DEUM, Fide, Spe, & Charitate.* Vidimus jam valorem ſummum, inæſtimabile pretium harum trium Theologicarum Virtutum; jam autem DEUS non vult, ut illas in anima teneamus otioſas; hac de cauſa hìc nobis mandat exercere illarum actus, credendo, ſperando, & amando. Multùm hac in materia eſt diſcurrendum: rem aggrediamur per partes: & incipio à Charitate, quæ, ut cor, eſt principium vitæ meritorum; *Ex toto corde tuo*, eſt ut centrum, & finis, in quo terminantur omnia Præcepta: *Finis Præcepti eſt Charitas*, ſcribit Sanctus Paulus ad Timoth. 1. c. 1. v. 5.

II. Nunc, ut verum dicam, dilectiſſimi mei! tam perverſum, & perditum eſt noſtrum ſæculum, tam diſſoluti noſtri mores, ut multi, multi, & etiam non ſcio, an dicere debeam, quaſi omnes, dum audiunt dici hoc: *amare DEUM*, cogitant hac de re non ad ſe eſſe ſermonem: cogitant hoc ad ſe nihil pertinere: iſtud de amore Divino, dicunt, eſſe intelligendum de Sanctis: de illis, qui in Monaſteriis incluſi de nulla alia re tractant, qui per continuam orationem cum DEO loquuntur, qui ex templis non exeunt: Quid autem intelliget de amore DEI homo occupatus ratiociniis, dependentiis, & negotiis? Una mulier, vel tota immerſa in cura familiæ, vel tota occupata in ſuis vanitatibus, & ornamentis? Quid poteſt intelligere de amore DEI pauper ſclavus tota die ſervitiis occupatus? Pariter dubito, an aliquid ſciat una paupercula: quid

quid de hac re ſciet, quæ nihil capit? Eh, hoc fuit illic pro Sanctis, & hic non ſumus ſancti; & finaliter videntur ſibi perſuadere hoc: *amare DEUM*, non eſſe obligationis, ſed ſolius arbitrii. Error intolerabilis, Auditores mei Catholici! error graviſſimus, error maximus, qui radicitus dejicit totam arborem, & qui ex fundamentis ruinat totum ædificium. Hoc Præceptum DEI æqualiter nos obligat omnes, quamprimum, accepto uſu rationis, habemus ſufficientem DEI, & Legis ſuæ Sanctæ cognitionem, omnes nos æqualiter obligat, comprehendit nos omnes; magni vel parvi, viri vel mulieres, divites vel pauperes, Religioſi vel ſæculares, omnes cum obligatione peccati mortalis ſumus obligati amare DEUM, & amare illum ſuper omnia. Explicabo itaque hodie, Primò: quomodo nos obliget iſtud præceptum? Secundò quando? quomodo autem illud debeamus adimplere, in ſequenti doctrina.

III. Suppono præprimis cum Sancto Thoma, & cum Theologis, in omni præcepto affirmativo includi alterum præceptum negativum, & in omni præcepto negativo includi alterum præceptum affirmativum. Explicabo me: Iſtud eſt præceptum affirmativum: Honora tuum Patrem, & Matrem; eſt præceptum affirmativum, quia nobis mandat illud, quòd à nobis eſt faciendum; jam hìc includitur alterum præceptum negativum, id eſt: non dishonorabis tuum Patrem, & Matrem, præceptum negativum, quia nobis prohibet illud, quod à nobis non eſt faciendum: & pari modo diſcurrite de aliis, ſed hic eſt nunc iſta diſtinctio, quòd Præcepta negativa ſemper, & ubique nos obligent, in omni momento, in omni occaſione, & omni tempore: Exempli gratia: filius ſemper, ſemper eſt obligatus ad non dishonorandum ſuum Patrem. Præceptum autem affirmativum obligat ſemper, ſed non pro ſemper, volo dicere: Obligat filium ad honorandum ſuum Patrem ſemper, ubi ſe offert occaſio, vel circumſtantia neceſſitatis; ſed ideò non eſt obligatus illum honorare omnibus horis, & omnibus momentis. Clariùs hoc dicam: *Non mentieris*: hoc præcepto quilibet eſt obligatus nunquam, in ulla occaſione, mentiri; ſed affirmativum: *Dices veritatem*, ſolùm obligat ad illam dicendam, non ſemper, ſed quando ſe offert occaſio illam dicendi: quando eſt neceſſitas, vel propria, vel proximi: quapropter vagari ſemi-

nando veritatem abſque cauſa, nec ſciendo, cur, ſolet eſſe genius, & uſus ſimpliciſſimorum; in reliquo dantur occaſiones, in quibus meliùs erit tacere.

IV Hoc itaque Præceptum *amabis DEUM*, eſt Præceptum affirmativum, quale nos non obligat, ut omnibus momentis noſtræ vitæ continuò exerceamus actus amoris DEI, non, ſed ſuis temporibus: includit idcirco Præceptum negativum non abominari DEUM; & hoc omnino, illum, nullo inſtanti noſtræ vitæ nos obligat abominari. Sed quis, ſi non damnatus, quis, ſi non dæmonium, deberet abominari, & abhorrere illam bonitatem ſummam, illam pulchritudinem infinitam, illam perfectionem immenſam? Oh DEUS meus! ſi non haberet infernus alium infernum, præter id, quod abominentur tuam ſummam bonitatem illi maledicti ſpiritus, quis major infernus? Omnia inferni unita tormenta, dicebat meus Pater Sanctus Ignatius, non ſentirem tantundem, quantum audire, blaſphemari nomen DEI.

V. Jam itaque, Pater, ſi ego per miſericordiam DEI nunquam DEUM abominatus, vel odio perſecutus fui, complevine jam per hoc illud primùm Præceptum? Dico, quòd nullô modô: non ſufficit ſolùm non abominari; ſiquidem quot, & quantæ res dantur, quas non abominaris, & nihilominus eas non amas? Eſt itaque omninò neceſſarium, & es obligatus ex oppoſito elicere actus poſitivos amoris DEI. Nunc ego ulteriùs quæro; Si ego obſervo alia novem Præcepta, quia non juro, non omitto ſanctificare Feſta, &c. implebóne jam per hoc amorem DEI, qui mihi commendatur in iſto primo Præcepto? Repeto reſponſionem, te non compleviſſe; quia præter adimpletionem, & obſervationem aliorum novem Præceptorum, es obligatus obſervare ſpecialiter, & particulariter hoc primum Præceptum, quod eſt ſpeciale Præceptum: & te obligat ad eliciendos actus ſpeciales, & particulares amoris DEI ſuis temporibus. In hoc non eſt, nec poteſt eſſe dubium; quia ultra id, quòd ſit communis ſenſus Theologorum cum Sancto Thoma 2. 2. q. 43. art. 2. eſt jam definitum ab Eccleſia per propoſitionem primam ab Alexandro VII. damnatam; & ſic, quando Divinæ Scripturæ dicunt, illum, qui obſervat Præcepta, amare DEUM, intelligitur, quod nec ſoli actus amo-

ris

ris DEI, quos nobis præſcribit primum Præceptum, ſufficiant abſque operibus, quæ nobis præcipiuntur in aliis: nec opera, quæ adimplemus in aliis præceptis, ſufficiant abſque ſpecialibus actibus amoris DEI, qui nobis præcipiuntur in primo: omnia hæc debent uniri, amor ſpecialis in primo, & opera in aliis Præceptis; & hoc eſt obſervare Præcepta.

VI. Nunc ſi ergo ratione hujus primi Præcepti ſumus obligati ad eliciendos ſpeciales actus amoris DEI ſuis temporibus; quando ſunt iſta tempora? quando debebit Chriſtianus ſub obligatione peccati mortalis elicere iſtum actum amoris DEI? difficultas eſt hæc, in qua anguſtiantur ſacri Doctores. Non eſt meæ intentionis ſuſcitare ſcrupulos, nec turbare conſcientias; dicam illud, quod ex toto certum eſt, & jam ab Eccleſia definitum. Habemus igitur obligationem eliciendi actum amoris DEI ſemper, dum videmus nos eſſe in neceſſitate, vel periculo gravi, perdendi animam, & ubi non adeſt alius modus illam liberandi, præter actum amoris DEI. Do rem in exemplo: ille, qui exiſtens in peccato mortali, eſt correptus ab anguſtiis mortis, non habens copiam Confeſſarii, tenetur elicere actum contritionis; iſte enim eſt actus amoris DEI perfectiſſimus. Ità pariter ſacerdos, qui, exiſtens in peccato mortali, non habet copiam Confeſſarii, & ex omiſſione celebrationis Miſſæ ſequeretur ſcandalum grave, debet tunc elicere actum contritionis, ut poſſit dicere Miſſam. Ità etiam, quando nos experimur pulſari aliqua graviſſima tentatione, & ſpecialiter, odii DEI, ſumus obligati elicere actum amoris DEI. Et ſufficiétne ſolùm facere illum in occaſionibus neceſſitatis? dico, non ſufficere pro adimpletione hujus primi Præcepti: ſed ultra has occaſiones neceſſitatis, & anguſtiarum, ſumus obligati ſub peccato mortali facere aliis vicibus actus amoris DEI. Sufficiétne illum elicere ſemel in vita? non ſufficiet: ſufficiétne omni quinquennio? nec hoc ſufficit: & ſi per ſpatium quinque annorum omittatur, éſtne peccatum mortale? ità determinavit noſter Sanctiſſimus Pater Innocentius XI. in propoſitionibus, quinta, ſexta, & ſeptima damnatis, quæ contrarium aſſerebant. Tenemus itaque jam aliquantulum plus imminutum tempus, ad adimplendum iſtud præceptum; verùm in hoc ſpatio, quando, quibus diebus determina-

minatè obligamur elicere actum amoris DEI? ad hoc, quod quæritis, pro certo vobis reſpondere non poſſum, quando: hoc bene ſcio, quòd in hac materia dentur variæ opiniones, ſed ſunt ſolummodo opiniones. DEUS nobis poſuit Præceptum; ſed non determinavit tempus. Eccleſia Mater noſtra quamvis determinavit, non debere eſſe tam longum, ut ſunt quinque anni, ſed intra iſtos quinque annos attamen non determinavit, in quo fixo tempore debeat elici actus amoris DEI: itáque nec ego, nec ullus alius poteſt cum certitudine illud determinare. Placet mihi hac in re multùm opinio certi Doctoris multùm gravis, Doctor Verde in Acepha. 1. 3. §. 36. Illud eſt indubitabile, quòd certum habeamus Præceptum, & mandatum DEI, quod nobis præſcribit elicere ſpeciales actus amoris DEI: habemus pariter ab Eccleſia, quòd dilatio ejus per quinque annos ſit peccatum mortale: nunc itaque dico, in hoc ſpatio, rarò, & rarò elicere tales actus, eſt periculoſum: ſæpiùs illos elicere, ex omni parte ſecurum. Idcirco qui volet hac in materia ſibi demere ſcrupulos, determinet ſibi dies, in quibus vult elicere hos actus amoris DEI: faciat omnibus vicibus, quibus poterit, actum contritionis, & ſic poterit vivere quietè? Et quid eſt dilectiſſimi, cur debeamus difficultatem habere amandi DEUM, centrum pulcherrimum noſtrorum cordium, quietem completam noſtrarum animarum? DEUM, qui nos amavit etiam tunc, quando non eramus? DEUM, qui amore noſtri, poſtquam nobis dediſſet eſſe, vitam, & totum mundum, etiam ſe nobis dedit totum? DEUM, cui cùm debeamus omnem, totúmque noſtrum amorem, nihilominus illum nobis ſolvit de novo, amore ſuo infinito? Sancta Eliſabetha Regina Hungariæ deſiderando multùm amare DEUM, illum rogavit, ut pariter ab ea tolleret amorem naturalem, quem portabat erga ſuas proles. Conceſſit hoc illi Dominus, & crevit illa ex hoc vel plurimùm in perfectione amoris DEI: ſed uno dierum dixit ſuo Confeſſario: Pater, mihi videtur DEUS me tantum non amare, quantum ego illum amo. Quieſce, Domina, repoſuit Confeſſarius: ego te poſſum aſſecurare, quod DEUS te plùs amet, quàm ament ſuam Divinam Majeſtatem omnes Juſti, & Beati. Videbatur grandis exaggeratio Sanctæ Reginæ, & dixit Confeſſario:

cre-

credam hoc, quando illa arbor, quæ ibi ſtat, evelletur, & tranſibit ad alteram partem hujus fluminis: vix hoc protulit, ecce vidit evelli arborem, & volando per aerem reponi in altera parte fluminis; tam parùm difficultatur DEUS monſtrare etiam per miracula amorem infinitum, quo nos ſolvit: quomodo igitur nos difficultabimus in amando illo?

Jam autem qualis debet eſſe iſte actus amoris, & quomodo formandus eſt? Non eſt res tam difficilis, prout nobis videtur; ſiquidem non conſiſtit in alio, quàm ut formemus in noſtro corde æſtimationem DEI, ob ſuam bonitatem ſummam, ob ſuas perfectiones immenſas, tam grandem, ut, nè illum offendamus, nos reſolvamus non velle committere peccatum mortale, etiamſi totum, quidquid mundus continet, adipiſci poſſemus. O DEUS meus! utinam poſſem exturbare, & auferre omnia peccata mundi, ſolummodo ideò, nè Tu offendereris! etiamſi non haberes cœlum, ego tamen te amarem; & tibi ſervirem, quamvis non foret infernus; ità ut actus amoris DEI, ad quos ſumus obligati, debeant eſſe ex puro amore, ex amore, qui non ſit intereſſatus, ex amore amicitiæ, ut amemus DEUM propter DEUM, non propter gloriam, quam nobis paratus eſt dare, nec ob timorem inferni, quamvis iſte poſſit quandóque licitè movere noſtram voluntatem; verùm in virtute hujus primi Præcepti ſumus obligati elicere actus amoris puri, & in hoc conſiſtet noſtrum maximum meritum. VII.

Refertur in vitis Patrum apud March. Hort. Paſtor. L. 3. t. 1. L. 2. prop. 2. certum juvenem, qui deceptiones mundi ſatis expertus fuerat, ſe recepiſſe, ad vitam ſanctè peragendam, & finiendam, in Eremum, ſub diſciplina, & inſtructione alicujus Venerabilis Senis, ſecundùm cujus directionem proficiebat omni die in novis fervoribus, ita, ut fuerit cœlo novum feſtivum tripudium ejus virtus; Seniculo verò maxima exultatio videre filii ſui ſpiritualis profectum: continuus erat in jejuniis, auſterus in pœnitentiis, fervidus in oratione, & ſolicitus in omnibus in tantum, ut cùm non poſſet hæc ſufferre infernalis rabies communis generis humani inimici, adinvenit unô ictu convertere tam unius omnem voluptatem in amaritudinem, quàm in altero commutare in miſerabilem damnationem totum ejus profectum ſpiritualem. Appa- VIII.

ruit itaque dæmonium mendaciſſimis circumdatum ſplendoribus illi Senecioni: qui, deceptus, pro Angelo lucis illud habebat; dixit illi, poſt dulcia verba: ego venio ad revelandum tibi DEI ſecretum, nè ultrà affligas pauperculum iſtum juvenem, qui tuum ſocium agit, nec ille ſe martyrizet; ſcias, omnia iſta quæcunque facit, eſſe in vanum; ſiquidem abſque remedio eſt æternum damnandus. Remanſit ad tale nuncium Senex mœſtus pariter, ac illuſus: non audebat nunciare tam malum nuncium diſcipulo: ſed locò loquelæ effluebant ex oculis lachrymæ: & tunc vel maximè, quando illum videbat in exercitiis ferventiorem, magis pœnitentem, & magis auſterum. Advertit hoc juvenis, & quærebat ſingulis diebus cauſam hujus ſolicitudinis: tot, & tantis vicibus hoc fecerat, & jam ſenem ità ſolicitaverat, ut ſenex ſe reſolverit ei cauſam declarare. Jam itaque ſcias, fili mi, dixit ei, totum, totum quantum facis, eſt in vanum; mihi etenim de cœlo revelatum eſt, te abſque remedio eſſe damnandum. O Pater! reſpondit animoſus jam magiſter virtutis, non habes, unde te hoc affligas; faciat DEUS in me ſuam ſanctiſſimam voluntatem; nam ego illi non ſervio, ut mihi det cœlum, non; ſed ſolùm videndo ego ejus ſummam bonitatem, per quam mihi tot beneficia exhibuit, non poteſt meum cor illum non amare. Nunc itaque, ſi mihi dederit cœlum, ſit benedictus: ſi me projecerit in infernum, erit juſtiſſima ejus voluntas: ego tamen non ceſſabo illum amare. O actum prodigioſum, & tantum! ut paulò poſt apparens bonus Angelus Senecioni patefecerit totam deceptionem dæmonii, & dixerit: quòd ſolo illo actu amoris DEI juvenis ille plùs meritus fuerit illo die, quàm omnibus aliis operibus, quæcunque totâ ſua fecerat vitâ.

IX. O DEUS meus! amoroſe Domine, & Pater noſtrarum animarum! quale majus intereſſe, quàm amare tuam pulchritudinem? quale majus lucrum, quàm ſubmergi animas noſtras in abyſſo immenſa tuarum perfectionum? Te propter te ſolùm ego amo, Te amo propter tuam infinitam pulchritudinem, & non deſidero vitam vivere, niſi ut tibi ſerviam: neque volo gloriam, niſi ad te amandum æternò, & ſecurò amore.

INSTRU-

INSTRUCTIO IV.

Quomodo debeat esse Amor DEI super omnia?

I. IN benè divinato negotio, consistit felix acquisitio lucri: qui in negotiatione non videt illud, quod comparat, paulò post deplorat illud, quod perdit. Hac de causa totum se impendit mercator in negotiandis mercibus, quæ sint magni valoris, ut lucrum exinde sequatur. Si tantæ curæ est benè expendere pecuniam, ne deperdatur, quæ cura adhibenda erit, ut impendatur benè amor, nè prodigatur? amor! gemma pretiosissima, quam cor habere possit: supellex inæstimabilis, quæ exornas nostram naturam: amor! qui est totum capitale, de quo solùm dicere possumus, esse nostrum proprium, ad quid, & quomodo expenditur? quomodo cum amore nostro negotiamur? Oh DEUS! Aliqui expendunt totum suum amorem in voluptatibus, quid potest dari viliùs? Alii negotiantur cum suo amore in vanitatibus, quæ major deceptio? Isti expendunt suum amorem in officiis, & honoribus, quis ventus levior? Et isti, & illi, & alii impendunt suum amorem in creaturis, quæ negotiatio mendacior? O amor malè impense! & ideò ô maledicte amor, & malè seducte! quia, non habendo valorem tota tua negotiatio, perditur lucrum. Qui te sic expendit, & tecum negotiatur, deflet sæpiùs æternum contractum damnum. Nunc itaque *contrarium faciendum* est, si benè volumus divinare; non est negotiandum cum nostro amore in bonis mundanis: imò ipsa bona mundi debent illa esse, quæ omnia sunt vilipendenda, & perdenda ex amore. Si omnem suam domum, omne suum capitale, omnes suas divitias, dicit Spiritus S. Cant. 8. v. 7. dederit homo pro comparando amore, *si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione*, quid illi succedet cum tali emptione? Quid, quod possidendo amorem, videbit totum, quidquid pro amore expendit, nihil fuisse: quòd omnes divitiæ, & omnes res mundi nihil sint in comparatione illius, quod lucratur cum amore; *Quasi nihil despiciet eam.* Jam si amor male applicatus est ille, qui nos perdit, si nempe applicemus illum ad res mundanas; tunc ex opposito, si applicemus nos, omnia nostra tum in amore, lucrum habemus sperandum: ità est; sed quomodo poterimus ex-

pendere, & applicare omnia noſtra? Amando DEUM ſuper omnia.

II. Obligat nos itaque primùm Præceptum ad eliciendos actus amoris DEI, & ut hi actus amoris non ſint amoris intereſſati, & pro noſtro ſolo commodo, ſed amoris amicitiæ ſolius DEI; hoc jam audivimus, & tractavimus: nunc nobis reſtat videndum hoc, quomodo tales actus amoris DEI eliciendi ſint in his verbis: *Super omnia;* & quid eſt: *Amare DEUM ſuper omnia*, interrogat Catechiſmus? Erit fortè relinquere propter DEUM omnia? Derelinquere mundum, ire in eremum, & vivere nudum inter incommoda? Non: nam in medio maximarum divitiarum poteſt quis eſſe, qui DEUM amet ſuper omnia. Ecce tibi Jobum, Abrahamum, Davidem. Erit propter DEUM deſerere gradus honoris, dignitates, æſtimationes? Non: nam inter hæc poteſt eſſe, qui ſupra omnia iſta amet DEUM: tales fuerunt Ferdinandi, Henrici, & Gregorii. Erit relinquere ornamenta, veſtes ſumptuoſas, pompas? Non: inter hæc poteſt amari DEUS vel plurimùm ex toto corde: ſunt, à quibus hoc factum eſt, Eſther, Juditha. --- Jam ergo, ſi habendo divitias, honores, gradus dignitatis, veſtes ſumptuoſas, nihilominus poſſit DEUS amari abſque eo, ut hæc relinquantur, quid tandem eſt amare DEUM ſuper omnia? *Velle potiùs hæc omnia perdere, quàm DEUM offendere.* O lex ſuprema! O lex ſuaviſſima! DEUS nobis dat omnia, nihil nobis vult auferre, & ſolùm à nobis petit, ut in concurſu vel perdendi omnia, vel illum offendendi, ſimus reſoluti, priùs perdere omnia, quàm illum perdere; hoc eſt amare DEUM ſuper omnia.

III. Nihilominus, licèt hoc tam clarum ſit, vel non videntur hoc audire, vel non videntur hoc velle intelligere duo genera animarum; unum maximè timidarum, alterum negotioſarum: hæ conqueruntur, ſe non habere amorem DEI, illæ lamentantur, ſe illum non poſſe conſequi: audiamus turbationes primarum, ſicut & negotia ſecundarum. Pater! dicit anima ſcrupuloſa, non ſcio, quid incipere debeam, ſiquidem mihi videor non amare DEUM; quia nec ſentio devotionem in hoc, quod oro, nec adverto fervorem, imò grandem tepiditatem: non habeo illos ardores, illam teneritudinem cordis, illas lachry-

lachrymas, quibus aliàs amabam, & quærebam DEUM meum; & in ſumma, manet meum cor ità frigidum, ità congelatum, ità tepidus meus ſpiritus, ut nec quidem audeat facere cum fervore unicum ſolum actum amoris DEI; & ſic ego cogito me illum non amare. Auſcultemus nunc alteras animas negotioſas. Pater! dicunt, qui habet totum ſuum cor diviſum, & cum ſuo corde diviſo amorem diviſum, quomodo poteſt amare DEUM ex toto corde ſuo? Vir, mulier, marita cum prolibus, & familia. Oh DEUS! amare multùm maritum, & juſtiſſimum eſt, & decens; amare vitam eſt naturale; amare, & proſpicere honori, & hoc expedit. Ecce tibi hìc, cor in partes diviſum, quomodo poterit ſe tradere totum, totum amori Divino? Adhuc plùs: cura ſuſtentationis, obligationum, non poteſt vitari, & ex hinc ſequitur amor rerum domeſticarum, deſiderium convenientiæ ſtatus, appetitus commoditatis. Itaque ſi amantur iſta omnia, quomodo ego potero amare DEUM ſuper omnia? Ecce nunc tibi hìc turbationes harum tam vanas, prout negotia aliarum; cùm nec iſta auferant, nec illæ turbent verum amorem DEI, ad quem ſumus obligati ratione hujus Præcepti.

Dantur itaque, dicunt Theologi, duo genera amorum (auſcultate, & benè attendite) unus amor *appretiativus*, alter *intenſus*, vel dicendo hoc clariùs: Amor *tener*; iſto amamus *ſenſibiliori* vehementia, majori fervore, majori teneritudine. Verùm amore appretiativo, dum non ſentimus illas teneritudines affectûs, amamus majori ſtabilitate, majori æſtimatione, & majori appretiatione. Videbitis aliquam mulierem, quaſi mortuam præ amore unius caniculi, quem in ſinu fovet; quas blanditias illi non facit, quos amores! Illum lavat, purgat, gerit ejus curam, & in tantum, ut, quia ipſius filiolus illum neglexit aliquoties, & quandoque ei ictum impegit, iraſcatur tali modo, ut, caſtigando illa ſufficienter filiolum, efficiat, ut filius comitetur ſuo fletu lamentatiunculas animalis. Eſtne hic amor competens? Nunquid videtur hæc mulier plùs canem, quàm filium amare? Sic eſſe videtur, poſteaquam tantùm reſentit, quòd canis latret, & nihil curat, quòd filius fleat. Jam expectate: ſuccedit filiolum gravi accidente oppreſſum dejici in lectulum: quæ anxietas immediatè matris! IV.

quæ ſolicitudo, quæ cura! de nulla alia re jam cogitat, quàm de ſuo filio: advertit illum appropinquare morti, & nullum ſupereſſe remedium; quis dolor! Jam fingite vobis, quòd hoc in caſu dicat Medicus: Domina! hìc nullum aliud ſupereſt remedium, præterquam, ut occidatur hic caniculus, & aperiendo illum, applicetur huic parvulo, & abſque omni dubio ſuam recuperabit ſanitatem. Nihil aliud præter hoc reſtat fieri? Ex nunc, & hoc momento, hoc inſtanti occidatur caniculus, modo reconvaleſcat filiolus. Quid, occidatur canis? erátne hic totus ille amor? Ità, ità eſt, hic totus ille amor non erat alius, quàm tener amor, amor delicioſus; filius autem amatur multò plùs amore appretiativo, & ità quamvis videbatur amare magis canem, attamen abſque dubio major erat amor filioli; in cane collocabat ſua blandimenta, verùm quoad filium habebat æſtimationem, & appretiationem.

V. Nunc ergo jam hoc intelligimus; hic amor appretiativus eſt ille, quem DEUS à nobis expoſcit. Anima ſcrupuloſa, ſcias: non conſiſtit amor DEI in his teneritudinibus, in his fervoribus, in his diligentiis, & curis, in iſtis lachrymis, non: dic mihi, es reſoluta, & firma, ſtabilis, & immobilis in propoſito non offendendi DEUM, etiamſi causa illius perdas vitam, honorem, ſubſtantiam, & omnia denique, quæ mundus poſſidet? Ità. Igitur amas DEUM. Felicem te! habes amorem verum, quamvis non intenereſcas, quamvis cogites te habere cor durum, & lapideum. Hoc ipſum dico, Auditores, de actu contritionis, qui eſt actus amoris DEI perfectiſſimus; multi ſe affligunt, & illis apparet, ac ſi non haberent contritionem: quia non flent, quia non ſentiunt teneritudinem cordis, quia non excitant gemitum, aut non effundunt ſuſpiria, quæ fortè fictè alii faciunt; non conſiſtit in hoc: es reſolutus potiùs mori, quàm peccare; perdere honorem, ſupellectilem, &, quidquid mundus habet, potiùs amittere, quàm comittere offenſam DEI? Ità Pater: perdatur totum, pereant omnia, modò ego non perdam DEUM: habes itaque contritionem, habes amorem DEI, poſſides gratiam, & habes infinitam felicitatem, quantumvis non ſpargeris, ne quidem unicam lachrymulam.

Et

Et tu anima negotiis obruta, quæ multùm amas tuum maritum, & tuas proles; ama illos, quantum vis, ama illos de die, & de nocte. Dic igitur mihi, si casus occurreret, in quo deberes committere offensam DEI, vel tuum perdere maritum, & tuas proles, tuam subsistantiam, & vitam, *quid faceres? Omnia pereant, omnia* perdantur, & non amittatur DEUS. O resolutionem Christianam! Itaque amas DEUM, in hoc nullum est dubium; neque *illa*, quæ tu putas impedimenta, sunt impedimenta. Attende tuis rebus domesticis, habe curam tui honoris, invigila tuæ domui, quanto amore volueris, si manes resoluta, non committendi unicum etiam peccatum mortale, quamvis hæc omnia perdenda forent, amas certe super omnia DEUM, qui tam suavis est in suo amore, ut illa tibi nolit auferre, sed solùmmodo vult, ut ratione horum illum non offendas. O DEUS! quid esset videre illum insignem Martyrem, illum Heroem incomparabilem, Thomam Morum? missum in mœstum carcerem in Anglia, onustum catenis, spoliatum omnibus suis magnificis Palatiis, suis intradis, suâ substantiâ, gradibus dignitatis, suis honoribus; illum, qui ante paucos dies erat primus Minister illius Regni, amantissimus amicus Henrici VIII. suus Cancellarius, & suus intimus Minister. Jam cur simul omnia perdidit? scitisne quare? nolendo admittere peccatum mortale, non dando suum consensum *turpi, & infami matrimonio*, quod ille maledictus Rex attentabat. Venit in carcerem sua uxor circumdata suis teneris filiolis: ecce marite! éstne possibile te velle videre istas compassiones? vides hæc pignora tui cordis jam exulantia, & ex integro perdita? vides me relegatam, nudam, pauperem, & totum hoc ideò fit, quia tu vis. Quid te constat consentire Regi, in quo tua, mea, & nostrorum filiorum stat felicitas? & quamdiu duraret ista felicitas? interrogat illam Morus; durabit, respondet illa, triginta, vel quadraginta annis: & pro triginta annis vis, ut perdamus DEUM, & cum DEO æternitatem? *Stulta mercatrix es mea Aloysia*, dixit Morus, & amplexando illam, & suos teneros filiolos in diluvio singultuum, & lachrymarum, constans suum caput subjecit securi. O Heroem admirabilem! hoc, hoc est seriò DEUM amare. VI.

Sed,

VII. Sed, ah infortunium! dantur multi, qui vellent ſuum cor tenere, ſicut menſam rotundam, in qua nullus eſt principalis locus; trahit illos affectus ad amandum DEUM, ſed pariter eos trahit appetitus ad amanda vitia: hæc relinquere, apparet illis impoſſibile; DEUM perdere, cognoſcunt eſſe ſuam infelicitatem: & ſic in ſuo corde vellent conjungere DEUM, & proprium Idolum, Chriſtum, & dæmonium. O infelices! Lux, & tenebræ non poſſunt ſimul ſtare unitæ; vel debet eſſe DEI totum illud cor, vel erit totum dæmonis. De Sancta Ida Lovanienſi refertur in ejus vita apud Euſeb. Nieremb. quod plena amore DEI videbatur, ac ſi animam ejus corpus non caperet; & hac de cauſa extendebatur ejus corpus, ſeſe dilatabat, & majus efficiebatur multô plùs præ ſua naturali conſtitutione, & aliquoties ut DEUS ei demonſtraret amorem, quem erga eum habebat, videbatur ei, ac ſi omnia membra ejus corporis converſa in mera corda fuiſſent, & quòd illa DEUS, in omnibus illis exiſtens, repleret. O anima! quomodo tu nunc in tuo corculo vis excipere DEUM cum dæmonio? ſi tu haberes plura corda, quàm ſol atomos, & quodlibet illorum majus eſſet totô mundô, hoc totum parum eſſet ad DEUM amandum. Alii dantur, qui DEUM amant in proſperitate, in abundantiis: quando non dantur afflictiones, invenitur plurimus fervor, multa oratio, frequens Eccleſiæ frequentatio. Veniat autem afflictio, paupertas, tentatio, omnis obliviſcuntur fervoris; & quas non monſtrant impatientias, & quas iras, & quæ non committunt peccata! Ah Domini, & Dominæ! olla, vel vas aliquod pertuſum quamdiu in aqua ſtat, videtis illud plenum, ac ſi eſſet integrum, nihil in eo fracturæ apparet; extrahite autem illud ex aqua, immediatè effluet, uſque dum ex integro évacuetur. Ah vaſa fracta! quid importat, quod in abundantia, in quiete appareatis plena, ſi ſupervenientibus afflictionibus, moleſtiis, inopiâ, paupertate, remaneatis vacua?

VIII. Alii, & aliæ credunt, & perſuadent ſibi, ſe amare DEUM ob certas multas devotiunculas, & frequentes communiones: & ille filiolus, videtis, quòd graviter DEUM offendat. Quid eſt faciendum? eſt meus filiolus, oportet diſſimulare, nè illum perdam. Ille contractus, videtis, quòd fuerit illicitus, & tene-

mini

mini reſtituere injuſtum lucrum; quid faciendum? Eſt mihi neceſſarium ſuſtentare familiam. Hæc, vel illa mala voluntas, & etiam odium, quod contra talem, vel talem habetis, videtis, quòd ſit culpa ut plurimùm gravis: verùm ego debeo attendere meo honori. O miſer, & infortunate! relinquis DEUM propter tuum filiolum? Perdes itaque tuum filium, & perdes DEUM. Relinquis DEUM ob res domeſticas? Itaque hæc omnia perdes, & perdes DEUM. Relinquis DEUM causâ tui honoris? perdes itaque DEUM, & perdes honorem. Et oh quomodo è contrario! Spernit Joſephus ſuum honorem, ne DEUM offendat cum adultera, & DEUS illum remuneratur duplicando illi honorem: Relinquit Abraham filium, ut obediat DEI præcepto, & DEUS illi benedicit meliorando illius filium, & totam poſteritatem: relinquit David regnum, nolendo exequi in Saule vindictam, & DEUS illi retribuit ponendo in capite ejus coronam: relinquit Suſanna planè vitam, nè caderet in obſcænam turpitudinem, & DEUS illi reddit aſſecurando illam de vita, & faciendo æternam ejus gloriam. Quid ultrà vultis? de talibus exemplis poſſem quàm plurima vobis ex Scriptura tota afferre; jam itaque non erit perdere omnia, ſed illa ſecura facere in DEO, ſi ea perdamus ex hoc fine, nè illum offendamus. Et nè iſte caſus adveniat, ut ob hæc DEUM offendamus, faciamus continuò hanc reſolutionem firmam; priùs mori, quàm peccare; priùs perdere omnia, quàm DEUM offendere. Hoc itaque eſt *amare DEUM ſuper omnia*, velle potiùs omnia perdere, quàm illum offendere. Oh quæ comparatio! Oh quæ confrontatio! perdere nihilum ad habendum omnia: perdere hoc ipſum, quod omnibus inſtantibus à nobis avolat, & nos relinquit, ad acquirendum illud, quod per æternitatem nos replebit gaudiis; perdere tandem vilitatem creaturarum ob pulchritudinem infinitam, ob perfectionem immenſam DEI!

IX. Refert Frater Thomas Cantipratanus in Flor. exempl. tit. Charitas DEI. c. 3. exem. 3. Fuiſſe in Brabantia certam Virginem, multùm virtuoſam, pulchram, & nobilem. DEUS permiſit dæmoni, ut illam tentaret vehementi ſtimulo carnis cum continua repræſentatione in phantaſia imaginis certi juvenis, quem incautè curioſiùs aſpexerat; O latrones animæ! O mediatores mortis! O

O portæ perditionis! Poſt aſpectum oculorum ſubintraverunt cogitationes, & poſt cogitationes venerunt tentationes. Quæ lucta, quæ pugna! accurebat afflicta, dare notitiam de omnibus, ad ſuum Confeſſarium, cujus prudentibus conſiliis confortata, & roborata aliquanto tempore reſtitit: ſed duplicando inimicus infernalis ſuum aſſultum, nec unico momento ei requiem conceſſit. Ah ex unico aſpectu tantum incendium! quid ſperat, qui jam ex ſuo appetitu curioſiùs hinc inde oculos paſcit? Creverat tam crudè una nocte pugna, ut jam victa, determinaverit ſubitò in aurora quærere occaſionem ſuæ æternæ ruinæ. Surrexit igitur ante diluculum, & jam aggreſſa iter portam versùs ſuæ domus, animô exeundi. Quò vadis? Prævenit eam certa vox, & ad attentionem in ea excitandam, oculis ſe ejus objicit, Quis? venuſtiſſimus filiorum hominum, Chriſtus Redemptor noſter, qui, monſtrando illi ſuas recentes plagas, ex quibus ſanguis profluebat; illi dixit: Eſtne fortè ille juvenis pulchrior, quàm ego? Eſtne delectabilior in ſuis actionibus, & factis, quàm ego in illis, quæ cauſa tui feci? Quid itaque vadis quærere? Ama me plus, quàm illum, ſiquidem ego præ illo liberalior ſum, nobilior, dulcior, & pulchrior. Dixit, & evanuit ex ejus oculis, ſicut & ex ejus corde omnis tentatio carnis uſque ad emiſſionem ultimam ſpiritûs ejus vitæ.

X. Oh amabiliſſime JESU! utinam conſideratio tuæ pulchritudinis imponat frænum noſtris appetitibus, quando cæci nos præcipitant in perditionem. O perditio imponderabilis, in qua perdimus Mundum, perdimus conſcientiam, perdimus animam, perdimus cœlum; & lucrando ſolum DEUM, lucramur omnia, & lucramur æternam gloriam.

INSTRUCTIO V.

Quomodo, & quando nos obligat Præceptum Spei?

I. QUi amat bonum abſens, retinet, & paſcit ſuum amorem deſideriis, ut loquitur Sanctus Thomas 2. 2. q. 17. a. 8. in O. & animat ſua deſideria Spe. Viventes nos itaque privamur viſione DEI, unico amore noſtrorum cordium, unicô Bonô noſtra-

ſtrarum animarum, pro quo in hac vita ſolùm nobis remanent pro conſolatione deſideria perveniendi ad ejus viſionem, iſta deſideria confortantur, & vires accipiunt à Spe, DEO cum tempore fruendi: ſequitur itaque, poſt amorem DEI, Spes illum videndi in gloria; & ideò nobis præcipit, ut conjungamus omnibus affectibus cordis: *ex toto corde tuo*, omnia deſideria animæ: *Et ex tota anima tua.* Ecce autem occurrit hic mihi dubium, & quidem non parvæ difficultatis. Pater, dicit mihi aliquis ex meis dilectiſſimis Auditoribus; in hoc hæremus jam, quòd amor DEI, ad quem nos obligat primum Præceptum, ſit amor puriſſimus, obligat nos ad amorem minimè intereſſatum, ad amorem, ut ſolum DEUM amemus propter DEUM, abſque omni reſpectu ad noſtrum proprium commodum, vel lucrum, ſed ſolùmodo amandus eſt DEUS ratione ſuæ infinitæ bonitatis; & quòd ità res ſe habeat, nullum eſt dubium. Quomodo itaque nunc poteſt habere hic locum Spes? ſiquidem cum per Spem ſperemus, DEUM nobis gloriam daturum, (& hoc fortè nihil eſt?) daturum nobis omnia bona etiam temporalia, & caduca, quæ nos conducant ad gloriam conſequendam: & ut omnia paucis dicam: ſi per Spem à DEO ſperamus hunc mundum, ſperamus & alterum, quale poteſt dari majus intereſſe? Majus non poteſt eſſe. Jam itaque quomodo poſſunt ſimul ſtare duo amores uniti, qui inter ſe videntur eſſe ità contrarii? Unus, abſque minimo intereſſe, ſolummodo propter DEUM; iſta eſt charitas; Alter amor cum non minori intereſſe, quàm ſit totus hic mundus, & alter: & hæc eſt Spes. Nunc quomodo poteſt fieri, amare cum intereſſe, & amare ſinè intereſſe, quando unum & alterum nobis DEUS præcipit? Vidiſtis, & quam bene argumentatur? ſinite igitur me reſpondere, & hoc explicare in exemplo.

II. Certa paupercula mater (accidit interdum, quemadmodum evenerat matri Moyſis) dedit in lucem inter tantas miſerias ſuum filiolum, ut, vincente dura ſorte neceſſitatis teneritudinem amoris, ſe viderit obligatam ad exponendum pignus ſui cordis ad fores alienas; jam illud à ſe divulſit, nihilominus tamen amor non ſivit illam quieſcere, plenam cura, & ſolicitudine pro filiolo. Et quid agit? quærit modum, quomodo ſe poſſit accommo-

dare pro nutrice in illa ipſa domo, in qua expoſuit ſuum filiolum, ut ſic ad minimum ſaltem illum lactare poſſit ſuis uberibus; nam ad hoc uſque illam trahit ſuus amor: aſſequitur intentum, & ei ſtatuunt ſuum ſalarium. Jam quæro eſtne iſte amor abſque intereſſe, vel eſt amor intereſſatus? Ex utroque participat: eſt amor intereſſatus, cùm illam ſolvant, quòd lactet infantulum; ſed eſt amor abſque intereſſe pariter; quia illa, etiamſi ei nihil tribueretur, lætiſſima illum nutriret; quia filius proprius eſt: percipit mercedem, hoc eſt verum, ſed hæc principalis non eſt ejus intentio, ſed ſolummodo lacte nutrire ſuum filiolum, eſt tota inventio amoris.

III. Nunc intelligamus nos: Amare DEUM, ſolumodo propter DEUM iſte non eſt intereſſatus amor, ad quem nos obligat Charitas; ſed non tollit, quin poſtmodum per Spem amando DEUM principaliter, ſperemus ab ejus liberali manu præmium noſtrorum bonorum operum, recompenſationem noſtrorum meritorum, & felicem, & immenſam mercedem ſuæ gloriæ; ut loquitur Suarez. de Spe Diſp. 1. Sect. 3. n. 4. Idcirco principale, quod amamus, eſt DEUS; & hæc eſt ratio, quare amemus omnia reliqua bona: non autem à contrario; id eſt: quod non debeamus amare DEUM propter bona, quæ nobis poteſt dare, hoc non; iſtud enim eſſet amare plus noſtrum intereſſe, quàm DEUM: debemus igitur ſperare iſta bona propter DEUM, qui eſt principale objectum noſtri amoris. Et ecce ex hinc patet, qualiter intereſſe, quod miſcetur in Spe, non opponatur puritati amoris DEI, quem à nobis exigit Charitas.

IV. Jam itaque iſtud primum Præceptum amoris DEI, eſt ſimiliter ſpeciale Præceptum affirmativum, quo obligamur elicere ſpeciales actus Spei; hac in re nullum eſt dubium. Determinavit hoc ità ſummus Pontifex Alexander VII. in prima propoſitione damnata. Sed quando obligat ſub peccato mortali hoc præceptum elicere iſtos actus Spei? Huc redit, & intrat illa ipſa difficultas, de qua jam dixi in actibus amandi DEUM: hoc, quod ſtabiliunt omnes Theologi, eſt, quod in qualicunque neceſſitate gravi, vel periculo perdendi animam, in quo, ut res feliciter nobis cedat, & in commodum noſtræ animæ, opus habemus recurrendi ad Spem, tunc ſimus obligati ad eliciendos actus Spei;

exem-

exempli cauſa: Ille qui ſe advertit graviter tentari ad deſperationem, & hoc majori anguſtiâ in hora mortis, debet tunc occurrere, & elicere ſpeciales actus *Spei* in DEUM. Et hocne ſufficiet? Non ſufficit, ſed etiam extra pericula ſumus in noſtra vita obligati facere ſuis temporibus iſtos actus. *Quando?* Nullus id præcisè determinat; quòd ſi autem hoc differatur, & omittatur per longum tempus, quòd ſit peccatum mortale, nullus hac de re dubitare poteſt. Audite in hoc paſſu lumen Theologiæ, noſtrum eximium Doctorem Franciſcum Suarez Diſp. 2. *Sect.* 1. n. 3. de *Spe*. *Ità tenetur (quilibet) exercere hos actus, ut ratione illorum ſit bene diſpoſitus ad bene operandum, & vitandum peccata, quòd moraliter præſtari rectè non poteſt, niſi ab homine bene ſperante.* Si *Spes* eſt illa, quæ diſponit, & adauget vires ad bona opera, & eſt illa, quæ refrænat culpas, debet quilibet adlaborare ad eliciendos actus *Spei*, tali modo, ut ſerviant pro calcari ad bona opera, & illi pariter pro fræno ſerviant ad culpas vitandas. Et quodſi jam per *Spem* nos in hac vita facimus cives gloriæ, ut Apoſtolus loquitur ad Rom. 5. v. 2. *Et gloriamur in Spe gloriæ filiorum DEI*, quid obeſt, unde poſſit opponi difficultas, ad frequentandos tales actus, qui ſolummodo poſſunt eſſe noſtra conſolatio, & refocillatio in hoc miſerabili exilio? ſuſpirat abſens ad ſuam domum, ſuſpirat pauper pro ſuccurſu, ſuſpirat operarius ad ſuam requiem, ſuſpirat incarceratus pro ſua libertate, ſuſpirat afflictus pro conſolatione: Quomodo itaque nos non ſuſpirabimus continuò ad noſtram patriam, pro noſtra libertate, pro noſtra requie, & ad noſtram gloriam?

V. Aſt hoc Præceptum affirmativum, quod nobis præcipit ſolummodo ſuis temporibus ſperare, includit, prout jam dixi, alterum Præceptum negativum, quod nos ſemper obligat, & omnibus momentis, non elicere actum contrarium *Spei*. Et quales ſunt illi actus? Sunt duplicis generis: in uno peccatur per minus, in altero per plus; per minus peccamus per deſperationem, quæ eſt defectus *Spei*; per plus peccamus per præſumptionem, per quam plus ſperamus, quàm debeamus; hoc nobis notavit breviter in ſua reſponſione Catechiſmus: *Quis peccat contra ſpem?* Reſpondet: *Ille, qui diffidit de miſericordia DEI, vel ſtultè de illa præſumit.*

Oh quàm duo extrema æqualiter, Dilectiſſimi! æqualiter terribilia, æqualiter funeſta, æqualiter periculoſa! Oh quæ duo, Scylla, & Charybdis! nunquam audiſtis ea nominari? Iſti erant duo ſcopuli ex adverſo ſibi oppoſiti in anguſto loco maris Meſſinæ, ubi, ſi quis navigans non incedebat rectè per medium, hic vel ibi peribat abſorptus in freto; *Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis obſidet.* Æneid. 3. Ità, ità noſtra Spes, per anguſtum hujus vitæ, debet navigare per medium; ſi enim ex toto diffidat, perditur: ſi ex toto præſumat, præcipitatur: per medium incedendum eſt; ſperare, & timere. Si ſolúm attendatur DEI juſtitia, ſinè reſpectu ad miſericordiam, ô quale infortunium! ſi ſolum reſpiciatur miſericordia DEI infinita, & non perpendatur, quòd pariter exerceat infinitam, & ſeveriſſimam juſtitiam, oh quæ cæcitas! Non itaque ſic: unum & alterum debemus conjungere in noſtra conſideratione, miſericordiam, & juſtitiam: juſtitiam, & miſericordiam; ità nos docet David Pſal. 100. v. 1. *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.*

VI. Nunc itaque deſperatio conſiderat ſolùm in DEO juſtitiam, & acſi DEUS non haberet miſericordiam, illius non recordatur. Sed quid eſt deſperatio? Ego me accuſo, Pater, ſolent in confeſſione dicere, quòd multas habuerim deſperationes. Quid intelligis, fili mi, per deſperationes? Pater, cum prolibus, quæ me ad impatientiam commovent, oppoſitiones, maledictiones, iras: & has tu vocas deſperationes? Apage: deſperatio, origo funeſtiſſima malorum, ebulliens in inferno, eſt, quando aliqua infelix anima ſibi perſuadet, & tenet pro certo, quod non ſit aſſecutura gloriam, nec remiſſionem ſuorum peccatorum; & hac de cauſa intermittit bona opera exercere. Hoc duplici poteſt modo contingere; vel enim deſperatio eſt conjuncta hæreſi; ut ſi quis deſperet de gloria, vel quia credit non dari gloriam, vel quia ſibi perſuadet, DEUM non habere potentiam, nec miſericordiam ad condonandum; & hæc ſunt duo peccata diſtincta graviſſima: Vel poteſt eſſe ſola deſperatio abſque conjunctione cum hæreſi; ut ſi quis deſperet de condonatione Divina, non quòd neget ſuam miſericordiam, ſed quia ſibi perſuadet DEUM non habere velle ad condonandum ſibi. O imitatores Caini! O ſequaces Judæ! ficci-

ne

ne veſtra propria manu vobis vultis arripere infernum, quando veſter DEUS, & Redemptor apertis brachiis ſtat vobis offerens gloriam? Iſtæ animæ ſtant jam in depoſito pro inferno, ſtant jam ſicut panis in ſcutella furnaria ad os furni: *Deſperare, in infernum deſcendere eſt*, dicit Sanctus Iſidorus Lib. 2. de Sum. Bon. t. 14. Eſt tam enorme hoc peccatum, ut revelaverit noſtra Vita Chriſtus S. Catharinæ Senenſi, illum, qui in hora mortis deſperat de miſericordia DEI, quòd illi DEUS peccata non ſit condonaturus, offendere gravius hac ipſa deſperatione DEUM, quàm omnibus reſiduis peccatis unitis totius vitæ ſuæ. O DEUS meus! Miſericordia mea! Et quis erit ingratus ille, qui non cognoſcat, quòd non dederis pretium tui Sacratiſſimi Sanguinis ad perdendam meam animam; cum jam illa abſque hoc deperdita fuerit: non dederis valorem infinitum tuorum meritorum ad meam damnationem; cum hanc ipſam jam promerita fuerint peccata mea: non dederis tuam vitam in mortem meam; cum ego jam mortuus fuerim ob meas culpas: itaque, ſi tam grandis eſt, ſi tam infinita, ad meum bonum, tua miſericordia: *Miſericordia tua magna eſt ſuper me.* Pſalm. 85. v. 13. Si ſuper omnia opera tua elevaſti lucroſas tuas miſerationes: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Pſal. 144. v. 9. Quomodo poterit mihi Spes deeſſe? Oh multa ſunt mea peccata! ſint plura guttis maris: oh ſunt graviſſima! ſint graviora quàm ipſius Judæ, majus eſt exceſſibus infinitis illud immenſum mare miſericordiæ. Oh expendi totam vitam meam in offendendo DEO! & dic mihi: in medio, & in curſu harum culparum cur tibi non abſtulit vitam repente? poteratne hoc facere? Oh! ſolùm cum ſuo velle: nunquid te in aliquo indiget? ad nihilum: jam ſi dum tu eſſes inimicus, ſi dum te non indigebat, ſi dum te poterat occidere, te ſivit vivere, cur hoc erit? Quia tibi vult dare gloriam; ſi enim te in infernum præcipitare voluiſſet, jam hoc pridem feciſſet: itaque quid tibi deeſt, ut ſalveris? ſolùm tuum velle, ſolùm ut tu te juves, tuam ſalutem quæras, & ſolùm ut veraciter de commiſſis culpis pœniteas. VII.

Ecce nunc tibi hic alterum ſcopulum Spei; præſumptionem ſultam, temeritatem cæcam, & barbaram; tempus habebo: ſto ſecurus. Præſumptio eſt; & non loquimur nunc hic de altera præſum-

ſumptione, quàm communiſſimè vocant præſumptionem, qua quis, nimium ſe magni faciens, præſumit ſe plus eſſe, quàm ſit: ille præſumit ſe eſſe potentem, hæc præſumit ſe eſſe pulchram, hic præſumit ſe eſſe ſapientem, magnæ æſtimationis, nobilem - - - non. Pro nunc loquimur de Præſumptione, quæ ſe opponit Spei, & iſta præſumptio eſt ſpes irrationabilis, abſque poſitis mediis, nec adhibitis diligentiis debitis, ut quis ſperare poſſit cum ratione, & fundamento. Et hoc poteſt pariter contingere duobus modis, vel ſi ſe conjungat præſumptio hæreſi, vel ſinè tali conjunctione. Primus modus eſt, prout ſperant Lutherani, qui ſolummodo donis naturalibus, ſinè quibuslibet operibus bonis, ſperant, & putant ſe poſſe obtinere gloriam æternam. Quàm miſerabilis error! vel poterit eſſe abſque hæreſi, ſi quiſpiam, quamvis credat non ſufficere vires naturales, tamen non vult facere bona opera, & ut brutum vivit, adjiciendo peccata peccatis, plurimum in illo confidens, quia DEUS eſt grandis, & ideò id totum eſt ſuppletura ejus miſericordia. O quàm ſtulta confidentia! Homo, hanc vitam, quam habes, nonne illam habes, ut ſalveris? ità eſt: ſed tempus reſtat ſufficiens, fruamur nunc vitâ, in ſenectute faciemus pœnitentiam: ſciſne te ad ſenectutem perventurum? faciemus in articulo mortis: quidſi te mors repentinè hinc abripiat? hoc DEUS avertet, nec hoc vult: & ſciſne, an ſis confeſſarium ad manus habiturus? ſubitò poteſt deeſſe: non deerit. Et ſciſne, an non tuum cor pro nunc tam durum, non ſit pariter tale in fine vitæ permanſurum? & ſciſne an DEUS pro nunc tam benignus, pro tunc ſeverus, non ſit tibi auxilia negaturus? & ſi dæmon pro nunc tam aſtutus ad tuum eſt damnum pro tunc multò diligentior erit pro tua æterna damnatione. O DEUS, & quæ pericula? & hoc ſperas, cum pro nunc ſit tam facilè rem componere? Audi: propone tibi pro ſcopo ad ictum bombardæ integrum muri parietem, & quocunque ictum feceris in parietem, ſcopum tanges, ſit locus ille quiſcunque; lucrarisque vitam: talis ictus eſt facillimus. Hoc verum eſt; ego idcirco, tu dicis, non volo ſcopum attingere in pariete, non, ſed illic in ipſiſſima cuſpide muri illud punctum. Quid facis ô homo? Ecce hic habes integrum parietem tam largum, ubi aberare non potes, & vis, cum res conſtet vi-

tam,

tam, imittere te periculo, nam ſi ictum uno palmo eleves, unico digito falsè exploſionem ictus attingas, à ſcopo aberras, & te perdis? es inſanus? ita eſt: & hoc ipſum es tu, qui ad extremum vitæ tuæ, illuc vis collimare, in quo conſiſtit tua ſalus; cùm tuam ſalutem potueris aſſecurare, cum omnimoda, & tanta commoditate tanto tempore. Cogita nunc, quid pro tunc ſis habiturus? Expecta, & audi me: convenerat quidam cum dæmonio, ut tribus annis, ante ſuam mortem eum accederet, nunciando illi mortem ejus appropinquare; dæmonium promiſit ſe ita facturum: & poſt vitam turpiſſimè actam venit dæmonium in forma humana, & colloquendo ei, dixit ad illum: *Multa canities tuum dealbat caput*: Ille autem ut plurimum ſtomachabundus à ſe eum abegit verbis aſperrimis; redivit anno ſequenti in eadem forma, & poſt breve colloquium dixit illi: *Multùm incurvatus es, ut plurimùm creſcit gibbus:* in furias ille actus repulit eum à ſe ùt antea. Redivit annô elapsô in eadem ſpecie, & dixit ad eum: *Conſumptus jam es ſenió, & privatus viribus:* Iracundus ille volebat eum abigere; & tunc dæmon: hoc non, jam pro nunc meus es reſpondit, manifeſtando ſe illi; Oh non me commonuiſti, prout ſimul pactum inivimus: ita eſt, ego hoc executus fui; quales ultra commonitiones petis? & vi apprehenſum ſecum rapuit in infernum. Jam, quod longius tempus, quàm tres anni? *non ſufficiebant*, dices, quia ille non intellexerat nuncia: quod ſi tu illa non intelligas in morte, ſicut pro nunc non vis illa intelligere, ad quid ſerviet tempus? mihi ſufficit, dicebat alius, qui vitam agebat inter graviſſima peccata, ut prius, antequàm moriar, poſſim proferre ſolùm tria verba; non eſt poſtmodum timendum, quod ego damnabor: dicebat hoc de tribus verbis, per quæ poteſt elici actus contritionis, ſed nihilominus vivendo in turpi vita, ſpatiando ſemel tranſibat eques pontem certi fluminis profundiſſimi, offendit equus, & ceſpitavit, ceciditque præcipitatus in flumen, & cadendo protulit tria verba, ſed qualia? iſta: *Rapiat omnia diabolus*: & ſic remanſit ſubmerſus. Sed quid refero exempla? quandoquidem hæc inepta, ſtulta, barbara præſumptio eſt illa, quæ replet plenum infernum damnatis, qui inibi abſque remedio exclamant illud, quod jam prædixerat Propheta Iſaias cap.

28. v. 15. *Posuimus mendacium spem nostram.* Quæ major stultitia! tenere spem securam in Veritate æterna cum bonis operibus, & relinquere hanc veritatem, & securitatem bonorum operum contingentiæ temporis, periculis vitæ, angustiis mortis, & deceptionibus, & mendaciis dæmonis? *Posuimus mendacium Spem nostram.*

VIII. Non possum silentio præterire, quin referam certum casum, cujus meminit Pater Alexander Faya de nostra Societate, Psal. 43. dial. de pœnit. exemp. 8. Navigabat ex Panama per Limam Pater Emmanuel Vasquez, famosus Prædicator pariter Jesuita, & impendendo suum zelum in multa gente, quæ cum illo in navi pergebat, illi frequentes faciebat discursus, & exhortationes tam fervorosas, ut intra paucos dies consecutus fuerit, quòd major pars illorum receperit Sacramenta, & omnes suos reformaverint mores, solum certus Juvenis, qui in publico vivebat concubinatu, mansit ita pertinax, ut quando omnes meliores, & magis devoti exibant ex sermone finito, ille cum cithara se collocabat in navi cantando, & pulsando lascivas, turpes, & profanas cantilenas. Persuadebat, & exhortabatur eum Pater speciali fervore accensus, ad faciendam confessionem suorum peccatorum, & ad mutationem vitæ, sed ille exinde faciendo risum, hoc indiget majori spatio, dicebat; & quantò magis duplicabat Pater omnem suam efficaciam, ut plurimum, quod consequebatur, erat, quòd vellet confiteri perveniendo ad portum situm ad Paytam; & quid si non perveneris ad Paytam? Et quid si illuc perveniam, respondebat Juvenis; & jam hoc negotium reducebat in jocum, & ad nugas, jam videndo Patrem, illi dicere solebat: Pater Emmanuel, hoc negotium bonum est pro Payta, & hoc plurimis repetebat vicibus cantando, & suam citharam manu sonando. Evenit itaque, ut cum jam oculis terram conspexissent, staret Pater colloquendo cuidam nobili, qui pro tunc in navi stabat sumendo aliquot grana anisi: advenit ille Juvenis pro tunc ad illos, cui Pater dixit: eja, nunc in effectu confitebitur, cùm jam jam perveniamus Paytam. Ita Pater respondit, in Payta, in Payta confitebor; sed det mihi Vestra Reverentia nunc aliquot grana de hoc anilo: ita, sumat; & injiciendo anisum in os,

os, cadit retrorsum mortuus, sine omni invocatione, aut prolatione nominis JESU. Replevit horrore circumstantes mors tam horribilis, & Pater fecit illis sermonem ante cadaver, sumendo pro themate: *Bonum est hoc negotium pro Payta.*

Oh quàm bene poterat super hac materia discurrere, & quàm bene nobis omnibus datur materia recogitandi: bonum est pro nunc, nunc dum DEUS nos invitat, excitat, & animat suâ gratiâ, nunc dum habemus, nunc dum adest in nostris manibus fortuna, nunc dum possumus assecurare bonâ, & honestâ vitâ, & operibus bonis, nostram salutem, & lucrari æternam gloriam. IX.

INSTRUCTIO VI.

Quomodo hoc primum Præceptum nos obliget eliciendi actus Fidei.

TAntundem pia, quantum sapiens dispositio fuit illa illius legis, quæ mandabat, ne artifex *solveret instrumentis* suæ artis, obligationes suorum debitorum: mandavit prudentissimè, nè auferrentur artifici, in satisfactionem illius, quod debet, ferramenta, quibus se alit, quandoquidem hæc non perveniendo sæpiùs ad valorem debiti, per ablationem artifici aufertur sustentatio, & creditori impossibilitatur exactio. O ille est lusor, est desperatum cum illo, est dissipator! sit ita, ut dicis; attamen remaneant illi ferramenta, & instrumenta artis: nam his ad manum habitis, quis scit, an non semel lassus ab otio, vel ad se redeat pro nunc aberrans, inveniendo illa, recordabitur sui officii, & taliter poterit satisfacere illi, cui debet; itaque non auferantur illi machinæ suæ artis, ut satisfacere queat suo debito; nam in istis remanet spes, quamvis pro nunc ut perditus sit, quod se juvare poterit ad præstandam solutionem. Hoc adamussim illud est, quod nobiscum facit misericordia DEI infinita: per qualecunque peccatum mortale DEUM perdimus, perdimus suam gratiam, perdimus Charitatem, & perdimus omnia bona Spiritus Sancti, totum capitale meritorum, & omnes divitias animæ: & ultra hanc I.

ſummam paupertatem, contrahimus debitum infinitum: quomodo illud ſolvemus? idcirco nobis remanet ſolummodo in anima habitus infuſus Fidei: peccatoribus Chriſtianis, illis, qui non negaverunt Fidem, ſolummodo fides remanet commiſsô unicô peccatô mortali: quàm infelix paupertas! Verùm oh quàm pietas vel maximè miſericordioſa! quæ licèt plurimùm offenſa per noſtram vilem ingratitudinem, nihilominus in iſta Fide nobis reliquit medium quærendi noſtram vitam, lucem ad videndam noſtram perditionem, & inſtrumentum robuſtiſſimum, ut redeundo in DEI amorem, recuperemus capitale infinitum gratiæ. Idcirco artifex habeat optima ferramenta, & inſtrumenta ſuæ artis, ſi illa otioſa, & jacentia permittat, minuétne capitale? nihil: ſolvétne ſua debita? multò minùs: quia, ſicut ſi tractentur inſtrumenta, ſubitò, ut illa moventur, & labori applicantur, multiplicando operationes, & labores, augentur lucra; ita ſi otioſa ferramenta in officina ſinantur, perdita ibi, & abſque omni lucro permanent, inania ſunt, ut illorum dominus. Jam quid ſperat Fides otioſa? O DEUS! quivis Chriſtianus dicit ſe Fidem in ſua habere anima: ita eſt, verum dic mihi: recordariſne DEI? Cogitas quandoque de æternitate? Elevaſne cor verſus cœleſtia? Nihil horum, nihil: Quomodo itaque ſuccedent opera, ſi ita otioſum, & immobile ſtat inſtrumentum? Quomodo conſequeris victoriam, ſi Fides, quæ gladius eſt, ſtat quieta in vagina? Quomodo lucraberis protectionem, ſi Fides, quæ ſcutum eſt, nunquam te roboret? quomodo verſus cœleſtia te elevando volabis, ſi alæ Fidei non moveantur? Et pro fine, qualia erunt tua merita, ſi Fides, quæ illa debet roborare, dormitet, ſit immobilis, & otioſa?

II. Idcirco itaque ad exercitium Fidei nos obligat iſtud primum Præceptum, tribus Præceptis affirmativis, quibus correſpondent, ſicut dixi, alia tria præcepta negativa: per hæc negativa, ut intellectu facilia, explicat Catechiſmus affirmativa: *Quis peccat contra fidem?* Reſpond. *qui credit ſuperſtitioſas res, ignorat, negat, vel dubitat de illis, quas debet credere.* Quod ſi in omni Præcepto negativo includitur alterum Præceptum affirmativum, incipiamus de affirmativis.

Pri-

Primum Præceptum affirmativum nos obligat, ſub peccato mortali elicere actus ſpeciales Fidei, credendo ſuprema illius Myſteria, non ſemper, & continuò, ſed ſuis temporibus. Conſtat tale Præceptum jam extra dubium ex prima propoſitionum, quas damnavit Alexander VII. & ex Propoſitione decima ſexta ex illis, quas damnavit Innocentius XI. Quando igitur ſumus obligati eliciendi iſtos actus Fidei? Primariò ſtabiliunt Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 8. a. 6. nos ſubitò obligari, dum uſum rationis acquirimus, & nobis proponuntur ſuprema Myſteria noſtræ Fidei, cognoſcendo noſtram obligationem illa credendi, ut veritates, quas DEUS dicit: ſumus itaque tunc obligati ad credendum illa ſub peccato mortali. Oh! quæ negligentiæ in hoc inveniuntur! ego exiſtimo, quòd multi etiam poſt annos uſus rationis, aſſequendo, & cognoſcendo, quantos anfractus contineat, & habeat malitia, nihilominus tamen non elicuerint vel unicum ſolum actum Fidei, credendo veritates Divinas, quia illas Deus dicit: illic hoc videbunt, & experientur Patres, Magiſtri, & Domini. Sed, qui jam nunc crederet Myſteria noſtræ Fidei, ſufficitne iſte ſolus actus Fidei per totam ejus vitam? non ſufficit, non: & dicere contrarium, eſt damnatum jam per noſtrum Sanctiſſimum Patrem Innocentium XI. in propoſitionibus decima ſeptima, & ſexageſima quinta. Obligat itaque iſtud Præceptum, non ſolùm quando nos aliqua gravis affligit tentatio contra Fidem: pro tunc enim debemus elicere actum contrarium, credendo omnia illa, quæ DEUS dicit, non ſolum quando in periculo mortis ſumus, obligamur elicere actum contritionis, prout jam antea dixi, cum DEUS non poſſit amari per charitatem, ſi illum non cognoſcamus per fidem. Sed ſæpius aliis temporibus ſumus obligati faciendi iſtos actus Fidei. Circa hoc *quando* itaque, videtur ceſſare ſcrupulus, poſteaquàm toties recitamus *Credo*, percipimus Sacramenta, audimus Verbum DEI in ſermonibus! ſi hoc totum ſciatur, & peragatur, quomodo fieri debeat; volo dicere: ſi fit cum attentione, & cognitione illius, quod recitamus, & illius, quod percipimus, ſufficit, ſatis eſt. *Sed* ô Deus! ſi in his omnibus fides eſt dormituriens, ô dilectiſſimi, ſi recitamus altiſſima Myſteria ore, & mens tota diſtracta perſiſtit in ne- III.

gotiis, non eſt ille actus Fidei: & illud, quod plus eſt, ſi ſumamus DEUM ſacramentatum abſque formato conceptu, illum DEUM eſſe verum, quem ſumimus, ô Chriſtiani! uoi manet noſtra Fides? De Beato Fratre Ægidio narratur, quòd audiendo in Eccleſia cantari *Credo*: totus extra ſe prorupit in magnas voces: *Non dico, credo, ſed video: video.* In tantum viva fuit ſua Fides, tam firma, tam excitata. Sancta Thereſia à JESU ſolebat dicere, ſe non invidere illis, qui propriis oculis corporalibus viderant, & cognoverant Chriſtum; quia illa, videndo illum oculis Fidei in Sacramento, nullum experiebatur defectum ſui ſolatii, quamvis illum non viderit oculis carnis. Oh, & ſi taliter eſſet noſtra Fides viva, vegeta, & excitata! Chriſtiane! habesne DEUM? ſciſne, & credis nihil abſque ejus diſpoſitione ſuccedere? jam dic mihi: quis tibi immiſit iſtam afflictionem? DEUS: oh quæ conſolatio! quis tibi immiſit iſtam paupertatem? DEUS: oh quale levamen, ſi ita in omnibus noſtris caſibus recogitaremus. Sed Fides dormit, ſciſne, & credis, quòd exiſtendo tu in peccato mortali, ſi mors in tali ſtatu te abripiat, prout poteſt nunc repentè accidere, ſis pro ſemper, & ſemper damnandus? nunc, ſi hoc credis, quomodo perſiſtis in peccato mortali? dixit valde bene certus Prudens, quod nullus alius deberet eſſe carcer, præter carcerem Sanctæ Inquiſitionis, vel hoſpitale ſtultorum, quia, vel ille, qui peccat, credit id, quod Fides docet, vel non credit? ſi non credit, ut hæreticus trahatur in carcerem Sanctæ Inquiſitionis: ſi credit, & credendo, quòd ſit damnandus, nihilominus tamen peccat, & remanet in peccato, trahatur hoc momento ad hoſpitale ſtultorum. Sed ubi foret carcer pro tantis inveniendus? non dubitate de hoc, jam omnes in inferno poterunt includi: *Dilatavit infernus animam ſuam, & operuit os ſuum abſque ullo termino.* Iſai. 5. v. 14. Dilectiſſimi, ſi vivificaremus, & vivam redderemus Fidem noſtram; ah qualiter ceſſarent peccata, oh qualiter crescerent omnes virtutes!

IV. Sed quid nobis eſt credendum in his actibus Fidei, ad quos ita ſumus obligati eliciendos? quàm citiſſimè id vobis dico: Omnia, & quodlibet in particulari, Myſteria in *Credo* contenta, & præterea virtutes, & efficaciam Sacramentorum, quæ à nobis

ſunt

ſunt percipienda, credere debemus: realem præſentiam, & veram corporis, & ſanguinis noſtri DEI, & Redemptoris JESU Chriſti, quæ eſt in Sanctiſſimo Sacramento Altaris, & poſtmodum credere in generali omnes veritates Divinas debemus, quæ in ſacris continentur literis, in ſacris conciliis, & traditionibus Apoſtolicis, ſimul etiam debemus eſſe prompti credere quamlibet veritatem in particulari ſemper, quam nobis Eccleſia quandocunque proponat. Ex hinc itaque eſt ſecundum Præceptum affirmativum, quod circa Fidem nos obligat, & eſt apprehendere, & ſcire, *Credo*, Sacramenta, & Præcepta, quantumvis non tam punctualiter memoriter, ſed ad minus in ſubſtantia. Conſtat hoc præceptum ex ſacris Conciliis, & ſacris Canonibus: ex Concilio Rhemenſi c. 1. Moguntino c. 45. & cap. 55. *ante viginti* diſtin. IV. de Conſecr. item cap. 59. *non liceat.* ibidem. Verùm iſtud punctum, de hoc quid debeamus ſcire, & credere, explicavimus jam per longum in illa interrogatione: *Itaque obligati ſumus ſcire, & intelligere omnia hæc? ita, ſumus obligati; quia non poſſumus hæc adimplere, quin ea intelligamus:* Inſtruct. 1. Proœm. num. 2. hujus Partis ſecundæ: ſolummodo oblitus illic fui dicere, quòdſi velint eſſe ſinè ſcrupulo in hac materia tam gravi Patresfamilias, curent, ut illorum proles, & ſervi ſciant, & intelligant Catechiſmum brevem, quem compoſuit Pater Bartholomæus Caſtagno ex noſtra Societate: ibi enim eſt compendiatum totum illud, quod eſt neceſſarium credere, tam bene de neceſſitate medii ad ſalutem, quam etiam de neceſſitate, & obligatione hujus Præcepti.

V. Tertium Præceptum affirmativum circa Fidem, quod in hoc Præcepto continetur, nos obligat externè profiteri, & publicè noſtram Fidem ſemper, quandocunque offertur occaſio, vel majoris honoris DEI, vel utilitatis, vel profectûs noſtrorum Proximorum, quantumvis per hoc eſſet à nobis vita perdenda inter atrociſſima, & terribilia tormenta, prout fecerunt tot milliones Sanctorum Martyrum. Sed quando meruimus tantam ſortem? vel merebimur? ita, ut cum hæc occaſio non adveniat, nobis ſufficiat elicere actus fidei interiores in anima: *Corde creditur ad juſtitiam.* Quodſi autem occaſio adveniat, obligati ſumus profiteri

teri externè vocibus noſtram Fidem: *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, dicit S. Paulus ad Rom. c. 10. v. 10.

VI. Jam itaque cuivis ex his tribus Præceptis affirmativis, quæ cum talia ſint, ſolùm ſuis temporibus, & certis occaſionibus nos obligant, correſpondent tria Præcepta negativa, quæ nos ſemper obligant, & omnibus momentis. Primo Præcepto, quod nos obligat ad eliciendos actus fidei, correſpondet negativum, quod nos obligat ad non credendum, ut de fide, ultra illud, quàm quod nos Fides docet: hoc vocat hic res ſuſpicioſas Catechiſmus: non jam ſuſpicioſas contra Religionem (de his enim poſteà loquemur) ſed ſuſpicioſas, & quod plus eſt, contra Fidem: ut ſi quis crederet eſſe quatuor Perſonas in Sanctiſſima Trinitate: vel ſi crederet ut de Fide, Beatiſſimam Virginem contineri in Sanctiſſimo Sacramento Altaris. Sumus obligati credere omnia illa, quæ nos docet Fides, & ita peccat contra Fidem, qui credit ſuperſtitioſa. Secundo Præcepto, quod nobis mandat apprehendere Myſteria noſtræ Fidei, correſpondet ſecundum negativum; quod nos obligat non ignorare illa Myſteria: quia ſi obliviſcamur illius, quod anteà apprehenderamus, obligat nos ſemper ad non ignorantiam illius, & tenemur rurſus illa, quorum obliti ſumus, apprehendere: & ſic peccat mortaliter ille, qui ea ignorat, quæ credere obligatus eſt. Tertio Præcepto, quod nos obligat confiteri, & profiteri Fidem, correſpondet tertium Præceptum negativum, quod nos obligat ad nunquàm negandam Fidem. O DEUS! hæc eſt ſumma infelicitas, in quam poteſt præcipitari aliqua anima, diruente ædificium ex ipſo uſque fundamento: ità vociferantur, irridentes hæreticum, dæmones: *exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Pſal. 136. v. 7. Hoc eſt eradicare ex radice arborem, quæ ad nihil aliud valet, quàm ut in ignem mittatur: ita arguit Sanctus Judas Apoſtolus hæreticos in ſua Epiſtola v. 12. *Arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ.*

VII. Hoc itaque infortunatum negare vel poteſt fieri interiùs, & ſolùm cogitatione, vel exteriùs etiam ſi conjungantur cogitationibus verba: vel poſſunt eſſe actiones, quibus dat ad intelligendum, vel quod neget aliquod Myſterium Fidei, vel quod credat aliquid, quod Fidei eſt contrarium: & nunc fiat hoc interiùs vel

vel exteriùs, ſi hoc fiat cum pertinacia, eſt hæreſis, eſt tota maledictio DEI, & totius Sanctæ Eccleſiæ ejus, eſt tota abominatio cœli, eſt tota unita malitia, eſt venenum inferni, & eſt tota abyſſus infelicitatum, ad quam ſe poteſt præcipitare anima. Dixi: illum errorem in negatione Fidei, vel alicujus ſolius illius articuli, vel in credendo aliquid contra Fidem, debere eſſe cum pertinacia: non, quòd ſit neceſſarium, ut ſe opponat, & reſiſtat multo tempore credendo quiſpiam ſuum errorem, ut ſit hæreticus: non; nam in uno inſtanti poteſt eſſe iſta pertinacia. Quomodo? ſi quiſpiam cognoſcendo, & ſciendo optimè, hoc eſſe de Fide, quod negat; & ſic docere Eccleſiam, nihilominus tamen, his non obſtantibus, negat, eſt pertinax, & eſt hæreticus. Sed ſi per ignorantiam habuit quis aliquem errorem contra Fidem, & ſubitò quamprimum reſcit, contrarium eſſe de Fide, ſe corrigit, & ſe ſubjicit ad credendum, quod Eccleſia docet; hic talis non eſſet hæreticus: erit tamen peccatum mortale ejus ignorantia, ſi materia erat de rebus, quas tenebatur ſcire. In Gallia certus Juvenis perfrictæ conſcientiæ, per funeſtos gradus ſuorum vitiorum devenit in tantum profundum, ut ſpernendo Fidem, faceret jocum, & irriſiones de immortalitate ſuæ animæ. Hic dicebat cum multis cachinnis ad alios, qui cum illo bibebant vinum in popina, & adjunxit: ſi quis hic foret, qui emeret animam meam, de qua mihi dicunt, quod tantum valeat; perpotaremus pretium in vino. Ille hoc dicebat, & certus advena ignotus intrabat: En! ego illam emam, reſpondens: riſerunt, & jocabantur omnes: fecit interim advena contractum, perſolvit pretium, & biberunt in maximo tripudio, ſed præſto tripudium terminavit planctus; ſiquidem advena deponendo larvam, manifeſtavit ſe eſſe dæmonium, & arripiendo in humeros illum infelicem, inter magnos ejulatus traxit ſecum in puncto ad infernum.

VIII. At non ſolùm, qui negat Fidem, eſt hæreticus; talis etiam eſt, qui dubitat de ejus veritate: *Dubius in fide eſt hæreticus.* c. 1. de hæret. Ideo adjungit Catechiſmus: *Quis peccat contra Fidem? Pater? qui negat, vel dubitat de illis, quæ debet credere.* Qui dubitat, ita eſt: jam turbatur, & diſtorquetur ſcrupuloſus; ſed acquieſcat: *Qui dubitat*, intelligendum eſt de voluntaria pertina-

cia, quando eſt incertum, an ſic ſit, vel non, veritas infallibilis fidei; iſte eſt, qui peccat contra fidem, & eſt hæreticus: non autem ille, qui credit eſſe certiſſimas veritates noſtræ fidei; ſed patitur difficultates, tentationes, & luctas, non: quod ſi hæ illum affligunt, tormentant, & moleſtant, potiùs meretur apud DEUM: exclamet itaque ad DEUM: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. v. 23. O Domine! ego credo firmiter omnes, & ſingulas veritates tuæ Fidei: adjuva tu, & illumina intellectum meum, ut vincat ſuam incredulitatem: & ſpernere, & non æſtimare ſimiles tentationes eſt optimum conſilium. Finaliter, Dilectiſſimi mei, incipere diſputare, & facere converſationes agitando puncta, quæ fidem concernunt, per ſæculares illiteratos, eſt res periculoſiſſima, & peccatum mortale: ita conſtat per Præceptum Eccleſiaſticum, quod id prohibet cap. 2. *quicunque* §. *Inhibemus.* de hæret. in 6. Si quid ignoratur, inquirendum eſt apud Doctos, & nemo præſumat velle cum detrimento animæ videri intelligens, cum iſtæ ſint materiæ delicatiſſimæ, & quæ nos ſpecialiter attingunt.

IX. Moleſtabant quendam muſcæ, refert caſum Sanctus Auguſtinus tract. 1. in Joan. & dum cum maxima impatientia illas repellebat per omnes partes, videndo illum ita impatientem, arripuit occaſionem certus hæreticus Manichæus: appropinquavit illi diſſimulando: quid eſt hoc? quid debet eſſe? iſta animalcula ultra id, quod ſint nauſea plena, ſunt ita importuna: Bene dicis, repoſuit iſte, & quis poterit credere, quod animalcula tam improba DEUS creaverit? DEUSne hæc creavit? Alter ſimplex pariter ac impatiens ſivit ſe decipere verbis tam frivolis: ego perſuadeo mihi, quòd non, reſpondit: proſequitur hæreticus, prout ſolent aureis verbis, & poſtmodum ſubjunxit: jam quid plus habet apis præ muſca? conceſſit hoc illi ſimplex, & ultrà auſus eſt progredi malitioſus; jam quæcunque avis habetne plus, quàm modicè majus corpus, quandoquidem vivit ſicut muſca, & volat ſicut apis? & ſi iſta DEUS non creavit, nec aves creavit. Ita illum ſenſim, & ſenſim induxit ab uno in aliud animal, & de uno in aliud vivens, uſquedum ex una muſca ad elephantem eum perduxiſſet, & decipiendo illum perſuaſit credere, DEUM non creâſſe omnia. Simili infortunio poſſunt fieri converſationes illorum, qui

qui in materiis tam ſublimibus, ut ſunt Myſteria noſtræ Fidei, ſe in diſcurſum ut ignorantes immittunt; tacere erit meliùs, & proſternere tacendo ante veritates DEI noſtros intellectus: profiteantur noſtram Fidem, noſtri mores exteriores, dum ſtant innixæ æternis veritatibus DEI noſtræ animæ: ſimus Chriſtiani in- & exterius: hoc eſt in veritate tenere Fidem interiùs, & exteriùs, & in quantum zelat DEUS pro iſta unione, dicam vobis ſequenti miraculo.

X. Narrat illud Frater Petrus de Rota, Religioſus Capucinus to. 1. Dom. 4. poſt Paſcha, annot. 4. In regno Arragoniæ in certo loco Tovet, venerantur Imaginem Beatiſſimæ Virginis cum ſuo pretioſo Filio, quem in brachiis tenet, cui ex uno, & altero latere aſſiſtunt duo Angeli. Accidit itaque, ut preſſi timore, & minis Regis Catholici Mauri, qui pro tunc in illo regno habitabant, ultimatè expeterent Baptiſmum, remanendo interiùs inimici noſtræ Fidei, ſicut ſemper erant. Fuit annus 1526. tunc itaque hæc pretioſiſſima Imago MARIÆ Sanctiſſimæ in Tovet, & ſuus Filius pretioſus, & duo Angeli ſpatiô triginta horarum ſudârunt ita prodigiosè, ut apparerent in vultu noſtræ Dominæ guttæ ſudoris, majores nucibus avellanis, & coloris aurei; ejuſdem coloris erant, quantumvis minores, guttæ, quæ videbantur in vultu Sanctiſſimi ejus Filii, & adhuc minores illæ, quæ decurrebant per vultus duorum dictorum Angelorum, & tam copioſus fuit ille ſudor, ut collectus calice, & transfuſus in magnam ampullam vitream, ad medium uſque eam impleverit. Stupefecit omnes miraculum, applicabantur omnes diſcurſus, in quid hoc erit? quid hoc portenti? Cuſtodierunt debita veneratione illam ampullam ſudoris in Eccleſia. Elapſi ſunt anni, & anni, ſudor illic ſtabat abſque conſumptione nec quidem unius ſtillæ, & abſque eo, quòd aliquis uſque tunc potuiſſet penetrare rationem, vel cauſam talis prodigii. Elapſi tandem ſunt 83. anni ab anno 1526. ut jam dixi, in quo evenerat hoc portentum, uſque ad annum 1610. in quo Catholicus, & Pius Philippus III. mandavit, ut ex toto exirent omnes illo regno Mauri, qui per fictum illorum Baptiſmum ſe mentiebantur Chriſtianos. Abibant, & illo momento incepit minui il-

le ſudor ita, ut cum exiviſſent ultimi, remanſit ampulla omnimodè, & ex toto vacua, & ſicca.

XI. O Maria Mater amoroſa noſtræ Fidei! o ſi itaque conſtat tuum ſudorem, laborem, & anxietatem, quam tibi cauſant Chriſtiani ficti; Ah libera nos Domina à tam pernicioſa peſte! Ah tu defende, & protege puritatem noſtræ Fidei! cùm enim tot, & tantæ culpæ perdant animas, hæc ſcintilla Fidei illas illuminet, & illas reficiat, viréſque addat, ut, cognoſcendo veritates æternas, ſe emendent, vitam corrigant, mores reſtaurent ad opera fervoroſa Charitatis, & reſtituantur animæ felici ſtatui gratiæ.

INSTRUCTIO VII.

De ſumma Adoratione, quam DEO debemus, & de cultu Eidem in templis debito..

I. NOn ſemper omnes illi aſſequuntur honorem, qui illum quærunt, non ſemper omnes illi in ſecuro ponunt honorem, qui ùt plurimum eum cuſtodiunt; & nihilominus ſemper eſt verum illud dictum: honor eſt in honorante; quis hoc cogitaret? quòd illum, qui quæſitus eſt, non ſemper conſequi poſſimus, quòd ille, qui in ſecuro collocatur, plurimis vicibus deperdatur, & quando datur, tunc poſſidetur; honor eſt in honorante. Hoc itaque, quod inter homines, unius cum altero, vocatur humanitas: *Honore invicem prævenientes*, ut dixit Apoſtolus ad Rom. 12. v. 10. Hominum cum DEO, cui ſoli debetur omnis honor, omnis veneratio, & omne obſequium: *Soli DEO honor, & gloria.* 1. ad Tim. 1. v. 17. eſt heroica virtus Religionis, quæ ut Regina omnium virtutum moralium, jam à terra uſque nos docet eſſe aulicos cœli. Alias virtutes poteſt noſtra tepiditas apprehendere etiam à brutis: à ciconia poſſumus diſcere pietatem in noſtros parentes, à cane fidelitatem erga noſtros amicos, à turture caſtitatem, pudicitiam virginalem ab apibus; & etiam à formicis diligentiam ſolicitam, & providentiam ſagacem: *Vade ad formicam ô piger, & diſce ſapientiam.* Prov. 6. v. 6. Sed virtutem Religionis ſolùm nos poſſunt do-

docere Angeli, illi Aulici cœleſtes, excitati ſemper in attentis adorationibus, in humilibus obſequiis erga ſupremum, & abſolutum Dominum univerſi. Iſti ſunt, qui nos docent, quomodo in terra debeamus venerari noſtrum DEUM reverentiſſimis cultibus, & ſubmiſſis adorationibus. Jam autem ſi exhibere honorem homini, eſt ipſum perdere; tribuere DEO omnem honorem, quid erit? Erit, & eſt maximus honor noſtræ Catholicæ Religionis: *Qui glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, dicit DEUS, 1. Reg. cap. 2. v. 30.

II. Jam itaque illuminato noſtro intellectu, ad cognoſcendum per Fidem, illud *eſſe* ſupremum, perennem fontem omnis eſſe, & unicum finem creaturarum; animatâ noſtrâ animâ per Spem ad quærendum illud bonum immenſum; & inamorato noſtro corde per charitatem, ad amandum ſupra omnia illam pulchritudinem infinitam, quid hinc ſequitur? quòd, ſicut qui habet amorem, non ſcit, quid facere debeat in gratiam illius, quod amat, & ſe ipſum inquietat, & ſe agitat, adoperatur ad exhibendum guſtum, monſtrando illi omnem reſpectum, ita tres illas virtutes Theologales ſequitur immediatè, & in continenti virtus Religionis, quæ eſt inter virtutes morales Regina, & ùt talis ſe impendit totum in debitis cultibus, in reſpectuoſis obſequiis, in honoribus, laudibus, ſacrificiis, & adorationibus, quas debemus noſtro abſoluto Domino, noſtro ſupremo Regi, & noſtro amabili Patrono, qui nobis intimat, & nos obligat ad exercitium hujus virtutis in iſto primo præcepto. Non loquimur itaque pro nunc de nomine communi, quo noſtram Catholicam profeſſionem vocamus Religionem Chriſtianam, nec minùs de nomine magis particulari, quo communitates, quæ profitentur vitam magis perfectam, vocamus Religiones, & qui in iis vivunt, Religioſos, non: Loquimur autem hic de ſpeciali virtute Religionis, quam omnes, & ſinguli Chriſtianorum debent habere, & exercere. Hanc itaque Religionem definit Doctor Angelicus 2. 2. q. 81. art. 2. eſſe illam virtutem, qua homines perſolvunt, & tribuunt DEO debitum cultum, & debitum honorem, tanquam primo rerum omnium Principio. Sed quandoquidem iſte honor, & cultus poteſt eſſe diverſus, hinc habet Religio varia exercitia: ſiquidem aliquando perſolvit DEO

cultum adoratione, aliquando ſacrificiis, aliis vicibus oratione, aliquando votis, & aliquando etiam juramento facto cum debitis ſuis circumſtantiis. De omnibus his tractabimus ſuis locis: quod in præſentia amorem DEI concernit, illud, quod magis immediatum ſequitur, ejus adoratio eſt.

III. Aliquando, ad exprimendam multam inclinationem, quòd Mater amet ſuum filium, ſoletis dicere: ita illum amat, ut eum adoret: nunc ergo; *Ad quid me obligat amor DEI*? Interrogat Catechiſmus: *Ad adorandum illum ſolum ut DEUM, Fide, Spe, & Charitate.* Et ſi debemus, & tenemur amare DEUM ſuper omnia, ſuper omnia ut unicum, & ſupremum Dominum, debemus adorare illum ſolum. Iſta eſt adoratio, quam vocant *Latriam* Theologi, & Sancti Patres; & eſt actus, quo profundiſſima ſubmiſſione, qua ſe poteſt proſternere noſtrum nihilum, humiliatione vacuiſſima, in qua poteſt recognoſci noſtra miſeria, veneramur illam Majeſtatem ſupremam, proſternimur ſubjecti ſuæ potentiæ, & agnoſcimus, & confitemur, & adoramus humiles ſuam Majeſtatem, & imperium; hac itaque adoratione ſolum adoramus DEUM, & de hac cauſa, adoramus eadem ipſiſſima adoratione humanitatem Chriſti Domini, ac Redemptoris noſtri; quia, quantumvis illa ſanctiſſima humanitas ſit creatura, tamen ſtando, prout ſtat, unita hypoſtaticè Verbo Divino, eſt unica ſola Perſona cum illo, quæ eſt DEUS verus. Et hac eadem adoratione *Latriæ* debemus adorare Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, ſiquidem adoramus ibi in realitate, & veritate præſentem noſtrum DEUM, & Dominum JESUM Chriſtum. Hoc itaque eſt illud, quod nobis explicat illud verbum Catechiſmi: *Ad adorandum illum ſolum ut DEUM:* Non quòd nobis prohibeat alias adorationes, ſed, quia adorationem *Latriæ*, quæ ſuprema eſt, ſolùm, & ſoli DEO debemus.

IV. Dantur itaque aliæ inferiores adorationes, ad quas etiam obligamur, prout poſtmodum dicturus ſum in Doctrina proximè ſequenti; ſed non diſturbant hanc unicam, & ſolam adorationem, quæ ſolummodo DEO debetur. Ita, ſicut hic in terra videmus, quòd diſtinguantur termini vel humanitatum, vel reſpectuum: titulo inſignitis damus, Dominatio: aliis, Excellentia, ut ſunt Magnates: aliis, Serenitas, qui ſunt de ſanguine Regio; ſed, veſtra Ma-

Majeſtas, ſoli Regi; eodem modo, tametſi ſub DEO adoramus Sanctos, qui ſunt Nobiles Regni DEI; adoramus Angelos, qui ſunt Magnates aulæ cœleſtis; adoramus Matrem DEI Sanctiſſimam, quæ ſola eſt Principiſſa ex ſanguine; hoc nihil obſtat, quin ſupra omnia adoremus ſolum DEUM adoratione humillima, ut Regem ſupremum, ut Majeſtatem omnibus aliis Majeſtatibus infinitè altiorem, & ſupereminentiorem: *Ad adorandum illum ſolum, ut DEUM.*

V. Hoc eſt ex parte illius, quem adoramus; ſed ex noſtra parte, *quomodo debet adorari*? interrogat Catechiſmus: *reverentia corporis, & animæ*, reſpondet. Quid? non ſufficit accedere templum, non ſufficit curvare genua, non ſufficit inclinare caput, pectus percutere, exhibere humiliationes? ſi ad omnia hæc anima ſit extra templum, ſi ad omnia iſta tota attentio in dependentia moratur occupationum domeſticarum, in curis quotidianis domûs, & in cogitationibus mundanis, & fortè inanibus, & vanis, hæc omnia non ſufficiunt, cum reverentia corporis, & animæ. Ah dilectiſſimi, quàm, & quantum timeo, ne de ſuo populo Chriſtiano habeat Chriſtus eandem, & fortè majorem querelam, quàm de populo Hebræo: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Marc. 7. v. 6. Quid importat, quid prodeſt copioſus concurſus populi ad Eccleſiam; exterior cultus ad ſolennitatem, apparens reverentia corporis, ſi in his omnibus corda, Oh DEUS! quàm longè ſint à te? Etiam in impiis, & mendacibus ſacrificiis Dæmoniorum, invenire victimam abſque corde, erat ſignum mortis. Ita dicunt accidiſſe binis vicibus Julio Cæſari, ut narrat Engelgrave Tom. 1. Dom. 12. poſt Pent. §. 3. & 4. qui de illo die, quo occiſus fuerat, offerens ſua falſa ſacrificia, invenit illa vice abſque corde oviculam, quam offerebat: videbatur illi hoc per accidens eveniſſe; juſſit occidi aliam, & invenit eandem pariter abſque corde: eadem die illi vitam abſtulerunt conjuratores. Et, ſi dæmonium pro ſuis mendaciis expetebat in ſuis maledictis victimis cor, quomodo hoc ipſum non petet DEUS, qui eſt cordis Dominus? *Fili, præbe mihi cor tuum.* Prov. 23. v. 26. O quàm pulchra, & grandia verba Magni Auguſtini! Tu, qui in Eccleſia in genua provolutus moraris cogitando de alia re, quæ non eſt DEUS; ſcias te non adorare DEUM, ſed illud, quod cogitas. Stas

in

in Eccleſia cogitando de tua ſuppellectile, de tuis rebus domeſticis? itaque non adoras DEUM, ſed id, de quo cogitas. Es in Eccleſia cogitando de tuis ornamentis? itaque non adoras DEUM, ſed tua ornamenta. Stas cogitando de tuo dæmonio? Itaque non adoras DEUM, ſed tuum dæmonium: hoc pro DEO tenes, quod genuflexus recogitas. *Omnis homo in tempore orationis*, dicit Magnus Auguſtinus in commun. ſer. 31. *quidquid attentus cogitat, hoc pro DEO adorat; ſi forum cogitat, forum adorat, ſi domum fabricare, vel vineam colere, hoc in illa oratione pro DEO habebit.* Anima, anima, Dilectiſſimi! attentiones, cogitationes ad DEUM directæ, iſtæ ſunt tota anima adorationis. Verum eſt, quod ſola non ſufficiat; quia illi adjungenda eſt exterior compoſitio, modeſtia humilis, attentio, reverentia corporis.

VI. *Nunc cùm DEUS ſit ſpiritus, non ſufficit ſola attentio Animæ?* Replicat, & reſpondet Catechiſmus: *Non: quia etiam corpus ab illo habemus.* Si illum adoramus ut noſtrum Dominum, & patronum, ille non eſt ſolummodo Patronus, & Dominus noſtræ animæ, verum etiam noſtri corporis; itaque ſolvat hoc ſuum erga illum debitum, externis ſuis venerationibus, & adorationibus. Oh DEUS! quàm amplum punctum ego tetigeram; ſed locus de hoc tractando pro nunc non adeſt, dicam aliquid compendiosè. Jam igitur iſta adoratio corporis, in quo conſiſtit? in honeſta totius illius compoſitione, in humilitate, in modeſtia, in tota exteriori decentia. Et illicò interrogo, illicò: Eritne magna decentia venire ad Eccleſiam, & per totam phlegmata expuere? Eritne magnus reſpectus, & veneratio expuere tantum ad confeſſionale, vel ad cancellos communionis, ut fiat locus totus nauſeabundus, acſi ibi eſſet aliquod ſtabulum? Domini, & Dominæ quis eſt iſte ſcrupulus in tantum affectatus? Deglutire ſalivam ante communionem non frangit jejunium naturale: de hoc nullus dubitat; itaque cur erit affectare ſcrupulum in expuendo, & non habere ſcrupulum relinquere illum locum tantò indecentem, & facere ibi illud, quod non faciunt Turcæ in ſuis ſacrilegis Moſchæis? Hoc, quod ego ſcio, eſt: & Sanctus Ambroſius loquendo ſuæ ſorori Marcellæ, ipſi commendat plurimùm, ut in templo omni poſſibili modo abſtineat ab expuendo phlegmate: *Tu in Miniſterio DEI*

DEI, ſcreatus, tuſſes, riſus, abſtine. Ambr. libr. 3. de Virg. Illud, quod ſcio, eſt, Sanctum Gregorium Nazianzenum laudare quàm plurimum ſuam matrem Nonnam ex eo, quòd nunquam tergum verterit altari, nec expuerit in templo, Sanctus Gregor. Nazian. orat. 19. *Quòd venerandæ menſæ nunquam terga obverterit, nec in Divinum pavimentum expuerit.* Hoc, quod ego ſcio, eſt, & de Sancta Gorgonia refertur, apud Rayn. Tom. 15. fol. 195. in ſua vita, illam nunquam ab introitu in Religionem, expuiſſe in templo. Non loquor de neceſſitate; poſſunt idcirco, & debent intelligere illi hoc, qui ante communionem habent pro decentia iſtam tam ſpurcam, & luridam affectationem. Romani, refert Varro lib. 4. de ling. lat. obſervabant, & habebant certum locum in tanta veneratione, & tam reverendum, ut ſtatuerint pœnas graves in illos, qui ibi expuiſſent: vocabant illum *Doliola*: & ex qua cauſa cogitatis hanc tantam fuiſſe venerationem? ideò ſolùm, quia in principio fundationis Romæ, dum illam Galli depopularentur, ut illorum Idola in ſalvo conſiſterent, illa ibi abſconderunt in certis vaſculis; & ideò ſolùm, quia ibidem abſcondita erant iſta maledicta Idola, tanta veneratio! Et nos Chriſtiani, ubi ſtat noſter ſummus DEUS Sacramentatus, relinquimus illum locum maculatiſſimum, & nauſeam moventem? melius eſſet, ut circa hoc haberetur ſcrupulus.

VII. Et jam, ſi cum decentia debet conjungi compoſitio corporis, ineptæ loquacitates, oculorum ictus, riſus, & etiam ſtrepitus, quid hæc ſunt? eſtne hoc venire ad templum ad adorandum DEUM? In Chronico Ordinis Sancti Franciſci refertur, quòd dum recitaretur quadam vice Completorium (neſcio ex quo accidenti) riſerint certi Religioſi, & effigies Sanctiſſima Crucifixi in choro vertendo ad illos caput, tam terribili aſpectu illos conſideravit, ut pleni horrore, & timore, inter paucos dies omnes ſint mortui. Et eſtne hoc multum, quod hoc fecerit vultus iratus Regis cœlorum; cùm hoc ſemel fecerit ira unius Regis terreni? De Philippo II. narrant, quòd dum advertiſſet duos Magnates Hiſpaniæ colloquentes ſub Miſſa, hac abſolutâ, vertendo ſe ad illos cum ſua illa naturali ſeveritate, & etiam magis terribili ex cholera: *Vos duo*, dixit, *non comparebitis ultrà in mea præſentia*: ſuffecit

hoc, ſiquidem ut unus intra paucos dies moreretur præ triſtitia, & alter remaneret delirus totâ ſuâ vitâ. Ah facies DEI! Ah oculi DEI! & illud quid ſuffertis? ubi Angeli ſe totos in laudes impendunt. *Majeſtatem tuam laudant Angeli*, homines ſe divertunt in nugis, & locutionibus? ubi dominationes humiliter proſtratæ exhibent profundiſſimas adorationes: *Adorant dominationes*, homines ſe continent in jocis, & riſu? ubi Poteſtates attonitæ tremunt, & humiles concutiuntur, *tremunt Poteſtates*; homines audent, quid? melius eſt rem non propalare, & tacere. Ex talibus diſtractionibus contingit, ſi non potius ex parva, & exigua Fide; quòd multi commodiſſimè maneant ſedentes, etiam, dum in Miſſa perveniatur ad illud Myſterium, ad quod diffluunt cœli, obſtupeſcunt Angeli: *Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt*: Et audiendo hoc, poteſtne aliqua mulier inveniri, quæ commodè ſedeat? Solummodo nunc revoco illis in memoriam illum caſum tam divulgatum: Sedens audiebat quidam illa verba: *Et Incarnatus* - - - tunc feriſſimum acceſſit dæmonium, & dando illi terribilem ictum dixit: flectas; ſi enim pro me DEUS hoc feciſſet, quod pro te fecit, in ipſius præſentia æternum vellem genuflexus ei aſſiſtere: Quilibet itaque timeat, ne illi hoc ipſum eveniat.

VIII. Pro ultimo, quid dicemus de illo modo impio, de illa inventione ſacrilega, quâ tanti in tantum ſe æſtimant, ut ſolummodo in Eccleſia uno genu flectant? quid ſignificabit Chriſtiani hoc, flectere utrumque genu DEO noſtro? Significat, dicit Magnus ille Sanctus Auguſtinus lib. de cur. mort. c. 5. nos confiteri uno genu, quod incurvamus noſtram fragilitatem, ut nobis condonet noſtros lapſus: & altero, noſtram neceſſitatem, ut nobis manum porrigat ad elevandum nos. Jam ſi tu unum tantum genu incurvas, hoc denotat tuam fragilitatem; cur altero non quæris à DEO ſuccurſum? & quomodo reſurges, ſi ſuccurſum non quæris? ſignificat, dicit pariter Sanctus Hieronymus lib. 2. in Epiſt. ad Ephes. cap. 13. confiteri uno genu curvato, qualiter noſter intellectus illum recognoſcat pro Domino, & DEO noſtro: & altero genu etiam curvato, qualiter illum noſtra voluntas amorosè complectatur. Jam ſi tu non plus, quàm unum genu incurves, ego

ego tibi concedo, quòd iſtud genu ſit tuus intellectus: & tua voluntas ubi manet? Remanet in aëre. Significat non minùs, dicit Sanctus Ambroſius, confiteri uno genu curvato noſtram depreſſionem humilem, noſtrum eſſe miſerabile; & altero adorare noſtram Fidem, illud eſſe ſupremum, inacceſſibile, altiſſimum, æternum. Ego tibi nunc concedo, hoc genu eſſe illud, quod curvat tua Fides; & tua humilitas demiſſa erga tuum DEUM, ubi eſt? Invento. Ah Chriſtiani ſi hoc perpenderemus! Sed à contrario, curvare unum ſolum genu, quid ſignificat? Significat dicit Illuſtriſſimus Guillelmus Durandus, illudere Divinitati, irridere noſtrum Redemptorem, facere jocum ex JESU Chriſto, imitando illos iniquos Thraſones, & carnifices, qui, faciendo eum Regem ex ludibrio, ad demonſtrandam eorum irriſionem, & jocum, flectebant unum ſolum genu ante eum, ut nos docet Evangelium: *Et genu flexo ante eum.* Matth. 27. v. 29. Significat tandem ultimatò, dicit noſter Eruditiſſimus Raynaudus: per hoc ſolum genu, claudicare veſtram Fidem, claudicare veſtram pietatem, claudicare veſtram Religionem, & illud, quod jam claudicat, DEUS adjuvet, nè citò cadat. Oh, hac in re nihil ultrà eſt præter noſtram inadvertentiam: in hoc autem ego hæreo: & ſi hoc faceretis cum deſpectu formali, nihil vobis deeſſet, quin eſſetis hæretici. Aſt hæc inadvertentia, attendite, & videte *illud*, quid illic ante DEUM poterit eſſe, & percipite hoc ex exemplo, relato à Petro Damiani.

IX. Cùm mortuus fuiſſet certus Religioſus, vitæ admodum Sanctæ, & ut plurimum compoſitorum morum, aliquanto tempore poſt mortem elapſo, dum quidam amicus ejus pro illo orâſſet, repræſentavit ſe illi in uno momento totum mare, & illic in medio maris planitiei elevata certa columna altiſſima, ſupra quam vidit ſuum amicum flammis circumdatum. Quid eſt hoc amice? dixit ad illum: ad quod alter inter mœſtos gemitus reſpondit: ſcias, quòd cùm in recitatione officii Divini, etiamſi ſine defectu intentionis debitæ, nihilominus tamen neglexerim ſemper inclinare caput dicendo *Gloria Patri* - - - nunc hoc ipſum exſolvam tam terribilibus tormentis, ut centies quavis die, & aliis centum vicibus quavis nocte, me obligent inclinare tam profundè caput ex hac colu-

mna, ut collisus, vehementiâ terribili dolorum ab his inclinationibus causatorum, mihi videar, ad quamlibet descendere usque in imum profundum maris: & quantum hoc sit tormentum, mihi apparet non posse esse illo majus in inferno: & ad has tam horribiles pœnas sum condemnatus usque ad diem extremi judicii; si tu mihi non procuras quam plurima suffragia, & orationes, quibus de his pœnis liberer: dixit, & disparuit. O justitiam DEI severissimam! Si ita exolvenda est sola negligentia, & defectus inclinationis capitis, quid non habet timendum, qui distractus per totum, profanat indevotus, irreverens cultus Divinos?

X. Sed cum Tu DEUS meus volueris, in tuo Sancto Templo ponere nobis patentia altaria tuæ Clementiæ, propitiatorium tuæ Misericordiæ, asylum tuæ pietatis; hodie in illo adorant animæ nostræ humiliatæ tuam Magnitudinem: confitetur totum nostrum externum compositum nostros religiosos respectus; ut ita per hoc, quod tibi persolvimus debito cultu, nobis redeant liberalia auxilia gratiæ.

INSTRUCTIO VIII.

De Adoratione, quam tenemur exhibere Sanctis, & multo specialiorem Sanctissimæ Mariæ Virgini.

In Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. 8. Dec.

I. HAbitâ scientiâ de altitudine alicujus pyramidis, facilè argumentari poterit architectus, quanta illi in basi correspondeat latitudo; nam cum acuetur illic in cuspide, debet descendere semper, crescendo usque dum fiat latissima in fundamento; sed si non potest exactè æstimari altitudo suæ cuspidis, impossibile erit proportionare hic in stylobata latitudinem. Fingite itaque vobis pyramidem, quæ à terra deberet pertingere sua cuspide ultra cœlum lunæ, pro basi certè totus esset necessarius orbis ambitus: est demonstratio Mathematica. Nunc, & si hæc pyramis debe-

ret

ret in altitudine transcendere omnes cœlos, & pertingere usque ad firmamentum? non solùm deessent spatia in toto globo terrestri pro sua base, sed & capacitas nostri intellectûs ad cogitandam solummodo, taceo comprehendendam suam latitudinem. Attamen, ô Maria, quàm materialiter, & ruditer dedi ad intelligendum tuam vastitatem: supple Tu voci meæ illud, quod meus desiderat affectus; supple meæ linguæ illud, quod concipit de te meum cor; supple intellectui meo illud, quod vellet in laudes tuas mea voluntas; & solummodo dico, quod si se elevat transcendendo illic firmamentum, usque ad ipsum contactum ipsius DEI cuspis tuæ dignitatis, ut Matris DEI descendendo illinc proportionaliter ad istam altitudinem, crescente tuâ gratiâ, qualis erit basis? qualia erunt cæmenta Tuæ conceptionis purissimæ? Qualiter transcenderet in tantum supra omnes Cœlos elevata, Tua dignitas ut Matris DEI, omnia imaginabilia, si non haberet pro basi in Tua Conceptione omnia spatia, ad qualia pertingit favor Divinus; omnes dilatationes, ad quas potest extendi gratia? & cùm nunquam hæc possit assequi noster intellectus, celebret hæc ad minimum nostra obsequiosa adoratio.

II. Istud est punctum Doctrinæ, quæ hodie sequitur, quam adorationem debemus Sanctissimæ Virgini Mariæ? & ad talem interrogationem, ego vobis confiteor, quòd vacillans in tanto mari meus intellectus, radios vellet habere pro vocibus, flammas pro verbis. Fundatur itaque omnis adoratio in excellentia, qua præeminet illud, quod adoramus: vide Suarez. tom. 1. in 3 p. disp. 51. Idcirco in his adorationibus mundi civilibus, & politicis, iste adoratur ob gradum officii, in quo alios præcedit, alter propter suam dignitatem, ille alter ob suam potentiam. Sed elevato, & translato hoc ad motivum, & rationem supernaturalem, nos obligat virtus Religionis adorare omnes Angelos, & Sanctos ex eo, quòd præemineant in illo statu felici, & in maximo honore, nimirum sanctitate, & gratia; & hæc est illa, quæ nominatur adoratio *Duliæ*, quæ in nullo se opponit supremæ adorationi *Latriæ*, quam solummodo DEO debemus; sicuti non offenditur Rex, dum reveremur ejus ministros; imò exinde gustum capit, & hoc ipsum imperat subditis: siquidem reverentia, quam

illis exhibemus, eſt per authoritatem, quam à Rege habent, participata. Et quanta debet eſſe reverentia, quâ adorandi ſunt Sancti? Multò major, excellentior, quàm quantam habuerint maximi Imperatores, & Reges, dicit Sanctus Theodorus Martyr: *Quis Imperatorum adeò honoratus, ut hic miles pauper?*

III. Jam itaque, ſi ob illorum ſanctitatem, ſi ob gratiam, quam poſſident, in quibus tantum nobis præeminent, debet eſſe ita obſequioſa noſtra adoratio reſpectu Angelorum, & Sanctorum; qualis debet eſſe adoratio, qua adoramus Matrem DEI Sanctiſſimam MARIAM? Ad formandum aliquem conceptum, opus eſſet priùs aſſequi inexplicabilem abyſſum gratiæ illius, quam ſolus poteſt comprehendere DEUS: *Tanta eſt perfectio Virginis, ut ſoli DEO cognoſcenda reſervetur*, dixit Sanctus Bernardinus tom. 2. Serm. 5. n. 3. c. 1. Neceſſarium foret cognoſcere diſtantiam infinitam, quâ ſupra omnes Sanctos unitim ſumptos ſe elevat altiùs, quàm quantum diſtat terra à firmamento, ejus excelſa Dignitas: *Inter Matrem DEI, & ſervos DEI, eſt infinita diſtantia*, dixit Sanctus Anſelmus. Id, quod evenit, & currit inter Matrem Regis, & ſclavos; hoc intercedit inter MARIAM, & Sanctos: attamen ut poſſimus formare aliquem conceptum de ejus gratia, & dignitate, me explicabo, prout poſſum.

IV. Affirmant graviſſimi Theologi, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis habuiſſe MARIAM, Dominam noſtram, majorem gratiam, quàm omnem quantam habuerunt, & habent omnes uniti Angeli, & Sancti, Suarez in 3. p. diſp 4. ſect. 1. Majorem gratiam? Ita eſt: hoc nobis dat ad intelligendum David, dum dicit, quòd hujus domus fundamenta jacta ſint illic in maximis montibus Sanctitatis: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, Pſal. 86. v. 1. MARIA eſt, dicit Gregorius Magnus, ille mons, quem prævidit Iſaias,, præparatus pro domo DEI, & ideò poſitus ſupra verticem montium: MARIA eſt illa porta Syonis, quam DEUS plus amavit, quàm omnia tabernacula Jacob: *Diligit Dominus portas Syon, ſuper omnia tabernacula Jacob.* Pſal. eodem. Sed fulcitam iſtam veritatem Authoritate ſcripturæ, & Patrum, confirmavit ipſiſſima Magna Domina, promittendo gratias dare noſtro Eximio Doctori Patri Francico Suarez, ut in vita ejus videre eſt, ex eo, quòd

quòd primus fuerit, qui introduxit istam veritatem in scholas, cum communi applausu Theologorum. Quid igitur est hoc, quòd MARIA Sanctissima majorem gratiam in primo instanti suæ Conceptionis habuerit, quàm quantam habeant omnes Angeli, & Sancti?

V. Non fit aliquis magnus conceptus, aut æstimatio de millione v. g. hominum aut monetæ, quamdiu non fit numeratio vel computus; nunc etiamsi multum sit in confuso, ite mecum, & incipiamus numerare. Nullum est dubium, quin sint tot millia, & millia Angelorum, ut numeros Arithmetica non habeat pro illis numerandis: *Nunquid est numerus militum ejus?* Dicit Job. cap. 25. v. 3. Et ex hinc Sanctus Thomas p. 1. q. 50. art. ult. sequendo Sanctum Dionysium, docet: Numerum Angelorum excedere numerum rerum omnium corporalium in tantum, in quantum excedunt in magnitudine cœli terram: ita ut plures sint numero Angeli, quàm omnes stellæ firmamenti; plures quàm omnes guttæ maris, & omnes arenæ ejus; plures quàm omnia folia arborum: plures, & multò plures. Oh! quis numerus tantus absque numero: Jam itaque supponite quemlibet Angelum non habere plures, quàm unum solum gradum gratiæ, unum solum; quanta esset hæc omnis insimul unita gratia? Jam, major quam ista gratia unita, est gratia MARIÆ in sua Conceptione: Oh, quæ abyssus! abyssus? ita est: nihilominus tamen sumus adhuc in ripa: in toto hoc numero Angelorum, ascendunt, dicit Doctor Angelicus, ut in perfectionibus naturæ, ita etiam in gradibus, & perfectionibus gratiæ, tali modo, ut ascendunt numeri; siquidem numerus duo excedit unum; tria, duo; & sic de reliquis. Nunc itaque ponite in infimo Angelo unicum gradum gratiæ; si postmodum hic gradus duplicetur ex duobus ad quatuor, ex quatuor ad octo, ex octo ad sedecim, & ita de reliquis tot millium millenis Angelis, usque ad supremum Seraphinum Sanctum Michaëlem, quanta ibi erit gratia? Hoc subitò aliqualiter percipietis.

VI. Institerat apud alterum quidam Nobilis, ut se resolveret ad vendendum ei equum, quem ille tanti æstimabat, ut ei videretur non inveniri pro eo in mundo pretium; verùm Nobilis in tantum institit, ut venditor ei dixerit: Eja Domine, certum est

hunc

hunc equum non habere pretium: ego illum tibi donabo, ſed ſolummodo cum hoc pacto, ut mihi ſolvas ſolùm clavos ungularum, & tali lege, ut pro primo clavo mihi des unum julium: unum dico; pro ſecundo duos, pro tertio quator, & ſic debes aſcendere duplicando ſemper pretium, in quovis clavo, uſque ad triginta duos clavos. Accepto conditionem, dixit ſubitò alter, meliùs militiæ artes intelligens, quàm Arithmeticæ praxes. Venitur ad computum, duplicant numeros à primo uſque ad triginta duo, in ſummam redigunt, & inveniunt: divinetis quot? ducentos, & quatuordecim milliones, ſeptingenta & quadraginta octo millia, tercentos ſexaginta quatuor julios. Oh quæ ſumma! Hoc eſt duplicare numeros ſolummodo triginta duos; jam quæ ſumma prodibit, ſi duplicentur ab uno, & infimo Angelo uſque ad milliones millionum Angelorum? Et tamen ſupra totam iſtam ſummam eſt major gratia MARIÆ, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis; & hoc eſt tantum ſic ponendo, & exiguè computando, quòd incipiat in primo Angelo numerus, ſeu computus ab uno ſolo gradu gratiæ. Adjungite nunc tot milliones Martyrum, Confeſſorum, Virginum, quantam gratiam quilibet illorum habebit? & quantam omnes ſimul uniti? major quàm hæc tota, major eſt gratia MARIÆ in ſuo primo inſtanti: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis.* Omitto pro nunc, ut ſolùm in ſua Conceptione remaneam, augmenta hujus gratiæ, quæ duplicabat omnibus ſuæ vitæ inſtantibus: omitto illam, quam Theologi vocant gratiam, *ex opere operato*: omitto totum Spiritum Sanctum in MARIA, in Incarnatione Filii DEI in ejus utero: omitto maria immenſa, omitto abyſſos abſque fundo, & ſolùm dico cum Chryſologo: Neſcit, quantus DEUS ſit, qui videndo hanc Virginem non ſtupefit, qui contemplando hanc Dominam, non ſubmergitur in admiratione.

VII. Sed tantis abyſſis gratiæ, adjungite nunc dignitatem Matris, qua jam fruebatur MARIA ab ipſo primo inſtanti Conceptionis ſuæ: *Quando non MARIA Mater*? Et quid eſt eſſe Matrem DEI? Hic remanent attoniti, & muti ipſimet Seraphini: attamen, ut aliqualiter rem intelligamus, fingite, quòd quædam mulier eſſet Mater Regis Hiſpaniæ, Regis Galliæ, Imperatoris Germaniæ, & Summi Pontificis Romani; quis honor eſſet hujus fœminæ tam for-

fortunatæ! Sed hoc nihil eſt; fingite, quòd hæc ipſa Mulier foret Mater omnium, quantos, magnos, excellentes, famoſos, in arte bellica peritos --- mundus habuit, hominum; eſt nimis parum: fingite, quòd fuerit Mater undecim millionum Martyrum, tot Pontificum, Confeſſorum, & Virginum, quot adoramus in Eccleſia noſtra Catholica: & ultimatè tandem ſupponite Mulierem, quæ ſola honorem haberet, omnium ſimul ſumptorum Beatorum eſſe Matrem, & ſi poſſibile eſſet, etiam omnium Hierarchiarum Angelicarum; nunquid hic eſſet magnus honor? Hoc quiſque agnoſcit. Ecce, cum omni iſto honore, non mereretur ne quidem eſſe ſerva Matris DEI, non mereretur his omnibus habitis eſſe ſclava MARIÆ. Videte nunc, quis honor erit ille hujus dignitatis, quâ major non poteſt dari, præter dignitatem DEI. Bene poterat DEUS, dicit Sanctus Thomas 1. p. q. 25. a. 6. creare multa millia firmamentorum lucidiorum, cœlorum puriorum, multa millia mundorum pulchriorum; ſed etiam meliorem Matrem præ MARIA, non poterat DEUS creare: quia ſicut DEUS non poteſt creſcere in perfectione, cùm omnes in ſe contineat; ita nec illa, quæ Mater ſua eſt, poteſt creſcere in dignitate. Nec poteſt eſſe major Mater, quàm illa, quæ eſt mater DEI; ſicut nec poteſt eſſe major DEUS, quàm ille, quem ea habuit in ſuis viſceribus: *Ex hac parte non poteſt fieri aliquid melius, ſicut non poteſt eſſe aliquid majus DEO.* Sanctus Thomas 1. p. d. 25. a. 6.

VIII. Diſcurramus nunc ſic: ſi major excellentia, dignitas, potentia, & amplitudo debet eſſe fundamentum, & menſura adorationis; huic Matri, tam infinitè ſupremæ, huic Virgini, cui nihil deeſt præter Divinitatem, quam videmus ſubmerſam in tam immenſis pelagis gratiæ, qualem reverentiam debemus? quæ obſequia? quas adorationes? quales cultus? Videor mihi videre Eccleſiam noſtram Matrem, ſuſpenſam præ admiratione ad tantum prodigium, ſe ipſam interrogantem hoc, quod illic Aſuerus interrogabat: *Quid fiet homini, quem Rex honorare deſiderat?* Eſt. 6. v. 9. Quid faciemus cum iſta Domina? quem honorem exhibebimus, ad quam honorandam, ut videmus, DEUS totam ſuam impendit potentiam? Ex una parte honorare illam ſolùm ut creaturam, nimis quàm parum videtur; quando illa vincendo

omnes ſimul unitas in ſua gratia, in tantum DEO appropinquat in ſua dignitate: ex altera parte venerari illam ut Divinam, eſt multum, poſteaquam DEUS eſt unus, & ſolus. Quid itaque faciemus? *Quid fiet?* Quid? dare illi adorationem, quæ poſt DEUM ſit ſuprema, adorationem quæ ſit particularis, & ſpecialis illius, ut non habeat, nec habere poſſit æqualem illis, quæ dantur omnibus Angelis, & Sanctis. Hæc eſt illa, quam vocamus adorationem *hyperduliæ*, & eſt illa, qua eam tenemur adorare, ut Dominam noſtram, tantò altior illâ, quam exhibemus Sanctis; ut hi etiam in Cœlo illam adorent, ut ſuam Patronam; tantò altior illâ, quam damus Angelis; ut hi ei incurvent genua, tanquam Angelorum Reginæ. Bene poterat attribuere Eccleſia MARIÆ, adorationem *Latriæ* ad illum modum, quo illam exhibet Sanctæ Cruci, quia fuit inſtrumentum noſtræ redemptionis, quia immediatè tetigit Corpus Divinum noſtri Redemptoris. Vide Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 13. ſect. 3. Hoc ipſum fecit Maria; ſed ſi Eccleſia illi attribueret cultum *Latriæ*, poſſet in æquivocationem incidere noſtra ignorantia, & cogitare, nos illi debere hanc adorationem non ex hoc ſolo exteriori reſpectu. Non itaque: adorent Mariam ut ſupremam Creaturam, & præterea exſolvat illam Eccleſia repetitis illi debitis cultibus. Idcirco conſecravit huic magnæ Dominæ plura feſta, quàm menſes numeret annus. Omni ſeptimana ejus honori dedicat diem; omni die tribus vicibus ad ſonum campanæ nos invitat, ut illam proſtrati adoremus: in Miſſa tam ſæpiſſimè invocamus Nomen ejus Sanctiſſimum; in ſermonibus ad populum noſtra incurvamus genua, primò locò ad elogia ejus magnitudinis, & quærimus ejus interceſſionem ad obtinendam gratiam linguæ, & benignum Auditorum auditum. Oh! quæ cura eſt hæc Eccleſiæ, & ad quem alium finem, Dilectiſſimi, quàm ut nobis indicet, quòd, ſi fieri poſſet, quoties reſpiramus, deberemus illam laudare, & adorare hanc pulcherrimam creaturam, objectum dignum omnibus DEI amoribus: nec unicum inſtans deberet eſſe, in quo non deberemus eidem ſpecialem exhibere reverentiam. Ita apparet feciſſe Beata MARIA Ogniacenſis, de qua refertur, quòd intra diem, & noctem ſalutaverit Virginem incurvando genua, mille & centum vicibus; ſed cum

noſtræ exhibitiones reverentiarum tot non ſint, ſaltem illam ſemper ſalutemus, dum ejus Imaginem videmus, dicendo: Ave MARIA. Ita illam ſemper ſalutabat *Sanctus* Bernardus, & aliquando ei reſpondit cum indicibili benevolentia Virgo Sanctiſſima: *Salve Bernarde.*

Sed ſi in puncto Conceptionis MARIÆ, fecit DEUS in illa IX.
ſplendidiſſimam oſtentationem ſuæ gratiæ: in hoc Myſterio dulciſſimo moniſtravit, Maria quantum ei placeat, quod eam revereantur, innumerabilibus miraculis. Dicat hoc ille infans Seviliæ, qui cùm ſolùm eſſet tredecim menſium, ſugendo ubera Matris, audivit illos cantantes laudes Puriſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis MARIÆ, relinquendo ubera ſe vertit intonando clara, & bene articulata voce; *Totus mundus generaliter* &c. Dicat hoc ille alter infans, quo projiciente ex improbitate in magnam accenſam fornacem, imaginem chartaceam Conceptionis Mariæ, imago permanſit, in medio flammarum volando, integra, & ſine læſione, per tantum ſpatium temporis, quod ſuffecit ad vocandum Epiſcopum, ut veniret, & ſua manu eandem ex flammis levaret integram, & intactam. Oh! quanta haberem, quæ dicere poſſem, ſed tempus deeſt. Concludo, uniendo amori noſtrum intereſſe; quandoquidem non ſunt, nec dantur *ſolicitudines, & anguſtiæ, quibus*, invocatâ puriſſima Conceptione MARIÆ, non ſuccurrat. In partu periculoſo omnibus diebus experiuntur illæ perſonæ, quæ cum devotione Immaculatam Conceptionem colunt, in infirmitatibus deſperatis, ſtupenda miracula hoc ipſum atteſtantur.

Inter plurima ſeligo illum prodigioſum caſum, vel maximè X.
modernum: narrat eum noſter Eruditus Theophilus Raynaudus tom. 8. fol. 324. Piet. Lugd. erga B. Virg. Romæ in monte Quirinali in Monaſterio Virginum Religioſarum Ordinis Capucinorum, una ex illis graviter laborabat morbo calculi, ita ut in infirmitate nullam inveniret quietem, nec medicinæ adferrent aliquod ſublevamentum; ejus confeſſarius, qui erat Capucinus, dedit illi unam ſchedulam, in qua erant ſcripta hæc verba: *Conceptio MARIÆ ſine macula*, & dixit illi, ut eam cum Fide ad dolores mitigandos applicaret, quòd certiſſimè Virgo Beatiſſima illi obtentura eſſet ſalutem. Virgo Religioſa, cum illi videretur nimis quàm

parum esse, solummodo sibi schedam ad dolores mitigandos applicare, illud quod fecit, fuit, quod schedam deglutiverit: sumptâ tali modo schedulâ, eodem momento, ô prodigium! emisit duos magnos calculos sine minimo dolore, & in quolibet eorum erat sciptum: *Conceptio immaculata.* Volavit immediatè fama de prodigio: receperunt illud aliqui cum debita admiratione, sed non defuerunt alii, qui volebant obscurare facti veritatem. Attamen testimoniis omni exceptione majoribus authenticatum miraculum, divulgabatur immediatè in scriptis per totam Italiam, & confirmabatur, sanando taliter alios multos ab eodem morbo. Accidit hoc prodigium 13. Novembris Anno 1652. Verùm pauper Religiosus, acsi in hoc dato salutari remedio aliquod commissset delictum, privatus suô officiô, Româ fuit amandatus à suis Superioribus cum pœna, quam ipsi injunxerunt, perpetui carceris, si loqueretur de hoc, quod illi nominabant, non miraculum, sed impostaram, vel figmentum. Adfuit MARIA Sanctissima ad vindicandum suum honorem, siquidem Anno 1657. 12. Febr. premebatur eodem morbo Cardinalis Rapacciola tam attrociter, ut jam centum & sex horæ effluxerint continuæ suppressionis aquæ, perceptisque Sacramentis omni instanti mortem expectaverit. Confessarius ejusdem, memor illius miraculi, scripsit subitò in parva chartula hos versiculos Ecclesiæ: *In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti; Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti*: Dat hanc chartulam sumendam in aqua infirmo, qui erat devotissimus erga hoc Mysterium, & eô ipsô momentô, ô DEUS semper in MARIA super omnia admirabilis! eô ipsô momentô emisit septem calculos, & in uno eorum simul convolutam illam chartulam, redditúsque est in momento sanitati. Impleta est tota Roma jubilis, acclamationibus, & applausibus.

XI. Oh! & utinam totus mundus repetat, MARIA! & prorumpat in laudes tuæ Immaculatæ Puritatis. Oh! & sicut cœlum totum ab ipso primo instanti te adorat Reginam, exornat abyssis gratiæ; ita omnis terra te adoret semper puram, & liberam à minima macula, & ut comitentur nostra corda Seraphinos in affectibus, in tua reverentia, in tuo cultu, divide, & dona liberaliter de multitudine, & copia, qua superabundas, tuæ gratiæ.

IN.

INSTRUCTIO IX.

De Adoratione, quam tenemur Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum præstare.

CÛm oculi noſtri ſint judices picturarum, dantur picturæ, ad quarum celebrandas perfectiones, ſolemus dicere, deeſſe oculos ad illas contemplandas. Incidit Nicoſtratus, Pictor famoſus, in effigiem Helenæ, opus antiquum Zeuxis, & ad conſpectum illius remanſit Nicoſtratus in tantum raptus in ſtuporem artis, tantum attonitus præ admiratione, tantum ſuſpenſus, tantum abſorptus; ut longo tempore videretur ſtatua eſſe mortua ante effigiem unius fœminæ, quæ videbatur viva. Advenit interim ruſticus, & quid ultrà faceres, dixit ei; ſi videres illam ipſam Helenam? Et quid eſt hic, quod te ita abripit? Tunc Pictor vertendo ſe ad illum inter compaſſionem, & deſpectum: Iſta, reſpondit illi, iſta tabula picta non eſt pro veſpertilionibus; erue tibi iſtos oculos, & ego tibi præſtabo meos, & his habitis ſcies, & videbis illud, quod ego admiror, & tu non intelligis, ſi enim tu videres id, quod ego video, nullatenus me interrogâſſes: *Non id interrogares, ſi meos oculos haberes.* Oh! quantò majori ratione poſſumus nos Catholici dicere hoc ipſum, talpis multò magis cœcis impiis hæreticis, qui tantopere rabioſi perſequebantur uſum, venerationem, & cultum Sanctarum Imaginum; perſecutiones terribilioribus annumerandæ, quas paſſa eſt Eccleſia ab antiquo per quosdam ſacrilegos Imperatores Orientis, & noſtris temporibus per maledictos Calvinum, Lutherum, & Henricum VIII. qui perditis oculis Fidei, & Religionis, quoniam non vident, ideò etiam non æſtimant illud, quod nos dignè reveremur, & adoramus in Sacris Imaginibus. Uſus hic eſt tam antiquus in Eccleſia, ut etiam ante Apoſtolos habeat pro Magiſtro vitam noſtram Chriſtum JESUM. Deſiderabat Rex Abagarus habere effigiem copiatam Chriſti, dum vivebat in terra; miſit hac de cauſa Pictorem in arte peritiſſimum: ſed ille, obcœcatus à radiis Vultûs Diviniſſimi, nunquam poterat, nec quidem unicam ducere lineam; & tunc JESUS, convertendo ſuum Divinum Vultum, reliquit illum expreſſum in tela Pictoris; & hanc Diviniſſimam I.

Effigiem misit illi Regi, & cum illa salutem animæ, & corporis. Ex hinc itaque receptus est usus, & mos à Sanctis Apostolis Sacrarum Imaginum: est etiam receptus ex Divinis Scripturis: unde habemus optimam notitiam de Imaginibus illorum duorum Cherubinorum, quos mandavit DEUS poni in templo. Hoc apprehendendo nostra Mater Ecclesia, docuit nos hanc venerationem, quam debemus habere Imaginibus, sicut, & omnes Sancti Patres id unanimiter asserunt; hoc ipsum defenderunt suo sanguine, & sua vita innumerabiles Martyres, & stabiliverunt Sancta Concilia; Septima Synodus, quæ est Concilium secundum Nicænum, & alia antiqua Concilia, & noviſſimè Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 25.

II. Jam itaque, spretis cœcis hæreticis, qui non possunt judicare de coloribus, nos, qui pro nostra fortuna videmus lucem Fidei, quid est illud, quod adoramus in Sacris Imaginibus? Sanctus Thomas 3. p. q. 25. de Synod. 7. a. 3. Suntne colores, telæ, lignum? quis hoc non videt, quòd hoc non, & quòd nihil horum sit dignum reverentiâ, nec adoratione? Jam si Imagines non sunt quid aliud, quàm certæ picturæ mortuæ, certæ statuæ lapideæ, metallinæ, argenteæ, vel ligneæ: *Quam reverentiam illis tenemur*? hoc nobis nunc respondendo declarat Catechismus: *Illam ipsam, quam exhiberemus Sanctis, quos repræsentant*: ita, ut quamvis teneamur adorare Imagines, id propter eas non fit, sed propter Sanctos, quos repræsentant: hæc est ratio, cur illas adoremus. Bellarm. l. 2. de Sanct. c. 5. & ex eo Avell. de Incar. c. 8. Sect. 5. Et videtis hic distinctionem claram, quæ currit inter Idolum, & Imaginem; nam idolum nihil repræsentat, cum totum illud, quod gentiles dicebant illud repræsentare, ex integro erat mendacium, & sic terminabatur omnis eorum pessima adoratio in adorando ligno, vel lapide; sed imago repræsentat suum originale verum, sanctum, & dignum adoratione, & sic in ista, vel illa imagine adoramus proprium originale.

III. Hinc itaque istam adorationem Imaginum, vocant Theologi adorationem respectivam, quod vult dicere, adorationem respectu illius, cujus est Imago. Et ex hoc immediatè nunc exoritur mea difficultas: si Sanctos adoramus ob eorum sanctitatem, & ob eo-

eorum gratiam, & eorum imagines non adoramus ob ſanctitatem, & gratiam, quam in ſe ipſis habent; ſed ſolummodo ob hoc, quod repræſentant; cur & quomodo dicit Catechiſmus, quòd Imaginibus debeamus exhibere adorationem eam ipſam, quam exhiberemus Sanctis? ſi iſtos adoramus ob eorum ſanctitatem, & ob eorum gratiam, & Imagines eorum non ex hoc motivo, ſed ſolùm, quia illos repræſentant, quomodo debet eſſe eadem adoratio? Hoc ego dicam: debet adoratio eadem eſſe; quia ſi DEUM in ſeipſo adoramus abſolutâ adoratione *Latriæ*, ſuas effigies, & imagines debemus adorare ea ipſiſſima adoratione, id eſt, *Latriæ*; ſed reſpectiva: dum MARIAM Sanctiſſimam adoramus in ſe ipſa, adoratione *Hyperduliæ* abſoluta, imagines ejus debemus adorare eâ ipsâ adoratione *Hyperduliæ*, ſed reſpectiva; ita pariter, dum Sanctos in ſeipſis adoramus adoratione *Duliæ* abſolutâ, imagines eorum debemus adorare adoratione *Duliæ*, ſed reſpectiva; imago adoratur non ob ſeipſam, ſed propter Sanctum, quem repræſentat. Externè in omnibus tribus adorationibus eodem modo inclinamus caput, curvamus genua: ſed internè, ita ſicut majori, vel minori ſubmiſſione illas diſtinguimus; ita pariter in imagine, quam adoramus, recognoſcimus animâ originale, quod illa nobis repræſentat.

IV. Sed quomodo poteſt pingi Natura Divina, vel Sanctiſſima Trinitas? Certum eſt, quod hoc ſicut non poteſt capere noſtra imaginatio, ita non poteſt eſſe imago creata, quæ illam repræſentet. Avelli. de Incar. c. 8. Sect. 3. Dum itaque pingitur DEUS Pater ut quidam Senecio, Spiritus Sanctus in forma columbæ, hoc ideò fit, quia in iſta forma exteriori ſe videndas præbuerunt hæ Divinæ Perſonæ in Scripturis; Æternus Pater, ut Danieli, & Sancto Joanni in Apocalypſi apparuit, in aſpectu cano, ad demonſtrandum ſuum æternum Eſſe, ſuam ſupremam Majeſtatem ſui abſoluti, & ſupremi Dominii; & dare ad intelligendum Spiritus Sanctus in figura columbæ, ut ſupra Chriſtum in Jordane apparuit, ſuum amorem, ſuam velocitatem, & promptitudinem, quibus nobis favet, nos roborat, & vivificat. Et hac de cauſa etiam pinguntur Angeli in forma humana, quia quamvis illi ſint puriſſimi Spiritus, & ex integro inviſibiles, tamen in iſta forma

ex-

teriore apparuerunt, & visi fuerunt plurimis vicibus, ad favendum hominibus.

V. Jam itaque Imaginibus Sanctissimæ Trinitatis, Christi Redemptoris nostri, Spiritûs Sancti debemus exhibere adorationem *Latriæ*. Sanctus Thomas 3. p. q. 25. Et hac de causa debemus hanc ipsam adorationem S. Cruci, non solùm illi originali, quæ fortunam habuit tangere Sacrosanctum Corpus nostri Redemptoris, sed cuicunque Cruci, ex qualicunque materia illa sit: quia Crux semper est Imago nostri Redemptoris, ut dictum est prima parte, Instructione VIII. num. 2. Non ita aliis Instrumentis Passionis Dominicæ; siquidem inter alia instrumenta, solùm illis originalibus, quæ tetigerunt immediatè Corpus nostri Redemptoris debemus adorationem *Latriæ*, non autem eorum copiis. Illa alia instrumenta igitur adoramus, non sicut imagines, sed sicut reliquias, quæ est secunda repræsentatio, quâ etiam debemus adorare Sanctos: *Et reliquiis Sanctorum, qualem adorationem, & reverentiam tenemur exhibere*? Interrogat Catechismus, & respondet: *Illam, quam ipsismet Sanctis, qui fuerunt templum DEI.* Dicam totum breviter: Quomodo æstimat cœcus amans, & luxuriosus effigiem, quæ ipsum damnat? Quomodo respicit, & appretiat pignus, quod est pignus æternæ suæ damnationis? & nunquid hoc in gratiam pignoris facit? Non; sed in gratiam illius, cujus pignus est; & ob effigiem? Non; sed in gratiam illius, cujus est effigies. Jam hoc, quô dæmon fomentat flammas turpitudinum: hoc, quô dæmon accendit fornaces lasciviæ, in quibus animæ uruntur, ardent, & consumuntur; mutemus in materiam sanctam, motivum supernaturale, in amorem purum & Divinum; & hoc est illud, quod in imaginibus Sanctorum, & in ipsorum pretiosis reliquiis accendit nos in fervorem pietatis, ad eos imitandos, in flammas devotionis, ad eos invocandos, & in ignem amoris DEI, ad eos sequendos.

VI. Obligatio itaque, quam in hac materia ob virtutem Religionis habemus in isto Primo Præcepto, est non solùm affirmativa, adorandi, & honorandi Imagines, & Reliquias Sanctorum; verùm etiam negativa, non faciendi illis contemptum, injuriam, vel gravem irreverentiam: hoc enim esset gravissimum sacrilegium,

um, quod toties castigationibus tam terribilibus puniverunt Sancti. In hac materia possem referre similia exempla plurima, imò innumerabilia; verùm, cùm per misericordiam DEI simus omnes Catholici, judico otiosum hac de re inter nos loqui; & ideò videamus obligationes alias, ad quas nos mutò modò obligant, & nobis illas intimant tacitè ipsissimæ Sacræ Imagines. Ex tribus causis, dicit Sanctus Thomas, stabilitus est usus in Ecclesia Sacrarum Imaginum.

Prima est: Quia picturæ sunt certi quasi aperti libri, in quibus rudes legunt, & intelligunt in pictura illud, quod non sciunt legere in Scriptura: *Primò ad instructionem rudium, qui eis, quasi quibusdam libris, edocentur.* D. Thom. in 3. dist. 9. a. 2. ad 3. Oh quales libri, in quibus sine literis tam facile potest apprehendi omnis sapientia Sanctorum! Quantus & qualis liber humilitatis, una Imago Sancti Francisci Seraphici! Quis liber pœnitentiæ, effigies Sancti Petri de Alcantara! Quantus liber amoris DEI, Imago Sancti Augustini! Et ut omnia abbreviemus, quis, & quantus liber omnium virtutum, unica Imago Glorioſissimæ, & Sanctissimæ Virginis MARIÆ! Et quis liber omnium perfectionum, Christus Crucifixus! Nullus itaque habebit excusationem, quam possit prætendere, suæ ignorantiæ, dum mutæ Imagines docent nos virtutes. VII.

Secunda causa sancti usûs Imaginum, est, dicit Sanctus Thomas, ut ad illarum intuitum, renovetur memoria omnium supremorum, & tenerrimorum Mysteriorum nostræ Redemptionis, & cum ipsis exemplorum Sanctorum: *Secundò, ut Incarnationis Mysterium, & Sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repræsentantur.* Et eritne excitare talem memoriam teneram, & eritne sequi ista exempla sancta, proponere Imagines sub prætextu & ratione convivii, lusûs, saltûs, & aliarum mille indecentiarum? Ah Catholici! Necessarium erat in aliquibus partibus, ut huic damnato dissordini remedium per excommunicationem poneretur per Edicta Sancti Tribunalis Inquisitionis; attamen, cum edicta clarissima fuissent, plurimi nolebant illa intelligere: non prætendebant hæc Sacra Tribunalia prohibere, ne in Præsepio exponeretur Nativitas nostri DEI: hoc quod prohibuerunt, & quidem sanctissimè, est, primò exponere cum determinato nume- VIII.

ro candelarum, credendo, quòd tot, & non plures, vel pauciores poni debeant; hæc enim eſt ſuperſtitio. Secundò, ne ante præſepe habeantur epulæ, luſus, ſaltus, conventicula, & alia ſimilia; hoc eſt illud, quod prohibetur: non autem illic ſe collocare cum decentia, teneritudine, & devotione debita, ad contemplandam hanc inventionem inexplicabilem, qua DEUS pro nobis ſe fecit infantem.

IX. Tertia cauſa ſancti uſûs Imaginum, dicit Sanctus Thomas, eſt, ad excitandam noſtram devotionem, & ad movendam noſtram teneritudinem, ad fortificandum noſtrum fervorem, qui magis roboratur per illud, quod depictum videt, quàm per illud, quod audit. Oculi nos efficaciter movent; ideò itaque nobis proponuntur ante oculos ſacræ Imagines: *Tertiò ad excitandum devotionis affectum, qui ex viſu efficaciùs excitatur, quàm ex auditu.* Sed quam devotionem excitabunt certæ nuditates, per quas volunt demonſtrare pompam, vel artis ſuæ excellentiam Pictores? Oh quale punctum eſt hoc, quod exigit efficaciſſimum remedium! Magdalenam, exemplar admirabile pœnitentiæ, prodigium rarum Divini amoris, illam depingunt, vel jam ita nudam, ut ſine offendiculo illam non poſſint aſpicere oculi caſti; vel jam ita profane exornatam modô illô; quem adinvenit infernus: acſi non pretioſior & melior ornatus, & pompa pro cœlo, ſuum cilicium, acſi non eſſent pretioſiores uniones, ſuæ lachrymæ, & acſi adamantes non magis, & melius emicarent, & ſplendeſcerent in ſuis virtutibus. Quæ pietas, quæ devotio poteſt movere, ſi Magdalena pingatur ut aliqua Venus? Hoc vocant eminentiam artis? impietatem ſcandaloſam hoc dicunt illi eſſe, qui DEUM timent. Quæ honeſtas? vitat, & caſta Suſanna ſe recipit ad balneum, in parte maximè interiori horti, clauditur occulta, procurat verecunda, ut à nemine videatur; & quid hic habet Pictor ſacrilegus, ut ſua maledicta manu exponat patentem ejus nuditatem in tabula, in aliqua tela, oculis totius mundi? Et hæc eſt præſtantia penicilli? hæc eſt præſtantia diaboli, hoc eſt publicum ſcandalum, hoc eſt damnum graviſſimum, ad quod continendum, & coërcendum in Republica Chriſtiana, id prohibuit ſub excommunicatione Pictoribus Synodus ſexta, in Canone centeſimo primo: *Picturæ oculorum præſtigiatrices, & mentis corruptrices,* &

& ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices, ſancimus, ut nullatenus impoſterum pingantur: ſi quis autem hoc fecerit, excommunicetur. Et ideò in Regno Portugalliæ, juxta relationem Patris Chriſtophori de Vega, Theol. mor. t. 1. p. 66. nulla imago in publicum prodit, quin prius recognoſcatur, & approbetur à Sancto Tribunali Inquiſitionis. Ideò Sanctus Carolus Borromæus in una Synodo Provinciali, in ſuo Archi-Epiſcopatu mandavit, ut nullus retineret picturas laſcivas in ſua domo, & ſi quæ forſan illic inverirentur, illico Vulcano conſecrarentur.

Et in veritate, Dilectiſſimi mei, quas turpitudines non docent infantes, quas cogitationes non excitant majoribus, & adultis, & quas flammas inferni non accendunt omnibus iſta monſtra, hæ abominationes? Unde pictores acceperunt licentiam, & ego non ſcio, quis illam eis dederit, ſi hanc eis non dedit diabolus, patefaciendi per fabulas Gentilium illorum fœditates Barbaras? Ubi eſt pietas Chriſtiani? Similia habere in veſtris domibus? Quid diſcent veſtri filii, videntes iſta? Audite unum ex Gentilibus abſque cognitione DEI, prætereaquam turpiſſimum in ſuis ſcriptis, & nihilominus audite Propertium, audite unum ex damnatis: X.

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo;
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

Quid facit ille, qui in ſua domo exponit picturam fœdam? Exſtruit ſcholam, ubi innocentia addiſcat malitiam, ubi per oculos virguncula imbibat infernum, & ubi quis addiſcat iter, cum anima perdendi honorem; & in tali materia, tam gravi, tam ſcandaloſa, tam nociva, non formatur ſcrupulus? Audiant itaque Pictores ſimilium operum, & audiant illi, qui ſimilia in domibus retinent, hoc exemplum.

Refert illud Frater Joſephus à JESU MARIA, Religioſus Carmelitanus tom. 1. de virt. caſt. lib. 4. c. 25. ex quo illud narrat noſter Theophilus Raynaudus. Recognoſcens errorem falſæ lucis, & veræ umbræ mundi, famoſus quidam Pictor, ad depingendam meliùs in ſua anima coloribus virtutum pulchritudinem meliorem gratiæ, intravit exemplariſſimum ordinem Diſcalceatorum XI.

Carmelitarum, ubi in tam Sancto, & auſtero inſtituto, cùm ultimus non fuiſſet, in exemplo, vixit aliquot annis, non ſolùm recipiendo, & exprimendo in ſeipſo virtutem; ſed etiam ditando & exornando Conventum, ut plurimum excellentibus, & devotis Imaginibus diverſorum Sanctorum. Advenit mors tollendo illum, tam bene proviſum. Verùm ſequente nocte perſiſtens in oratione alius Religioſus in choro, derepente illum ante ſe conſpexit in tam terrifico ſpectaculo, ut, cinctus ille miſerabilis per omnes partes terribilibus flammis, dederit aliquod indicium ſuorum graviſſimorum tormentorum, continuatis ſuis gemitibus. Attonitus ille Religioſus, quid ſibi vult hoc? dicit ei: quæ ſunt hæc tormenta, cùm ego jam credidiſſem te eſſe in æternis gaudiis, ob tua bona exempla? Scire debes, reſpondit ei afflictus, quòd quondam in mea juventute certus Nobilis à me petierit, ut ipſi pingerem certam picturam inhoneſtam, & turpem: non erat mei moris ſimilia pingere, ſed precibus & inſtantiis Nobilis victus, hanc ſolam & unicam penicillo adumbravi; & poſtmodum ſentiens remorſum conſcientiæ, & ſemper me ſcrupulo angente, feci hac ſuper re pœnitentiam, confeſſus fui, & in compenſationem formavi varias Imagines meorum Sanctorum Advocatorum. Adveniente itaque mea morte, in puncto me inveni in hoc tribunali DEI: oh ſi ſcires, quàm ſit terribile, quàm horrendum, quàm ſeverum! Et inter alias actiones meæ vitæ, fuit mihi pariter facta quæſtio de illa imagine: oh utinam nunquam manus habuiſſem pro illa efformanda! Dixit meus Angelus pro meo ſublevamento, & exoneratione, me deſuper egiſſe pœnitentiam, & qualiter in ſatisfactionem depinxerim Imagines multorum Sanctorum. Itane, replicavit diabolus, ſed tot & tantæ animæ, quotquot viderunt illam picturam, ceciderunt in gravem culpam, & jam ſunt æternùm damnatæ, ille debet ſolvere, qui fuit earum cauſa damnationis. Oh quæ fuit afflictio, & mea anxietas in illo puncto! Ego non ſcio, non poſſum edicere. Condemnavit me Dominus ad pœnas purgatorii ſuſtinendas, uſque ad diem extremum Judicii; ſed intercedendo ſubitò omnes illi Sancti, quorum Imagines depinxi, commotus Dominus ad illorum preces, mitigavit eò uſque ſententiam, me debere pati has inexplicabiles pœnas, uſque dum illa

illa pictura comburatur. Et hoc venio ad deprecandum te, ut convenias Nobilem, qui picturam habet, qui est ille talis, & illi dicas; ut illam comburat: & ut meum credat infortunium, dic ei, quod in signum hujus rei intra spatium unius mensis morituri sint omnes sui filii, & multo severiorem pœnam experietur, si non obediverit. Visio disparuit: certificatus Nobilis a Religioso, obedivit, combussit impudicam picturam, & intra unum mensem mortui sunt omnes sui filii.

Timeat similes habens picturas, tremat ille, qui eas pinxit; XII.
& si Sancti, solùm ob hoc, quia hic eorum effigies pinxit, fuerunt illi tam fideles, & potentes intercessores; etiam nostri erunt, si cum debita reverentia, quæ illorum debetur Imaginibus, invocamus illorum patrocinium, sequimur illorum virtutes, ut, demonstrando DEUS in nobis suam gratiam, illis associemur in gloria.

INSTRUCTIO X.

Quomodo nos obliget hoc Præceptum fugere omnem Superstitionem.

PRoportioni valoris alicujus lapidis pretiosi, vel alicujus exquisitæ, & cum arte elaboratæ figuræ, debet correspondere artificium, labor, & pretium suæ thecæ, in qua includitur, vulgo Fassung. Idcirco quis non critisaret, ut plurimum insipientem artificem, qui includeret aliquem adamantem inæstimabilis valoris, & pretii, in annulum plumbeum, vel in circulum æreum, in munimen stanneum? Artifex stultus, & indoctus remaneret, & adamas ita infamatus ob suam thecam, ut nec Dominus, nec Princeps aliquis vellet illum in suo portare digito. Sunt quasi ad amussim, Dilectissimi mei, exteriores ceremoniæ, Sacri Ritus, per quos manifestamus DEO nostram venerationem, & cultum, sunt inquam theca quædam adamantis inæstimabilis, nostræ Catholicæ Religionis; & idcirco hæ ipsæ Cerimoniæ, quæ ita nostrum incendunt spiritum, quæ tantum nobis insinuant respectum, & quæ I.

ita nos implent veneratione pia, ſunt tanti valoris, ut, cum illas didicerimus aliquas a Sanctis Apoſtolis, alias ab Eccleſia noſtra Matre, cum aſſiſtentia Spiritus Sancti Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 22. de Sacr. Miſſ. Can. 7. condemnaverit per excommunicationem illum, qui cœcus & audax auderet ſpernere Sacras Cæremonias, & ritus ſtabilitos in Sancta Eccleſia: *Si quis dixerit, Cæremonias, Veſtes, & externa ſigna - - - irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis, anathema ſit.* Nunc ſi quis hic foret, qui tractus indiſcreta devotione, introduceret ex ſuo capriccio, ex ſua phantaſia, contra ſtylum Sanctæ Eccleſiæ cæremonias ridiculas, indecentes, vanas, & ut omnia unô verbô dicam, ſuperſtitioſas? Hoc eſſet (ut jam dixi) includere adamantem plumbo, & peſſimè tractare pietatem in theca ſtolida, & vili ſuperſtitionis.

II. Ita igitur, ſicut per hoc primum Præceptum, in quo aſſiduè perſiſtimus, & adhuc aſſiduè perſiſtemus, nobis mandantur actus, qui pertinent ad virtutem Religionis: ita pariter nobis prohibentur pernicioſa vitia, quæ religioni opponuntur. Nunc ex his primum vitium eſt ſuperſtitio, cujus ſunt rami plurimi, & multò plures fructus venenati, quos producunt, ſive hoc fiat ex ignorantia, vel ex malitia. Procedam itaque explicando illos cum diſtinctione: nam ſi intellecti fuerint cum claritate, non poterit allegare excuſationes ignorantia, nec poterit currere, & exorbitare ita, quaſi ſine fræno, malitia.

III. Superſtitionem igitur generaliter definit Angelicus Doctor Sanctus Thomas 2. 2. q. 92. art. 1. & cum illo Theologi omnes: Eſt una falſa Religio, qua datur DEO vero cultus, vel modo improprio, & illegitimo, vel datur alicui creaturæ cultus, & reverentia, quæ illi non debetur. Duo hic ſunt obſervanda: unum ex parte objecti, cui cultum exhibemus, alterum ex parte modi, quo hunc cultum exhibemus. Ex parte objecti erit ſuperſtitio, ſi demus alicui creaturæ illum cultum, qui ſoli DEO debetur. Ex parte modi non ſufficit, quòd ſolùm noſtro vero DEO demus cultum ſuum debitum, ſed & iſte cultus debet eſſe accommodatus ex toto, & regulatus ad morem Eccleſiæ, juxta ejus Sacras Cæremonias & ritus; & omne illud, quod huic opponetur, quamvis vobis vi-

de-

deatur esse devotio, quamvis cogitetis esse pietatem, est superstitio. Ah! quantam facilitatem video in introducendis novitatibus, sub pallio devotionis sine obstaculo! in ipsis devotionibus jam desiderantur certæ consuetudines; DEUS immortalis!

Explico primo illud, quid sit superstitio in modo; postmodum dicam illud, quod attingit superstitionem in objecto. Loquor pro nostra summa fortuna inter Catholicos. Adoramus nostrum verum DEUM in seipso, & adoramus eum in Sanctis: in hoc nunquam possumus habere periculum ex parte illius, quod adoramus; sed id potest facile contingere ex parte modi, quô offerimus, & peragimus hos cultus: Hoc periculum est illud, quòd nos in modo, eos peragendo tali vel tali, eosdem faciamus superstitiosos; & poterit hoc succedere modo duplici: Primò, si reverearnur DEUM tribuendo illi cultum falsum, & mendacem; sicut si aliquis observaret pro nunc aliquam, vel aliquas ex illis cæremoniis Judæorum, quæ si pro tunc erant veræ Religionis, quia significabant & figurabunt Messiam, qui debebat venire, nunc, quem adoramus jam venisse pro nostro remedio; sunt jam cæremoniæ falsæ, sunt jam cultus mendax, & semper peccatum mortale, & gravissimum, si quis hoc faceret cum advertentia. Ita pariter committit superstitionem, & gravissimum sacrilegium per cultum falsum, qui absque ordinatione in sacerdotem, & nec habito Ordine sacro, vel missam diceret, vel exerceret cum ornamentis sacris aliquem actum illorum, quem solùm possunt exercere illi, qui jam per Ordinem Sacrum sunt consecrati in Ministros Ecclesiæ. Hoc, qui ignoret, non datur inter nos; attamen vobis in memoriam reduco, quòd quiscunque sciret, aliquem simile quid attentâsse, talem esse obligatum sub excommunicatione, illum denunciare subitò apud Sacrum Tribunal Inquisitionis. IV.

Peccat pariter mortaliter ratione hujus cultus falsi, & superstitiosi, qui fingit Reliquias Sanctorum, distribuendo, vel donando pro reliquiis illud, quod scit, non esse reliquias. Fagund. in Past. Decal. l. 1. c. 34. n. 15. Peccat mortaliter, qui fingit miracula, illa dicit, illa narrat, vel illa scribit; acsi veritas nostræ Fidei necesse haberet similibus mendaciis. Dilectissimi mei, magna facilitas datur hac in materia facilè peccandi; & quid dice- V.

cemus de illo, qui dat numiſma, vel crucem alteri, dicens hanc habere indulgentias, dum ſcit, hoc numiſma eſſe ex illis, quæ divenduntur in officinis, & quòd nullas habeat Indulgentias? Materia hæc eſt gravis ſcrupuli; quia ſi ille, ſupponendo ſuum numiſma habere Indulgentias, reducit ſolum ad lucrandas iſtas Indulgentias ſatisfactionem pro ſuis culpis, & poſt mortem ſe invenit deceptum, quòd nullas lucratus fuerit Indulgentias, & quòd illi reſtent multi anni purgatorii: eritne iſta exigua deceptio? illic videbunt hoc illi; qui ita fingunt Indulgentias. Peccant etiam hoc cultu falſo, & ſuperſtitioſo hypocritæ; illi, qui fingunt ſe habere revelationes & raptus. Poteſtne id contingere inter Chriſtianos? Oh utinam nunquam accideret. Illi, & illæ, qui portando exterius habitus, vel veſtes humiles, & pœnitentiales, affectant ſolummodo in apparentia auſteritates, devotiones, jejunia; & illic in abſcondito, diabolus & illi ſciunt, quantùm ſibi blandiantur: *Simulata ſanctitas*, *duplex iniquitas*, dicit Sanctus Auguſtinus; dupliciter iniqui, exterius per mendacium, interiùs per copiam peccatorum. Loquor de illis, qui ſolum id ſeligunt, quod eſt exteriùs virtutis, modum humilem, ut illis detur eleemoſyna, ad habendum in domos ingreſſum, ad acquirenda ut vivere poſſint. Audite: certus quidam habebat cattum album, & idcircò facille illum advertebant, & videbant mures & glires; quapropter cauſa vix aliquem ex illis poterat prædari: accidit cattum incidiſſe in ollam atramentariam, & factum fuiſſe jam ex albo, totum nigrum; mures & glires illum talem videndo, quid cogitârunt? non eſſe illum ipſum, ſed eſſe caniculum; prodeunt omnes ad liberrime jocandum, & tunc cattus quid fecit? Oh quæ piſcatio! bene opus habuit omnibus ſuis unguibus, quibus piſcatus fuit unô die plus, quàm aliàs centum diebus. Ah! ſi nihilominus ungues remaneant, quid juvat, quòd ſolùm mutetur pallium? Domini, & Dominæ, ne habueritis in ſolis exterioribus tam facilem credulitatem: quot & quantas deceptiones talium vidit detectas hæc noſtra civitas? ut non dicam, totus mundus; revelationes, extaſes, raptus, quid apud multos fuerunt? furta, & ex integro mendacia, & falſitates, ad captandum applauſum, ad intereſſe, & non ſcio, an debeam etiam dicere, ad turpitudines exercendas carnales.

Se-

Secunda ſpecies ſuperſtitionis, quæ ſolum in modo conſiſtit, VI.
eſt, quando, quamvis revereamur noſtrum DEUM verum, vel ejus Sanctos, offerimus illi cultum ſuperfluum, improprium, & vanum, qui nec ſervit pro gloria DEI, nec ad excitationem ad pietatem, & devotionem. Expono id in exemplo; nempe, quòd ad conſecutionem illius, quod petimus, debeat accendi tantus numerus candelarum, hujus vel alterius ponderis, & menſuræ, & non majoris, vel minoris; & ad hoc volunt eſſe alligatam manum DEI ad favores, & gratias illis conferendas; quis non videt hoc eſſe ſuperſtitionem? id prohibet Conc. Trid. Seſſ. 22. Decreto *de obſer. & evit. in celebr. Miſſæ.* Ad habendum felicem partum gravida mulier debet audire unam Miſſam ſtando, & non genuflectendo; poteſtne dari deceptio huic ſimilis? & ſi illam flexis genibus audiverit, omittetne DEUS illi ſuô auxiliô favere? quòd debeat Miſſa celebrari à Sacerdote, qui vocetur Joannes; daturne tali major ſimplicitas? & ſi vocetur Petrus, vel Franciſcus, ceſſabitne ideò eſſe Sacerdos? quòd debeat orari tantus numerus orationum, & nec una plus, & nec una minus: quis hic computus vetularum? Recede, quisquis hæc talia tibi fingis; eſt regula generalis: ſibi præfigere devotionem reſtrictam, ut habeat valorem, tali hora, tali die, cum tot orationibus, cum tot candelis, &c. omnia iſta ſunt ſuperſtitioſa, & erit peccatum veniale; ſi tamen non eſt, (ſi fiat cum contemptu rituum Eccleſiæ, vel cum ſcandalo) peccatum mortale. D. Thomas 2. 2. q. 91. art. 2. Laym. tom. 2. l. 4. tr. 10. c. 1. Thomas Sanchez apud Fab. Fagund. prout eſſet pariter peccatum mortale, ſi Muſica, quæ introducta eſt in Eccleſia ad confortandum, & roborandum ſpiritualibus jubilis, & canticis fervorem, & pietatem cordium, à quoquam profanaretur Arietis provocativis laſciviam; jam talis audacia poſſetne eſſe in Eccleſia? bonum eſt, quòd nobis ſcriptum reliquerit Sanctus Paulus ad Ephes. 5. v. 19. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Exclamat gloſſando ſenſum Apoſtolicum Sanctus Hieronymus: *Audiant hæc, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt; DEO, non voce, ſed corde pſallendum, ne in Eccleſia theatrales moduli audiantur, & cantica.* In Eccleſia non ſunt tangenda regiſtra, quæ in theatris adhibentur. Videte, quomodo

tenerent Sancti pro ſuo cultu ſimiles muſicas, quæ ſunt introductæ, & hos ſaltus, quos illi vocabant incendia. Maneat itaque certum & firmum, quòd etiam opera pietatis, & devotionis poſſimus vitiare, & facere illa ſuperſtitioſa ratione modi, vel falſi, vel mendacis in cæremoniis, vel ſuperflui, vani & illegitimi. Vultis evitare pericula? ſequimini itaque ſemper devotiones, orationes, cultus, qui ſunt ſolidati jam cum communi uſu Eccleſiæ: non quæratur novitas, quia novitas ſemper eſt periculoſa. Certi modi, Pater, devotionum particularium, & exquiſitarum non ſunt amplectendi? ad quem finem? cùm tales tot habeamus, tam approbatos, ſecuros, & certos.

VII. Sed adhuc nobis reſtat videnda rigoroſior ſuperſtitio, quæ conſiſtit non ſolùm in modo, ſed objecto, id eſt: Illa quæ tribuit creaturæ illum cultum, illam reverentiam, quæ ſoli debetur DEO. In duos hæc dividitur ramos, quorum quilibet produxit, oh DEUS! quæ infortunia, quas disgratias, & quæ mala. Primus ramus eſt Idololatria; in qua tot & tanti Barbari, tanti Gentiles, ah miſerabiles animæ! vivunt pro nunc offerendo incenſum, adorationes, cultum, lapidibus, lignis, brutis, & dæmonibus. O infelices cæci! & quoniam nos jam cognoſcimus, quàm ſummum hoc ſit infortunium; oremus, & precemur DEUM continuis orationibus, quatenus eos radiis ſuæ Fidei illuminare dignetur.

VIII. Secundus ramus eſt Magia; non habet vocem propriam noſtrum idioma Italicum, qua illam nominaret: veneficium illam dicimus, & magos vocamus veneficos: ſed potiùs intelligimus per veneficos ſolùm illos, qui per artem diaboli nocent, & grave damnum aliis cauſant in ſalute, in vita, &c. & ſic ſolemus dicere, factum eſt illi veneficium. Sed non: in hac voce *Magia*, vel arte magica plus comprehenditur, quia illa dividitur in illos, qui per ſuperſtitiones diabolicas divinant vel res futuras, vel diſtantes, vel occultas; in illos, qui per vanam obſervationem credunt auguriis, ſomniis, &c. & in illos, qui arte diaboli faciunt damna hominibus, qui ſunt, ut dixi, illi, quos particulariter vocamus veneficos, & ſtregas: omnes hi ſunt miniſtri diaboli, & qui inſenſibiliter nobis introducunt ſuos errores; quod procura bi-

bimus abolere, & abjicere ab illis, qui in hoc peccato per ignorantiam inveniuntur, in ſequentibus doctrinis.

Jam itaque generaliter magia nihil aliud eſt, quam contractus cum diabolo: quis crederet, quòd eò uſque poſſet pervenire malitia hominis? pactum ſeu contractus cum diabolo? Ita eſt, in quo ſe offerunt ad exhibendum ei cultum, & illum recognoſcere volunt, ut illorum Patronum & Dominum; & ad quem finem? ut diabolus eos juvet facere, & conſequi illas res, ad quas non pertingunt per ſeipſas vires humanæ. Et ſi hic contractus, vel pactum fiat cum ipſomet Diabolo, qui illis apparet in forma viſibili, vocatur pactum explicitum; ſed ſi res fiant, per quas, nec per virtutem earum naturalem poſſit ſequi effectus, nec poteſt ſperari, quòd id fiat per virtutem ſupernaturalem; ſi effectus ſequatur, hoc vocatur pactum implicitum cum diabolo. Jam adverto horrorem, jam agnoſco abominationem, quâ veſtra corda deteſtantur, & abominantur hanc infeliciſſimam abyſſum delictorum ſupreme enormium, culparum vel maxime execrandarum: ſed ad quid ſervit iſte horror, ſi culpas amplexemur, quæ nos poſſunt præcipitare in hoc ſummum infortunium? Ad quid ſervit hæc abominatio, ſi nos permittimus duci ab aliis vitiis, quæ ſunt gradus, per quos poſſumus devenire ad iſtud profundum? IX.

Sufficit, ut timeamus, hoc. Audite caſum lacrymabilem, quem jam refero; & narrat illum noſter Engelgrave, dicitque eum accidiſſe Anno 1617. Erat in Flandria certus Princeps juvenis, in quem videbatur univiſſe natura univerſa ſua dona, ut per hunc omnem cumulum congregatorum donorum, tanto vivacior dolor prodiret ejus infortunii; erat hic gaudium illius Provinciæ, ut poſtmodum fieret motivum univerſalis compaſſionis; præter ſuam primam nobilitatem, erat diſcretus, humanus, bonis artibus bene imbutus, & bene in armis verſatus: ſigna hæc erant omnia prævenientia, quæ addiderunt pretium, & pondus planctui in ſua perditione. Hic itaque contracta ſanguinoſa inimicitia cum alio Principe Germano, creſcente rumore in rixas, & odia, nil niſi vindictam ſpirabat. Archidux Albertus pro tunc Gubernator illorum Statuum, ad dimovendas rixas, & graviora damna, amandato Germano ex illis Statibus, alteri prohibuit ſub gravibus X.

pœnis ne amandatum inſequeretur. Sed oh DEUS! refrænata ira, & repreſſum odium nil aliud mente volvebat alterius, quàm modos quærendæ vindictæ. Ah funeſta paſſio, quæ ita obcæcas, ut ſic præcipites! reſcivit in vicinia eſſe quendam maleficum, & ad inveniendum modum vindictæ, tractavit etiam cum illo, quomodo de altero ſe vindicare poſſet; ad nihil reſpicit penitùs, qui cæcus eſt. Caſus erat talis: Certus Henricus, paſtor pecorum, & inſignis machinator fraudium famigerabatur in populo, acſi eſſet maleficus, non quòd talis fuerit, ſed quia iſte error famæ communis illi ſerviebat ad decipiendos ſimplices. Hunc ille acceſſit, & ab eo petiit, ut ſe artem doceret magicam; ille confuſus, & non valens ſe negare ad reſpectum Principis, Domine, reſpondit Principi, ego de hac arte nihil ſcio, ſed id, quod facio, nihil aliud eſt præter deceptionem, quia deceptione juvante in certis fraudibus res mihi ſuccedit. Videbatur Principi artem celare, negando ſe aliquid de illa ſcire: ille in tales minas exarſit, & talia dona promiſit, ut paſtor genio Principis acquiescere compulſus fuerit. Nunc vide, repoſuit Princeps, debes me docere modum, quomodo poſſim vitam auferre uni, etiamſi à me multis milliaribus diſtet. Ego vobis promitto hoc, reſpondit paſtor: deſignârunt locum in certo monte vicino, & diem, & horam, in qua ibi uterque compareret: dedit illi bonam quantitatem auri, & paſtor abivit confuſus quoad hoc, quomodo nimirum ſuis deberet, & poſſet ſtare promiſſis, & exequi illud, cujus nullatenus ſcientiam habebat, nec quomodo rem inſtituere deberet, ſciebat. Acceſſit certum agricolam, narrando illi id, quod acciderat, & promiſit ei, ſe velle cum illo aurum acceptum dividere, hoc tamen pacto, ut proximâ nocte accederet talem montem, officium dæmonis peracturus, dando ſibi in abſcondito inter arbores reſponſa ad quæſtiones, ut ſic deciperent Principem, qui ſibi perſuadebat paſtorem eſſe maleficum. Pacto itaque tali inter ſe inito, non exiguam portionem pecuniæ venati ſunt, uſque dum adveniente termino, in loco deſtinato occurriſſent. Facta ergo nocte, format ille deceptor ſuas figuras, facit ſuas incantationes, & ponit illum miſerabilem Principem, qui ſolus & ſine armis aderat, in certo loco determinato cum præcepto, ne ex

eo

eo loco moveretur. Inceptum fuit ab interrogationibus, & responsionibus, ad hæc omnia Princeps totus obstupuit; obvelavit illi postmodum oculos, jussit, ut se in terra extenderet, & his omnibus promptissimus ille obedivit; tunc tandem pastor (Principe ita in terra prostrato) non inveniendo alium modum illum docendi desideratam magiam, arripit securim, ibi jam anteà absconditam, & impingendo ei hanc omni vi in caput, tollendo illi in momento vitam, transmisit eum probabilissimè in conversationem dæmoniorum in omnem æternitatem. Oh quæ mors tam lachrymabilis! annuli vocantur vitia; nemo seipsum assecuret, si ex illis aliqua in se habet, quod non sit casurus in omnia.

O DEUS meus, quale cor illud erit, quod derelinquet tuam immensam pulchritudinem propter maximè abominabilem feritatem! Oh, non admittat tua bonitas, ut sic obcæcetur noster intellectus; sed ut illuminati à radiis tuæ amabilis lucis, solum tuam supremam potentiam adoremus, & gloriossissimum dominium: quod nobis det tuam gratiam. XI.

INSTRUCTIO XI.

Qualiter debeamus spernere divinationes, auguria, & somnia.

DIcitur, Curiositatem natam esse cum hominibus; sed ego invenio illam etiam ante nativitatem hominum, jam à prima muliere natam esse, & ex prima mulieris curiositate sumpsit originem totum nostrum universale infortunium: & cùm res sic se habeat, experientes damna hujus culpæ, nondum tamen volumus, omittere curiositatem. Secretissima, & occultissima titillant desideriò illa indagandi; ad maximè distans volat desiderium, ut illud cognoscat; & illud quod primò futurum est, jam nostra vellet curiositas divinare. Et si, ut sciamus, quod vanum est, omittimus attendere ad hoc, quod nobis proficuum foret; si, ut divinemus illud, quod ad nos non spectat, perdimus id, quod nobis magis I.

prodeſt; quid lucratur noſtra curioſitas per illud, de quo inquirit, ſi tantum remanet, ut plangamus pro noſtro infortunio cum illo, quod perdit? Plurimam materiam ridendi dedit uni ex ſuis ancillis Thales Mileſius. Ibat ille totus intentus in obſervando curſu cœlorum, totus intentus in præveniendo illo, quod annunciabant aſpectus aſtrorum; quando abſque advertentia, quòd ante ſuos foſſam haberet pedes greſſum ulterius figens obſervando cœlos, ſe in puncto præcipitatum invenit in illo profundo. Ecce tu non vides, dixit illi ſubridens ancilla, non vides, ubi ponas pedes, & te totum occupas, ut videas, quò, vel quomodo incedant aſtra? Non conſideras tuos paſſus, & computas vias cœlorum? non vides foſſam, quam præ oculis habes, & ſtudes divinare illud, quod in futurum prognoſticant cœli? Hoc ipſiſſimum, ſed infinities majori cum infortunio, ſuccedit illis, qui per artem diaboli volunt prædicere occulta, diſtantia, & futura: qui, ut videant oculis vanitatis, intermittunt videre oculis rationis; qui, ut illud contemplentur, quod ad illos non pertinet, intermittunt ſe illi applicare rei, & derelinquunt procurare illud, quod eis eſſet magis proficuum; & finaliter, qui ob curioſam inveſtigationem, & divinationem ſunt curioſi, præcipitant ſe cæcos in profundiſſimam foveam inferni.

II. Iſte itaque, eſt ramus venenoſus ſuperſtitionis, qui hodie ſequitur, ut explicetur. Vocatur divinatio, per quam malitia humana, vertendo terga DEO, fonti perenni omnis Sapientiæ, cum enormiſſima culpa dat cultum, & recognitionem dæmoni, ad acquirendas cum ſuis deceptionibus vanas, impertinentes, & damnoſas notitias. Divinatio itaque eſt contractus, eſt pactum cum diabolo, ad reſciendum ab illo, per media ſuperſtitioſa, illa, quæ non poſſumus ſcire per media naturalia, vel quia ſunt diſtantia, vel quia ſunt occulta, vel quia omnino primò ſunt futura; prout, ſi quis vellet ſcire modò illud, quod hodie Romæ ſucceſſit; quiſque hoc videt non adeſſe medium naturale ad hoc ſciendum; hoc autem diabolo eſt facillimum nunciare, modò hic, ob levitatem, quâ inde huc volat in uno inſtanti; ita pariter ratione ſuæ ſubtilitatis videt illud, quod eſt occultum intra viſcera alicujus montis. Sed nec poteſt ſcire certa certitudine noſtras cogitationes, nec illud, ad quod ſe ſit determinaturum noſtrum liberum arbitrium. Iſtud pa-

pactum, si fiat cum invocatione diaboli, & collocutione cum illo, ponendo nos illa signa, vel cæremonias, ratione quarum ille appromittit se adfuturum dando nobis notitiam de hoc, quod prætenditur, vocatur pactum explicitum. Sed si quis, licet non habeat intentionem, nec velit invocare dæmonem, nihilominus tamen facit illas cæremonias, vel illa signa ponit, ad quæ scit diabolum auxilium allaturum, hoc vocatur pactum implicitum. Unum & alterum est semper peccatum mortale gravissimum: & si quis sciret de alio illum hoc, vel illud adhibuisse, sciat se esse obligatum ad eum denunciandum, apud Sanctum Tribunal Inquisitionis. Et vel sunt illa signa, & cæremoniæ ad divinandum in aëre, in aqua, in terra, in igne, in speculo, in falsis apparitionibus defunctorum, vel alterius materiæ, est eadem ipsa malitia & enormitas culpæ; & ideò me non multum detineo, in distinctione illorum.

III. Non loquimur itaque de rebus, quæ per media naturalia prognosticantur, prout per suam scientiam Medici solent prognosticare eventus in infirmitatibus; Astrologi, qui prævident Eclypses, ventos, pluvias, &c. modo non tangant illud, quod pendet à nostro libero arbitrio, quod solus DEUS cognoscere potest, & quod nulla alia scientia divinare potest. Aliæ divinationes, quæ consistunt in industria, sicut illæ, quas vocamus sortes, vel fortunam in lusu cartifoliorum; aliæ, quæ consistunt in dexteritate, sicut illæ, quas manibus faciunt lusores, huc non spectant; & aliæ tandem, quæ demonstrant sagacitatem boni intellectus; prout dum Salomon detexit, quæ erat inter duas illas matres vera: quando Daniel detexit per interrogationem malitiam illorum Senum, & innocentiam Susannæ. Contendebant duæ fœminæ de glomo filorum, dicendo quælibet earum, se hunc filâsse, & sic esse suum. Accedunt judicem, testes & testimonia non aderant. Quomodo igitur manifestanda erat veritas? Eja, dixit Judex: in cujus coloris panno est hic glomus convolutus? in frusto albo telæ dixit una: imò non, convolutus est in frusto nigro, reposuit altera: dissolverunt glomum, & ecce discooperta fuit veritas. Gratiosius etiam divinavit certa persona. Furto ablata est in certa domo supellex pretiosa, in furias acta stridebat mater fa-

familias, afferens furem esse domesticum, & non extraneum; itane? convocemus itaque illos huc omnes, ait, certè ego detegam furem; congregatis jam omnibus ex familia, vadit abscindere tot bacillos, quot erant personæ: distribuit cuivis illorum unum, nunc discedite hinc ad illum & illum locum, dicit illis, & videtis omnes bacillos esse æquales, hos mihi rursus reddetis, postquam vos huc vocavero: dum familia cum bacillis abscederet, furabat cum dissimulatione, ita tamen, ut abeuntes audierint: *Furi debet crescere duobus digitis longior bacillus;* fur hoc audiens, *duobus digitis*? Me hercule! itaque tantum, quantum crescere debet, ego abscindo, ut sic cum aliis maneat æqualis: ita fecit; ecce adeste cum bacillis: tradit quilibet suum, mensurantur, & discooperitur fur propter defectum longitudinis duorum digitorum, quam abscidit. Pulcher modus divinandi; hic nihil ad agendum habuit diabolus.

IV. Verùm habet, quòd agat, & quidem multùm, in iniquis & perversis mediis, quibus aliqui utuntur ad detegendas res furtò ablatas, vel perditas. Indico, exempli gratiâ, & alia prætermitto, illud, quod practicant cum cribro, vel capisterio; jam illi me intelligent, qui hoc practicârunt, & hoc sufficiat. Hoc, quod cribrum attinet; qui ad talem effectum illo utuntur, ut detegant furem, an in domo sit; est pactum implicitum cum diabolo, & qui hoc agit, debet denunciari apud Sanctum Tribunal Inquisitionis. Hoc ipsum dico de illo, qui cum intentione detegendi, vel sciendi aliquam rem occultam, vel sumpsisset herbam rutam, vel si etiam non sumat illam pro se, consilium det tamen, & suadeat alteri illâ uti, est peccatum mortale gravissimum, est pactum cum diabolo, & est casus Inquisitionis. Oh DEUS, & quæ pericula! & post tam grave peccatum, quid volunt rescire à patre mendaciorum, nisi deceptiones. Perdidit quidam Rusticus, ut refert noster Delrio de Magia l. 4. c. 2. q. 6. crumenam ex vesica, in qua certam conservabat pecuniam, & porcus, quem in domo habebat, illam devoraverat; crumena itaque ubique quæsita non inveniebatur, accurrit ad uxorem; quæ respondit se crumenam non vidisse: quis ergo illam absulerit? crumena, ut ego certè scio, hic fuit. Accedit ut simplex, & idio-

idiota unam maledictam mulierem, de qua dicebant, illam colloqui diabolo, & interrogat de ſua crumena perdita; Vetula ſub magnis minis illi mandavit, ne extra lineam progrederetur, quam illi aſſignaverat, & ſubitò abiit, ſeque in certa camera incluſit. Ruſticus pedetentim ſe ad portam contulit, auſcultat per fiſſuram, & audiit dici ad vetulam; attende, & ſcito, crumenam porcus devoravit; at tu illi dic, uxorem fuiſſe, quæ crumenam abſconderat, ad dilapidandam pecuniam cum tali, qui eſt ſuus amicus, ut iſti inter ſe hac de cauſa domi tricas, & jurgia habeant. Siccine? Ruſticus ſe ſimulans, acſi de fraude nihil ſciret; redit ad ſuum locum: etiam redux venit cum ſuo mendacio vetula, aſt ille pro recompenſatione eam duxit ad judicem, quæ poſtmodum debitas exolvit pœnas, & occiſo porco, ſuam recepit pecuniam: ignorantia propria ei profuit, eumque excuſavit. Ite idcirco exponendo vos periculo, ut diabolus vos lucretur, & attrahat ad ſe per ſua mendacia, & deceptionibus vos ſeducat ſuæ malitiæ.

Ex hoc forſitan videtur aliis, quòd ſint multum piæ, & ob hoc accedunt *Sanctos*; ſed quomodo? interveniente ſuperſtitione impia. Pater, ego obtuli *Sancto* Antonio duas candelas, vel quartam partem menſuræ olei *Sancto Lazaro*, *ut tali*, vel tali obveniat morbus *Sancti* Lazari, vel *Sancti Antonii*, *qui mihi furatus* eſt talem, vel talem rem. DEUM bonum! tali modo vultis, ut Sancti ſint inſtrumenta veſtri odii, veſtræ iræ, & veſtræ vindictæ? hoccine à Sanctis petitur? quid aliud peteretis à dæmone? quòd illud malum vocetur Sancti Lazari, vel ille morbus, aut malum Sancti Antonii, non eſt ideò, quòd illi Sancti hunc morbum, vel hoc malum cauſent, non; talis enim intelligentia eſt certorum perverſorum animorum, & quis ſcit, an non fortè defectuoſorum in fide, prout hoc demonſtravit in ſuis mendaciis Paracelſus; imò vocantur ſic ex oppoſito: malum vel morbus Sancti Antonii, quia iſte Sanctus eſt potens Advocatus, ut homo tali malo liberetur; & ita pariter morbus vocatur Sancti Lazari, quia Sanctus Lazarus eſt ad eum tollendum Advocatus: Videte nunc, quàm impii erunt illi, qui iſtos Sanctos volunt facere inſtrumenta ſuarum malenatarum vindictarum. Et quid di- V.

cemus de hoc, quod jam ita communiter practicatur? perditur aliqua res; auferatur itaque infantulus JESUS Sancto Antonio, & hunc poſtmodum reponunt in feneſtra, vel illum ciſtæ includunt, vel demittunt in puteum: Quid eſt hoc? quid debet eſſe? eſt ſuperſtitio; videtur eſſe confidentia? videtur eſſe devotio? Eſt impietas: quis conceſſit licentiam ita perdendi reſpectum erga Imagines? hunc modum petendi à Sanctis auxilium, quando docuit Eccleſia? hoc non eſt petere, vel quærere, ſed velle obligare, & vim inferre Sancto, ut id faciat, quod nos volumus. Eh procul hinc cum his rebus: non dantur Miſſæ, quæ in honorem ejus offerantur? non dantur orationes? non habetis candelas? nunquid non dantur alia vota pia? in quem finem ſervit introducere tales abuſus?

VI. Sed redeamus ad illos, qui pro ſuo divinatore habent diabolum; iſti ſunt etiam illi, qui per lineas manuum, volunt divinare futura; Virgines, quæ die feſto S. Joannis, qui dies videtur pro nunc eſſe factus dies ſuperſtitionum, exeunt ad divinandam ſuam fortunam; ego mihi bene perſuadeo illas hoc non credere, ſed illas hoc ſolum ex joco facere, & ſi res ſic ſe habet, eſt ſolum peccatum veniale; quod ſi autem ſerio primus, & alter modus credatur, quod per has ſuperſtitioſas ineptias illorum fortunam, vel infortunium acquirere poſſint, peccant mortaliter; & in hac civitate, ubi eſt tanta catecheſis, non ſcio, an in hac materia poterit ſervire pro excuſatione, ignorantia.

VII. Et quid dicemus de illis, quos vulgariter vocant Necromantes? nobis narrant, quòd videant ſub terra theſauros, venas aquarum; & metallorum, cadavera ſepulta: quod videant Apoſthemata intus in hominibus, &c. totum hoc, ſi verum dicunt, quòd oculis corporeis hæc videant, aliter eſſe non poteſt, quàm ope dæmonis; quia noſter viſus materialis non poteſt naturaliter penetrare corpus denſum, & opacum. Accedit pro majori fundamento, quòd hæc ope dæmonis fiant, ſiquidem hanc virtutem non habent niſi diebus aſſignatis, ut eſt dies Martis, & Veneris. Omnia ſimilia ſunt deceptiones, & pactum cum diabolo, & mortaliter peccabit, qui à talibus Necromantibus conſilium capit.

Dan-

Dantur, præter hos, alii modi credendi diabolo; ut sunt, qui credunt auguriis, illi, qui credunt somniis: Solet hoc esse solùm timor, non credulitas; timent, quòd illis aliquid sit obventurum, non, quòd hoc credant; & ita res se habet, est tantum veniale peccatum: etiamsi ob istum timorem intermittant quandoque facere hanc, vel illam rem, modò non sit tale quid, quod nos ex præcepto obligat; Exempli gratia: qui intermitteret proficisci die Martis, quia est dies dubiosus, criticus: hoc transit; sed ille, qui credendo auguriis, vel somniis, dirigeret juxta illa omnes suas actiones, hic talis peccaret mortaliter. Et in veritate, Auditores mei, qui tenet de fide, quòd vendere die Lunæ non sit bonum, dicendo, quòd ideo totâ septimanâ pecuniâ non debeat vendi? qui, ex eo, quia ad suum exitum cæco obviavit, arido, vel claudo, credit sibi debere contingere infortunium? qui ideo, quia canis latravit, jam sibi aperiri sepulchrum? ideo, quia cecinit noctua, jam sibi cantantur exequiæ? quia tinniit dextra auricula, laudatur? quia autem siniſtra, mihi obmumurant? si ob murmurationes hoc accidere deberet, ô quoties nobis tinnirent aures! recedite cum his nugis. Jam quid dicam de somniis mulierum? quia somniavit hæc, vel illa sibi excidisse dentem, cogitat sibi mox esse moriendum: & quot, & quantis exciderunt omnes dentes, & defacto vivunt? ideò, quia somniavit de tauris, injurias patietur; & quantas injurias non experimini, absque somniis de tauris? quia de unionibus somniavit, debet lugere; sed essetne tantum malum lugere uniones, vel margaritas? Verum ego cogito, hoc somnium indicare maximum desiderium, quo fœminæ laborant, margaritas habendi. Somniavit certus quidam, tribus repetitis vicibus fuisse quandam Dominam, quæ illi dicebat in certo loco, quem illi indigitavit, si foderet modice, se inventurum ollulam plenam auri: id ei propria persuasit cupiditas, & avaritia, vadit itaque, fodit, & invenit ollam; sed qua re impletam? plenam carbonibus. Ite nunc, & perdite credere somniis, ut sic vobis dæmon illudat. VIII.

Audiamus nunc pro coronide Spiritum Sanctum, qui breviter hanc constringit doctrinam Eccles. 34. v. 5. *Divinatio erroris, & auguria mendacia, somnia malefacientium, vanitas est.* Omnes IX.

iſtæ divinationes, iſta auguria ridicula, iſta ſomnia impertinentia, omnia iſta ſunt vanitas, omnia ſunt error, omnia ſunt mendacium. Solùm ſubjungo, quòd pactum explicitum, ſemper ſit peccatum graviſſimum mortale, etiamſi ſit in materia leviſſima, & illi poteſt, & ſolet uniri hæreſis; Verum in pacto implicito quandoque poterit à peccato mortali excuſare ignorantia; vel peractio cæremoniarum ex joco, & luſu; attamen ſemper eſt materia periculoſiſſima. Meliùs eſt ignorare ſimilia ſerviendo DEO, quàm ſcire maxima ſecreta cum diabolo; & ſi DEUM habeam, DEUS faciet, ut diabolus mihi ſerviat in deſpectum ſuæ ſuperbiæ.

X. Omnibus ſimilibus curioſitatibus eſt doctrinale exemplum, quod refert noſter Martinus Delrio de Mag. l. 3. p. 1. q. 7. n. 1. Ibat per Italiam certus miles, & cùm ejus itineris progreſſum impediviſſet certa gravis infirmitas, fuit coactus remanere ad ſuam valetudinem curandam in quodam hoſpitio, ſeu potius diverſorio; ferebat ſecum crumenam plenam nummis, & timens, ne ſibi per fures auferretur, interim dum curaretur; conſignavit illam cuſtodiæ hoſpitiſſæ. Morbus paulatim recedebat, & hoſpitiſſa oppreſſa infirmitate crumenæ, ſenſim, & ſenſim ſe pejus habebat vexata à *cupiditate*; & in tantum miles convaluerat, ut, ſe ſentiens virium ſufficientium ad iter proſequendum, repeteret ab hoſpitiſſa ſuum depoſitum. Illa rem cum marito contulit, & inſimul determinârunt, & concluſerunt rem eſſe negandam: miles denuò ſuam repetiit crumenam, & illa ut plurimum audax; quam crumenam, quam à me deſideras pecuniam? Tu nunquàm aliquid meæ commiſiſti cuſtodiæ; plenâ cholerâ cum milite jurgabatur, & ecce advenit maritus ad illam defendendam, & poſt multos clamores, ejicientes eum extra domum, clauſerunt portas; ille, evaginatô gladiô conabatur obſtinate intrare; excitant clamores, militem velle domum violentare; congregatur populus, advenit Judex cum ſuis apparitoribus, & inveniendo illum in tali ſorte, hoſpite quoque affirmante, militem voluiſſe domum ſuam ſpoliare, quantumvis miles vel maxime ſuam allegaverit veritatem, conducunt illum in carceres, formant proceſſum, & morti jam adjudicatus fue-

fuerat. Quid agendum erat illi miſero, videnti quòd nulla ſibi adhiberetur fides? quomodo poterat patefacere veritatem? Res in patulo erat, quòd inventus cum armis in manu fuerit pugnando, ut vinceret, & portam aperiret; ille autem nullos habebat teſtes, qui ſuam poſſent probare cauſam. In his cogitationibus afflictus, & totus turbatus, ſedebat in carcere, & ecce diabolus ei apparuit, indicans ſententiam mortis, quam jam contra illum concluſerant judices: remanſit ille attonitus ad novalia tam horribilia. Eja, ne affligaris, ecce me hic habes, adjunxit maledictus, modò mihi hoc ſolum facias, & tuam mihi conſignes animam, ego tibi promitto veritatem prodere, & te liberum facere. Sed ego, reſpondit miles, verè Chriſtianus, potiùs volo millies mori, quàm me tuis tradere manibus; recede hinc, quisquis es, veritatem DEUS patefaciet, & ſi non, moriar innocens. Nunc vide, repoſuit diabolus, cum jam hic ſim, ne meus in vanum ſit adventus, à te jam nihil volo; ſed cras dum te ad tribunal produxerint, dicas, quòd tu, ut miles ſimiles defenſiones, & lites non intelligas, ſed ut tibi concedant pro Advocato illum, quem tu nominaveris; ego itaque ſtabo ibi in pileo albo, plumâ ornato, aſſignes, & denomines me, & ego te defendam. Ducitur die ſequenti ad tribunal, petit, ut ſibi concederetur licentia denominandi pro ſe Advocatum. Judices hoc eidem concedunt, & ille deſignat diabolum, qui jam ibi aderat punctualiſſimè cum dictis ſignis. Inſtabat, & urgebat contra militem cauſam ſuam Hoſpes accuſator magnis viribus; ſed dæmon peroravit, ut dæmon, cum tali copia rationum, tanta authoritate, & argumentis, ut omnes obſtupuerint, & attoniti ibi ſederint, & tandem pro ultimo dixit, ſe velle monſtrare crumenam pecuniariam, & indigitavit illic locum, ubi illam tenebant abſconditam. Hoſpes videndo ſe conſtrictum, incipit in ſe ipſum evomere maledictiones: *Diabolus me rapiat, ſi ego quidquam ſcio de crumena*: Ah homo, vide, forſitan non procul ſtat diabolus. Continuabant certamen, & Hoſpes nil aliud faciebat, quam repetere pergens ſuas maledictiones; *Diabolus me rapiat, ſi ego quidquam ſcio de crumena*: tot vicibus hoc repetiit, ut diabolus, ceſſando à ſua peroratione, ſtringendo Hoſpitem brachiis, & elevando illum per feneſtram

ejecerit, & ſecum per aërem conduxerit, ita ut nemo ultra quidquam de Hoſpite viderit. Stupefacti remanſerunt circumſtantes, patefacta eſt veritas, & innocens liber, & quidem liber non ſolum à calumnia, ſed etiam à peſſima ſclavitate dæmonis, qui ei, DEO ſic diſponente, ſervivit ut ſclavus, cauſam ejus agendo, effectus eſt.

XI. Dilectiſſimi, permittamus in manibus DEI noſtras vias, quia impertinens, vanum eſt, & nihil nobis prodeſt, illa ſcire, quæ DEUS nobiſcum diſponit; & vel plurimum nobis nocebit ſimilia inveſtigare, ſciamus, & intelligamus hoc, quod ſolum nobis erit ad profectum; DEUS eſt ſolum lux vera, qui nos illuminat per vias ſecuras gratiæ, qua mediante illic deprehendemus, & manifeſtabuntur nobis altiſſima ſecreta gloriæ.

INSTRUCTIO XII.

De multis peccatis, quæ committuntur per vanam Obſervantiam.

I. NOn poteſt dari ſtultitia magis declarata, quàm quærere pro remedio alicujus morbi, alium intenſiorem, & graviorem morbum; hinc rationabiliſſime abhorret medicina certam ſpeciem medicamentorum empiricorum, quæ brevi conferunt ſimulatam ſanitatem, & in hac ipſa, quæ eſſe videtur ſanitas, relinquunt infirmitatem, abſque remedio, mortalem; tegunt deforis tumorem, fluxiones, plagam, & ita quaſi ad centrum compellendo intrinſecus humorem malignum, felicitando ibi abſque aliorum advertentia ſuam malitiam, in brevi, cui ut ſano applaudebant, deflent mortuum, & ſi illa, quæ dicebatur ſanitas, ibat & ſerpebat celando intra viſcera venenum, meliùs abſque dubio pro illo foret, non recepiſſe ſanitatem. Nunc hoc eſt ad amuſſim illud, quod accidit illis, qui contra ſuos morbos, per media ſuperſtitioſa, quærunt diabolum pro medio, quibus in caſtigationem, & pœnam graviſſimæ culpæ, quâ, omittendo ad DEUM re-

recurrere, recognoſcunt crudeliſſimum, & ſæviſſimum inimicum ſtirpis humanæ, ut benefactorem: Permittit interdum DEUS, ut ipſis diabolus conferat ſalutem, ad cauſandam hac ſanitate graviorem infirmitatem vel in corpore, auferendo illis celerius vitam, vel in anima, tollendo illis gratiam. Et quis erit tam cæcus, ut ab illo, qui ab initio mundi nihil aliud cogitat, quàm quærere veſtigia, & modos ad facienda graviſſima damna, petat contra ſua mala, contra ſuos morbos remedia? fuit diabolus ille, qui præcipitavit *noſtros primos Parentes in culpam*, & fuit illa culpa fons, & origo omnium noſtrarum infirmitatum; uniti itaque diabolus, & culpa, quomodo poſſunt eſſe *infirmitatis noſtræ* remedium, ſi ſunt cauſa tota illius? Oh quis error ita cæcus aut pernicioſus! hunc committunt illi, qui per media ſuperſtitioſa volunt à morbis liberari.

Ecce itaque ſecundus venenoſus ramus magiæ, qui hodie ſequitur explicandus, & vocatur vana obſervantia. Oh quanta ratione dicitur vana; ſiquidem ſæpius non aſſequitur illud, quod quærit: apparenter bene aliquid conſequitur pro corpore, & ſemper relinquit terribile damnum peccati in anima. Vana obſervatio itaque, ut definit Sanctus Thomas, eſt contractus, vel pactum cum diabolo, quô mediis improportionatis, & inutilibus petitur conſecutio alicujus rei. Sanctus Thomas 2. 2. q. 96. a. 1. Diſtinguitur à divinatione per hoc, quòd divinatio per media ſuperſtitioſa, & inutilia ſolum prætendat patefacere, & ſcire id, quod eſt occultum, diſtans, vel futurum: ſed vana obſervantia adhibet media ſuperſtitioſa non ſolùm ad ſciendum, ſed etiam acquirendum aliquod commodum, aliquam commoditatem, & convenientiam, & hoc ſit vel in ſupellectile, vel in ſanitate, vel etiam in ſcientia; idcirco ſemper eſt pactum cum diabolo, vel explicitum, quando invocatur, prout jam alias dixi; vel implicitum, quando, etiamſi dæmon non doceat per ſe ipſum hæc media ſuperſtitioſa, attamen alios docuit, & ab his alii didicerunt tali, vel tali modo illis uti; & hoc eſt ſemper peccatum mortale: ſi tamen aliquando fiant iſta remedia ſuperſtitioſa absque eo, ut eis fides adhibeatur, ſed per jocum, & per modum nugarum, erit ſolum peccatum veniale; excuſat etiam in hoc à peccato mor-

II.

ta-

tali, ſi ſimilia fiant ex ignorantia: ſed quæ ignorantia ſufficit, ut excuſet? attendite bene ad hoc, quod vobis reſpondebo. Occurrit vobis aliquod dubium in faciendis, vel adhibendis iſtis mediis, vel iſtis rebus, eritne hæc res cum pacto diaboli, vel eritne à diabolo? jam ſi hoc vobis occurrat, non babetis ignorantiam, quæ vos poſſit excuſare à peccato mortali; & ita ſtante hoc dubio, tenemini ſub peccato mortali, antequam actum exerceatis, interrogare aliquem hominem doctum, ut vos de hac re informet; & quod ſi cum hoc dubio operamini, toties quoties hoc facitis, peccatis mortaliter. Sed (oh DEUS) creſcente in tantum malitia, neſcio, an qualicunque vice in hac Civitate poterit pro excuſatione proferri ignorantia: eſtne poſſibile, quòd in rebus tam improportionatis nullum dubium illis occurrat? Progrediamur proponendo exempla in rebus vel maximè ordinariis, ut ex his tanto magis veſter illuminetur intellectus, cùm vobis omnia referre non poſſim.

III. Quid magis ordinarium, quàm in luſu ſæpius mutare folia apud illos, qui in luſu ſiniſtram experiuntur fortunam? ex fede ſe levare, vel mutare locum? Jam chariſſimi, omnia iſta, ſi fiant cum fide, quod in hoc absque dubio conſiſtat melioratio fortunæ, ſunt peccata mortalia; & quanta de his, & talibus peccatis mortalibus devorant, & glutiunt luſores? Ad lucrandum, vel perdendum quid plus in ſe continet hic faſciculus foliorum, vel ille alter; quid plus hic locus, præ altero? Videtiſne qualiter ſint inutilia, & impertinentia, improportionataque media? Sit itaque regula generalis; ſemper quotieſcunque ita ponuntur media, quæ ex ſe ſunt improportionata, & quæ nec DEUS, nec Eccleſia inſtituit ad obtinendum hoc vel illud, eſt ſuperſtitio vanæ obſervantiæ: & ſi talia fiant credendo, rem debere infallibiliter ſuccedere, etiamſi in materia leviſſima ſit, eſt ſemper peccatum mortale. Ponamus aliud exemplum: Patitur aliqua perſona cordis deliquium, & ut ad ſe redeat, inſuſurrant ipſi in auriculas certa verba in ſecreto; & hoc cogitant ſufficere, ut ad ſe redeat; diabolo hoc ſufficit, ſufficit hoc, ut committat peccatum mortale ille, vel illa, quæ tali modo inſuſurrat; Oh ſunt verba bona, & verba ſan-

ſancta: ſint illa talia, qualia velint; ego concedo eſſe verba Sacræ Scripturæ, & admitto eſſe verba Evangeliorum; ultra: ego do, quòd ſint verba conſecrationis; poſſuntne dari ſanctiora? Nunc, ex hoc ipſo eſt enormior, & gravior culpa, quia ita abutuntur verbis ſacris, faciendo ex illis inſtrumenta diaboli. Dicant mihi, nunquid ideò dicunt iſta verba ad aurem, quia credunt, quòd ſi non dicantur ad aurem, effectum eo ipſo non ſint habitura? Nunquid illa dicunt ſecretiſſimè, quia cogitant hoc eſſe de eſſentia? Nunquid ideò hæc verba dicunt credendo, quòd ſine dubio infirmus ſanitatem ſit recepturus? Quid igitur plura ſigna volumus ſuperſtitionis? Itaque quæ major poteſt eſſe proba vanæ obſervantiæ? Talem ſanitatem non dat DEUS ratione talium verborum; non enim ille facit miracula in vanum. Domini, & Dominæ, intelligamus hoc bene: ſola verba, quæ ſunt forma Sanctorum Sacramentorum, & verba benedictionum Eccleſiæ, quæ vocamus ſacramentalia; ſola iſta verba habent virtutem ponendi infallibiliter ſuum effectum; quia hanc virtutem dedit illis noſtra Vita Chriſtus JESUS: ſed qualiacunque alia verba, etiamſi ſint ex Sacra Scriptura, etiamſi ſint ex Sancto Evangelio, nulla, nulla habent per ſe virtutem ponendi infallibiliter ſuum effectum. Et ſic, ſi dicantur, vel proferantur credendo, debere ſequi ab illis infallibiliter effectum illorum, vel quòd ſint allatura ſalutem, vel ſanitatem, vel tollere dolorem, &c. etiamſi ſint verba ſanctiſſima, eſt ſuperſtitio, eſt vana obſervantia, eſt peccatum mortale.

IV. Non excuſat itaque à peccato mortali, quòd ſint ſancta, & bona inſtrumenta, quibus utimur, ſi eis utamur cum circumſtantiis ſuperſtitioſis. Quid ſanctius, & magis pium, quàm portare in collo Reliquias Sanctorum, illorum Imagines, portare in charta conſcriptum Evangelium, vel alia verba ſancta? Omnia hæc, ſi portamus cum fiducia, quòd nos Sancti ſint defenſuri à periculis, ut nos liberent à malis, ut nos aſſecurent contra dæmones, hæc confidentia eſt piiſſima, hic mos eſt ſanctiſſimus. Sed ſi geſtatio iſtarum Reliquiarum, imaginum, vel chartarum fit, credendo illum, qui hæc portat, non poſſe vulnerari, non poſſe ſubitanea morte mori, non poſſe ſine confeſſione mori, nec in peccato mortali; omnia iſta deceptoria ſunt, & ſuperſti-

tio, & eſt facere Reliquias Sanctorum inſtrumenta, & media vanæ obſervantiæ, & ſic eas ad ſolum hunc finem portare, & ita credere, eſt peccatum mortale; fidant ſibi in ſimilibus, & illic poſtmodum experientur poſt mortem. Conquerebatur certus quidam, quòd noctu per viam incedendo à canibus aſſultaretur, & moleſtaretur. Oh te ſimplicem, reſpondit alter, ſubridendo, nullum ergo ſcis remedium? Quale eſt amice, quale eſt? portes in pectore Evangelium Sancti Joannis, & experieris: acceptavit illico conſilium, & portavit mox Evangelium S. Joannis, ſecuriſſimum ſe reputans, quòd ne quidem canes ſint ſe moturi: ſed vix olfecerunt eum venientem, eum aggrediuntur ex omni parte maxima cum furia: expertus fuerat ſe paſſum fuiſſe anguſtias ut antea, novas itaque inſtituit querelas: nunquid tu mihi dixeras Evangelium S. Joannis canum cohibere latratum? jam autem multo cum majori furia me aggreſſi ſunt; & alter poſtmodum reſpondit: Domine mi, ego tibi non dixi, quòd Evangelium Sancti Joannis ſolum, ſed unitum duodenæ lapidum, ſit optimum remedium.

V. Ita pariter multò rationabiliùs debetis habere pro ſuperſtitioſis rebus certas chartas cum figuris, literis, vel idiomatibus, quæ non intelliguntur. Omnia iſta mala, & perverſa ſunt; eſt deceptio diaboli, & ſint ſimilia contra febres, contra dolores capitis, vel contra aliud quid, ſit illud quidcunque velit, ſimilibus uti rebus eſt peccatum mortale. Patiebatur non ſcio, quod malum in oculis certa vetula, & jam erat quaſi mediocriter cæca: acceſſit aliquem talem improbum ad quærendum ab eo remedium; dicebant enim de eo, illum hanc poſſidere gratiam, & promiſit illi integrum præſtituram veſtitum, ſi ſanitatem petitam ſibi conferret. Exaggeravit impoſtor maximô, quo poterat modô, curam, & poſt multas excuſationes extradidit illi tandem certam chartam, ùt plurimum convolutam, & per omnes partes quàm optimè ligatam, obteſtando illam omnimodè, & obligando, ut nullô modô eandem aperiret, nec unquam legeret; ſi enim hoc faceret, eò ipſo virtutem chartæ auferret, & ut ſic convolutam applicaret oculis, ſicque ſanabitur. Fecit omnia eô modô, quo ei imperatum fuerat, Vetula, & ſanata eſt. Hæc contentiſſima cum ſanitate, & reme-

remedio, laudabat medicinam ut plurimum. Sed abripuit hanc ipſam chartam certus Sacerdos ex collo ejus, illamque aperuit, diſſolvit, & legit, & nihil aliud continebat præter hæc verba: *Diabolus tibi eruat oculos, & illos tibi impleat ſtercore:* Valde bene! & hæc verba erant illa, quæ in vetula effecerunt miraculum? Pulchrum certè miraculum; joci, & nugæ ſunt, quibus diabolus decipit, & deceptiones, quibus diabolus in ruinam pertrahit. Chriſtiani conſolatio, & juvamen ope diaboli, tormentum eſt; remedium fabricatum in officina diaboli, venenum eſt, ſanitas per manus diaboli adepta, mors eſt.

VI. At ſi in omnibus *infirmitatibus introduxit diabolus has*, & ſimiles ſuperſtitiones, multò plures inveniuntur in partubus. Quid eſt hoc, Dominæ meæ, quid eſt hoc? quando vel maxime periculum graviditatis poſtulat recurrere ad DEUM, ad ſuam Matrem Sanctiſſimam, & ad Sanctos DEI, tunc recurritur ad diabolum? Ego penitus credo, multa infortunia, quæ ſuccedunt, & occurrunt in partubus, fieri mediantibus his infamibus, & maledictis remediis; quid aliud diabolus tentat, & agit, dum invocatur, niſi ut plurimis vicibus permittente DEO auferat infanti Baptiſmum, & Matri vitam? Ad quid illi ſupponunt certas forfices illâ *inſciâ*? Et *ſive illa hoc ſciat, ſive neſciat, in quem* finem igitur iſtæ ſupponuntur, quem debent cauſare effectum? Dum in actu partûs eſt, auferunt ab *illa Reliquias Sanctorum eô* momentô, & calceant illam calceo illius, qui vocatur Joannes, & quare hoc? Ut facilius ſecundinæ ejiciantur; tali modo plus opis habet *in hoc calceus* alicujus Joannis, quàm Reliquiæ Sanctorum. O quæ blaſphemia! Oh quæ ſtultitia! Oh quæ inſipientia, in qua tantam partem diabolus habet! Quomodo ipſis DEUS poteſt eſſe auxilio, cum eodem tempore ore invocent Beatiſſimam Virginem, & factis invocent diabolum? Nunc propter oculum faſcinantem, quas non faciunt ſuperſtitiones? Nunquam poſſem finire, ſi referre vellem; ſolummodo interrogo: Quam efficaciam, vel quam vim habebit illud, quod ſuffumigium vocant quatuor angulorum? immunditiam quatuor laterum ego voco, & peccatum mortale quatuor palmorum; tales pergant bonis avibus.

VII. Et quid plus deberem dicere de Vetulis, quæ benedicunt, & non ſcio, quot cruces faciant? Loquor de certis orationibus, & benedictionibus, quæ ſunt portæ multarum deceptionum diaboli, & plurimarum ſuperſtitionum; hoc punctum efficacius remedium requiret, quàm ſit mea vox. Dominæ, unum ex duobus: Vel creditis, quòd benedictrix ſuis illis crucibus, precibus, & benedictionibus abſque dubio debeat conferre ſanitatem infirmo, vel non creditis? Si hoc creditis, ita benedictrix, ſicut illa, quæ talem advocat, ut ei benedicat, peccant mortaliter; & ſi hoc non creditis, cur talem benedictricem advocatis? Quanto melius erit, ut aliquis Sacerdos dicat ſupra illam Evangelium, quam omnes iſtæ benedictiones, & iſtæ cæremoniæ ſuperſtitioſæ, afflando infantem, onerando tot panniculis, cooperiendo illum, ut ſudet, & alia digna riſu exequendo, quæ ut plurimum digna ſint proſcriptione ex Republica Chriſtiana? De Sancto Bernardo refertur in ejus vita, quòd dum adhuc infans eſſet, & dolore capitis laborâſſet, eô inſciente, conduxerunt unam ad illum de talibus benedictricibus, ſed vix illam conſpexerat Sanctus Juvenis, ſaltando ex lecto, totus ſtomachabundus eam à ſe abjecit, nec, ut ſuas benedictiones proloqueretur, admiſit; & DEUS eô ipsô momentô pietatem Juvenis recompenſavit, auferendo ſubitò dolorem capitis. Ita DEUS ſubminiſtrat remedia iis, qui contemnunt medicamenta diaboli.

VIII. Multo pejus adhuc eſt (tardè hoc punctum aggredior) multò pejus eſt, quòd non ſolum ab hominibus amplexentur, & etiam quærantur iſta remedia diabolica, ſed quòd Medicinam Sanctiſſimam, quam nobis in Eccleſia reliquit Vita noſtra Chriſtus JESUS, non ſolum pro anima, ſed etiam ſæpius pro corpore, hanc plurimi recuſent, illam fugiant, acſi in illa mors eſſet incluſa. Et qualis eſt hæc medicina? Oleum Sanctum, Sanctiſſimum Sacramentum Extremæ Unctionis. Dilectiſſimi, error hic eſt ignorantiæ, qui jam quaſi tangit, & ſapit hæreſim, & nihil ultra illi deeſt, ut ſit hæreſis; niſi ut illud, quod operibus faciunt, pronuncient hoc ipſum verbis: Hic horror, talis timor, quo recuſatur perceptio Sacræ Unctionis, quid vult indicare? Quis illum introduxit? Diabolus, diabolus: iſti barbaræ apprehenſio

sioni, quòd, si ungatur, absque remedio debeat mori, quid illi deest, ne sit hæretica? *Si quis dixerit*, definit Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 14. de Sacram. Extr. Unct. Can. 2. *Sacram infirmorum Unctionem, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessâsse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.* Jam si nostra Vita Christus JESUS nobis reliquit hoc Sacramentum, non solum pro augmento gratiæ, non solum ad augendas vires contra impugnationes diaboli, sed pariter ad conferendam nobis, mediante illo, quando nobis convenit, sanitatem corporis; quomodo igitur ab aliquibus ita abhorretur, ita recusatur, acsi in illo nobis mors conferretur? O DEUS meus! & hoc succedit inter Catholicos? Quot fuissent sani facti, si in tempore uncti hoc Sacro Oleo fuissent? Si volunt, ut primo Sacro Oleo ungantur, dum jam anima in exitu est, quid? Ergone DEUS tenetur operari miracula propter nostras ignorantias, & errores? Oh quantum me cruciat, quòd non possim pro nunc referre circa hanc materiam multa prodigiosa exempla ad abigendam, & elongandam à Catholicis hanc deceptionem.

Sed sufficiat pro omnibus unum, quod refert Sanctus Ber- IX.
nardus in vita Sancti Malachiæ Episcopi cap. 24. cujus verba hic genuina refero. Habitavit vir Nobilis in vicinia Benchorensis Monasterii, cujus uxor, cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias, ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam unctorus Oleo; descendit, & intravit ad eam: quo viso, exultat illa spe animata salutis; & cum pararet ungere eam, visum est omnibus differendum potius usque ad mane; erat enim vespera: acquievit Malachias, & data benedictione super ægram exivit cum his, qui secum erant. At vero post modicum subito clamor factus est, planctus, & strepitus multus per totam domum: siquidem insonuit, quòd mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, & secuti sunt eum discipuli ejus; & accedens ad lectum, ut certo comperit exspirâsse, consternatus est animo, sibi imputans, quòd fraudata gratia Sacramenti obierit; & elevatis in cœlum manibus: Obsecro Domine, inquit, insipienter egi. Ego, ego peccavi, qui distuli, non ista, quæ voluit; hæc dicens,

conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam, tota nocte laborabat in gemitu ſuo; & loco Olei Sacri, largo imbre lachrymarum perfundens mortuam, vicem illi unctionis, quam poterat, exhibebat. Ita quidem ille; ad ſuos autem: Vigilate, inquit, & orate. Itaque in Pſalmis illi, ille in lachrymis, noctem duxére pervigilem. Et mane facto, exaudivit Dominus Sanctum ſuum; quia Spiritus Domini erat poſtulans pro eo, qui poſtulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperit oculos, quæ fuerat mortua, & ut ſolent, qui de gravi ſomno evigilant, fricans ſibi manibus frontem & tempora, ſuper lectum ſe erigit, & agnitô Malachia, inclinans devote ſalutat eum; & verſo luctu in gaudium, ſtupor apprehendit omnes, & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum; & unxit eam nihilominus, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei ſalvet infirmum. Poſt hæc abiit ille, & illa convaluit; vivensque incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifeſtaretur in ea, peractâ pœnitentiâ, quam ſibi Malachias injunxerat, in bona confeſſione iterum obdormivit, & migravit ad Dominum.

X. Oh DEUS Admirabilis, Fons Salutis, ſupreme Domine vitæ! in Te ſolo Domine poſſunt invenire levamen noſtri dolores, remedium noſtræ infirmitates. A tua manu proveniens vita eſt æſtimabilis, per tuam manum facta mors eſt pretioſa, quia præ hac vita, & morte, habes in tua manu meliorem vitam, quæ eſt gratia.

INSTRUCTIO XIII.

De damnis veneficii, vel maleficii, & veris remediis eorum.

In Feſto Purificationis B. V. 2. Februar.

I. QUàm opportune, ſed quando non eſt opportunum, & quando non vult nobis favere MARIA? Ah quàm opportune no-

nobis accidit Feſtum noſtræ Dominæ! Dum nobis præſentatur videre congregatos homines, cum diabolis conjurantes in noſtrum damnum, nobis præſentatur, & oculis noſtris objicitur MARIA Sanctiſſima Mater portans in ſuis DEUM manibus, in quo, & per quem nobis appromittit, & præparat ſecurum remedium. Nigrum hunc vocabant diem hodiernum in ſua gentilitate Romani, ut dixit Maſcolus noſter Enc. cœl. 2. Febr. *Ater hic dies Romanis eſt dictus.* Et profitebantur veritatem, dum maximè cæci erant: Siquidem conſumendo hunc totum diem in ſuperſtitionibus, quas dedicabant Principibus tenebrarum, quanto plures ad ſolennitatem Deorum, maledicti cultûs accendebant faces, remanebant in tenebris, offerendo in ſacrificia turpia veneficia illis, quos dicebant Deos inferni. Recte itaque appellabant hunc diem atrum, dum ſic illum obtenebrabant infernales umbræ ſuperſtitionum ſacrilegarum. Sed jam pro nobis dies lætus, dies feliciſſimus, dies candidus, in quo aurora pulcherrima diſpellendo, & fugando omnes has umbras ſacrilegarum ſuperſtitionum, nobis apportat in illa animata face, quæ omnes complectitur Divinitatis ſplendores, lucem puriſſimam, quæ illuminat mundum: *Lumen ad revelationem gentium.* Lucæ 2. v. 32. Et certe indigebamus tam eleganti luce, tam pulchrâ aurorâ, ad lætificandam ſuo vultu feralem, & mortiferam materiam, quæ hodie ſequitur explicanda: & ut, videndo damna, & pericula, quæ nobis dæmon ſtruit mediantibus hominibus ſuis miniſtris, nobis ſit pro nunc illa totalis conſolatio; cùm in manibus MARIÆ habeamus certum noſtrum remedium: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

II. Nunc itaque, acſi noſtræ vitæ non ſufficerent ſua pericula, ac ſi tam pauca forent ſua mala, & ac ſi illam non ſuperarent propriæ miſeriæ, conſpirantes, & congregati ad invicem cum dæmonio homines, invenerunt veſtigia ad machinanda contra noſtram vitam maxime terribilia mala. Oh DEUS! poterat diſornata curioſitas præcipitare aliquem in ſuperſtitioſam divinationem: potuit vel cupiditas, vel apparens convenientia obcæcare alios, ut ſe permiſerint decipi in vana obſervantia; ſed ſolum ad malum faciendum, ſolum ad damna machinanda, quid aliud potuit movere, quàm una ſubtiliſſima malignitas diaboli? Hac de cauſa ratio-

tionabiliter inter alias amicitias maledictas cum diabolo, de quibus jam tractavimus; ista, de qua nobis hodie agendum est, vocatur maleficium, & est illa, quam nos vocamus specialiter nostra Italica lingua *fattuchieria*, seu veneficium, vel maleficium; & nominare illam sufficit pro sua detestabili abominatione, pro suo execrabili odio: Attamen quia potest cuivis subesse periculum incidendi in ejus deceptiones, etiam dum contra illam quæritur remedium, ideò res indiget explicatione. Maleficium itaque, seu *fattuchieria* est infelix potentia ad faciendum male alteri cum adjutorio, & succursu diaboli; & hac de causa faciunt contractum, & pactum cum illo, quòd ipsi omnem velint exhibere venerationem, & cultum, & etiam illi tradere ipsam animam; & hoc ideò, ut aliis possint malè facere? ut aliis possint damnum inferre? O maledicta potentia!

III. Hoc est certum, & est veritas Catholica, Dilectissimi mei, quod nihil, nihil possit facere diabolus, quantumcunque ille omnes suas subtilitates impendat, quantumcunque suam exacuet rabiem, nihil possit; nisi sit, quod DEUS unicus supremus, & absolutus Dominus omnium rerum creatarum, illi permittit, & sic, vel in castigationem nostrarum culparum, vel ad reformationem nostræ vitæ, vel ob secretas dispositiones suorum altissimorum judiciorum, vel ob media, quæ ille scit dirigere pro sua majori gloria, quandoque dat nostro inimico contra nos licentiam, tametsi semper nos præveniat æqualibus auxiliis gratiæ, & tunc furia, feritas, & rabies diaboli, qualiter in homines grassatur? Dicat hoc historia Jobi; & nos assecurati, DEUM nunquam nobis defuturum, redeamus ad explicationem.

IV. Duplici modo fit, vel duos fines habet maleficium: unus vocatur amatorius, alter hostilis, vel inimicus: Unus qui per artem diaboli prætendit facere maledictas amicitias, introducendo turpem in animam amorem; Alter, qui per artem diaboli exercet crudelissimas inimicitias, causando terribilia in corpore damna; ita, ut una, & altera manu adhibeantur malefici, & maleficæ, nunc ad faciendos amicos, nunc ad ulciscendum de inimicis; hoc se ita habet: sed qualenam damnum esset majus? Amoris? quis de hoc dubitat: Malum terribile animæ, si illud causare possent, sed est totum in vanum. Esset usque ad hoc tempus

pus materia risu dignissima, si non sciremus esse materiam gravissimorum peccatorum mortalium; potestne *ignorantia dari crassior?* potestne esse cæcitas intellectûs magis brutalis? *Quis inveniendus erit*, qui sibi persuadeat, quòd aliqua herba, lignum, certa potio immunda sufficiat ad obligandum alterum, ut erga me amorem habeat, ut mihi bene velit? & ut quis persuasus ad hanc vilem fœditatem, se sinat decipi ab una vetula, ab aliquo homine vili, vel à dæmonio? pulveres ad bene volendum, ad amandum? recedant similia, & contemnantur ab omnibus; & ista homines credunt? Itane absque lucro, absque emolumento adeunt maleficos committendo peccatum mortale tam enorme? Ut alteri ponatur hæc, vel talis herba in vestibus, ut ipsi injiciatur hoc, vel illud in ciocolatam, & aliæ immunditiæ fiant, quas exactius, quàm quòd ego illas ob verecundiam propalare audeam, scitis; advertite errorem, & nolite decipi: non habentur pulveres, non dantur potiones, non inveniuntur herbæ similes, quæ possint flectere voluntatem humanam; quid, voluntatem flectere? nec dæmon cum omnibus suis fallaciis, astutiis, & machinationibus id potest, non potest; Repræsentationes, phantasias, tentationes excitare, & causare potest; at si homo nolit, in vanum laborat. Pergant nunc erogando suas pecunias in pulveres, & in herbas, & permittant se decipi à gente improbissima, & exponant *se irrisioni* dæmonum cum tam gravi peccato mortali. Dicunt hanc vel illam personam, tenere illum vel illum maleficiatum; Nolite his credere mendaciis, nolite similibus credere narrationibus. Certum autem id est, quòd talis, qui à simili persona tenetur maleficio affectus, hoc non maleficium, sed propria passio causet, & est suus vilis appetitus, & est sua turpitudo; & semper talis habet liberam voluntatem ex omni parte, derelinquendi talem personam semper quando volet, de quo strictam ab eo DEUS exiget rationem. Pudor est, quòd Christiani similes credant ineptias, quando Gentilis, absque cognitione DEI, & cùm esset ut plurimum impudicus, illusionem, & jocum fecit de similibus pulveribus, & de talibus herbis, nec leviſſimam quidem eis fidem adhibendo: audite Ovidium:

Fallitur hæmonias, ſi quis decurrit ad artes,
Datque, quod à teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor Medeides herbæ,
Miſtaque cum magicis merſa venena ſonis.

Sanctus Cyprianus Martyr, ut refert Surius 26. Septembris, erat antea perverſus, maleficus, & inamoratus in ſingulari pulchritudine Sanctæ Virginis Juſtinæ: poſt multos labores, & diligentias adhibitas ad illam vincendam, recurrit tandem ad ſua maleficia; aſt ad hæc omnia Sancta Virgo conſtans permanſit; incipit Cyprianus cum dæmonio conqueri; & diabolus evomendo rabiem, quid lamentaris? dicit Cypriano, mea potentia ſe non extendit ad vincendos illos, qui legem Chriſti ſequuntur. Hoc ſuffecit, ut, errorem agnoſcens Cyprianus, eligeret in Magiſtram Fidei illam, quam volebat ſuis decipere maleficiis, & ut una cum Juſtina pro Chriſto ſuum ſpargeret ſanguinem. Tantum poteſt gratia DEI, dum nihil poſſunt in noſtra voluntate efficere maleficia.

V. Sed ubi ſolet lucra facere diabolus cum ſuis artibus, & furia? eſt, inter alia damna, corpus noſtrum. Iſtud eſt maleficium hoſtile, vel inimicum, quô malefici cauſant per manum diaboli tanta mala, nunc in ſupellectile, & ſubſtantia, deſtruendo armenta, meſſes, domos: nunc in corpore afferendo graves infirmitates, dolores, ſterilitatem, impotentiam, & nunc in vita, dum DEUS ita permittit dæmonibus. Ex iſta itaque fœce vili ſunt ſtregæ, ſeu ſagæ, illæ infelices animæ, peſſimæ, quas terra portat, privatæ fide, reſignatæ ad turpitudines, & concubitus cum diabolo: quid mihi dicendum de illarum maledictis conventiculis, de illarum ſacrilegis blaſphemiis, de vilibus adorationibus dæmonis? ſunt tam execrabilia, tam horrenda, tam atrocia peccata, quæ committunt, ut nec explicari queant; datur-ne ſimilis voluntas volandi? illæ volant, quia illas diabolus portat, & utinam illas aſportaret diabolus volando. Facilitat illis diabolus modos ad fugendos, & occidendos infantes; ille ipſis portas aperit, ille, ut non agnoſcantur, non mutat illas, hoc enim diabolus facere non poteſt, ſed ſuis artificiis facit, ut appareant animalia domeſtica: ſæpius illas facit apparere cattos. In hac figura quædam intravit certam domum, ut noſter refert Delrio l. 6. cap.

cap. 2. 5. 1. q. 1. n. 1. 13. 14. 20. & appropinquabat cunis infantis, advertunt hoc Parentes infantis; abegerunt illum cattum: abigebant illum, & ille redibat; daturne similis cattus? toties ad cunas redivit, ut ad iram parentem prolis commoverit: surrexit, & arreptô baculô, cattum assequitur, & egregie verberibus excipit, tandem cattus per ostiolum fenestræ saltavit ad plateam, & ex saltu bonum ictum accepit. Sequenti mane: oh talis, & talis vetula moritur, & vult exhalare Spiritum; accurrunt, & inveniunt in illa signa ictuum in membris correspondentibus illis, in quibus cattus percussus erat, & quàm optimè lividas costas. Oh quàm egregium factum! capite hoc, qui volare cupitis. Sed si hic, per gratiam DEI, nulla adest, quæ meos excipiat sermones, saga; quare ista dico? hoc ego vobis dicam; ut subjungam & addam vobis hoc nunc; omnia ista remedia naturalia, quibus contra sagas utimini, esse superstitiosa: scopæ post portam, cortices ovorum, sal sparsus, acus, aciculæ, suffumigationes, & alia hujusmodi, sunt omnia remedia vana, sunt superstitiosa, ut loquitur Delrio uti supra. Omnia ista sunt vocare diabolum, dum vultis liberare vos à diabolo, & omnia ista fiunt cum peccato mortali, à quo solum potest vos habere excusatos ignorantia.

VI. Nunc igitur, quibus armis utemur contra tam terribiles inimicos? Jam nos docuit hac in parte Ecclesia, talia sunt: Sancta Crux, Reliquiæ Sanctorum, Imagines eorundem, & aqua benedicta; munite his armis prolem, & ego vos certos facio, qualecunque ex his remediis fore potentius toto inferno. Sed super omnia hæc Mater Purissima, cum suo Agno DEI de collo pendente, nobis hodie procedit, monstrando securissimum refugium. Vultis assecurare vestros infantes? defendite itaque illos hoc Agnelo tenero; volunt se ipsas matres assecurare? recurrant itaque ad patrocinium hujus Matris, & Virginis Purissimæ. Trevieris Civitate Germaniæ, ut refert Delrio lib. 6. S. 3. Certæ perversæ sagæ deceperunt certum innocentem infantem ætatis solummodo octo annorum, & imbuendo illum suis turpitudinibus, conducebant secum ad omnia illarum maledicta conventicula; ibi dum cum diabolo saltitabant, puerulus tympanum pulsabat ad saltum;

tum; reſcivit hoc Archi-Epiſcopus Civitatis illius, & vocando illum ad ſuum palatium, mandavit ut in doctrina Chriſtiana informaretur, de qua nihil ſciebat; talia, & pejora damna ſequuntur, ex ignorantia doctrinæ Chriſtianæ. Sacerdos noſtræ Societatis, qui illum informabat, ut eum contra dæmonium aſſecuraret, impoſuit collo ejus ceram benedictam, quam vulgo Agnus DEI vocamus: non tardavit diabolus venire ad illum quærendum; ſed videndo illum ita munitum, non fuit auſus illi appropinquare, at aſpectu terribili, & fero, abjice hoc, dixit illi, quòd ſiid facere nolis, verbera à me excipies: intimoratus infans ceram Sacram depoſuit, & in momento quo ceram depoſuerat, elevando, & ſuſtollendo eum diabolus per aërem, conduxit ad maledictum conventum ſagarum, uſquedum poſtmodum quæſitus, & reinventus, confeſſus eſt illud, quod ei acciderat. Nolite itaque auferre à prolibus ceram talem benedictam, hæc enim eſt magnum munimen, & defenſio, coram illa tremit totus infernus. Et de Matre DEI Sanctiſſima quid dicam? ſolum nomen MARIÆ Sanctiſſimum exterminat dæmones, & dulces ſoni nominis MARIÆ faciunt vacillare abyſſum. Redibat ex conventiculo noſtregarum certa ſaga in equo, quem diabolus repræſentabat, volando per aërem, ut id narrat Grillandus apud Rayn. tr. 13. Herodot. 1. fol. 415. §. habes: Erat hoc tempore diluculi, quo in certa Civitate vicina pulſabant campanas, ad Salutationem Angelicam Sanctiſſimæ DEI Genitricis MARIÆ, & ad ſolam Echo campanarum, quæ ad ſalutationem ſonum dabant, terrefactus diabolus, dereliquit in aëre ſagam, quæ terribili caſu decidit in rubum, ibique creſcente die inventa, & poſtmodum judicibus præſentata, juxta meritum caſtigata eſt.

VII. Nunc igitur cum hac narratione, jam dixi etiam remedium efficaciſſimum contra omnia reliqua maleficia. Non licet, quis hoc non videt? velle curare unum maleficium alterô; hoc foret majus damnum facere pro quærendo remedio; an in hoc poſſit eſſe modus faciendi id abſque culpa mortali, hac de re, ſi quando opus fuerit, conſuletis doctos. Remedia naturalia medicinæ, raro vel nunquam optatum cauſant effectum; quia omnibus poteſt diabolus tollere vim, & efficaciam. Sed ſi infirmitas affligit, ſi do-

dolores cruciant, quale remedium? Quoad hoc non habetur aliud, quàm ut fiat recurſus ad remedia ſpiritualia Eccleſiæ, ad Reliquias Sanctorum, ad frequentiam Sacramentorum, ad Matrem DEI Sanctiſſimam MARIAM. O Domina! Tu, quæ huic infernali ſerpenti caput fregiſti, es illa, quæ potes nos defendere à diabolicis aſtutiis; Tu, quæ es honor ſupremus totius noſtræ naturæ, es noſtrum certum refugium contra tam efferatos inimicos. Imperatrix ſuprema, cui jucundiſſime obediunt omnes Hierarchiæ Angelicæ; Tu es illa, quæ proſternis ſuper terram omnes infernales machinas. O quomodo aſſecuratur, qui tibi appropinquat, & te accedit! Oh quomodo, & quantum lucratur, qui te quærit! Oh quomodo ſeipſum aſſecurat, qui Tuis ſacratiſſimis manibus committit ſuam defenſionem.

VIII. Refert Illuſtriſſimus Jacobus de Voragine Spec. Exempl. Ver. Maria, Exem. 31. In certa quadam Civitate fuiſſe hominem potentiſſimum, & ditiſſimum, uxoratum cum Domina virtuoſiſſima, & tenerrima Cliente Beatiſſimæ Virginis MARIÆ: ille totus abſorptus vivebat in ſuis divitiis; illa tota in devotione ſuos transigebat dies; quis majori cum profectu vixerit, dicat id, & decidat eventus. Immerſus ille profanitatibus, luſibus, & expenſis, citiſſime, quod jam omni die videtis, & non ignoratis, citiſſime, & paulò poſt depoſuit pompa alas, ſuperbia ejus concuſſit criſtas, & factus eſt mendicabulum ille, & miſerabilis homo, qui prius fuerat ſtultus dilapidator. Triſtis ambulabat, & impatiens cum ſua paupertate, ubi ipſi magis, & magis reviviſcebat cordolium ad præſentes anguſtias, dum rememoraretur præterita tempora; his cogitationibus afflictus exivit ob certam occaſionem in campum ad leniendas per ſuſpiria ſuas afflictiones, & dum ut plurimum in cogitationibus eſſet, ecce tibi adſtat ferus gigas, qui, præſentando ſe ante illum ſupra ſuperbum equum, cœpit cum deſolato diſcurſum formare. Exquirit cauſam ſuæ anguſtiæ, & poſt paucos tractus, & brevem ſermocinationem, manifeſtavit ſe eſſe diabolum; non multum ille alter extimuit, qui ſe jam quaſi perditum æſtimabat. Ego tibi promitto, dixit ei dæmon, te facere magis divitem, quàm antea fueras, ſolummodo mihi facias certam rem tibi facillimam: Quæ eſt hæc? reſpondit alter:

ut tali, & tali die, repoſuit diabolus, deſignando diem, mihi conſignes in tali, & tali loco tuam uxorem; conſentio immediate petitioni: ego præſto! ſtasne tuis verbis? quærit diabolus: ita, do manum. Vade igitur, & quære in tali loco, & ibi invenies divitias, quæ tibi ſufficient, & te abundantem facient; abiit ille ut plurimum conſolatus, quæſivit, & invenit grandem quantitatem auri, & argenti tantam, ut redeundo ad ſuam præteritam antiquam pompam, triumphaverit, & ſplenduerit duplicato faſtu. Advenit terminus conſignandi ſuam pauperculam conſortem diabolo, & plurimum ſevero vultu, diſpone te, & vade mecum, dixit uxori; neceſſarium enim habeo, ut mecum ad certum vadas locum. Paupercula conſors, abſque eo, ut auſa fuiſſet interrogare de negotio, recurrit prius ad Sanctiſſimam Virginem MARIAM, ad deponendum in manibus ſuæ Dominæ, & protectricis periculum, & comitatur ſuum maritum. O miſera! & ſi ſcires, quo ducaris! Sic itaque ibant ſoli duo, & ecce videndo in campo eremitorium Beatiſſimæ Virginis dedicatum, rogat uxor maritum, ut ſibi concederet ingreſſum ad ſalutandam Dominam noſtram; maritus petitioni condeſcendit, & reliquit eam ſolam intrare, illo præ foribus eam expectante; illa jam timore majori perculſa, videndo ſe ſolam per campos conduci, intimis ſuſpiriis Matrem Sanctiſſimam deprecabatur, quærendo ab ea patrocinium, ut ſibi in hoc periculo adeſſe dignaretur; & ecce præſto, quod petebat, experta fuit! O Domina! quis Te non invocet? ſopor mulierem in Capella obruerat, & dum illa dormiebat, prodit ex eremitorio, quis? Ipſiſſima Regina Angelorum; O dignitatem ſupremam! in figura, ſpecie, & habitu dictæ mulieris, ita ut non cognoſcente illam marito, proſequerentur ambo arreptum iter. Pervenerunt ad locum deſignatum, & quando jam promptiſſimus accurrebat diabolus, mox detexit ſuum ſupplicium, dando terribilem mugitum, nec auſus fuit appropinquare; ah male ſuaſe! ah peſſime homo! dixit, falſe & mendax: Quomodo loco tuæ uxoris mihi adducis illam, quæ eſt meum tormentum? tuam uxorem ego petii ad vindicandas hic in illa injurias, quas mihi fecit, ut mihi hic exolviſſet omnes contumelias, & tu me exolvis conducendo mihi huc Matrem DEI? Huic redde gratias, ali-

alias . . . dixit, & aufugit plenus furiâ. Tunc Mater Sanctiſſima ſeverô vultu, reprehendit, juxta ſuum meritum, illum hominem peſſimum; mandavit eidem à ſe abjicere tam maledictas divitias, & quòd rediens ſit inventurus ſuam uxorem in eremitorio: quæ fuerit admiratio, & timor improbi hujus hominis? Redivit ad eremitorium, & invenit uxorem ſuam ibi dormientem, prout ei à Sanctiſſima Virgine dictum fuerat.

Ah quàm ſecure dormit, qui ita in protectione MARIÆ requieſcit? Eſt ſomnus dulcis, tali, qui amat MARIAM, ille, quem diabolus vult vertere in tormentum. O Mater noſtra dulciſſima, pro ſomno mortis, contra feritatem, & ſævitiam hujus inimici invocamus, ab hac hora, tuum patrocinium! Fave nobis MARIA, ſis noſtra Protectrix nunc, & tunc! Nunc ut in gratia DEI nos defendamus ſemper contra culpas; Et tunc, ut per ſomnum mortis, liberi à noſtro maximo inimico, tranſeamus ad viſionem Tui in gloria. IX.

INSTRUCTIO XIV.

Quale peccatum ſit tentare DEUM, & quomodo committatur?

BEne meretur, ut perdat pedes, quibus ſecure poterat incedere, qui vult habere alas, quibus volare eſt periculoſum; eſt hæc ſententia cum maximo plauſu excepta Sancti Maximi, dum conſideraret præcipitatum Simonem Magum ex alto, ubi volebat incedere per aërem, cum poſtmodum ne quidem in terra greſſum facere potuerit, *ut qui pennas aſſumpſerat*, dicit Sanctus Maximus hom. 5. *plantas amitteret.* Juſtiſſima pœna, ut qui vult incedere tam ſublimis, maneat bina vice præcipitatus: præcipitatus ex ſuo volatu, & præcipitatus ex ſuo ſtatu; perdat illud, quod tenebat ſecurus, poſteaquam volebat quærere diſcrimen; perdat pedes, quandoquidem voluit habere alas. Ad duo conſideranda nos conducit iſta ſententia; ad id, quod jam conſideravimus, & ad id, quod hodie nobis proponendum, & conſiderandum eſt: nimirum I.

ut

ut non quæramus alas, quas diabolus dat, & non assumamus alas, quibus aliquid contra DEUM audeamus; unum, & alterum est gravis offensa Majestatis Divinæ. Alæ, quas dat diabolus, hoc est illud, quod jam vidimus, & explicavimus in omnibus speciebus superstitionis: quæ omnes sunt, & consistunt per media improportionata, quærere ruinam, & præcipitium. Sed spretô diabolô, quærimus à DEO impertinentias, stultitias, & inventa nostri ingenii, si, relinquendo communia media ad consequendum id, quod nobis vult dare sua Providentia: volumus ut nos solùm adjuvet juxta nostram volitionem; istæ etiam sunt alæ nostræ audaciæ, quæ quantò altius nos deberent in altum tollere, tantò magis deprimunt, & loco consecutionis à DEO nostri intenti, cadimus in grave peccatum mortale, quod vocatur tentatio DEI.

II. Clarissime vidimus, qualiter superstitio una cum omnibus suis speciebus se opponat debitæ reverentiæ, honori, cultui, nostri veri DEI, quem nos docet exhibere ei virtus Religionis; vel quia superstitio tribuit DEO cultum superfluum, & mendacem, vel quia magia dispergit cultum, & dissipat Divinum ratione DEI inimici perversissimi. Nunc itaque ex altera parte opponitur virtuti religionis vitium, quod vocamus irreligionem; dicamus hoc clarius: perdere erga DEUM respectum, & reverentiam, quam illi debemus, vel hoc fiat tentando suam Majestatem, vel blasphemando suum Nomen Sanctissimum, vel pejerando; hæc tertia species spectat ad secundum Præceptum; quamobrem cum primis duabus finiemus istud primum Præceptum.

III. Tentare DEUM? quis hoc sibi persuaderet? In una occasione sola scimus, illum diabolum tentâsse, & hoc, juxta gravissimos Patres, & Doctores, factum est, quia procerto nesciebat illum esse Filium DEI, quem tentabat; & quoties, sciendo, & cognoscendo, homines illum verum esse DEUM, nihilominus illum tentant? Diabolus, cùm pro officio suo elegerit sibi, esse tentatorem; ille est, qui tentat homines; homines autem sunt, qui DEUM tentant, non ut cadat, hoc enim fieri nequit, sed ut illi ruant; hoc est maximum infortunium. Jam autem quid est tentatio DEI? Videtur, quòd peccati hujus solummodo nomen cognoscamus; utinam sic se res haberet, & aliter non esset.

Du-

Duplicem ſignificationem habet verbum *tentare*: tentare aliquem, hoc eſt illum inducere, vel movere ad caſum in aliquem errorem, vel culpam: tali modo nos tentat dæmon; & in hoc ſenſu, quis jam hoc non videat, non poteſt dari homo, niſi in beſtiam transformatus eſſet, qui tentet DEUM: cùm non poſſit cadere nè minima quidem imperfectio in illam ſanctitatem eſſentialem, in illam bonitatem infinitam. De hac ſignificatione non loquimur.

IV. Attamen dicimus, volo tentare, probare, ſumere experientiam; tentabo, probabo, ſolemus dicere, ut experiamur, an Titius ſciat hoc, vel *illud; ut* videamus, an ad iram commoveatur ſupra hoc, quod illi dicam, probabo, experimentum ſumam; D. Thom. 2. 2. q. 97. a. 1. Caſtrop. T. 3. de ſuperſ. d. 2. Sanch. in Dec. l. 2. c. 34. Laym. T. 2. l. 4. tr. 10. cap. 5. Fagund. & alii. In iſto ſenſu tentare DEUM, eſt velle experiri per media diſordinata, & vana, an Divina Majeſtas habeat hanc, vel illam perfectionem, Sapientiæ, Potentiæ, Providentiæ, &c. Oh quàm terribilis audacia, & audax irreverentia! Quantum offenderetur notorius Vir Nobilis, aliquis Princeps, ſi quis eſſet, qui indagaret, & probas habere vellet de ſua ſtirpe? quantum offenderetur vir honoratus, ſi ab illo peteretur aſſecuratio, & fidejuſſio ob miſeros duos, vel tres florenos? jam hoc eſt illud, quod audent homines facere cum DEO: O bonitas ſuprema, & hoc tu pateris, hoc ſuffers? & tamen una tam gravis malitia poteſt duplicari cum infidelitate: & hoc fiet, ſi DEUM tali modo tentare, naſcatur ex dubio, an ſit, vel non ſit Sapiens, an ſit, vel non ſit Potens, &c. hoc erit unire tentationem DEI cum hæreſi. Oh quoties irritaverunt tali modo patientiam DEI Hebræi tantundem ingrati, quàm perfidi; dicebant: *Nunquid poterit DEUS parare menſam in deſerto?* Pſal. 77. v. 20. Simili modo tentarent DEUM illi, qui ad credendam veritatem noſtræ Fidei, peterent miracula, acſi non ſufficerent, & non abundarent innumerabilia, quæ DEUS fecit, confirmata per tot ſæcula. Sed accedamus propius: hucuſque per miſericordiam DEI nihil ad nos de his, quæ diximus, ſpectat; Sumus Catholici, & digne gloriamur nos tales eſſe.

V. Jam itaque cum noſtræ Fidei nihil deſit, ſiquidem credimus omnes infinitas perfectiones, quæ in DEO ſunt, poſſumusne illum tentare? Oh, & quoties illum tentamus! Quid? Quomodo hoc? Ego hoc dicam. Noſtrô velle, dum abſque noſtra diligentia adhibita, abſque uſu mediorum, quæ diſpoſuit Divina Providentia, abſque noſtra cooperatione ſolùm cum noſtro velle volumus, ut DEUS nos extrahat ex periculo, ut DEUS nobis ſuccurrat in neceſſitate, ut DEUS nobis aſſiſtat in anguſtiis, & ut omnia uno verbo dicam, dum nos ex parte noſtra nihil facere volumus, niſi ſolum velle habemus, ut DEUS totum faciat; hoc eſt tentare DEUM; hinc illic dixi: *Per media disordinata, & vana*: Nam ſi vel ex neceſſitate, vel ex inſtinctu, & motione Divina petatur à DEO aliquod ſignum, vel demonſtratio Divini beneplaciti, hoc non eſt illum tentare: Tali modo petiit Abraham Gen. 15. v. 8. Gedeon, Jud. 6. Elias, 3. Reg. 18. v. 36. Nec etiam malum eſt, ſi poſt adhibitas noſtras diligentias, quantum nobis erat poſſibile, & nihilominus res noſtræ non fortiuntur deſideratum exitum, recurramus ad DEUM, hoc enim eſt laudabile: iſta eſt confidentia Chriſtiana, hic modus ad eum recurrendi illi gratus eſt, & in ſimilibus occaſionibus ſemper adjuvat; At ex parte noſtra nihil faciendo, imo nos alicui etiam periculo exponendo, volendo ut DEUS ſolus nos exinde liberet, & totum ille ſolus faciat, oh quæ ſtultitia! oh quæ inſania! Exempla, quæ aliàs Authores allegant, & in hac materia apponunt, ordinariè ſunt, ut ſi quis habens ſcalas, per quas poſſit deſcendere, abſque eo quòd hac in re opus ſit miraculo, ne damnum aliquod patiatur, ſe præcipitaret de feneſtra per aërem, fidens DEUM ſibi affuturum, ne occidatur: vel ſi quis laborans febre maligna, vel alio ſimili morbo, nollet advocare Medicum, nec aliquam ſumere medicinam, confiſus DEUM ſibi per miraculum daturum ſanitatem; hoc eſt DEUM tentare, & graviſſimum mortale peccatum, ſi in hoc eum non excuſet totalis ignorantia, vel parvitas materiæ, ſicut eſt, ſi indiſpoſitio foret leviſſima, & talis ſperaret, quòd DEUS illum ſanaturus ſit ab illa, non per miraculum, ſed ordinario, & communi ordine ſuæ Providentiæ. Verum quia nullus hic inter vos invenitur, qui ſibi tantum vo-

let

let cauſare malum, & per feneſtram ſe in terram præcipitare, ponamus exempla magis ordinaria, & domeſtica.

DEUM bonum, quot, & quantæ querelæ! DEUS mihi non vult favere, DEUS mei oblivíſcitur, quò plus, & magis ego ad DEUM clamo, eò minus me exaudit; nihil aliud habeo præter paupertatem, miſeriam, infortunia; nihil habeo, quod comedam; bene ſe res habet; & dic mihi, *his tuis orationibus* ad DEUM, & tuis ſuppliciis unisne tuam diligentiam? Ita eſt, hoc facio: hodie accedo domum hujus, vel illius amicæ, cras alterius; hodie viſito hunc, vel illum bonum ſocium, cras alium: & tamen omnia iſta, quæ ego dico, nihil juvant, & poſt omnia ego pereo. Hæccine eſt diligentia quam facis? At ſimilia non vocamus diligentias, ſunt nugæ, ſunt joci: hoc quod ego quæro, eſt: Habesne aliquod officium, laboras, esne in ſervitiis? Non, nihil horum. Jam vir, mulier, ſis quidcunque velis, visne vivere ex miraculis? Vis, ut DEUS tibi pluat manna in tuam domum? Vis ut tibi aperiat fontem olei in tuo cubiculo? Vis, ut tibi panem adferant Angeli? Vis, ut DEUS tecum faciat prodigia? Hoc eſt DEUM tentare. VI.

Alii, & aliæ cooperiunt etiam magis iſtam deceptionem capâ virtutis; faciunt multas devotiones, multas orationes, & non habent, quod manducent, nec qui illis det; Laborare? hoc non, totum tempus debet impendi pro DEO. Operari, aliquem laborem manualem exercere? hoc minus, hoc eſt diſtrahi ſpiritu. Mulier vade, & ſervias: non, Pater, hoc me diſturbaret, & impediret, quin poſſem frequentare Eccleſiam, & peragere meas Communiones, & ego plus æſtimo Eccleſiam, quàm quidquid aliud. Ah ſi conveniſſent iſti, & iſtæ hujus ſortis non mediocriter deluſi Abbatem Sylvanum, de quo refert Faya verb. otioſitas: Venit certus Monachus ad Monaſterium, cui iſte Sanctus Abbas præerat: invenit omnes Monachos labore manuum occupatos; multum hic labor Monachi pungebat oculos: Vadite tantum, dixit illis, cur vos defatigatis quærendo cibum, qui perit? Conſervatio ſpiritûs eſt illud, quod nobis quærendum eſt, & quod non habet finem. Bene. Abbas mandavit illi dari hoſpitium in quadam cellula, in qua prorſus nihil erat, & ſic illum VII.

ibidem relinquerent; advenit hora prandii, & advena nihil aliud agebat, quàm attendendo, & videndo ex una, & altera parte, an ad prandium vocaretur; tempus labebatur, & adveſperaſcebat, & Monachum advenam fames conſumebat. Acceſſit tandem Abbatem, & dixit: Pater non manducant hodie noſtri Fratres in hac domo? Ita, manducant, reſpondit Abbas: Cur ergo me etiam non vocârunt? Quia tu es homo ſpiritualis, & non indiges cibô terrenô; Nos autem ut homines carnales, tali egemus, & ideo operamur manibus, ut cibum nobis lucremur; Manſit Monachus confuſus, & mortificatus advena, & confeſſus eſt ſuam culpam. Dic mihi anima decepta à tua otioſitate ſub mantello ſpiritûs: esne tu ſanctior Sancto Paulo? cogitas te habere ſublimiores, & eminentiores revelationes? Habebis forſan res exequendas majoris ſervitii erga Divinam Majeſtatem, quàm iſte Apoſtolus? Jam audi, quid ille ipſe dicat Actor. 20. v. 34. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Eja ergo, laborare neceſſarium eſt, diligentia adhibenda eſt: nam hac non adhibita, volendo ſolùm, ut DEUS nobis de cibo provideat, eſt tentare DEUM: & generaliter exponere ſe alicui gravi periculo vel corporis, vel animæ, occaſionibus proximis peccandi, ex quibus nos vel non habemus potentiam exeundi, vel cum gravi difficultate, ſi confidamus in hoc, quòd DEUS eximde ſit nos liberaturus, & extracturus, eſt peccatum mortale. Si noſtram non adhibeamus diligentiam, nullis utamur ordinariis mediis, & abſque omni alia neceſſitate, quàm ut noſtra expleatur phantaſia, volumus ut DEUS faciat omnia; hoc eſt tentare DEUM, acſi noſter ſclavus eſſet, hoc eſt velle, ut nobis DEUS obediat; quæ hæc arrogantia? Jam quid tales expectant, qui tali modo DEUM tentant, aliud, quàm graviſſimam caſtigationem?

VIII. Datur adhuc alius modus, & quidem ſat conſuetus tentandi DEUM, quem ſi hucuſque excuſavit ignorantia, vel exigua advertentia, ultra hoc non valebit: & quis eſt hic modus? Velle ſcire certa certitudine voluntatem DEI, ubi hujus rei non eſt neceſſitas, & adhibendo ad hoc media improportionata. Do rem in exemplo: Vult aliqua mulier facere hoc, vel illud opus bonum; eligere iſtum, vel illum Confeſſarium, & cum ſuperſint ſuf-

ſufficientia media, per quæ poſſit ſuam divinationem aſſequi; Non, ego neceſſarium habeo mittere ſortes, & mittit ſortes: hoc eſt tentare DEUM, dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 93. a. 8. in O. Si adſunt ſufficientia media ad ſe determinandum cum prudentia; quæ urget neceſſitas ob rem ordinariam, adhibere talia media; quæ ſolum adhibuerunt Sancti in negotiis graviſſimis? & hoc faciebant poſt multas orationes, & jejunia, poſt longam conſultationem, & diſcuſſionem; tandem ad DEUM per hæc recurrebant media; ſed ſine gravi ratione, vix agnoſcendo cauſam, mittere ſortes, reſpectu exiguæ importantiæ, hæc eſt humana curioſitas, & eſt tentare DEUM. Non loquor de illis ſortibus diviſoriis, quæ ita vocantur, eo quòd eis ſeligantur orphanæ, quibus danda ſit eleemoſyna, vel matrimonium; non loquor de his, ſed de illis ſortibus conſultoriis, quæ mittuntur vel pro indaganda voluntate DEI, vel ad præveniendum id, quod debet ſuccedere. Scitiſne quid ſimiles faciant? dicit Sanctus Auguſtinus, quòd ſicut alii volunt eſſe divinatores per artem diaboli, ſic iſti volunt eſſe divinatores, tentando DEUM; majus quidem peccatum eſt illud, ſed hoc etiam culpa non vacat: *Si verò qui de paginis Evangelicis ſortes legunt*, ſcribit Sanctus Auguſt. Epiſt. 119. c. 20. ad Januar. *etiam mihi iſta diſplicet conſuetudo: ad negotia, & vitæ hujus vanitatem, loquentia oracula Divina velle convertere.* Et quid plus, ſi etiam pro peccatis ſimiles mittuntur ſortes? Sic illas jecit Merovæus, filius Gilderici Regis Francorum; narrat hoc Sanctus Gregorius Turonenſis: Gerebat ille bellum adverſus Patrem, ab ambitione obſeſſus propter coronam; voluit itaque eventum ſcire, quem in pugna ſit habiturus, & ad hunc finem curavit Sacra Biblia in tribus diſtinctis libris aperiri, ut videret, quæ ſors ei eſſet obventura; verùm in illa ſorte fulminavit DEUS contra illum promeritam caſtigationem. Aperuerunt ergo libros Regum, & prodiit illa ſententia: *Pro eo, quòd dereliquiſtis Dominum DEUM veſtrum, nec feciſtis rectum ante conſpectum ejus, ideo tradidit vos Dominus in manus inimicorum veſtrorum.* Aperuerunt poſtea librum Pſalmorum, & prodiit hæc ſententia: *Verumtamen propter dolos poſuiſti eis mala, dejeciſti eos dum elevarentur.* Pſal. 72. v. 18. Aperiunt tandem tertio librum Evangeliorum, & prodiit hæc ſententia:

tia: *Post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur.* Matth. 26. v. 2. Ita totum adimpletum fuit, mortuus est enim intra duos dies Merovæus morte infortunata; hoc est tentare DEUM, & ejus iram irritare.

IX. Ultimò tandem non raro tentamus DEUM certis stultis orationibus, imprudentibus, & minimè humilibus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEUM,* imponit nobis Spiritus Sanctus apud Eccles. cap. 18. v. 23. Valde bene solebat dicere Seneca, debere esse orationem nostram, quam ad DEUM dirigimus, talis styli, ut illam possent omnes homines audire; videtur hic esse error: nam si illam debet audire DEUS, quid perfectionis illi accedet ex eo, ut illam possint audire homines? Oh quot orationes non auderent illi, quas ad DEUM faciunt, facere in præsentia hominum! puderet illos, si eas homines audirent, & non pudet illos proponere eadem coram DEO; multa petunt vanissima, certas impertinentias, quæ nullius sunt profectûs: aliqui solum seipsos respiciunt, nihil curantes, si alii pereant; alii etiam sine respectu sui, quærunt illud, quod eis debet esse majori damno, & hoc petunt tantâ instantiâ, tali, & tanta anxietate, fervore, ut non appareat illos hoc à DEO petere, sed, ut eis concedatur, mandare volunt, res dein succedat, quomodocunque velit, ut ipsorum adimpleatur beneplacitum, & desiderium, & non prout DEUS vellet; hoc est DEUM tentare. Et quot, & qui, & quæ adhuc etiam majora audent, & quærunt à DEO etiam ipsas DEI offensas? ut auferat vitam eorum inimicis; ut concedat fortunatum, & felicem terminum eorum injustorum litigiorum, & usque adeo sunt dementati, ut etiam præsumant orare pro restauranda amicitia infami; non volo rem clarius dicere: Oh DEUS! quale habent rescriptum sperandum similes orationes tentatrices? Quid aliud, quàm gravissimam ultionem, & pœnam.

X. Refert Joannes Nicius, fuisse certam Virginem educatam honestissima nutritione, & collectione omnis honestatis, & virtutis. Vocavit illam DEUS in sponsam suam, & illa commota intrinsecus voce Divina, deliberat intrare Asceterium Monialium; sed interim oblita aliqualiter ingressûs in Monasterium, incepit locum

dare

dare aliquibus recreationibus, & diſtractionibus. Gaudebat jam per aliquod tempus, per feneſtras curioſe proſpicere, & liberius oculos paſcere, cœpitque etiam nullam moleſtiam, aut horrorem ſentire, ſi ab aliis videretur. Oh quomodo fabricatur ruina per levitates, quas parum, aut nihil curamus; per aliquam negligentiam, quam nos ſpernimus, introducitur abſque advertentia damnum, quod poſtmodum excreſcit in damnum abſque remedio. Non noverat illa certum juvenem; & ſenſim, jam per viſum, jam per nuncios, & literas in tantum in amore exarſit erga illum, ut eum maritum habere deſideraverit, oblita jam ſui cœleſtis Sponſi. Et quia, ut res in effectum deduceretur, certæ obſtabant difficultates, inaudiit illa neſcio à quali muliere (proſtultitiis enim non deſunt ſimiles Magiſtræ) Sanctam Catharinam eſſe advocatam pro obtinendo à DEO illo ſponſo, quem aliqua optaret. Tali modo illa virgo incepit ſuas ſtultas orationes ad Sanctam, petendo ab illa repetitis inſtantiis, ut ſibi impetraret à DEO hunc ſponſum, & non alium. Frequentabat hac de cauſa clamores, continuabat preces; ſed cum ita fervide aliquando orâſſet, ſine aliquo tactu, cecidit ſtatua Sanctæ Martyris, & cadendo in terram, læſa fuit in capite, & *in collo; elevavit illam virguncula*, ſine intelligentia nuncii, quid hoc denotaret, & quid ei cœlum per hoc intimaret. Continuavit ſuas orationes, & preces, & in tantum planxit, & ſuum in tantum obſtinavit animum; ut non deſtiterit à petitione, uſquedum id, quod petebat, conſequeretur. Fuerunt ergo ſuperatæ difficultates, contractum matrimonium, & omnia pro nuptiis diſponebantur. Mos erat pro tunc contrarius moderno, ſiquidem deſponſata debebat ſe conferre ad domum ſui ſponſi: illa itaque, tali modô obſervatô, die nuptiarum cum maxima ſolennitate, comitatu, & pompa domô exibat ad dexteram ſponſo jungendam; Sed ecce, ad ingreſſum in rhedam, neſcio quomodo, aberrante pede ex curru, in terram tam vehementer cecidit; ut, hoc facto, accurrentes qui adſtabant, eandem mortuam repererint, *duobus læſam vulneribus in eis ipſiſſimis partibus*, in quibus ante eidem monſtraverat Imago Sanctæ Catharinæ in terram cadens, nimirum in capite, & in collo. Hoc fuit illud, quod lucrata eſt per ſuas ſtultas orationes, hoc conſecuta

fuit,

fuit, petendo à DEO in maritum illum, qui per turpes correſpondentias eam ſeparaverat à ſuo Cœleſti, & Divino Sponſo.

XI. O DEUS meus! aufer à noſtris cordibus tales ſtupiditates, & imprudentias; ut à te ſolum petamus, cum omni humilitate, illud ſolum, quod ſit juxta tuum beneplacitum, ut dediti tuæ ſanctiſſimæ voluntati velimus ſolùm id, quod Tu vis; Hoc ſolum à te petamus, hoc ſolum quæramus, quod ſi ad tuum majus ſervitium, & gloriam cedit, cedat etiam in bonum noſtrarum animarum, in lucrum virtutum, & in augmentum gratiæ.

INSTRUCTIO XV.

De horribili peccato blaſphemiæ contra DEUM.

I. NOn raro illud, quod non poteſt manus, aſſequitur ingenium. Anguſtiatos ſe videbant Pictores in depingendis ventis, quandoquidem iſti non habentes colores, male poterant ſubjici penicillis; & quid faciunt? Aſſequatur illud idea, quod ita negatur viſui. Pingunt in latere telæ certam faciem, coarctatis labiis, inflatis buccis in ſimilitudinem flantis, de ore exeuntibus ſubtilibus lineolis, quibus per omnes partes diviſis, videbitis cœlum veſtitum nigris nubibus, aërem obfuſcatum turbidis umbris, diſtortum mare conturbando ſuas undas; ibi navem, quæ fluctuat, hic phaſelum, qui jam ſubmergitur, ibi navem roſtratam, quæ jam in circulum rotatur, & diſperſos per aquam homines, qui natando confractas quærunt tabulas; cum interim ex transverſo aëre inſurgunt fulmina, cœlum cum mari confundentia, cum igne aquam, & cum verticibus abyſſos. Quid eſt hoc? ſunt venti per ſuos effectus depicti, & optime copiati. Sed eſtne hoc poſſibile, quòd tantas inverſiones, & diſtorſiones, tantam confuſionem, talem tempeſtatem, & talem ruinam in mari, & terra cauſet illa ſola facies genarum inflatarum? Unum os turbando totum cœlum, unum os confundendo totum mare, unum os vibrando fulgura, & fulmina, unum os confundendo elementa, talia efficere poſſit? Ita eſt, totum hoc faciunt venti, qui furioſi prodeunt ex iſto ore. Pul-

Pulchra idea pictorum; sed meliùs depingerent tali modo os blasphemans, quod aliam pejorem tempestatem, quàm sit illa depicta ventorum, movet, & impellit sua lingua infernali. Versus cœlum propellit vapores nigerrimos, ex inferno expellit ululatus mœstissimos, & causat suis maledictis verbis in domibus infortunia, in civitatibus ruinas, & in regnis desolationem: Ad tanta damna causanda unum os blasphemum sufficit; illa elevando contra cœlum suas venenosas execrationes, excitat infortunia, facit pluere miserias, & adducendo in terram linguam damnatorum, confundit terram cum inferno.

Repletus horrore pervenio ex necessitate ad hanc materiam; & optime audio, licet non hæres ejus spiritus, saltem discipulus doctrinæ, quod frequenter repetere solitus erat meus Sanctus Pater Ignatius, quòd, si DEUS se vellet ponere in inferno, nec flammæ, nec locus, nec societas damnatorum, nec omnes unitæ pœnæ essent sibi tantum tormentum, sicut solum audire blasphemari Sanctissimum Nomen DEI. II.

Blasphemia itaque, ut eam definit Sanctus Augustinus, & cum illo Sanctus Thomas, & Theologi, est locutio injuriosa, & cum verbis contumeliæ contra DEUM. Est voluntas auferendi DEO honorem, verbis injuriosis, & contemptibilibus. Oh quale peccatum! Oh quantum peccatum! *Nullum illo terribilius, dicit* Sanctus Hieronymus, est tantum, ut ad conspectum istius, etiam gravissima alia peccata videantur parva: *Nihil horribilius blasphemiâ: omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ, levius est.* Alia peccata sunt contra DEUM, sed non directe: nam violando, & rumpendo legem Divinam, offendunt suam majestatem; hoc autem directissime dirigit contra DEUM, totum suum flatum venenosum: contra DEUM librat suos ictus, contra DEUM ejaculatur suas sagittas, ad modum antiquorum Parthorum, qui nesciebant acuere sagittas contra inimicos suos in terra, quin illas prius contra cœlum vibrâssent: *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra.* Psal. 72. v. 9. & opponentes se laudibus, quæ omni æternitate DEO sunt debitæ, dant ei pro laudibus, vituperia, injurias, & contumelias. Sicut ergo possumus laudare DEUM solo corde, ita pariter potest in eo contra DEUM blasphemia con- III.

contineri, quæ remanet intus incluſa; hanc vocat Sanctus Thomas blaſphemiam internam 2. 2. q. 15. a. 1. Nunc autem loquimur de blaſphemia externa, quæ foras prodit: utinam nunquam prodiiſſet, vel prodiret per linguam in verbis, vel per chartam in ſcriptis; & vel ſit falſum, vel ſit verum illud, quod contra DEUM dicitur, vel ſit cum intentione illum dishonorandi, vel ſit ſine tali intentione, ſi illud, quod dicitur, eſt in injuriam, & contumeliam illius, ſemper eſt blaſphemia: Attamen excuſabitur à tam horribili malitia, ſi illam proferens eſt ſtultè extra ſe, vel ex vino, vel cholera, & furore: vel ſi jam ex homine converſus eſt in diabolum, habituatus proferendi poſt quodlibet verbum blaſphemiam; non omnis blaſphemia erit nova culpa: quia nec jam advertit, nec ſcit illud, quod dicit. Sed quid jam nunc reſtat infortunii, quod addi poſſet huic infelici, cum jam pertalem morem, & conſuetudinem poſſideat ſtatum æternæ damnationis, habeat ſtigma diaboli, & portet in ſua lingua totum infernum: Nam ſicut frequenter laudare DEUM, eſt ſignum prædeſtinationis, & eſt jam quaſi inventuram habere cœli; *Benedicentes ei hæreditabunt terram*: Sic blaſphemare, & maledicere DEI nomen Sanctiſſimum, eſt jam nota damnatorum, & eſt quaſi poſſeſſio inferni: *Maledicentes autem ei diſperibunt.* Pſal. 36. v. 22.

IV. Non confundamus itaque juramenta, maledictiones, blaſphemias; ſunt hæc tria inter ſe multum diſtincta: Juramentum poteſt eſſe honor DEI, ſi fiat, ut fieri debet; & ſuo tempore de hoc loquar. Sed blaſphemia tendendo in dishonorem, & injuriam DEI, & etiamſi illi ſoleat jungi juramentum, & maledictio, nihilominus eſt blaſphemia: quia enormitas ejus malitiæ ſubmergit, & quaſi conſumit illa duo, quæ ei conjunguntur, quantumvis quandocunque velint, gravia ſint; ad modum fluminum minoris æſtimationis, quæ perdunt ſuum nomen proprium, influendo in flumen famoſius, & majus, & jam ab inde nominantur à famoſiori, v. g. Tagus, Po, &c.

V. Et tamen, acſi non foret ſufficiens ſua peſtilentia, per duo capita ſolet ſpargere ſuum venenum hæc infernalis amphiſibæna; ita vocant certum ſerpentem, qui habens in utroque termino caput, utroque mordet, & uno, & altero occidit. Non aliter blaſphe-

ſphemia dividitur in unum caput, quod ſolum vocatur blaſphemia, quia ſolum illud caput ſufficiens eſt ad nos occidendos: vocatur talis blaſphemia ſimplex, & bene eſt ſimplex: quia ſi in aliis peccatis nos poteſt præcipitare intereſſe, reſpectus, & voluptas; in blaſphemia nihil aliud invenitur præter rabiem, venenum, malignitatem, & mortem. Una itaque dicitur blaſphemia ſimplex; altera hæreticalis: Blaſphemia hæreticalis eſt illa, quæ expreſſe continet in ſuis verbis hæreſim; quia negat DEO ſuas perfectiones, vel quia ei attribuit illas imperfectiones, quæ non decent hanc Supremam Majeſtatem, vel quia perfectiones ſolius DEI, attribuit alicui creaturæ; benè ſimiles cognoſcuntur: Ad quid igitur illas vellem referre, ſi etiam ſola relatio cauſat horrorem auribus Catholicis? Attamen aliquæ perdiderunt horrorem: & cur? Ob laſciviam, ob luxuriam, ob turpitudinem, & quia ſacrilegi Poëtæ fecerunt, & defactò pergunt facere communes blaſphemias in Chriſtianiſmo, dum illis pro ſubjecto deſerviunt ad verſus formandos illa, quæ ſunt mendacia abſque pudore, vel blaſphemiæ abſque anima. Et forte non, quales ſunt illi modi loquendi, quibus inter uniones, adamantes, auroras, & floſculos implentur compoſitiones à Pædagogis certis verſibus abſque anima? & certis pedibus, qui uno ſolo pede perdunt conſcientiam? ſumma pulchritudo! de una mulieréne hoc dicitur? Quid vult dicere, ſumma Pulchritudo? Prolatio ſimilium verborum eſt ſtultitia, vel quædam blaſphemia. Sed quid dicam de illis, qui vocant alicujus fœminæ oculos divinos, adoratam Deitatem, cultum do tuis altaribus, & alias ſimiles phraſiculas adhibent tali modo, quas turpitudo vocat galanterias, & veritas nominat blaſphemias hæreticales? Qui talia proferunt, illi videant intentionem, & ſenſum, in quo talia loquuntur; quòd autem enormiter obcœcet hoc vitium luxuriæ, valde timeo, quin tales amantes non dicant ſimilia verba, cum intentione totius illius ſenſûs, quem verba præſeferunt, & tali modo ſint formaliter blaſphemi: Majoremne reſpectum monſtrant ſuis mentitis numinibus Poëtæ gentiles?

VI. Alii moduli dantur adhuc loquendi jam communes, & ſunt in iſta materia graviſſime ſcrupuloſi: *Eſt tamen certum hoc, quod dico, ſicut DEUS ſtat in cœlo*: Etiamſi id ſit certum, iſta tamen eſt bla-

blaſphemia, & blaſphemia hæreticalis. *Hoc, quod meus amicus dicit, eſt Evangelium:* quamvis hoc, quod amicus dicit, ſit veritas; non eſt Evangelium: & iſta eſt blaſphemia, & blaſphemia hæreticalis; & videte hic hujus rei rationem: Veritas, quod DEUS ſit in cœlo, & veritas tota Evangelica, ſunt veritates Fidei. Quid vult dicere Fidei? ſummæ certitudinis, ſummæ infallibilitatis; veritates DEI, quæ nullo modo poſſunt fallere. Attendite jam nunc; hoc quod dicis, ego admitto eſſe veritatem, ſed eſt veritas creaturæ, ſubjectæ errori, & expoſitæ deceptioni: jam velle dare huic tuæ veritati tantam certitudinem, quantam habet Evangelium, vel eſt velle dare tuæ veritati certitudinem infallibilem, prout eſt illa Fidei, vel eſt velle tollere certitudini Fidei ſuam totalem certitudinem, & ſit quomodocunque, eſt blaſphemia. Oh! ego hoc non dico tali intentione, ſed ſolum volo dare ad intelligendum illud, quod dico eſſe veritatem, non ita certam, ſicut illa eſt Fidei, ſed ſolummodo eſſe veritatem. O! ſic intellexiſti? taliter intellecti non erunt ſimiles modi loquendi, blaſphemia; attamen melius foret illos exterminare à nobis, ad evitanda pericula: tales modi ſonant blaſphemiam, poſteaquam ſolummodo ſonus ſufficit ad incutiendum horrorem. Quis major horror, quod majus infortunium? quàm etiam ſolummodo imitari ſono verborum blaſphemias, & quod nobis poſſit dici illud Jobi cap. 15. v. 5. *Imitaris linguam blaſphemantium*: Maximam curam, & operam deberemus adhibere, & omnimode procurare, ut ſimilia in exilium amandarentur. Hac de cauſa publicavit edictum Sanctus Ludovicus Rex Gallorum, in ſuo regno, apponendo pœnam, ut nimirum in ore ſignaretur ferro candenti blaſphemus. Cecidit in hoc delictum certus quidam Nobilis, & deprecando Regem, ut ſibi pœnam remittere dignaretur ob infamiam; Si ego, reſpondit Sanctus Ludovicus, hoc ſigno in mea fronte notatus, poſſem conſequi exterminium blaſphemiarum ex meo Regno, ſubito, & ex nunc curarem mihi in mea fronte illud imprimi. O frons digna multo majori, & gratioſiori coronâ præ illa, quâ jam frueris.

VII. Sed non poſuimus hucuſque exemplum illius blaſphemiæ, quam diximus hæreticalem; quale exemplum debeo apponere? quan-

quando, utinam DEUS averteret, & non audirentur omni die hic illæ tot, & tantæ in illis domibus luſuum, in illis cavernis infernalibus, in illis habitationibus dæmoniorum, quæ nos peſte inficiunt, & quæ ſunt occaſio omnium infortuniorum. O civitas chara! quàm timeo propter domos luſuum, totalem tui ruinam. Imperator Juſtinianus perſequendo gravibus pœnis blaſphemos, hujus rei dat rationem: *Propter blaſphemias, & peſtilentiæ, & fames, & terræ motus fiunt.* Si itaque in tot domibus luſoriis audiuntur omnibus momentis horribiles blaſphemiæ, quid expectamus? DEUS medeatur. Ego non volo referre pœnas luſorum, qui blaſphemabant; non enim poſſem finire, narrare ſucceſſus horribiles multorum, qui vel ad ictum manûs DEI, vel per gladium ignitum, vel fulmine icti, vel ex terrore infernalis umbræ, pronunciando ſuo maledicto ore blaſphemiam, exhalârunt etiam maledictam ſuam animam. Sed luſoribus nihil incutit timorem; expectent itaque à DEO illam, quæ illorum peccatis debetur, ultionem.

VIII. Secundum caput iſtius venenoſi ſerpentis, eſt illarum blaſphemiarum, quæ etiamſi non contineant expreſſam hæreſim; nihilominus tamen tendunt ad dishonorandum DEUM, vel dicendo cum invidia, & ira maledictiones contra Majeſtatem Divinam, vel nominando res, quæ ad DEUM ſpectant, vel verbis vituperioſis, vel demonſtrando injurias, vel exprimendo aliqualiter vilipendium: unde, quantumvis ſit veritas id, quod dicitur, modus ſolus erit blaſphemia. Veritas eſt de Fide, quòd DEUS corpus habeat, quod ad noſtram redemptionem aſſumpſit; ſed ſi nominando ſuum Sacroſanctum Corpus, volumus noſtram iram explere contra DEUM: dicendo, ſicut ſolent: *Corpus DEI!* eſt blaſphemia, niſi ſit, quòd non ſit hoc factum, aut non fiat ex ira contra DEUM, ſed ſi ſonat iſtud, repeto dicere, quòd ſolus ſonus ſufficiat ad timendum, ne fiat blaſphemia. Volebat ſe Nero divertere, faciendo jocum tam ſerium, & odioſum, quàm ſuo genio, & naturæ convenientem, certis convivis. Inſtituit illis lautiſſimam tractationem, & dum, vel maxime hilares, & læti erant inter muſicam, & fercula; mandat ſolvere quatuor formidabiles leones, quibus furioſè intrantibus in ſalam, aliqui ex hoſpi-

ſpitibus invitatis cœperunt fugere, ſibi alii attendebant, & omnes pallidi, & palpitantes præ horrore expectabant mortem: ridens Nero videndo illos ſub ſellis, & menſis; exite, prodite foras, dixit illis: hi enim leones nec ungues, nec dentes habent; & erat res vera, ſiquidem curaverat ipſis extrahi priùs ungues, & dentes; redierunt aliquatenus ad ſe anteà ſemimortui convivæ: & quid importat, dicebant jam ridendo, quid importat, quòd dentes non habeant, nec ungues; ſi ad timorem incutiendum, ſufficiat videre, & eſſe leones. Quàm bene ad noſtrum caſum; ſufficit ad incutiendum terrorem cordi Catholico ſolus ſonus blaſphemiæ, quantumvis non habeat ungues malitiæ. *Per DEI vitam: per vitam Sancti Pauli!* Oh quomodo implet horrore ſola auditio! Bene ſcio, quòd hoc authores excuſent à blaſphemia, ſi in bono ſenſu proferatur; ſed ſi ſonat blaſphemiam talis ferus Leo, quamvis nullos ungues habeat, ſolus aſpectus ſufficit, ut fugiatur, ſufficit, ut timeatur. *Si* juramentum per Corpus Chriſti, per Sanguinem, per Vulnera, vel per alias partes ejus Sacratiſſimi Corporis fiat, non per deſpectum, ſed cum reverentia, excuſant illud graves authores à blaſphemia; ſed ſi adſit periculum hoc, quanta major reverentia foret, non jurare tali modo? Huic modo jurandi ordinant, & conſtituunt pœnas leges multorum locorum: *Sed* Catholicis, qui cognoſcunt, & ſciunt quid DEUS ſit, eratne opus ad hunc finem conſtituere pœnas? Oh ſi ego poſſem edicere, quàm atrocibus pœnis totum ſuum furorem DEUS in illos effuderit, qui illum blaſphemare ſunt auſi. Sed inter multos caſus eligo hunc eventum, inter alios ſpecioſiorem, & magis ſingularem.

IX. Refert illum Frater Ungarus Ord. Minorum, ex quo illum narrat Speculum Magnum Exemplorum. Fuit in Hiſpania profeſſione luſor, & officio miles, hoc vobis ſufficiat, ne miremini illud, quod ſubjungam: Inter alia ſolebat perdere cum ſupellectile tempus ludendo, honorem, & ſalvationem, tandem ſuæ impietati etiam blaſphemias in DEUM adjunxit; & res ita accidit: dum adversâ fortunâ in luſu laborabat, in corde ſuo miles uniebat orationem luſui; pulcher modus orandi! non ceſſabat precari DEUM, ut illi aleam fortunæ largiri dignaretur, ſi non pro lucro, ſaltem pro

pro recuperatione ſummæ, quam amiſerat; ſolicitus continuabat in luſu pergere, nec tamen etiam ab oratione deſtitit. Sed, quandoquidem erat oratio lusûs tentatrix DEI, permiſit DEUS, ut ſine lucro amiſſi, perderet totum, quod habebat; & etiam intellectum videbatur amiſiſſe: ſiquidem exiit illinc ita punctus, ita extra ſe, ita rabioſus, ut accuſando DEUM ſuæ perditionis, conſtituerit de ipſo DEO ſumere vindictam. Ah barbare! contulit ſe in ſuam domum, armavit ſe illicò enſe, & aliis ſuis militaribus armis, conſcendit equum, & prodiit in forum, ubi inveniendo cœtum hominum, rumpendo præ bile, ſi aliquis hic inter vos eſt, dixit, qui ſe æſtimat DEI eſſe amicum; ſi hic inter vos invenitur, qui habet erga DEUM æſtimationem, prodeat contra me ad illum defendendum, & veniat in nomine DEI ſui, ego tali, abſque indigentia DEI, auferam vitam, & monſtrabo, quòd non detur DEUS. Omnes attoniti remanſerunt, audiendo tam barbaras blaſphemias, & dum omnes ſuſpenſi nullus ei reſpondebat, DEUS ei reſpondit: quid, & quomodo? Furenti, & ſtulto quomodo poterat aliter reſpondere, quàm illum joco, & irriſui exponendo? Eô momentô advolans muſcula, intravit per foramellum caſſidis, & cepit eum tam crudeliter per totum vultum mordere, ut afflictus graviſſimo dolore, quem illi cauſabat, manu eam abigere volens, nullô modô prævaluerit. Coactus fuit deponere quàm citiſſime caſſidem, eandem in terram abjiciendo, & muſcula non ceſſabat, nec quidem unicô momentô eidem infigere ſuum aculeum in vultu: jam utraque manus non erat ſufficiens miſerabili, ad ſe defendendum, affligebat, & torquebat eum dolor, & non ceſſabat miles DEI à pugna; fuit coactus ex equo deſcendere armatus, ad probandum, an ſic ſe à ſuo hoſte non poſſit liberare; ſed & hic conſtans manſit inimicus repetendo, & continuando ſuas puncturas, & miles tandem cœpit edere clamores: nulla eum juvabat diligentia, nullum inveniebat modum ſe defendendi, & muſcula non ceſſabat continuò eum affligere. Projecit ſe in terram, totam defixit faciem in pulveres ad probandum, & experiendum, an non forte tali modo à ſuo liberare ſe poſſet inimico; Ah animoſule, hæccine erat ſtrenuitas, & jurgium? Ubi eſt, qui abſque DEO tot volebat occidere? Una muſcula ita te proſternit? Sic

te

te extendit, & vincit? Sed hucuſque miles DEI illum quietum non ſinebat; uſque dum ille infortunatus, cognoſcendo ſuum errorem, retractâſſet magnis clamoribus, & omnibus audientibus, ſuas blaſphemias. *O Domine! O DEUS meus!* exclamabat, *Tu ſolus es DEUS verus*, ita hoc video, & experior, *Tu es Ens ſupremum*, à quo omne creatum dependet; jam video tuam miſericordiam, cùm enim me potuiſſes detrudere in infernum propter meas blaſphemias, me voluiſti punire, & erudire unô tam vili animalculô. Vix hæc protulit, muſcula avolavit, & eum liberum reliquit, & omnes illi, qui hoc viderunt attoniti, levaverunt voces, dando frequentiſſimas DEO laudes.

X. Hodie, tibi laudes dent, & decantent, & per totam æternitatem Angeli, & homines! Hodie non ceſſent noſtræ linguæ benedicere tuas infinitas perfectiones in terra, ad apprehendendum, & diſcendum ab hinc illud, quod repetendum eſt à nobis cum Sanctis tuis in æternis gaudiis, & jubilis tuæ gloriæ.

INSTRUCTIO XVI.

De Blaſphemia contra Sanctiſſimam Virginem, & Sanctos, & qualiter ſe debeat continere, qui audiret alios blaſphemare.

I. SI quiſcunque particularis Paterfamilias ſumit, ut plurimum pro ſua offenſione ea, quæ fiunt alicui ſuo domeſtico; quomodo non vindicabit aliquis Princeps, ut plurimum pro ſua injuria, quæ fieret illis, qui de ſuo ſunt palatio, & Familia? Ad hoc reſpicit diſpoſitio legis, *Quiſquis.* Cod. ad L. Jul. Majeſt. Prohibet hæc lex graviſſimè, ne quiſquam audeat intercedere, pro obtinenda venia, pro eo, qui fuit reus læſæ Majeſtatis, ſub pœna, quòd talis precatio, vel interceſſio pro tali gente, futura ſit communicatio in infamia illius, vel illorum delicto: *Jubemus eos notabiles eſſe ſine venia*, (ſonat lex) *qui pro talibus unquam apud nos intervenire tentaverint.* Sed quale eſt illud delictum læſæ Majeſtatis, quod tam rigoroſa lege ne quidem permittit, ut interceſſor inve-

veniatur? Eſt, non tantum illud, quod contra perſonam Regis admittitur; ſed etiam illud, quod quis audet contra Principes, qui in Regio Palatio Regi ſerviunt, contra Miniſtros, qui Regiis Conſiliis, & Tribunalibus Regi aſſiſtunt: *Quiſquis de nece Virorum Illuſtrium, qui Conſiliis, & Conſiſtorio noſtro interſunt, cogitaverit, utpote Majeſtatis reus, gladiô feriatur.* Offendere Regem in perſona ſua, vel offendere illum in familiaribus ſui Palatii, unum, & alterum conſideratur in uno eodemque paſſu delicti; cui non ſolum determinatur pœna mortis, ſed etiam interceſſio prohibetur: Talis bene meretur nullum habere interceſſorem, qui ita offendit illos, qui, ut intimi, potuiſſent eſſe ſui interceſſores. Jam quid dicemus de blaſphemia? delictô per ſe læſivô Divinæ Majeſtatis; ſed quod non quieſcit ſolum in detrahendo honore ipſimet DEO, ſed quod pariter machinatur mala contra Aulicos Cœleſtis Regii Palatii, contra Principes Cœleſtis Aulæ, & uſque adeo contra Supremam coronatam Imperatricem Cœli, & Terræ? dico, nullum inveniendum fore, nec in Cœlo, nec in terra, qui intercedat pro blaſphemature, dum à cœlo, & à terra reſpicitur, ut univerſalis inimicus.

II. Exaſperatur itaque blaſphemia non ſolùm contra DEUM in ſeipſo, prout jam vidimus; ſed etiam contra DEUM in ſua Sponſa, & Matre MARIA Sanctiſſima, & contra DEUM in ſuis Sanctis, qui ſunt Aulici, & Principes ſui Cœleſtis Palatii; quia ſicut cultus, & adorationes, quas exhibemus MARIÆ Sanctiſſimæ Virgini, & Sanctis, cedunt in honorem DEI, quia illum in iſtis adoramus; ita pariter vituperium, injuriam, qua audet illos injuriare blaſphemator DEUS accipit ut ſuam, quam etiam ſeveriſſime punit. Non habemus nos homines alium modum explicandi gravitatem alicujus noſtræ offenſæ, aut majorem vivacitatem alicujus ſenſûs, quàm dicendo: ille tetigit pupillam oculi mei: & hoc eſt DEUM tangere in Sanctis ſuis; eſt tangere pupillam oculi: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. c. 2. v. 8. Et quid erit pervenire ad pupillam ſuorum oculorum, quæ eſt MARIA? Quid erit velle offuſcare vapore maligno illud ſpeculum terſiſſimum, in quo Sanctiſſima Trinitas ſe ipſam contemplatur? Quid erit audere unum homuncionem injuriâ afficere ſuis verbis illum,

quam attoniti adorant, & cui obediunt omnes Hierarchiæ Angelicæ? quid aliud hoc poteſt eſſe? quàm in ſe iram DEI attrahere, qui tantum reſpicit, ut ſuum honorem, illum, qui Matri ſuæ exhibetur, ut etiam, quando blaſphemias contra ſe quandoque ſuffert prolatas, & diſſimulat, illas quibus honor Matris læditur, eô ipsô momentô vindicet. Evomebat certus luſor contra DEUM horribiles blaſphemias, & quidam ejus ſocius, recede hinc, dicit ei, tu non es in hoc genere luſus expertus; cœpit loco ejus luſum proſequi, adjungendo blaſphemias horribiliores blaſphemiis contra DEUM, uſquedum jam laſſus, cœpit etiam blaſphemare contra MARIAM Sanctiſſimam: & eô ipsô momentô fuit audita vox horribilis: *Injuriam meam diſſimulavi, Matris meæ ulciſcor*: & ſine apparentia manûs, quæ inferebat formidabile vulnus, omnia viſcera ei aperiens, exhalavit infelicem animam.

III. Jam itaque, vel contra Dominam noſtram, vel contra Sanctos, poteſt eſſe blaſphemia ſimplex, vel blaſphemia hæreticalis. Erit ſimplex blaſphemia, ſi, etiamſi non negetur quidquam, quod de fide eſt, expreſſis verbis, proferantur tamen verba, vel maledictoria, vel contemptûs, vel irriſionis, vel injuriæ, vel etiam jurando cum vilipenſione per caput Sancti Pauli, per barbam Sancti Petri, vel etiam loquendo cum irriſione. Obſidebant hæretici oppidum Hallas in Flandria, celebre ob miraculoſam Imaginem Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, ut refert Drexel. opuſculo de vitiis linguæ c. 6. §. 5. quæ eſt conſolatio, & patrocinium illius territorii; & quidam miles hæreticus; nunquid jam nunc venio, dixit, intraturus Hallas ad abſecandas nares illi mulierculæ? ita nominabat Supremam Reginam Angelorum. Itur porrò, pervenitur ad locum; quid factum? Virgo Mater blaſphemias audierat, & quaſi talionis pœnam machinata, procurat glande plumbea, inter primas excuſſa, illi ipſi ſcurræ naſum auferri; & remanſit tam deformis inter commilitones, ut diabolus; pœnam quam habuit, & irriſum inter ſuos commilitones perpetuum promeruit, qui identidem hominem monebant: porrò Hallas iret, & naſum ſuum reciperet. Erit hæreticalis blaſphemia, dicit Caſtrop. tr. 3. de Blaſph. D. 2. p. 2. §. 3. n. 5. ſi de Sanctiſſima Virgine MARIA negetur id, quod nos Fides docet; quod

ſit

ſit vera, & verè Mater DEI, ſemper Virgo, &c. De Sanctis, ut dicit Rayn. t. 8. fol. 519. ſi negetur illos in cœlo exiſtere, juxta graviſſimorum ſententiam Theologorum, eſt pariter blaſphemia hæreticalis. Fuerat jam beatificatus meus Sanctus Pater Ignatius, & ut, etiam poſtquam fuiſſet Sanctus, perſecutionem pateretur, audiendo hæc novalia in Gallia in domo certi cujuſdam Nobilis quidam pravus Religioſus; quid beatus? inquit, cum omni vituperio, quid beatus? qui nunquam ſcivit, nec quidem dolorem dentium curare. Vide, & perpende Pater, quod dicis, ajunt ei adſtantes; ſed hic etiam adjungendo alias blaſphemias, repetebat, quod priùs dixerat; & ecce repentè in præſentia omnium irruit in eum tam terribilis dolor dentium, ut rabidus inter grandes ſtridores intra quadrantem horæ exſpiraverit. O Supreme, & Summe DEUS! quomodo ſcis tuam potentiam adoperari pro honore tuorum Amicorum! Quomodo inter ſplendores tui vultus ſcis illos defendere à contradictionibus blaſphematoriis malarum linguarum! *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à contradictione linguarum.* Pſal. 30. v. 21. Pro ultimo tandem: eſt blaſphemia, vel jurare, vel maledicere, vel nominare cum contemptu Res Sacras, Templa, Miſſam, Sacramenta, Chriſma: & neſcio, quid habeant cum Chriſmate blaſphematores.

IV. Sed nunc nobis reſtat interrogandum, & dicendum, quam obligationem habeant illi, qui auſcultant, & audiunt alios evomere aliquam blaſphemiam? Si deberem reſpondere huic interrogationi ſecundùm ſanctum zelum S. Chryſoſtomi, repeterem hæc tria verba: *Contere os ipſius, & manum tuam percuſſione ſanctifica*, Sanctus Chryſ. hom. 1. ad pop. Quodſi eſt virtus grandis tacere, & ſufferre tuas proprias injurias; in dishonorem DEI hæc ſufferre, eſt exiguus zelus, & parvus fervor Chriſtianitatis. Si deberem reſpondere juxta totum rigorem, quid talis mereatur? Dicerem illud Jobi c. 34. v. 36. & 37. *Ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addit ſuper peccata ſua blaſphemiam*; Perſequere illum, ne ſinas eum requieſcere, qui taliter ſuis blaſphemiam adjungit peccatis; à nullo etenim meretur veniam, qui contra DEUM talem ſe declarat inimicum. Si deberem reſpondere juxta decretum DEI in antiqua lege promulgatum, dicerem: ut omnes ſe armarent, ad

deſtruendum, ad exterminandum, ad conſumendum blaſphematorem, inimicum communem; ita mandabat DEUS, ut moriatur, non per manus alicujus carnificis, non, hoc enim parum eſt; non per enſem, hoc enim non ſufficit; ſed ut congregatus omnis populus, inſimul omnes illum expellant in campum, & ibi tandem ex omni populo nullus reperiatur, qui non jeciſſet lapidem in blaſphematorem: *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur; Lapidibus opprimet eum omnis multitudo.* Lev. 24. v. 16. Si deberem reſpondere ſecundum illud, quod meretur, dicerem, ut non ſolum homines, ſed etiam bruta convocarentur, ad faciendum unitim cruciatum, ad tormentandum, & dilaniandum. Ita evenit, neſcio in qua civitate Guaſconiæ, Prat. Spir. p. 1. l. 1. c. 6. Duo juvanes, magni inter ſe amici, aſt & inimici DEI, & hominum, deteſtabiles omnibus erant, & omnibus abominabiles, ſingulariter ob blaſphemias: quadam die, poſteaquam blaſphemâſſent Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Redemptoris; quandoquidem qui contra DEUM ſimile quid præſumit, facilius præſumet contra homines; neſcio, quæ verba protulerunt; unde facta cum aliis altercatione ad rixas devenerunt; & uterque occiſus in loco manſit: & currentes turmatim eô ipsô momentô ex tota vicinia canes, ita ut nullô modô retineri poſſent, irruendo in cadavera, non quieverunt, uſque dum illa in minuta diſcerpſiſſent fruſta, nec quidem oſſibus integris relictis. Si deberem reſpondere ſecundum zelum Sancti Pauli, dicerem: quod nec quidem conſignandus eſſet blaſphemus hominibus, nec brutis, ſed ipſimet diabolo, ut diabolus eſſet ejus carnifex: *Hymenæus, & Alexander, quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.* 1. ad Tim. 1. v. 20. Et adjungit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Tradidit diabolo ut carnifici.*

V. Dico itaque, ſi blaſphemia, quam aliquis audit, eſt blaſphemia hæreticalis, ſine alio diſcurſu, abſque prolatione alicujus verbi eſt obligatus immediate denunciare blaſphemum apud Sanctum Tribunal Inquiſitionis; ita hoc mandat expreſſe ſub excommunicatione, & aliis pœnis Edictum generale Sancti Officii. Si blaſphemia non eſt hæreticalis, ſed eſt tantum blaſphemia, jam videtur, acſi illius nulla ratio habeatur: ſed in hac parte eſſe quaſi

ſur-

ſurdum, rem talem ſilentio præterire, reclamant edicta Dominorum Epiſcoporum; & ideo juxta communiſſimum ſenſum Doctorum, ille talis, qui alterius audit blaſphemias, eſt obligatus ſub peccato mortali, & incurſione etiam pœnarum blaſphematoris, denunciandi illum, vel judici Eccleſiaſtico, etiamſi ſit ſæcularis blaſphemator, vel blaſphematoris judici ſæculari, & ad hoc intra tres tenetur dies. Ita præcipit Concilium Generale Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. 9. Ita determinavit Pontifex Julius III. in ſua conſtitutione: *In multis.* Ita pariter Pontifex S. Pius I. prout conſtat ex decreto, cap. *Si quis per capillum.* 22. q. 1. & ſuper omnia nobis inclamat Sanctus Paulus ad Epheſ. c. 4. v. 31. *Blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Dilectiſſimi, evellatur radicitus inter nos hoc maledictum vitium blaſphemiæ, quod cum ſit epilogus omnis improbitatis, dum ſe opponit honori DEI; armat ſe etiam contra noſtram communem ſalutem; & hoc ſuppoſito, quid dicemus de aliquo infortunato conductore lusûs, qui in domo, ubi luditur foliis, aleis, ex quo vivit, continuas audit blaſphemias. O millies, & millies infortunatum hominem! qui taliter vivit, & alitur peccatis mortalibus, qui ſic vitam ducit ex morte tantarum animarum, qui ita fovet latrones, qui taliter accommodat delinquentes, qui ſic disjungit matrimonia, qui taliter depopulatur officia, evacuat domos, turbat familias, excitat lamenta, & lachrymas pauperum uxorum, deſtruit juventutem, & nocet toti Reipublicæ ſuo caſtello infernali contra cœlum: hæc omnia videntur, & contingunt in ſimilibus domibus luſoriis, & his omnibus ſuam onerat conſcientiam peccatis talis conductor lusûs. Jam illi ſuam dixi obligationem in hoc, ſervando mihi alios pro alia vice: damnetur itaque, damnetur, ſi velit eſſe, & manere fautor, & receptator blaſphematorum.

VI. Et tu infelix! qui in iſta conſuetudine diabolica affers pro excuſatione tuarum blaſphemiarum, quód non prævideas, non advertas, nec ſcias id, quod dicis: hæc poterit eſſe excuſatio, ne quælibet blaſphemia in uno continuo prolata ſit nova culpa; ſed ad non tollendam, & radicitus evellendam hanc maledictam conſuetudinem, hæc excuſatio non ſufficit. Invitat te, & provocat ad blaſphemiam domus luſoria? cave illam intrare: Inci-

tant te perversi amici, & pessimæ societates? fuge illas: assigna tu tibimetipsi aliquam pœnam pro qualibet vice, quandocunque blasphemaveris, & non intermitte illam adimplere, & sic aufer à te quantociùs istud signum tam lachrymabile, quo te jam publicas esse damnatum. Non datur pejus signum in infirmo, dicit Princeps Medicorum Hypocrates l. 1. Prœsag. quàm frigida respiratio; signum est mortis: *Frigida respiratio, lethalis.* Si manus habet frigidas, pedes frigidos, poterit esse malum signum, sed non tantum; si autem frigidè respirat, aperiatis ei sepulchrum, non enim ultra datur remedium, morietur, & quidem citissimè: *Frigida respiratio, lethalis.* Jam hoc ipsum ego tibi dico contingere in morbo animæ: si haberes frigidas manus ad facienda bona opera, malum signum est, sed tamen relinquit spem: si haberes solùm frigidos pedes nullum passum faciendo versus DEUM, malum signum, attamen dantur induciæ; sed præter hæc omnia, emittere ex ore halitum frigidum, volo dicere: quòd non solùm non honores DEUM tuis operibus, quòd non solùm non sequaris suam legem tuis passibus, sed quòd insuper etiam inhonores DEUM tuis verbis, illi injuriam inferas tuis contumeliis, quòd illum spernas tuis blasphemiis, ô quam frigida respiratio est ista! ô te miserum! est signum mortis; & si istam respirationem blasphemam quantocius non mutaveris, non poterit diu tardare mors tuæ animæ. Vide, quid mihi respondere velis, considera, ad quid te determinare velis, & dum hoc recogitas, audi.

VII. In civitate Mexico, in carceribus Aulæ (referunt literæ annuæ nostræ Societatis, & ex istis hoc refert noster Alexander Faya) ob multa gravia delicta erat inclusus quidam homo, qui cùm esset in omni improbitate perfectus, & exercitatissimus, consuetudine tamen erat blasphemator, & quidem tantus, & talis, ut etiam suos consocios, cum & hi minime sancti essent, fecerit perhorrescere lingua ejus blasphema. Advenit septimana Sancta, ivit quidam nostræ Societatis ad procurandam, juxta consuetudinem, horum miserabilium incarceratorum salutem animarum, & consolationem spiritualem eis dandam; ad primum ingressum, & salutationem Patris, ceteri incarcerati informârunt Patrem de hoc pessimo homine, ut procuraret, & hominem disponeret ad Confes-

feſſionem deponendam: ita hoc ipſum tentavit Pater, & adlaboravit manſuefacere verbis bonis hominis feritatem, ille è contra ex integro inhumanior, & craſſior effectus. Vide, tempus enim ſanctum eſt, concluſit Pater, & optimum erit, ſi peccata tua confeſſus fueris; Ego non indigeo confeſſione, reſpondit ille, & in hoc, ut plurimum obduratus, permanſit. Eja, cum itaque non velis confiteri, da mihi licentiam, ut tibi aliquid dicam: Dic Pater; hoc, quod tibi habeo dicere, eſt; ut omnimodè procures refrænare tuam linguam: quia ultrà offenſionem graviſſimam DEI, quem offendis tuis blaſphemiis, omnes tui ſocii conqueruntur, quòd diutiùs te non poſſint ſufferre. Et cum hac materia me moleſtas Pater? itaque ex nunc, ad cauſandam, & dandam eis majorem diſplicentiam, & deſpectum, pejora his agam, & hoc dicendo vertit terga Patri. Confeſſarius diſceſſit, & nox advenit; aggregatúſque ille cum aliis in carcere, projecit ſe in lectum ad dormiendum ita turbulentus, & ſine omni conſideratione, ut aliqua beſtia. Sed non tranſit ſomnus longus, ecce tibi ex uno angulo carceris prodierunt duo dæmones, unus facem in manu accenſam portans, non quia dæmones hac indigebant ad videndum, ſed ut homines incarcerati dæmones viderent; alter appropinquando blaſphematori, crudeli ictu calcis eum excitavit; eſne tu, dixit ei, audax ille, qui adhuc magis vis blaſphemare, ad cauſandam tanto majorem pœnam tuo Confeſſario? Jam itaque deveniamus ad docendam te tuam obligationem; & ſubitò illum elevando verſus tabulatum, acſi tantùm aliqua pluma foret, in caſu autem dedit illi ad os fortem ictum pugno, repetebat cum ictu illum in altum elevare; taliter per aliquod ſpatium temporis luſit cum illo veluti cum pila; poſtmodum collocato illo ad ſedendum in pavimento, cum violentia ei os aperiendo, aſſuit illi linguam tam bene acu perforatam ad palatum, ut ille remanſerit ſicut bos mugiendo, ſine loquela, neque unicum potuerit proferre verbum. Hoſpites infernales diſparuerunt, & alii captivi remanſerunt extra ſe præ horrore. Dum dies illuxiſſet, & facto manè, videntes hunc jam dupliciter brutum, totum ſanguine conſperſum, advocaverunt Chyrurgum, & Confeſſarium, ſed nec Chyrurgus invenit modum diſſuendi ejus linguam, nec Confeſſarius poterat ab illo aliquod

quod extorquere pœnitentiæ ſignum; ſicque mortuus eſt ululando. melius ei fuiſſet, nunquam linguam habuiſſe, cum illam tali modo amittere debuerit, poſteaquam ſuâ linguâ, & animam perdidit propriam. Iſte eſt bolus amarus, qui remanet blaſphematoribus per totam æternitatem, propria eorum lingua, dicit Sanctus Joannes in ſua Apocalypſi cap. 16. v. 10. & 11. Quia in ſua lingua circumferunt bolum æternæ amaritudinis: *Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt DEUM cœli.*

VIII. Oh utinam nobis valeant pro detegendis noſtris deceptionibus, & illuminando noſtro intellectu tot, & tantæ experientiæ; & cum habeamus in noſtra lingua inſtrumentum noſtræ vitæ, non fiat illa medium, & inſtrumentum noſtræ mortis. Sit lingua noſtra ſoluta ſolùm ad confitendas noſtras culpas, libera ſolùm ad decantandas, & repetendas DEI laudes, & taliter erit gubernaculum, quod diriget noſtram navim verſus æternam gloriam.

Hæc de primo Præcepto Decalogi.

INSTRUCTIO XVII.

PRÆCEPTUM SECUNDUM.

Non aſſumes; non jurabis.

De Eſſentia, & obligatione Juramenti.

I. FElix Principium. In Nomine, & cum Nomine Sanctiſſimo DEI. In Nomine dico, & cum Nomine; quia non ſolùm illud invocamus hodie, ſed illud nobis advenit, & advenit nobis per ſe ipſum, quia hodie non eſt ſolummodo invocatio Nominis hujus Sanctiſſimi, ut incipiamus cum lucro, cum ſpiritu, cum divinatione, ſed etiam pronunciatio hujus Nominis cum omni reverentia eſt materia noſtræ Doctrinæ. *Non aſſumes nomen Domini*

mini DEI tui in vanum, dicit nobis ſecundum Præceptum; & dum ita nobis prohibet irreverentiam, & audaciam in nominando hoc nomine ſinè interventione circumſtantiarum, quas requirit ſua dignissima Veneratio, ex oppoſito nobis etiam intimat, cum ſit hoc Nomen Sanctiſſimum turris firmiſſima noſtræ defenſionis, & patrocinii, ad illud ſemper recurrat noſtra invocatio in anguſtiis, noſter clamor in timoribus, & anxietatibus, noſtræ preces in neceſſitatibus, noſtra vociferatio in periculis: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: ecce adſum.* Iſa. 58. v. 9. Cum hoc tamen toto ſit noſtra confeſſio humilis, in lapſu in peccata: *Propter Nomen tuum propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.* Pſal. 24. v. 11. Et noſtræ inceſſantes, continuæ, & repetitæ laudes ob tot, & tanta beneficia innumerabilia, quæ nobis tot hoc Nomen Sanctiſſimum affert: *Secundum Nomen tuum Deus, ſic, & laus tua in fines terræ.* Pſ. 47. v. 11. Ideo enim Nomen Sanctiſſimum DEI, Nomen Sanctiſſimum JESUS, eſt Nomen Magnum, ut illud timeas; Sanctum, ut illud laudes; Dulce, ut illud mediteris; Excelſum ſupra omnes cœlos, ut illud humiliter venereris; Copioſum, & immenſum miſericordiâ, & virtute, ut illud fiducialiter invoces; Efficax, & potens, ut illud ſecurè inclames; Breve in ſono, ſed ita vaſtum in ſuis dulcibus, & ponderoſis repercuſſionibus, ut cœlos impleat veneratione; Compoſitum ex paucis literis, ſed plenum tot & tantis infinitis favoribus, ut inundet, mergat beneficiis mundum: finaliter tandem, eſt Facile; ut illud tantò breviùs pronuncies: DEUS, DEUS, JESUS, JESUS; & ut etiam eò velociùs, & citiùs præ hoc, antequam illud pronuncies, tibi aſſiſtat te confortando, tibi ſuccurrendo, & te ſalvando; *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Joel. 2. v. 32. & Actor. 2. v. 21.

II. Itaque hoc Nomen Sanctiſſimum, ſigillum perfectionum DEI, ſubſcriptionem, quæ authenticat Decreta ſuæ Omnipotentiæ, Titulum DEI favorum, cifram ejus magnitudinum, ſuperſcriptionem ejus mirabilium, cum debeat eſſe in omnibus noſtris neceſſitatibus refugium, patrocinium, & aſylum; cum debeat eſſe centrum, & ſcopus noſtrarum continuarum laudum, portare in ore illud ſine attentione, ſine reſpectu, ſine neceſſitate, ſine cura, & ſolummodo ad explendam choleram, vel ſolùm ob levamen ſenſûs, vel ſolum ob jocum ſtultitiæ; quis non videbit, quanta

ſit hæc impudentia? Non ſcit, quid ſit DEUS, clamat ad ſuum populum *S.* Joannes Chryſoſtomus hom. 2. ad pop. qui non conſiderat, nec perpendit quàm labiis puriſſimis ſit nominandus, & invocandus: *Neſcitis quid ſit DEUS, & quali debeat ore vocari:* cum, etiam hic, quando minori cum reſpectu audimus nominari hominem magnæ authoritatis, & ut plurimum honoratum, ſoleamus dicere: Elue prius os, antequam hunc nomines hominem: *Os tuum ablue, & ita commemora.* Non imaginabar mihi eſſe hoc tam antiquum dictum, ut uſque à temporibus Sancti Chryſoſtomi perduret; interim repetamus iſtud illis, qui ſic, & tali modo nominant DEUM tantum, & tam magnum abſque reſpectu; cum hoc ipſum ſit illud, quòd jam nobis intimat ſecundum Præceptum,

III. *Non aſſumes Nomen Domini DEI tui in vanum:* tranſit itaque noſtra Lex Sanctiſſima pulcherrimo ordine à primo ad ſecundum Præceptum, ab amore ad verba, & à corde ad linguam: Si ergo eſt os porta principalis, per quam cor panditur, ideò, ſæpiſſimè illud, quod in corde concluditur, per os exit: Si in corde concluditur amor DEI ſuper omnia, nec os jurabit, aut aſſumet ſuum ſanctum Nomen pro reculis viliſſimis, & exigui momenti. Et ex oppoſito, ſi poſt quodvis verbum ex ore prodeunt juramenta, benè, imò optimè demonſtrat illud os, non adeſſe jam in corde illam fidem, illam Dei cognitionem tam vivam, tam excitatam, quam à nobis expoſcit primum Præceptum; illam ſpem, illam charitatem, illam religionem, quibus ſemper debemus attendere ad ſuum ſervitium, & ad ſuum cultum; ex quo taliter conculcatur totum per unum inconſideratum verbum, & per vanum juramentum. Eſt lingua index certiſſimus humoris, qui occultè prædominatur, dixit Princeps Medicorum Hypocrates lib. 6. Epid. Si ſanguis prævalet, lingua rubeſcit, & accenditur: albeſcit, ſi phlegma regnet; fit nigra, ſi excedat melancholia; *Humorum Dominium colore refert.* Sic itaque ſi lingua eſt illud, quod humorem monſtrat, qui in corpore peccat; verba pariter ſunt illa, quæ monſtrant vitium, quod in anima & in corde regnat.

IV. Juramentum, definit jam communis Theologorum, eſt invocare, & citare DEUM in teſtem, quòd illud ſit veritas, quod affirmamus, vel negamus, ſeu hoc fiat cum invocatione expreſſa

ſui

ſui Sancti nominis, ſeu fiat cum invocatione tacita, id eſt, quando juramus, etiamſi ſine nominatione DEI, ſed jam ſubintelligimus, in ſuis creaturis; ſicut ille, qui jurat per Sancta Evangelia, per Crucem, per Virginem Sanctiſſimam, vel per Sanctos, vel per aliam aliquam creaturam, in qua, vel cum aliqua ſpecialitate recognoſcitur Creator, vel ille, qui jurat, demonſtrat, quòd DEUM in hac creatura recognoſcat, ſuis verbis: quemadmodum eſſet jurare per diem ſanctum, qui hodie eſt, per hanc lucem DEI. Sed, ſi quis jurat non habita intentione jurandi, nec ſe obligandi, jurat per aliquam creaturam illarum, quæ non tam expreſsè referuntur ad DEUM, nec ille habet intentionem illas referendi, hoc ſuum non erit juramentum. Ita intelligunt graves Doctores has formulas loquendi: *Fide honeſti hominis hoc dico: ad meam fidem*: *in mea conſcientia*; quod ſi nihil aliud præter fidem humanam intelligat, tale ſuum dictum non erit juramentum. Sed quis poterit referre innumerabiles formas, & modos, quos malitia humana introduxit jurandi? Omnis homo, qui ſimilibus eſt aſſuetus, nec conſiderat ſuam animam, habet in hoc infortunio ſua verba jocoſa: ſed de his tales videant; multa enim, quæ non videntur eſſe juramenta, ſunt talia, & quidem quandoque gravia. Pono ſolum unicum exemplum: quid eſt apud aliquos uſitatius, quàm dicere: *DEUS ſcit*, *quod ego deſiderem hoc facere*: Jam hoc, *DEUS ſcit*, ſi ſolùm dicatur confitendo id, quod eſt veritas Catholica, nimirum DEUM ſcire omnia, non erit juramentum; quod ſi autem dicatur, ſicut ſæpius dici ſolet, citando taliter Divinam Sapientiam, dando ad intelligendum hoc eſſe verum, verba mea eſſe veritatem; iſtud *DEUS ſcit*, eſt juramentum, & quidem valdè grave; ita dixit S. Apoſtolus ad Corin. 2. c. 11. ℣. 31. *Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit, quod non mentior*: Et ad Gal. c. 1. v. 2. *Quæ autem ſcribo vobis: ecce coram DEO, quia non mentior.* Dantur tandem multæ aliæ formulæ jurandi, de quibus videantur alii; ſolummodo dico, quòd quantumvis verba, quæ aliquis profert, in ſe non ſint juramentum, peccat tamen mortaliter, ſi mentiatur, vel eſt obligatus ad tenendum, vel exequendum illud, quod per tale juramentum promiſerat.

.V Eſt itaque juramentum medicina noſtræ infirmitatis, ita illud cum Sancto Auguſtino vocat Sanctus Thomas 2. 2. q. 8. 9. a. 5. & Opuſc. 4. de Dec. Præc. *Juramentum eſt ſicut medicina.* Sed cujus, & qualis infirmitatis eſt juramentum medicina? Oh quàm infirmitas valde gravis! Veritas, quæ inter homines invenitur graviter infirma, ab hinc, quando illic Pater noſter primus nos reliquit non tantùm ex integro perditos in capitali, ſed etiam ita, ut nos etiam reliquerit depauperatos in *Credito*: Et hinc accidit, quod quantùm certi homines ſunt faciles ad mentiendum: *Mendaces filii hominum*: alii effecti ſint tantò difficiliores ad credendum; & cum hoc periculo in iſtis, & diffidentia in aliis. Ecce tibi intricatum, & etiam impoſſibilitatum factum eſt humanum commercium; & cum fuerit neceſſarium, ut tractarent, & ad invicem inter ſe homines communicarent, quale erit remedium, unde veritas poſſit aſſecurari? Tale remedium eſt juramentum; & hoc eſt illa medicina veritatis infirmæ. Finientur veſtræ controverſiæ, dixit Sanctus Paulus ad Hebr. c. 6. v. 16. ſi interponatur juramentum; *Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum.* Jurisconſultus in prima lege ff. de jur. juran. dicit: Quòd remedium ex omnibus optimum ad terminanda litigia fuerit interpoſitio juramenti; ſed illud, quod videmus, eſt, quòd locò finis litigiorum, dum juramentum depoſitum eſt, tunc incipiant finè fine juramenta; *Maximum remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio.* Iſtud itaque remedium veritatis, quod ipſemet DEUS, Veritas ſumma, Veritas infinita, Veritas infallibilis ſe interponat ad confirmandam Veritatem hominum. Jam ecce illud, quod ad amuſſim præſtamus in juramento; citamus, & invocamus DEUM, vel in teſtimonium, id eſſe veritatem, quod de præſenti, vel præterito affirmamus: hoc eſt juramentum *Aſſertorium*, vel pro noſtro fidejuſſore, quòd cum veritate dicamus, & in effectu adimpleturi ſimus id, quod pro futuro promittimus, hoc eſt juramentum *Promiſſorium*; vel pro judice, & vindicatore juſtiſſimo, qui nos puniet, ſi res taliter ſe non habeat, ut dicimus, vel non fuerimus executi taliter id, quod promittimus: hoc eſt juramentum *Execratorium.* Breviter dixi in his, quæ nunc retuli, eſſentiam, & diviſionem juramenti, quod pergam commodo tempore explicare.

Sta-

Stabilitô itaque & confirmatô per veritatem Fidei, nimirum: nullum Catholicum poſſe dubitare, juramentum, ſi fiat cum ſuis debitis circumſtantiis, non ſolùm eſſe licitum, ſed & laudabile: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Pſal. 62. v. 12. Quia cum his circumſtantiis, quæ ſunt Veritas, Juſtitia, & neceſſitas, juramentum eſt actus Religionis; quo recognoſcimus, & confitemur DEUM eſſe ſummam Veritatem, & quòd infinita Sapientia ejus non poſſit decipi, nec eidem occulta poſſint eſſe minima ſecreta cordis noſtri, ideircò ut talem, qui omnia noſtra intima contemplatur, & videt, illum in teſtimonium citamus veritatis, quam dicimus: *Jurabis; vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Jer. 3. v. 2. Quando te vides obligatum ad jurandum dicit Dominus per Jeremiam: Jurabis cum veritate, cum judicio, & juſtitia. Ita pariter ex Sacris Literis conſtat, quòd DEUS ipſemet juraverit, accommodando ſuum modum aſſeverandi noſtræ duritiei: conſtat jurâſſe Angelos; conſtat jurâſſe plurimos Sanctos Patriarchas; & in Lege Gratiæ conſtat jurâſſe Sanctum Paulum Apoſtolum; de quibus omnibus longiſſimum eſſet omnes referre textus Sacræ Scripturæ. VI.

Nunc ergo, ſi in omni Præcepto affirmativo includitur alterum Præceptum negativum, ut jam in principio dixi, & è contrario: in iſto, quod eſt Præceptum negativum; Non jurabis, non aſſumes in vanum: includitur aliud Præceptum affirmativum, quod neceſſariò debemus advertere, & eſt iſtud; jurabis, ſi quandoque Juſtitia, Veritas, & Neceſſitas id poſtulat. Et quando erit iſte caſus? Dicam id vobis: Primò, quando judex legitimus, procedendo legitimè, vel accipit pro teſtimonio alicujus dictum, vel ipſius rei propriam ſuam confeſſionem, & ſupra hoc petit juramentum, tunc ſub peccato mortali ſunt obligati jurare cum veritate illud, quod ſciunt. Ita etiam quando qualiſcunque legitimus Superior, ad evitandum aliquod grave damnum, vel ſcandalum, & non qualecunque; vel ob alium finem honeſtum, & ſanctum petit à ſubdito juramentum, tenetur illud præſtare. Secundò: quando ad affirmandam tu aliquam rem, quam ſcis omni certitudine eſſe veritatem; ad affirmandam dico, tuô juramentô potes liberare proximum de aliquo gravi periculo, vel vitæ, vel VII.

honoris, vel ſubſtantiæ, vel animæ, & ſcis illum liberum fore, ſi tu jures veritatem, non ſolum teneris jurare requiſitus, ſed etiamſi à te non petatur juramentum, teneris ſub peccato mortali, dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 7. a. 1. ſuccurrere tuo proximo; & etiamſi non citeris ad jurandum, debes te ingerere, & deponere juramentum. In talibus itaque caſibus tam longe abeſt eſſe peccatum, præſtare juramentum, ut hac de re nec ſit cogitandum; quin imò foret peccatum mortale, ſi in talibus, & ſimilibus caſibus non deponeretur juramentum, contra Præceptum affirmativum hujus præcepti negativi.

VIII. Sed quis eſt, qui peccet non jurando? Oh DEUS! Jurando? mortaliter peccatis. Ita eſt; Oh quanti! quales nos ipſosmet experimur Dilectiſſimi, eò quòd ex ipſiſſimo remedio faciamus infirmitatem. Quis erit tam imprudens, qui quotidie ſanguinem emittat, vel omni die ſumat purgationem? Oh attulit mihi vitam una venæ ſectio; concedo hoc, quia adhibita fuit commoda occaſione, in neceſſitate, & tempore opportuno; ſed ſi ſanus cures tibi venam quavis die aperiri, quantocyus ipſamet medicina, quæ tibi vitam dederat, mortem afferet. De Helleboro dicit Hypocrates, quòd purget efficaciter, & ſalutariter; quòd ſi autem illum ſumat is, qui ſanus eſt, talem occidit: *Helleborus carnes ſanas habentibus, lethalis.* Quamobrem illud, quod eſt ſalutare, & efficax medicamentum, ſumptum ſuo tempore, & occaſione commoda, hoc ipſiſſimum eſt mors ſumptum ſinè neceſſitate. Jam ergo ad rem noſtram redeundo, cum juramentum ſit medicina infirmæ veritatis, ſi hæc medicina ſumatur omni hora abſque neceſſitate, quid exinde ſequetur? Hoc nobis dicit Sanctus Thomas: *Sicut medicina eſt utilis ad ſanandum, & tamen quantò eſt virtuoſior, tantò majus nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur; ità etiam juramentum.* Hoc quod ſequitur, eſt, quòd tali nullus quidquam credat, qui tota die jurat: & illud ipſum juramentum, quòd factum eſt in occaſione occurrente cum ſuis debitis circumſtantiis, & alias daret omnem ſuam vim, & vigorem veritati; hoc ipſum, ob repetitionem ſui factum ſinè attentione, & abſque reſpectu, facit, quod tale juramentum deponenti, nihil credatur, quantumvis juret.

Jam

Jam hic nunc reſpondeo ad argumentum, quô me prævenistis; Et eſt, quod ipſemet Chriſtus dicit cap. 5. apud *Sanctum* Matthæum v. 34. ut nullô modô juremus: *Ego autem dico vobis, non jurare omninò*: Quomodo itaque diximus dari caſus, in quibus poteſt, & etiam debet juramentum deponi, cùm nobis Chriſtus mandet, ut nullô modô juremus? Loquitur Chriſtus, dicunt aliqui Sancti Patres, cum Phariſæis, *qui introduxerant* pernicioſum errorem, & erat, jurare per creaturas eſſe licitum, etiamſi id fieret ad omnem cujusvis libitum; hos itaque reprehendit Dominus, & eis dicit, quòd nec per cœlum, nec per terram ſit jurandum, & hoc quidem nullô modô. Loquitur Dominus, dicit *Sanctus* Hieronymus, errorem detegendo ipſorum Phariſæorum, qui docebant, modò ſit cum veritate, etiamſi foret abſque neceſſitate, eſſe licitum juramentum. His itaque imponit, & injicit frænum Redemptor, & tollit errorem: Loquitur Dominus, dicit *Sanctus* Auguſtinus de Serm. Dom. in Monte c. 17. etiam cum Catholicis, & illud, quod nobis vult dicere, eſt; ut nullô modô ſimus deſiderioſi juramentorum; ad modum ſumptionis medicinarum purgativarum: Quis eſt, qui appetat, & qui quærat pro ſuo guſtu purgationem? Certe nullus; ſume purgationem, dicimus: vah! nullô modô illam appeto; Sed ſi caſus eveniat infirmitatis, periculi, & urgentiæ, tunc admittimus, non pro guſtu, ſed pro medicina, etiamſi nobis vel maximam cauſet nauſeam. Ita pariter debemus pervenire ad jurandum, ſolummodo per vim, quando non adeſt aliud remedium, in graviſſima neceſſitate; extra ſimiles caſus jurare nullô modô eſt conſultum: *Non jurare omnino.* IX.

Et in veritate, Catholici! confundunt nos Judæi, Hæretici, & Gentiles, & Barbari. Lex fuit apud antiquos Romanos, ut morte lueret ille juramentum, qui per DEUM Janum jurâſſet, abſque prius petita licentia à Senatu: ita maturam deliberationem requirebant ad faciendum juramentum; & illud, quod tormentis à ſclavis extorquebant, in Nobili Romano æquivalebat ſolum depoſitioni juramenti: Juramentum homini libero pro tormento eſt, ait Plutarchus in Problem. Antiqui Hebræi, refert Boccacius de Geneal. Deor. cap. 2. ita venerabantur Sacroſanctum Nomen X.

Te-

Tetragrammaton, ut dum ſubinde, & rarò ſe viderent obligatos ad jurandum, nunquam illud pronunciaverint; ſed quod ita juraverint per quatuor literas: *Yod*, *He*, *Vau*, *Yod*. quæ ſunt illæ, quæ componebant Sacroſanctum nomen DEI. Et hoc, quod plus eſt, hæretici Anabaptiſtæ, ex perverſo errore, in quo vivunt, dicentes nunquam eſſe licitum juramentum, hunc errorem æſtimant ſufficientem ad puniendum eum gravibus pœnis, qui jurat, etiamſi hoc faciat cum omnibus debitis circumſtantiis. O confuſio, ô pudor pro Catholicis, qui cognoſcendo verum DEUM, tam malè ſuum Sanctum Nomen tractant! Primi Chriſtiani, ut ſcribit Rayn. in Polem. fol. 538. quando ſe videbant obligatos ad jurandum, accedebant prius Eccleſiam, & ibi toti pleni reverentiâ, in genua provoluti, extendebant manus junctas ſupra ſepulchrum alicujus Sancti Martyris, & trementes deponebant juramentum, perſuaſi, quòd alias nullibi quàm in Eccleſia, poſſit fieri actus religionis, qualis actus eſt juramentum. Sanctus Cornelius Papa, & Martyr, & poſtmodum Concilium Aurelianenſe, ut refertur in Decreto Grat. c. honeſtum XXII. q. 5. ſtabiliverunt, ut nullus præſumeret jurare niſi jejunus, acſi dicere voluiſſent, ut idem ipſe reſpectus haberetur in ſumptione verbali Sanctiſſimi DEI Nominis, & in ſumptione Sacramentali Sanctiſſimi Corporis Chriſti Domini: *Honeſtum eſt, ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat*: Quid habet, quod agat ejuſmodi reſpectus cum noſtra ne minima quidem reverentia? iſte timor ſanctus cum noſtra inverecundia? iſte zelus cum tanto contemptu noſtræ Religionis, prout videmus in tot, & tantis juramentis? Illinc hoc tales viderint coram tremendo Judice, dum ego interim refero ſequens exemplum.

XI. Refert illud Sanctus Gregorius Turonenſis. In civitate Galliæ nomine Albis, venit certa mulier ad officinam cujuſdam Mercatoris, ad emenda aliqua ex illis innumerabilibus nugis, unde componitur ſupellex; inter alia voluit illa defraudare, & ſubducere aliquod ſpeculum parvum, & dexterrimè illud tradidit ſuæ conſociæ; facto computu devenit res ad ſolutionem, & Mercator, qui certe nullus imprudens fuerit, petiit ab illa pretium pro ſpeculo. Pro quali ſpeculo? quando mihi illud dediſti? Ità eſt, ego tibi illud

illud dedi: exortis inter utrumque rixis miſcuerunt ſe obſtinatio, & clamores; & his actis, cujus ſit obſtinari, & clamare, hoc jam bene ſcitis, jam ergo etiam advertitis, quis vincere voluerit. Laſſus præ clamoribus mulieris Mercator, dixit illi: Eamus ad ſepulchrum Sancti Eugenii, & ibi jura me tibi nullatenus ſpeculum dediſſe, & dummodo hoc jures, ego perdam pecuniam mihi pro ſpeculo debitam, ſed vide, quid agas, quia DEUS te certè puniet, ſi falsè juraveris. Eamus, reſpondit mulierecula, jam in negatione obſtinata, eamus, ſiquidem non ſemel, ſed millies jurabo, te mihi nullum dediſſe ſpeculum; Diſcedunt, uterque ad ſepulchrum pergit, comitante illos jam plurima gente, quæ ad rumorem, & clamores eorum congregata fuerat, eorúmque certamen audierat: Pervenerunt ad Sancti ſepulchrum, & in genua proſtrati, elevat illa manus conjunctas, & incipit deponere juramentum: Sed in veritate illud non finivit, ſiquidem eôdem momentô advenit illi tremor totius corporis, tota extra ſe facta, decidit in terram ore aperto, formando monſtruoſa fœditate horribilem vultum. Mercator, & præſentes alii pleni horrore, & compaſſione videndo hoc, quàm citiſſimè advocant Sacerdotes, concurrit grandis numerus populi, & omnes proſtrati in humili oratione ad Sanctum Martyrem Eugenium, ut dignaretur miſericordiam demonſtrare erga hanc miſerabilem, eidémque condonare ſuam audaciam. Exaudivit Sanctus, & poſt multas horas, quarum tempore illa graviter collidebatur, ad ſe rediit, confeſſa eſt veritatem, & ſpeculum Mercatori reddidit.

XII. Oh utinam in hoc ſpeculo ſeipſos contemplarentur jurantes, ad non aperiendum os per quod demonſtrant ſuum cor venenoſum, & per illud intrat illis ob illorum juramenta, mors; utinam ſolùm os aperirent ad laudes Sacroſancto Nomini DEI debitas, ad lucrandam per ejus invocationem defenſionem, & auxilium in hac vita, & in altera æternam ſalutem, & gloriam.

INSTRUCTIO XVIII.

De Circumſtantiis, quas debet habere Juramentum aſſertorium ad hoc, ut ſit licitum.

I. SI introducta falſitas in moneta eſſet abſque omni dubio exterminium totius humani commercii; Quomodo introducta falſitas in juramento non erit totalis ruina humanæ negotiationis? Monetæ totum ſuum valorem extrinſecum confert regale ſigillum: & juramento dat totum ſuum vigorem, & ſuam vim, Divinum Nomen. Quale itaque delictum erit falſificare Nomine DEI juramentum, ſi tam enormis exceſſus eſt falſificare Regali ſigillo monetam? *Omnino*, dicebat Theodoſius Imp. *omnino monetæ debet integritas quæri, ubi, & vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quid enim erit tutum, ſi in noſtra peccatur effigie?* Si perdatur erga effigiem Regalem reſpectus, in moneta peccatur contra fidelitatem; taliter per talem monetam falſam fit generale damnum communitati, & offenditur graviſſimè Regia Majeſtas. Hinc iſtud delictum falſificandi monetam, declaratum pro crimine læſæ Majeſtatis, ſemper leges condemnârunt ad atrociſſimam pœnam mortis: non enim meretur vivere, dicit lex ultima Codicis de ver. numiſ. Poteſt. l. 11. Qui contra vultus Imperatorum, qui æternandi ſunt in monetis, aliquid audet; adulterando illos cum deceptione, falſitate, & fraude: *Capitali ſupplicio puniendus, qui æternales vultus Imperatorum fraudibus duxerit violare.*

II. Quanto majori ratione dicam ego: Quid erit ſecurum, quid erit fidendum inter homines, ſi perdito reſpectu erga Nomen DEI Sanctiſſimum, ſub hoc Nomine Sanctiſſimo introducatur falſitas in juramento? *Quid erit tutum, ſi in noſtra peccatur effigie?* Quæ deceptiones non ſequentur in tribunalibus? quæ confuſio in judiciis? quæ iniquitas in ſententiis? quæ fraudes in emptionibus, & venditionibus? quæ damna in contractibus? quæ conſequentiæ in informationibus? quæ amiſſiones in honoribus? quæ ruinæ in animabus? & ut omnia verbo dicam, quæ incertitudines in omnibus rebus, & quæ peccata? Hoc ſequitur ex falſitate introducta in juramento; quod cùm ſit moneta veritatis, omnia hæc damna apportat, ſi falſificetur: Jam autem, ſi comburuntur tam rationabiliter, qui fal-

falsificant monetam, cur non comburuntur pariter illi, qui falsè jurant? DEUS pro talibus reservat locum, & vas, in quo æternum comburentur; hic enim causam non scio, cur non comburantur, nisi fortè, quòd ligna deessent ad tot, & tot comburendos.

III. Non prohibet nobis absolutè secundum Præceptum juramentum deponere, quandoquidem juramentum, ut vidimus, factum cum suis debitis circumstantiis, est licitum: prohibet itaque solùm jurare in vanum, & hac de causa interrogat Catechismus: *Quis est ille, qui jurat in vanum? Qui jurat sine veritate, sine justitia, sine necessitate?* In vanum jurat, qui mentitur, cùm vanitas sit mendacium: *Diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Psal. 4. v. 3. In vanum jurat, qui malè jurat, & qui malum jurat; cum vanitas sit culpa, & injustitia: *In vanitate malitiæ placuerunt.* Eccl. c. 17. v. 29. Et in vanum jurat, qui sinè necessitate jurat, cum omne superfluum sit vanum: *Ambulaverunt post vanitatem.* Jer. 2. v. 5. Nec sufficit solum jurare cum veritate, si fiat sinè justitia; nec solùm jurare faciendi rem justam, si fiat absque veritate; nec sufficit jurare cum veritate, & justitia, si desit necessitas: Omnia ista tria debent esse unita, Veritas, Justitia, & Necessitas, ut juramentum non sit vanum.

IV. Sed quia juramentum dividitur in *Assertorium*, quod est illud, quo juramus affirmando, vel negando de præsenti; & in *Promissorium*, quod est illud, quo juramus aliquid facere in futurum, & unum, & alterum solent esse *Execratoria*, quæ ità vocantur, quando illud, quod jurant, est sub aliqua maledictione; ità me DEUS adjuvet, hanc esse veritatem; ità me DEUS adjuvet, me hoc debere vel velle facere. Videamus nunc circumstantias in solo juramento *Assertorio*: & quis non videt ex nunc in hoc juramento injustitiam? dum lingua aliqua maledicens non contentatur solùm discooperiendo dishonorem, & infamiam proximi, quæ est occulta, sed etiam illam confirmat juramentô; hoc est peccatum mortale, & gravissimum. Oh! veritas est id, quod juravi, concedo; sed discooperire his honorem proximi, & authorizare tuam linguam pessimam Nomine DEI, quis non videat gravitatem tuæ impudentiæ? Hoc est clarum.

V. Majorem laborem nobis causat veritas, quæ in hoc requiritur juramento. Dicit nobis Catechismus : *Sinè veritate qui jurat quantùm peccat ? peccat mortaliter, si advertit quòd juret, & scit, quòd mentiatur ;* Duo exponit : Primò, debet advertere, quòd juret, nam nescicndo quid dicat, cæcus in primo impetu choleræ, nec se reflectit, nec advertit, nec scit illud, quod profert esse juramentum; sit veritas, vel non, id quod dicit, non peccat, ob inadvertentiam, ob defectum deliberationis, vel ob ignorantiam, si hæc non sit culpabilis. Secundò debet scire se mentiri, quia quoties, dicit Magnus Augustinus Serm. 28. de verb. Apost. Jacob. In hac regione falsitatis, tibi apparet, quòd illud ipsum videas, quod te decipit: *Quando non subrepit tibi, quod falsum est, posito in regione falsitatis ?* Quoties, ah quoties Dilectissimi mei ! id quod solùm nobis depingit phantasia, id dico, affirmamus pro facto; id quod solùm nostra nobis imaginatio depingit, videtur nobis esse realitas, & illud quod deceptio est, paret nobis tam fixum, ut dicamus: *Ego possum jurare ?* Talis itaque, & taliter deceptus, non scit, quòd mentiatur; quodsi hæc sua deceptio illum excusat, nè sit peccatum suum juramentum, meliùs foret, ut tantæ, & toties repetitæ deceptiones nos facerent excusatos à deponendis juramentis ; Si, *ego hoc vidi*, respectu nostri toties mendacium est, cùm res se sæpiùs aliter habeat, quis est, qui juret toties absque difficultate? *Vis esse longè à perjurio ?* dicit Augustinus, *noli jurare ;* Cavete itaque à juramentis, ne pejeretis.

VI. Solum itaque hanc excusationem habet juramentum sinè veritate, sinè advertentia, indeliberatione, & ignorantiâ, sed factum cum advertentia, & sinè veritate, etiamsi sit in re levi, in materia levissima, in qua juratur, semper est peccatum mortale, juramentum. Nec in hoc potest esse dubium, cùm damnata sit à Pontifice Innocentio XI. propositio, quæ contrarium asserebat; estque vigesima quarta, & sic sonat: *Vocare DEUM in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Non datur, nec dari potest excusatio, nec finis aliquis quomodocunque bonus, & sanctus sit, qui liberet à peccato mortali juramentum falsum. Celebris est, & rationabilis responsio Periclis Philosophi. Rogavit eum quidam ex amicis, quatenus vel-

vellet jurare falſum in favorem ſuum in certo negotio, quod multum ſibi importabat, reſpondit ei Pericles: Ego, verum eſt, tuus ſum amicus; verum noſtra amicitia ſe ulteriùs non extendit quàm uſque ad aras, quia ibi propinquior quàm tu, ſtat DEUS, & non debeo illum offendere falsô juramentô: *Amicus uſque ad aras.* Et putatiſne eſſe charitatem jurare mendacium, ut hæc vel illa matrimonium ineat; vel ut hic vel ille intret Religionem? & vultis, ut vocetur amicitia, ſpernere, & injuriam inferre DEO ad liberandum amicum? Intelligamus hoc bene, Catholici, ſemper eſt peccatum mortale, juramentum falſum; Non debet, nec poteſt fieri, nec quidem in liberationem propriæ vitæ, nec proprii honoris, nec pro vita, & honore totius mundi; & etiamſi ſit jocus illud juramentum, talis jocus illud non excuſat, ſed multò magis approbat dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 98. a. 3. ad. 2.

Sed quid ego hæreo conſiderando? poſteaquam non apparet me loqui inter Catholicos, cùm nullum videam hac in re reſpectum, aut ſcrupulum; mulieres, artifices, mercatores, jam pro nunc juramenta habent pro jocis, inde peccata faciunt jocando. Quale majus infortunium, quàm quod ad quemlibet negotiatorem, qui advenit, proferantur tria vel quatuor juramenta, utinam non eſſent magis tria vel quatuor mendacia; & in rei veritate nihil minus ſunt; per meam vitam me tantum & tantum hæc res conſtitit; per hanc crucem, jam mihi tantum, & tantum dabant, & ego nolui. Oh! ſine ſimilibus verbis res non poſſunt divendi, non divendantur: Quid juvat res divendere, ſi coëmatur infortunium? Quid importat lucrari ſex vel octo cruciferos, ſi perdatur DEUS? In hocne tuum reponis lucrum, in faciendis peccatis mortalibus? Pulchrum lucrum! non volo in hoc habere partem. *Maledictio veniet ſuper domum jurantis in nomine meo mendaciter*; dicit Dominus per ſuum Prophetam Zachariam cap. 5. v. 4. Jam quid ſuccedet ob negationes? jam non apparet, quòd res negentur, ſed pernegantur etiam cum juramento. Per vitam, meorum filiorum, quod non habeam, quomodo illos ad plateam emittere poſſim; ità DEUS mihi det ſalutem, ſicut hoc vel illud non habeo. Ah Domini! ah Dominæ! itáne ſine obſtaculis, ſine difficultate proferuntur juramenta? Petiit eleemoſynam quidam pauper à certis nautis, VII.

ùt refert Heroltus, & illi reſponderunt: In lapides convertatur, ſi aliquid, quod manducari poſſit, in navi reconditum ſit; mendicus abiit, & illi poſtmodum accurentes ad conſervatorium victualium, invenerunt panem, carnem, & reliqua, perdurante eô ipsô colore, & figurâ, dum hæc diyiderent, meros lapides eſſe cognoverunt; juſtiſſima pœna: nimirum ut eos lapides inſtruerent veritatem, cùm illi ùt lapides juraverint.

VIII. Sed quomodo poteſt abeſſe hoc infortunium in domo maledictionis, in domo lusûs, dico; ubi ordinarium effugium ſunt juramenta falſa? O quanta! caſus eſt ut maximè modernus, quem refert Andrade Itin. Gr. 10. §. 3. Salamancæ quatuor ludebant ſtudioſi, & exorta quadam contentione ſupra certam ſummam, quæ poſita erat, unus eorum dixit: Hic moriar, ſi pecunia hæc non ſit mea? eô momentô, abſque prolatione, vel unius verbuli, manſit mortuus; & alii repleti horrore, & ſtupore omnes tres Religioſi facti ſunt. Oh ſi hoc ſuccederet hic ſaltem binis vicibus! ſed DEUS ſolus ſcit quare taceat, & talia juramenta hic pro nunc diſſimulet.

IX. Nec ſolùm ſufficit jurare illud, quod eſt veritas, ſi non juratur cum veritate. Volo dicere: Jurat aliquis, quòd Petrus ſit in Eccleſia, & in veritate Petrus invenitur in illa Eccleſia; ſed ille, qui jurat, non cogitat de hoc, quod Petrus in Eccleſia ſit: Talis itaque jurat illud, quod eſt veritas, ſed non jurat cum veritate, quia ille non credit Petrum ibi eſſe, quando hoc ita jurat, & ſic jurat cum mendacio, & committit peccatum mortale. Et hac eadem de cauſa peccat pariter mortaliter ille, qui jurat cum dubio, etiamſi poſtmodum prodeat veritatem eſſe illud, quod juravit, quia ignorando plena certitudine id eſſe veritatem, quod juravit, expoſuit ſe ad jurandum cum mendacio; ſi non fuit factum cum proteſtatione, quòd quidem juret ſinè certa tamen affirmatione, ſed ſolummodo taliter, & hoc modo, prout ſcit hoc vel illud contigiſſe. Hoc totum quamoptimè clarum eſt; ſed ecce tibi hic, jam enim incipiunt ſe patefacere fraudulentiæ, malitiæ: Oh Sancte DEUS! juramentum ſemper exclamamus pro veritate, & homines ſemper quærunt veſtigia, ad invenienda artificia, ad conſociandum cum juramento mendacium. Videbant, & bene advertebant aliqui: ex una parte eſſe ex integro in tantum neceſſariam veri-

tatem

tatem ad juramentum, ut sinè illa si fiat, committatur peccatum mortale: ex altera parte vellent, ubi necessitas urget deponendi juramentum, ut id fieri posset sinè prolatione veritatis in depositione illius, & tamen penes non peccare; Quomodo hoc potest esse? Ecce invenerunt duplicem viam: Primò, jurare, dicebant, sinè intentione jurandi; tali enim modo cùm non sit juramentum illud, ex defectu intentionis, quæ est necessaria, nec pariter erit peccatum dicere cum tali juramento mendacium. Possuntne excogitari similes inventiones? & hæc est semita, quam adinvenerunt, hæc autem semita ducit in præcipitium: hæc semita rectà tendit ad infernum; Ità nobis hoc declarat antecitatus Summus Pontifex Innocentius XI. damnando hanc propositionem, quæ est vigesima quinta, & sic sonat: *Cum causa licitum est jurare sinè animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Ità, ut nunquam sit licitum jurare sinè intentione jurandi hoc vel cum causa fiat, vel sinè illa, vel in materia gravi, vel levi; & si illud, quod sic juratur, sit mendacium, est peccatum mortale; & etiamsi veritas sit illud, quod tali modo juratur, si est in judicio, & exinde possit damnum sequi proximo.

X. Secunda via deponendi juramentum sinè prolatione veritatis, & non peccandi, erat hæc. Interrogetur quispiam ut cum juramento dicat, an hodie viderit Titium? in veritate autem illum vidit in foro, sed vel est ei emolumento, vel ei tantùm sic placet tacere veritatem: Quomodo itaque jurabimus, tacendo tamen veritatem? Quomodo? Opus est tali modo jurare, dicebant: Juro me Titium hodie non vidisse, & illic in mente cogitare: in Ecclesia Sancti Francisci, &c. Et videtis hic omnia esse composita. Imò nihil aliud est hic quàm omnia discomposita, nec est hæc compositio, sed destructio, & peccatum; declarat hoc ante dictus Summus Pontifex Innocentius, in Propositionibus 26. & 27. in quibus condemnat ista & similia juramenta, & sic sibi blandiendo, & palliando veritatem, non rarò malitia fecit ex nomine DEI clypeolos ad decipiendum; & in hoc me non tangit, ut me magis explicem, sed explicet sequens eventus. Hannibal Carthaginensium Generalissimus, ùt narrat Livius, habebat in suo exercitu captivos aliquos milites Romanorum; ex his unus petiit ab eo licentiam eundi Romam, offerendo juramentum de redi-

tu

tu ad exercitum; habebant illi Gentiles tantam venerationem, & ſecuritatem ad juramentum, ut eô ipsô momentô Hannibal cum hac conditione ei licentiam conceſſerit; cogitando, quòd cum tali juramento illum tam ſecurè haberet, etiamſi Romam proficiſceretur, acſi illum in ſuis teneret caſtris. Depoſuit itaque ille juramentum de reditu ad exercitum, ſed intelligebat reditum ad hunc modum: Licentiavit ſe, perrexit ad viam, quæ ducit Romam, & non ad longam diſtantiam abiens, fingendo ſe alicujus rei oblitum, redit ad exercitum, exhibet ſe videndum, acſi rediſſet, & paulò poſt ab exercitu diſcedit ad ſuum iter proſequendum, cogitando ſe tali modo ſuum compleviſſe juramentum, & fixit in animo finaliter ſe Romæ velle remanere. Devenit hoc in notitiam Senatûs, & vocato eo, poſt adhibitam eidem gravem caſtigationem, incatenatum quàm citiſſimè curarunt reduci ad Hannibalis exercitum; ſiquidem veritas juramenti, dicebant, non adimpletur verbis fictis, & deceptivis. Hoc faciebant Gentiles; tali rigore adlaborabant, ut obſervaretur veritas juramenti; & nos effugia quæremus, verba ſtudiô exquiſita, & fraudes ad decipiendos alios per juramentum; Meliùs dicam, ad decipiendum noſmetipſos? Illic coram DEO dicetur nobis veritas, quando omnia patentia erunt abſque artificiis, & fraudibus, & abſque ambagibus compoſitorum, & captioſorum verborum.

XI. Sed interim dicat pro nunc nobis etiam ſequens exemplum, quod refertur in vita miraculoſi Sancti Nicolai Epiſcopi. Certus Judæus commodavit cuidam Chriſtiano certam quandam quantitatem pecuniæ, & terminô elapsô ad tempus pactum, inceperunt fraudes, impoſturæ: petente enim Judæo ſuam pecuniam, Chriſtianus bina vice abſque pudore, non ſolùm illi eam negavit, ſed etiam affirmabat ſe jam illam Judæo depoſuiſſe. Accurrit ad Judicem Hebræus; advocatur malus Chriſtianus, & ille prævidens juramentum à ſe de depoſita pecunia petendum fore, quid facit? Ah, maledictæ ſubtilitates fraudum! Mittit in baculum peregrinatorium, quem jam habebat intrinſecus excavatum, de aureis illam quantitatem, quam debebat. Pergit unà cum ſuo baculo fingens ſe claudicare, (ch quot, & quantitales deceptores ità claudicant) & ſuſtentando ſe ſupra baculum impoſturæ, pervenit ad Tribunal, &

poſt

poſt multa prolata mendacia, petit ab eo Judex, ut juret: ille tunc, acſi citius vellet pervenire, & liberior eſſe ad deponendum juramentum; tene mihi hic, dicit Judæo, hunc baculum; Accedit poſtmodum, & jurat, ſe jam conſignâſſe Judæo totam quantitatem, quam ei debebat. Nunquid videbatur eſſe veritas hoc juramentum? Ità eſt, quia in baculo eidem totam conſignaverat quantitatem. Surgit ùt plurimùm lætus, & liber declaratus, recipit ſuum baculum, & abiit totus hilaris, quod tam egregium lucrum fecerit juramentô ſua deceptio: Redibat jam domum, & in ipſamet via, ità ut ſe nullô modô poſſet juvare, invaſit eum tam gravis ſomnus, ut ſe in terram projecerit ad dormiendum; dum ergo ità dormiret, ecce tibi adveniens, & tranſiens plauſtrum, cujus cùm rota ſupra illum tranſiiſſet, contrivit eum, & baculum in partes diffregit, diſcooperiendo tali modo aureos, qui in illo occultabantur. Accurrit plurima gens ad infortunium, agnoſcit pœnam DEI populus; advocant Judæum, ſed ille territus, dixit: ſe non velle capere ſuam pecuniam, uſquedum Sanctus Nicolaus, de quo narrabant plurima miracula, reſuſcitaſſet hunc hominem, & quodſi hoc ità fieret, promiſit Chriſtianam ſe velle amplecti fidem. Rem prodigioſam! condeſcendit DEUS Judæi petitioni, & ibi in conſpectu omnium reſuſcitavit illum miſerabilem, qui magno clamore, & lachrymis confeſſus eſt ſuam fraudem, & ſua mendacia; Judæus autem profeſſus eſt Catholicam Fidem.

XII. Quid prodeſt, Dilectiſſimi mei, quòd vobis fructificet dolus, & fraus cum hominibus, ſi nullius valoris res eſt apud DEUM, ubi ſola valet veritas? Ite nunc & gloriamini, ut plurimùm vos tales, qui ità vivitis ex fraudibus, ah nullum alium præter vos decipitis! Et ſinite DEO veſtras cauſas vos, qui fraudes pati cogimini, & impoſturas hominum; certè DEO curæ eſt veſtra defenſio. Valeat & vigeat pura veritas inter nos, ſincera, & nuda, ſi volumus pervenire ad viſionem Veritatis æternæ DEI in gloria.

INSTRUCTIO XIX.

De duabus Veritatibus, quas debet habere Juramentum Promissorium.

I. PEr solam promissionem nullus evasit pauper, & per solam promissionem omnes æqualiter sunt divites; tam exiguas expensas habent promissiones, in quibus plurimi solent esse liberalissimi, ut in his illorum promissis ipsis possint æquari pauperrimi. Ità hoc dicebat acuminoso & pungenti lepore Poëta Martialis lib. 10. epig. 16. Certo Cajo, qui Romæ credo fuerit unus ex illis, quos vos hic vocatis *Jactatores*, *Thrasones*: *Si donare vocas promittere, nec dare Cæ, vincam te donis, munerib*ú*sque meis.* Divertebat se quadam vice ad vesperam in suo horto ille insignis Archi-Episcopus Parisiensis Guillelmus Peraldus, & ad continuandam conversationem sinè alicujus offensione, proposuit suis familiaribus hanc quæstionem: Quæ ex omnibus arboribus sit stultissima; & quæ sapientissima? Dixit quilibet eorum suam opinionem, in tam discreta prout etiam festiva controversia; circuibant opiniones, & argumenta, & post aliquantulum spatium auditis opinionibus aliorum, decidit rem ità prudens Prælatus: Arbor stultissima est amygdalus, cùm enim prima sit, quæ nobis promittit suis floribus fructus, vix inchoante vere, differt illos dare usque ad autumnum. Et quæ est major stoliditas, quàm esse primum in promissis, & esse postmodum ultimum in donis, qualia non rarò ob similem tarditatem amittuntur? Ex opposito autem arbor sapientissima est morus, quæ tarda & tenax ad reviviscendum, est omnium ultima ad germinandum & virescendum, attamen tali modo, ut quasi eo ipso tempore in eadem sit promissio, & exhibitio; siquidem vix prodit, & aperitur in gemmas, statim se vestit foliis, floret, & fructibus oneratur: ista itaque est arbor sapientissima, quæ rarò nos decipit vanis promissionibus; omnes acceptarunt sapientissimam decisionem cum applausu. Nescio, an hic applauderent in tantum illi, qui quamvis non sint arbores amygdalinæ, demonstrant suos flores cum jactatione, & se extollunt decipiendo promissionibus. Nihilominus, si promissiones, quæ non adimplentur, dicunt esse exiguarum expensarum; tamen si illud, quod promissum est cum jura-

juramento, non adimpleatur; non poteſt eſſe promiſſio altioris expenſæ.

II. Jam itaque, ſi in reliquis juramentis ex omni parte eſt ità neceſſaria veritas, juramentum promiſſorium duas debet habere veritates: duas veritates? Res certè valde bona, ſi unica veritas tam cara eſt inter homines, ut vix illa inveniatur; nos debemus duas unire? ità eſt, duæ unitæ ſunt neceſſariæ. Juramentum *Promiſſorium* eſt illud, quô promittimus aliquid nos facturos in futurum. Prima itaque veritas hic eſt, & in juramento includitur, quòd nimirum debeamus in depoſitione juramenti intentionem habere adimplendi illud, quod juramus: Et altera veritas illa eſt, ut in effectu adimpleamus illud, quod hoc juramentô promiſimus; ut non remaneat ſolùm in promiſſione, ſed ut deveniat in executionem: & expedit advertere differentiam, quæ currit inter has duas veritates; Quandoquidem prima veritas, id eſt, obligatio habendi intentionem adimplendi illud, quod juratur, non habet caſum, nec materiam, nec excuſationem aliquam, ratione cujus liberari poſſit à peccato mortali Juramentum factum cum advertentia, ſi hæc veritas illi deſit. Sed ſecunda veritas adimplendi in effectu promiſſionem, habet in hoc materias, & caſus, in quibus vel non obligat, vel habet legitimam excuſationem.

III. Incipiamus de prima: Ille qui jurat ſe aliquid præſtiturum, vel non præſtiturum; ſi, quando jurat, non habet intentionem adimplendi; vel materia in qua jurat, ſit gravis, vel ſit levis, & leviſſima, vel ſit res licita, vel illicita, ſi non habet intentionem adimplendi, peccat mortaliter; quia deeſt veritas juramento; & ſic, etiamſi ſit in re leviſſima, non ideò excuſamur. Juravit quiſpiam elargiendi medium julium, vel octo cruciferos, vel etiam quinque, in eleemoſynam, ſed ſinè intentione hoc exequendi, quando juravit, ille peccavit mortaliter; Oh quot & quanta peccata mortalia de ſimilibus committuntur! non eſt jocandum cum juramento. Ideò etiam peccat mortaliter ille, qui jurat id, quod cognoſcit ſibi impoſſibile futurum adimplere; ille, qui illud jurat, & dubitat, an poſſit hoc executioni mandare, quod jurat: & ille, qui jurat id, quod non habet in ſua poteſtate, & pendet ex voluntate alterius, ſi non ſit ità, quòd ille, qui jurat, ſit ſolummodo

modo paratus faciendi ex ſua parte omne poſſibile, ut alter hoc exequatur. Ità, cogito ego, debent excuſari illorum ſtultorum Parentum obligationes, & pacta, quæ cum juramento faciunt, quòd filii eorum cum filiabus alterius matrimonium ſint inituri, & hoc fit, dum adhuc filius, & filia materna ſugunt ubera. Quæ juramenta ſunt iſta, quæ toties degenerant in amaritudines? Cùm hoc dependeat à voluntate filiorum; quæ magis manifeſta ſtultitia, quàm facere pacta & juramenta ſupra voluntatem alienam? Plenus irâ veniebat Alexander Magnus cum toto ſuo exercitu ad deſtruendam, & penitus deſolandam civitatem Lampſacum; cùm itaque cives ſe viderent perditos, delegârunt ut interceſſorem Anam Ximenes Philoſophum ad Alexandrum, cujus quondam Ximenes Magiſter fuerat; ſciens ille hoc, ob quam cauſam veniret Philoſophus, nè ipſum vinceret ſuis ſupplicationibus, depoſuit ſuis ſolemne juramentum Diis, ſe velle totum contrarium facere illi, quod peteret Ana Ximenes. Innotuit hoc juramentum Philoſopho, & quid facit? Intrat ad audientiam Alexandri, & omni fervore, atque vi incipit perorare contra Lampſacum, proponit perpendendam civitatis ingratitudinem, inobedientiam, proditionem, & concludit: Nè parcas ô Rex; deſtrue, extermina, dele civitatem funditus, hoc peto, hoc te precor. Alexander cum hac peroratione ſe vidit in ſuo proprio juramento deprehenſum; & quoniam juraverat contrarium ſe velle facere petito, quod Interceſſor peteret; Hic autem rogaverat Alexandrum, nè Lampſacenſibus parceret, & ità in ſuum deſpectum ille debebat parcere ad implendum ſuum juramentum. Jurate itaque hoc, quod ab aliena dependet voluntate. Semper itaque, ſemper, quando juramento Promiſſorio deeſt hæc veritas, habere intentionem exequendi illud, quod juratur, ſit hoc in qualicunque materia, ſemper eſt peccatum mortale.

IV. Hoc ipſum etiam intelligitur de juramento *Comminatorio*, quod abſque dubio eſt *Promiſſorium*; Sed vocatis illud *Comminatorium*, quia hoc, quod per illud promittitur, eſt facere aliquod damnum, vel malum alteri. Promittitur cum comminatione, ideò vocatur *Comminatorium*. Hoc juramentô ſunt plenæ integræ domus, diu noctuque prodit per os mulierum, quæ ad omnem ira-

iracundiolam, quam ipſis infantulus cauſat, ad omnem impatientiam commoventur; ità DEUS ſalvet meam animam, ſi te non verberabo; per meam vitam dico, quòd mihi hanc rem ſis ſoluturus. De hócne agitur, Pater? Oh quoties hæc proferuntur! omni momento. Jam tu mulier attende, & reſponde mihi ad has interrogationes; Vel tuo furore, quo evomis hoc juramentum, deſideras facere malum grave infanti, vel non? Pater, ego illum vellem mactare illo inſtanti, vellem illum in fruſta diſcerpere; itaque peccas mortaliter; & ad quid peccatum tantum ſinè profectu? Non, reſpondet mihi alia; ego quantumvis jurem, hoc facio ad terrendum illum, nec habeo intentionem aliquid mali ei facere, nec etiam verberare: Iterum repeto, peccas mortaliter, quia hoc juramentum facis cum mendacio: Non, ego juro cum veritate, reſpondet mihi alia, quia intentionem habeo dandi illi aliquot ictus, ad ſatisfaciendum meo furori; peccas itaque venialiter, quia ſic aſſumis juramentum pro inſtrumento tuæ vindictæ. O DEUS! & tanta peccata mortalia, & tanta peccata venialia omni hora? Qualis timor DEI eſt in talibus animabus? Multo adhuc deteriùs eſt, quòd talia juramenta faciant pariter *Execratoria*, cum certis maledictionibus tam horribilibus, ut metum & horrorem incutiant audientibus: ità DEUS det mihi bonam mortem: non habeam ſperandam ſalutem pro mea anima! Diabolus me hinc abducat; ſi hoc non fecero. JESU! JESU! fœminæ de reliquo tam timidæ; in lingua ſinè timore ità præcipitoſæ? Quid eſt hoc? Una illarum habuit modum evomere ſimiles maledictiones in juramentis, ùt refert Andrade Itin. Gr. 10. §. 10. & quadam vice, dum eſſet gravida, dixit: Non percipiat aquam baptiſmalem id, quod in ventre porto, ſi hoc, quod dico, non ſit veritas: Quàm citiſſimè advenit tempus partûs, & poſt graviſſimos dolores enixa eſt duos filiolos, ſed vix illos enixa fuerat, videt intrare duos turpiſſimos catos nigros, qui, dum nullus eſſet, qui illos poſſet ſiſtere, aut frænare, accedentes ad duas enixas proles, acſi ex illis ebibiſſent animas, illas reliquerunt mortuas ſinè baptiſmo, & Matrem, qualiter impoſterum cauta eſſe deberet, bene informatam. Oh! utinam ſic deſinerent omnes ſumere in os ſimilia juramenta, quæ ſolummodo audire incutit horrorem.

Illa pretiosa gemma Regum, ille adamas coronarum Sanctus Ludovicus, Rex Galliæ, ùt refert Joinvill. in Chron. c. 46. apud Rayn. tom. 15. Heter. fol. 96. Dum captivus detineretur in Africa, & de sua redemptione tractaretur, Mauri illi proposuerunt, quod ei vellent dare libertatem, modò juramentum deponeret, se velle pretium redemptionis transmittere, in ista forma: *Sim ego indignus cœlo, acsi abjurâssem Christum JESUM, si tali & tali die non solvero tantam quantitatem.* Exhorruit Sanctus Rex audiendo talia verba; & illud, quod respondit, fuit: Juramentum ego deponam, sed si talibus verbis debeat fieri, malo potiùs mori captivus, quàm maculare mea labra verbis tam horribilis juramenti. Hoc erat velle se cum veritate illud adimplere: solummodo sonus istius maledictionis incussit in tantum horrorem, ut, ad non pronunciandam illam, voluerit potiùs inter Barbaros captivus mori. Ah confusionem illorum! qui in tantum sinè fræno se onerant etiam horribilioribus maledictionibus.

V. Sed jam hoc stabilito, quòd nimirum juramentum *Promissorium* factum fuerit cum ista prima veritate, id est, cum intentione adimplendi illud, quod juratur, restat nunc secunda veritas, quæ est, illud adimplere. Et quantum istam attinet, supponite primò, quòd semper dum aliquis deponit juramentum de aliqua re præstanda, subintelligantur, etiamsi illas non exprimat, istæ quinque conditiones; Prima, juro me hoc facturum, si postmodum res mihi non impossibilitetur, c. 25. *Quemadmodum*, de jur. juran. quia ille, qui juravit pedes visitare Beatissimam Virginem Lauretanam, si, juramento præstito, postmodum ei accedat membrorum mutilatio, jam apparet illum ultrà non esse obligatum pedes locum Sanctum adeundi, quia id facere non potest; Secunda conditio, quæ subintelligitur, est: Faciam hoc, si licitè potero facere. c. 10. *Querelam* de jur. juran. & sic ille, qui juravit omni die visitare certam unam Ecclesiam, si aliqua vice in accedendo eam recognoscit, vel exinde sibi obventurum peccatum, vel periculum proximum cadendi in peccatum, jam illum pro tunc non obligat juramentum. Tertia conditio, quæ subintelligitur, est; exequar juramenti promissum, si non fuerit notabilis facta mutatio; & sic ille, qui juravit matrimonium inire cum Agnete, Virgine

gine virtuosa, pulchra, & divite, si hoc totum mutetur in contrarium, non obligat illum juramentum, juxta cit. c. 25. *Quemadmodum.* Quarta conditio, quæ semper subintelligitur, est: Juro, quòd hoc sim facturus, si meus legitimus Superior & Prælatus mihi contrarium non mandaverit; Juravit aliqua mulier frequentare talem, vel talem Ecclesiam noctu ad Miserere; Ordinat postmodum ex Sancto zelo Archi-Episcopus, nè noctu mulieres Ecclesias accedant; jam ultrà illam non obligat depositum Juramentum: juxta c. 19. *Venientes.* de jur. Quinta conditio, quæ semper subintelligitur, est: Juro me hoc facturum, si alter, cui hoc promitto, acceptet, vel si mihi hoc non condonaverit: & sic, si alter non acceptet, vel post acceptationem mihi id condonat, remaneo deobligatus à juramento. Exinde excusant Authores juramenta humanitatis: Per meam vitam hoc non faciam: non ibo, non anteibo: non intrabo, &c. quoniam alter non admittit talem honorem, non obligant. Ità pariter juramentum de verberando filiolo, vel servo, non obligat, nec est peccatum illud non adimplendo, vel quia jam est mutata materia, vel ille se emendavit, vel quia in executione illius intercederet aliqua culpa saltèm venialis, si exinde exurgeret vel causaretur contentio, vel exinde sumeretur vindicta, & sic non obligat; sed si illud, quod Pater, vel Dominus juravit, est in ordine ad correctionem, est obligatus sub peccato mortali ad observationem sui juramenti. Istæ itaque sunt excusationes, quæ possunt occurrere ex parte ipsiusmet juramenti, nè quis sit obligatus illud exequi.

VI. Alia est excusatio ex parte materiæ, vel rei, quam quis jurat, siquidem, primò, ille qui jurat se velle committere peccatum mortale; peccat mortaliter quando hoc jurat, & peccabit altera vice mortaliter, si hoc exequatur. Peccat mortaliter quando hoc jurat, quia vel habet intentionem hoc jurandi, vel non: si non habet, peccat mortaliter, quia jurat sinè veritate; si habet, peccat mortaliter, quia jurat sinè justitia: *Quis est ille qui jurat sinè justitia? qui jurat aliquam rem peccaminosam*: & peccabit mortaliter, si illam exequatur. Oh quàm terribile vinculum! *Itaque qui juravit facere aliquod malum, quid faciet?* Et respondet cum claritate Catechismus: *Debet dolere, quòd hoc juraverit, & non debet adimplere.* Ta-

li

li modo, ſi illud quod aliquis juravit, eſt facere peccatum veniale, prout eſt dicere unum leve mendacium, peccavit venialiter in illo juramento, & nullatenus illud debet adimplere. Idem eſt, ſi juravit facere aliquid contra conſilia Evangelica, & ritus Sanctos Eccleſiæ, ſicut ſi juravit non audire conciones, non dare eleemoſynam, non audire Miſſam diebus Feriatis: omnia talia juramenta ſunt peccata venialia, & nullô modô ſunt adimplenda. Hoc eſt itaque illud, quod ex parte materiæ excuſat ab obſervatione juramenti, eò quòd ſit materia illicita, vel quòd juſto opponatur; verùm ſi materia etiamſi ſit licita, eſt nihilominus levis, obligabitne juramentum? Juravit quispiam dare Julium ſeu 15. cruciferos in eleemoſynam, & ſupponimus jam, quod jurando habuerit intentionem adimplendi, quia ſi non, abſque omni dubio peccavit mortaliter; ſed habita pro tunc debita intentione, jam autem ipſi evanuit animus dandi prædictam pecuniam, peccabitne mortaliter, ſi non dederit? Ut veritatem fatear, ſtant pro & contra Authores: aliqui affirmant talem committere peccatum mortale, alii, quòd non, ſed venialiter peccare. De hoc videantur Authores.

VII. Sed jam, ſi materia eſt gravis, peccat mortaliter ille, qui non adimplet juramentum, quod fecit. Loquor de juramento, quod homines unus alteri inter ſe faciunt; nam de juramento, quod DEO fit, loquar, quando loquemur de Voto. Juramentum itaque factum hominibus, ſit illud in qualicunque materia, modò ſit licita, & licitè adimpleri poſſit, obligat ſub peccato mortali. Sed, oh quæ obligatio toties ſpreta, licèt conſcientias conſtringat, confunditur ab improba correſpondentia. Erat lex in Ægypto, refert Abulenſis in Deutor. Quòd ille, qui jurâſſet per vitam Regis, ſi non adimplebat ſuum juramentum, ſolveret pœnâ mortis, etiamſi pro redemptione ſuæ vitæ offerret dare tantum auri, quantum ille ponderabat, vel etiam adamantum. Et DEUS minorem ſui habebit honoris æſtimationem præ illa, quam habebat ſuæ vitæ Rex Barbarus? & cogitat ſe illum irriſurum is, qui non adimplevit illud, quod juramentô promiſerat? Eſt interrogatio, quam facit ipſemet DEUS per Ezechielem cap. 17. v. 15. *Qui diſſolvit pactum, nunquid effugiet*? Ecce ego eum aſſecuro, affirmat immediatè ſua Majeſtas, ego illum aſſecuro, quod mendacium juramenti ejus

ejus, super caput ejus decidet: *Vivo ego dicit Dominus, quoniam juramentum quod sprevit, ponam in caput ejus*, ibidem. Bene nobis hoc demonstrabit sequens eventus.

Erat in Saxonia, refert noster Delrio to. 2. disq. Mag. l. 7. q. VIII. 7. Una Virgo ditissima, & ut dives pariter & pulchra: unum & alterum, deficiente prudentiâ, servivit eidem pro laqueo, quo colligata, involvit se in amores certi cujusdam Nobilis boni stemmatis, sed pauperis; videbatur esse unus ex illis, qui per dotem remedium quærunt, non autem meliorationem per matrimonium. Illa tandem, ità stulta, ut venustissima, promisit illi non velle se nubere alteri; sed ille tali promissioni diffidens, nullatenus se esse contentum exhibebat; & illa ad eum assecurandum: Ecce vide, dixit illi, diaboli me auferant cum corpore & anima die mearum nuptiarum, si cum alio, quàm tecum illas celebravero. Acquievit ille, huic promissioni minimè diffidens; necessariò debebat aliò iter facere, quod nullô modô poterat intermittere; & dum ille discessit, voluntas pariter sponsæ dorsum ei obvertit, & tantam ab eo fecit aversionem, ut dum rediisset, illam ultrà mutare nequiverit, quia tractabat jam cum omni emphasi de matrimonio ineundo cum alio Nobili Juvene. Conquerebatur ille, sed in vanum, lamentabatur, sed aërem verberabat. Et tandem præparatis cum grandi pompa nuptiis, advenit dies cum magno jubilo parentum, & amicorum; sed inter applausus, musicas, convivia, & saltus solummodo sponsa sola erat mœsta, remorsum sentiente corde ob factum juramentum. Ah! quàm malè potest lætari, qui peccato sordidatam circumfert conscientiam! Factô matrimoniô transigebatur festivissimè dies, & in omni lætitia nuptiæ celebrabantur; dum hæc ità agerentur, ecce tibi adest Ephebus cum nuntio, duos Nobiles adesse extra portam, & præstolari licentiam intrandi: obtentâ illâ intrârunt cum maximo jubilo, & depositis congratulationibus, & bonis auguriis se obtulerunt comitari tam lætam functionem saltu. Prodierunt in saltum, saltârunt excellentissimè, & unus eorum faciendo demissam inclinationem sponsæ per manum eandem eduxit in locum saltûs. Non malè saltâsset mutabilis illa mulier, sed hac vice pessimum saltum fecit, siquidem in medio retrogradi circuli apprehendendo illam per manum ille fictus Nobilis, & ve-

rus diabolus elevavit per aërem usque ad cavædium, & ibi imponendo illam super clunem equi, equus, Nobilis, & Domina avolârunt, & disparuerunt. Quales putatis cæteri homines invitati remanserint? Attoniti exierunt ad quærendum in omnes partes saltèm corpus, & tunc se illis diabolus præbuit videndum, extradidit vestitum, & gemmas sponiæ, dicens: Hæc ornamenta, hæc supellex nihil servit in inferno; etiamsi tot conduxerint in infernum similia ornamenta: ad exigendum corpus & animam venimus, quia illa ipsamet nobis suis obtulerat verbis utrumque, & suô juramentô. Dixit, disparuit, sicque solemnitas illa finita fuit in acerbissimo & amarissimo planctu.

IX. Taliter itaque solvuntur promissiones factæ cum juramento, si non adimpleantur: quomodo est possibile, ut DEUS det gloriam, quam promiserat, illi, qui non stat promissis, ad quæ se obligavit sub Sanctissimo DEI Nomine? Deceptus manebit, qui decipit; & qui non decipit per suum juramentum proximum suum, illum assecurat Sanctus Rex David Psal. 14. intraturum montem fortunatum gloriæ.

INSTRUCTIO XX.

De perverso, & damnosissimo More jurandi.

I. ERat introductum Athenis, quòd non solùm gens communis, & ordinaria, sed etiam primaria & principalis, ac honorata se distraheret sonando *Albogos*: Erat istud certum instrumentum compositum ex quibusdam cannis conjunctis, quod labra, quæ pro follibus serviebant, constabat multum laborem, & vim ad ventum impellendum, immediatè ergo hoc instrumentum ventô perceptô, formabat sonum auditui rudem, rusticum, & molestum: Barbarum strepitum vocavit hujus instrumenti sonum certus Poëta celebratissimus & sapientissimus; Inflabat illud quadam vice Alcibiades in præsentia multorum Nobilium sedens *in ripa*, in sponda unius fontis, & videns se dum inflaret in aqua delineatum ore curvo, genis inflatis, vultu coloris sanguinei, & facie tota indecora, ut alicujus tibicinis; cui usui servit ista inflatio Albogi, dixit, abjiciendo iratus & pudi-

pudibundus à ſe inſtrumentum? Ad quem finem eſt hoc ruſticum, & ſylveſtre inſtrumentum? ubi ſunt dulces Lyræ, & ſvaves Citharæ, quæ multò plùs delectant ſinè deturpatione, & diſcompoſitione perſonæ? à ſe projecit, & hoc ſuffecit, ut impoſterum nullus inveniretur Athenis, qui vellet ultrà inflare Albogos; pudebat illos, & rationabiliter, cum tam turpes efficerentur inflando hoc inſtrumentum. Oh ſi hoc ipſum infinities rationabilius ſuccederet in Chriſtianiſmo, ubi ità introducti inveniuntur Albogi, qui faciunt muſicam inferno; Id eſt, repetita juramenta, quæ cùm habeant ſonum tam ferum, & tam horribilem, efficiunt non jam vultum, ſed animam ità trucem & abominabilem. *Oh!* ſi juratores ſe illic viderent, multò meliùs præ Alcibiade projicerent à ſe tam maledictum morem, dicendo: Ad quem finem ſunt talia verba? Ubi eſt dulcior Lyra, Cythara ſuavior laudum Divinarum, quæ exhilarando Angelos, & Cælum, relinquunt animam pulcherrimam? *In decachordo, & pſalterio, cum cantico & cythara.*

Vidimus jam duas ſocias juramenti, Veritatem & juſtitiam, II.
& ità quidem ex integro neceſſarias, ut quæcunque illa ſit ex his duabus, quæ deſit in quocunque juramento, vel *Aſſertorio*, *vel Promiſſorio*, ſi defectus juſtitiæ ſit in materia gravi, & ſi veritas deſit vel in materia gravi, vel levi, ſemper ſit peccatum mortale. Sed hucuſque non fuimus locuti de *Neceſſitate*, quæ debet pariter eſſe ſocia juramenti. Sicne eſt? holla! Pater finite illam à parte, quia hæc non procedit pari, & æquali paſſu cum iſtis. Jam itaque nos interrogat Catechiſmus: *Qui ſinè neceſſitate jurat, quantum peccat*? Supponamus, quod quiſpiam juret cum veritate, & cum juſtitia, ſed jurat ſinè neceſſitate, quia pro nunc ejus juramentum non erat neceſſarium, vel quia materia illud non requirit, eò quòd ſit res *exigui momenti;* vel quia non adſunt motiva, quæ obligent, ut ſunt bonum proximi, vel mandatum Superioris, vel Judicis, vel manifeſtatio veritatis alicujus multum importantis: ille tandem, etiamſi juret cum veritate, & juſtitia; nihilominus jurat ſinè neceſſitate: talis itaque qualiter peccat? *Peccat ad minimum venialiter, propter ſuam exiguam reverentiam.* Intelligamus, obſecro, citò hanc voculam, *ad minimum*, vel *ſaltem;* hoc eſt verum, quòd ille, qui ità jurat, ſolummodo ſinè neceſſi-

tate, faciat peccatum veniale propter irreverentiam, qua abſque neceſſitate ſumit in os Nomen DEI: ideóque eſt *ſaltem*, vel *ad minimum;* Nam ſi fiat in contemptum DEI, jam apparet gravitas: ſi fiat ità repetitis vicibus, ut introducatur mos perverſus jurandi, ô DEUS quot ſcopuli? *Jurationibus non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*, monet nos Spiritus Sanctus per Eccleſiaſticum cap. 23. v. 9.

III. Huc itaque jam pervenimus, ut demus ad cognoſcendum enorme, & grave hujus materiæ, quod eſt pernicioſus mos & conſvetudo jurandi, filius infortunatus, qui cum natus ſit ex repetitis culpis, ſuſtentatur, conſervatur, & vivit ex aliis innumerabilibus peccatis mortalibus; Quantum hic partus erit venenoſus? Oh DEUS! eſt vipera, quæ præter propriam ſuam peſtem, omni die nutritur viginti, vel etiam triginta ſcorpionibus, oh quantum non erit venenoſiſſima? & hoc eſt mos & conſvetudo jurandi; una vipera, quæ omni die acquirit majorem vigorem mortalis veneni, triginta, vel quadraginta juramentorum, & triginta, vel quadraginta peccatorum mortalium; & erit quis invenien-dus; qui hanc viperam intra ſuum cor repoſitam teneat, & non immediatè à ſe eam abjiciat? Utinam, ah utinam non eſſent hic tot & tanti!

IV. Verùm eſt, ſtabiliunt Doctores, quòd ſi mos aut conſvetudo, quam quiſpiam habet jurandi, ſit cum reſpectu ſemper jurare cum veritate, etiamſi committat omnia iſta peccata venialia, non ideò tamen eſt in ſtatu peccati mortalis, cùm ſemper juret cum veritate, & ſemper cum hoc reſpectu. Sed, oh DEUS! ubi hoc invenitur? Ubi? currere per viam ſtratam ſilicibus, ſinè læſione pedis, quis hoc poteſt facere? Dic mihi, dic, interrogat te Auguſtinus, dum poſſes iter facere per planitiem ſat largam, curreréſne per iter petroſum, vel per ſtrictam oram? Jam hoc ipſum tu facis cum ſimili tuo more; Ego tibi conceſſerim, quòd jurando ſemper veritatem, non ſis lapſus, ſed quale & quantum eſt tuum periculum? Si eſt tam facilè tranſire homini à veritate ad mendacium, & jam es infectus peſte, & tenes curvaturam juramenti, oh quale periculum! Inter Gentiles Athenienſes Senocrates, juxta relationem Laërtii, aſſecutus eſt, ut non jurando, crederetur ab aliis ſemper

ſuis

ſuis ſimplicibus verbis, acſi eſſent juramenta; Clinia, ùt refert Sanctus Baſilius or. de fruct. & Lect. Gentil. volebat perdere non minùs quàm triginta millia ducatorum, ſolummodo nè cogeretur juramentum præſtare cum veritate; cum veritate, dicit Sanctus Baſilius: *Etiamſi falsò juraturus non eſſet;* Et ut ſit veritas, erit quiſpiam inter Chriſtianos, qui velit morem vel conſuetudinem jurandi tam periculoſam habere? *Falſa juratio*, dicit Sanctus Auguſtinus ſerm. 2. de verb. Ap. *Falſa juratio, exitioſa, vera periculoſa, nulla ſecura.* Si eſt mors animæ juramentum falſum, jurare cum veritate etiam eſt periculoſum: ſicut melius eſt aleis non ludere, ità etiam nunquam jurare, ſi vis ſecurus eſſe à periculo incidendi in majus præcipitium.

Iſte eſt mos jurandi, qui ſolet eſſe maximè ordinarius; & eſt ille, quo quidam ad talem ſtatum devenerunt, ut ampliùs non advertant ſe jurare, quia, cùm ſint tot illorum juramenta, quot verba, & etiam forſitan plura; *Plura ſunt juramenta, quàm verba*, ùt dixit Sanctus Auguſtinus; jam nec tales inter verba, & juramenta diſtinguunt. Alii bene advertunt, quod jurent; ſed quòd ſit veritas, vel non, illud quod jurant, jam non advertunt, nec etiam hac de re quidquam curant; hi & alii ſunt in ſtatu maximè lachrymabili peccati mortalis: maximè lachrymabili dico, quia cùm iſta ſint peccata ex gravioribus, & enormibus, pro nihilo habentur, & ex altera parte poſſunt tam facillimè perpetrari; Quale itaque poteſt eſſe majus infortunium? ſi daretur hic homo, qui omni die in his plateis occideret viginti, vel triginta homines, quid diceretis de tali beſtia ſanguinolenta? quid diceretis de tali fera crudeliore omni carnifice? Quòd in comparatione illius Nero fuerit agnellus, in confrontatione Caligula columba; diceretis, quòd reſpectu tam mali hominis, ſint urſi amabiles, & Tygres: Diceretis, quòd nihil aliud poſſet eſſe quàm diabolus, qui exerceret talem atrocitatem; jam autem optimè debetis dicere hoc, & multò plùs de illo, qui in more habet evomere omni die triginta, vel quadraginta juramenta, ſinè reſpectu, an juret cum veritate, vel mendacio: quia enormius & gravius eſt peccatum juramentum falſum, quàm occiſio hominis, dicit Sanctus Thomas quodlib. 1. 1. q. 9. a. 8. Dicaſt. de jurejur. Certum eſt, abſque eo, ut aliquod du- V.

bium hac in re ſit, quòd ſi ille omnibus vicibus quibus jurat, advertat ſe jurare, & tamen juret ſinè reſpectu, an ſit veritas, nec ne, committat tot peccata mortalia diſtincta, quot ſunt juramenta, & in hoc non eſt ullum dubium; quia habet libertatem, habet advertentiam, & cum his omnibus nihilominus tranſgreditur. Sed ſi jam ob maledictum morem, non advertit ſe jurare, ſi illi exeant juramenta ſinè ſcientia, & advertentia quid dicatur, erúntne omnia iſta juramenta, diſtincta peccata mortalia? In hac materia eſt controverſia adverſa inter Doctores: Sanctus Thomas, quem ſequuntur magni homines ex ſuis diſcipulis, affirmat, quòd quantumvis ſint iſta juramenta ſinè advertentia, tamen quia antea illa liberè voluit, & illa vult ſuô maledictô more, quem non dimittit, etiamſi fiant cum veritate, ex eo, quòd illam non reſpiciat, ſint omnia peccata mortalia. Et quantumcunque ſit veritas, quod alii Doctores, affirmant, quòd ob inadvertentiam & indeliberationem non ſint futura peccata diſtincta, ſed unum tantùm, quod æquivalet multis ob conſvetudinem, quam non tollit; Nihilominus omnes conveniunt eſſe talem obligatum ſub peccato mortali ad adhibendam omnem diligentiam in eradicanda, & auferenda à ſe tali conſvetudine & more: Ità ut ſi admonitus à Confeſſario non promittat cum ſerietate emendationem, vel ſi aliquoties admonitus non adhibuit diligentiam hunc modum à ſe tollendi, non debeat abſolvi, uſquedum demonſtret in ſe emendationem; & multò magis ſi adſit aliqua occaſio externa, quæ illum ad ſimilia provocat juramenta, ut ſi ſciat ſe à tali vel tali ſocietate provocatum iri, & occaſionem accepturum ad illa, vel ex acceſſione ad domum luſoriam, & tamen ille nolit tollere hanc occaſionem, quæ eſt proxima, debet illi denegari abſolutio.

VI. Et nunquid hoc multum eſt, quòd cum tali tractari debeat rigore, cùm talis infelix per talem morem & conſuetudinem occidit ſuam propriam animam, faciendo ex illa paludem peccatorum, & iniquitatum? *Vir multùm jurans implebitur iniquitate* (dicit Sanctus Spiritus per Eccleſiaſticum cap. 23. v. 12.) *& non diſcedet à domo illius plaga.* Affert ſuæ domui, ſuis deſcendentibus, ſuæ familiæ catenam maledictionum DEI, & omnis infortunii; *Et non diſcedet à domo illius plaga:* in domo illius, qui taliter ſolet jurare, non de-

deerit pœna; talis eſt horribilis hominibus, cauſando omnibus horripilationem, & facit illos obdurare aures ſuo ſacrilego ore: *Loquela multùm jurans, horripilationem capiti ſtatuet, & irreverentia illius obduratio aurium*, dicit iterum Spiritus Sanctus Eccleſ. c. 27. v. 15. Non invenit etiam miſericordiam, quando ſupplicat Sanctis; eſt hæc obſervatio Sancti Gregorii Magni, qui ratione hujus, quod videbat ſuis temporibus, dicit: Video infirmos ſepulchra Martyrum accedere, & ſanantur: veniunt à dæmonibus obſeſſi, & liberantur; ſed veniunt juratores, & ibi illos diabolus obſidet: *Ad Martyrum ſepulchra veniunt ægri*, ſunt verba Sancti Gregorii hom. 32. in Evang. *& ſanantur; veniunt dæmoniaci, & curantur; veniunt perjuri; & à dæmonio vexantur.*

VII. Jam itaque quis non adhibebit, ſi in tali infelici conſvetudine inveniatur, omnem ſuam vim, omnem ſuam curam, ut poſſit de tam lacrymabili ſtatu exire? Si timor alicujus doloris ſufficit, ut non manducemus id, quod nobis talem dolorem cauſavit, etiamſi id manducare aliàs conſveverimus; Quomodo timor inferni non erit ſufficiens ad relinquendum hunc morem, qui nos illuc conducit? Si amor vitæ facit, ut infirmus ſe privet qualicunque re guſtuoſiſſima, cui erat aſſuefactus; Quomodo non intermittetur habitus aliàs tam pernicioſus, quantùm ſinè profectu eſt, ob amorem vitæ æternæ? Non allegetis mihi difficultatem, dicit Magnus Auguſtinus: Ego hoc vobis confiteor, habui hunc morem jurandi; ſed poſteaquam ex illo, quod legi, cognovi meum errorem, pugnabam contra meum morem, & jam cum gratia DEI illum vici: & forſan non? Quis ex vobis audivit me jam ultrà jurare? *Ecce vobiſcum vivimus*, ſunt verba Sancti Auguſtini Serm. 10. de decoll. S. Joan. Bapt. *quis nos audivit aliquando jurantes? Nunquid non conſveveram quotidie jurare? At ubi legi, & timui, luctatus ſum contra conſvetudinem meam.* Itaque ſi tu luctatus fueris ut Auguſtinus, ut ipſe vicit, & tu vinces.

VIII. Sed, ô Patresfamilias! ô Magiſtri! quid à vobis corrigitur, quid reprehenditur, quid caſtigatur; non ſuffertis nec in filiis, nec in ſervis, nec in diſcipulis, nec in pueris juramenta? Comes Arianenſis Eleazarus poſuit legem in ſua aula inviolabilem, ut ſervus, qui juramentum evomuiſſet, maneret incarceratus in-

te-

tegro die in pane & aqua, & ſi quis huic noluit acquieſcere legi, eô ipsô momentô expellebatur ex aula. Hanc ipſam legem ſcio poſuiſſe vel ſtatuiſſe in ſuo Palatio Sanctum Ludovicum, Epiſcopum Toloſanum, & quidem priuſquam factus fuiſſet Franciſcanus Religioſus, dum adhuc ſæcularis Princeps eſſet Siciliæ; & vos audientes jurare filios, & ſclavos, & multò magis veſtros operarios, & etiam diſcipulos, & hoc ſuffertis, & impune tranſire ſiniti? Fortè cauſa hæc eſt; quia à vobis exemplum ſumunt. Ah ſi Dominus, ſi Pater, ſi Magiſter ad omne jurat verbum, quid aliud diſcet ſclavus, filius, diſcipulus? In certo loco Flandriæ, quidam Educator, qui ſuæ curæ commiſſum habebat Nobilem Adoleſcentulum; inveniendo lapſam in terram certam chartulam, quæ erat illius Adoleſcentuli ſui clientis, neſciendo quid in illa ſcriptum eſſet, eandem legit, & ſcriptura ſic ſonabat: *Ego me accuſo, quod elapſo die, audiendo jurare meum Educatorem, eundem non correxerim, ne juraret*: Remanſit ad hoc Educator ità confuſus, ut hoc ſuffecerit ad emendationem factorum aliàs juramentorum. O pudor! quot filii, quot diſcipuli poſſent ità rationabiliſſimè corrigere ſuos Parentes, & Magiſtros? Quodſi locò extirpationis à ſe tam infortunati moris quis inveniatur illum defendens, allegando ſe ultrà ab illo non poſſe abſtinere, ſe eſſe cholericum, ſe non advertere, talis eſt ultimus & peſſimus ſtatus ejus miſeriæ. Auditores mei, Confeſſarii ſunt Medici animæ, ille, vel illa, aut quiscunque ille ſit, qui inveniretur in hoc maledicto more inveteratus, aperiat Confeſſario ſuam plagam, petat remedium; & exequatur illud promptè, ſiquidem in iſto conſiſtit ſalvatio. Certo cuidam militi, ut narrat Pined. de amore DEI. p. 3. c. 17. §. 2 qui hunc morem habebat, aſſignavit ſuus Confeſſarius pro pœnitentia, ut ſemper quotieſcunque jurâſſet, ſubitô genua flecteret, & Crucem linguâ in terra formaret; acceptavit hoc ille, quia deſiderabat ſe emendare: occurrit illi interim pugna, & in illa excidit ei juramentum, ſed quantocyus ſuam cœpit peragere pœnitentiam, & in genua provolutus volens formare Crucem linguâ in terra advenit globus, qui ſupra ſcapulas tranſiens partem ex veſte abſtulit, ità ut cognoverit, quodſi erectus, & in pedibus ſtetiſſet, globus eum in partes dilaceràſſet; recognovit

gnovit ex pœnitentia ſua vitam corporis, & conſecutus per eam vitam animæ. Oh qualiter vitam animæ lucrarentur omnes, ſi ità ſibi aſſignarent aliquam pœnam, pro omni juramento prolato; nè cogantur experiri aliquando iram DEI, ut jam refero pro inſtructione talium perjurorum.

IX. In Inſulis Canariis, refert P. Alphonſus de Andrade, & dicit, ſe nolle nominare civitatem, cùm caſus ſit tam modernus, ut illum aſſecurare poſſit teſtimoniô ſui viſus. Civis quidam principalis habuit infelicem morem jurandi ſæpiùs per Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, & ſæpiùs adjungebat: Sinè communione moriar, ſi hoc, quod dico, non ſit veritas; & non debebat eſſe veritas, poſteaquam monſtravit veritatem eventus. Incidit in morbum, & ſtringente morbo, attulerunt illi viaticum cum magna ſolemnitate, & comitatu. Fecit Sacerdos ordinarias interrogationes, reſpondit ad omnes; & ultimò tandem, an velit percipere DEUM ſuum in Sanctiſſimo Sacramento pro ſalute ſuæ animæ? Reſpondit ſe velle, & hoc unicum ſe deſiderare; accedit Sacerdos, ut ei Hoſtiam porrigat, & eô ipſô momentô tam fortiter ei labia erant concluſa, ut ea nullo modo potuerit aperire; dicit ei Sacerdos, aperi os, reſpondet: jam aperio; procedit rurſus porrigere illi Sacramentum, & os rurſus ut antea ſeratum eſt; quare os tuum ità occludis? ego non poſſum aliter facere. Ad loquendum itaque os liberum habuit, ſed ad recipiendum Corpus Sanctiſſimum in inſtanti illi claudebatur. Longô ſpatiô temporis curam omnem adhibuit Parochus cum timore, & tremore adſtantium omnium, faciendo, & operando varias diligentias ad vincendam hanc difficultatem, ſed quoniam manus erat validior illa, quæ illi conſuebat labia, nihil poterat efficere, & ità debuit redire confuſus, & attonitus, ſicut etiam remanſerunt omnes, qui in ejus comitatu erant, optimè ſcientes morem infelicem hujus miſerabilis hominis, & jam pœnam agnoſcebant. Peſſimum tamen hoc fuit, quòd ille ipſe ſuam non agnoſceret miſeriam; manſit ità ſerenus, & abſque omni nauſea & tædio, acſi illi nihil adverſi contigiſſet; ad tale infortunium pervenire ſolet tam perverſus mos & conſvetudo. Creſcebat, & illum magis & magis opprimebat infirmitas, & periculum augebatur; & ſequen-

quenti die accesserunt rursus parentes Parochum, rogantes, ut denuò ad infirmum Venerabile Sacramentum deferre non gravaretur, eidémque viaticum porrigeret: recusabat ille ob id, quod heri ei acciderat; At cùm esset persona principalis, & hoc quod plùs est, obligatione propria illum urgente, portavit Sanctissimum ad infirmum; proposuit easdem interrogationes, & hac vice pariter infirmus respondit ad omnes; sed dum pervenit ad porrectionem Sanctissimi Sacramenti, clausit labia vi tali, ut illa ultrà aperire nequiverit, & acsi solummodo Dominus veniret ad eum condemnandum; ibi in sua Divina præsentia, & in conspectu Primariorum Civitatis, qui plurimi aderant, exspiravit sinè remedio, occluso ore suo ad salutem animæ suæ ideò, quia illud tenuit apertum tam turpiter ad tot, & tanta juramenta proferenda: ille enim non merebatur, ut intraret per sua labia ad eum sanctificandum ille Agnus purissimus, qui sua labia ad nihil aliud applicabat, quàm ad eum offendendum.

X. Debemus itaque nos ad hoc Sanctissimum Sacramentum accurrere in tempore pro remedio, non solùm mutando morem indignum jurandi, dicendo locô juramenti: Laudetur Sanctissimum Sacramentum; sed etiam frequenter illud sumendo, qui in simili infortunio inveniretur, ut per illud, & contactum illius purissimum lingua ejus melioretur, ut labia ejus indulcoret, & ei det vires resistendi fortiter suæ pessimæ consuetudini; cùm in hoc Sanctissimo Sacramento habeamus omnia simul unita arma gratiæ.

INSTRUCTIO XXI.

De Voto, de suis circumstantiis, & obligationibus.

In die Ascensionis Domini.

I. SI catena pedes constringens denotat captivitatem, & servitutem, pectori impositа est ornamentum; & si in pedibus ejus annuli ferrei sunt ligamina, quæ infamant; in pectore ejus aureæ incurvaturæ sunt insignia, quæ nobilitant; Hac de causa Josepho posuit catenam auream in pectore Pharao quando illum subli-

ſublimavit ad ſuum ſolium; *Et collo torquem auream circumpoſuit.* Gen. 41. v. 42. Danieli præparabat catenam auream Balthaſſar ad declarandum eum Principem: *Torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo Princeps eris.* Dan. 5. v. 29. Sponſæ ſuæ Principi applaudebat Amatorum optimus: *Collum tuum ſicut monilia* Cant. 1. v. 10. Et in ſuo filio catenam volebat Salomon, ut ſe regnantem exhiberet: *Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Prov. 1. 9. Eſt communis traditio in Divinis, & humanis Literis, in pectore catenam eſſe inſigne Nobilitatis: Sed quæ hujus rei erit ratio? Æſtimo hanc eſſe; Ducebant Imperatores in ſuis triumphis incatenatos miſerabiliter illos, quos trahebant captivos, & eo ipſiſſimo tempore Nobiles comitabantur triumphum cum catenis aureis ex collo pendentibus, ut ità omnes incatenati monſtrarent, qualiter Imperatores de omnibus triumpharent; ſed enim hac differentia, quòd ſicut captivos turpiter incatenabant vires & violentia, ità Principes magis ſtringeret, quanto plùs Nobilius illos captivabant, affectus cordis. Hodie itaque, dum in maximis tripudiis cæli, ſcandit noſter Supremus Princeps triumphans calcando ſphæras cæleſtes, hodie, dum in ſua triumphali pompa conducit incatenatam, & captivam noſtram captivitatem, quomodo potuimus meliùs applaudere ejus triumpho, quàm aſiſtendo ei cum catenis aureis de collo pendentibus, quales dum publicant noſtram fortunatiſſimam libertatem, denotant pariter ſtrictioribus noſtris aureis nobiliter incarcerata, & adſtricta ejus amori noſtra corda: *In vinculis charitatis.*

II. Hæ itaque catenæ, quas portamus de collo ad pectus pendentes, ſunt illæ, quas hodie vult, & intimat, ut conſideremus ſecundum Præceptum. Omnes, exiſtimo ego, vel ſaltem plurimi, qui hic ſtamus, venimus cum catenis aureis ad pectus pendentibus; aliqui cum magis intortis, & pluribus annulis catenæ, alii cum paucioribus; aliqui ornati catenâ ex auro puriſſimo, alii circumdati catenâ ex auro non adeò purificato; de omnibus ſimilibus hìc invenientur inter meos Auditores. Sed quæ catena eſt iſta, dicetis mihi, quam nos non videmus? Non videtis illam? In veritate illa eſt nobis vel maximè viſibilis; & eſt ex auro, abſque eo, quòd nos vel minimum conſtiterit? Et hoc verum eſt; ſed

ſi illam frangamus, aut diſſolvamus, conſtabit nobis totum noſtrum capitale. Et hanc catenam auream portántne etiam mulieres? ſunt illæ vel maximè tales, quæ præ aliis ordinariè illâ utuntur. Quæ ergo eſt iſta catena? divinate. Eja, non volo vos ultrà tenere ſuſpenſos. Eſt iſta catena aurea, Votum, quod quiſpiam fecerit DEO, cùm enim non debeat eſſe in vanum iſta promiſſio, Votum eſt catena, quod ligat, quod captivat, & quod obligat; ſed eſt catena ex auro, quia illam formavit amor; ex auro, quia illam elevat pondus meriti; ex auro, quia per illam nobilitantur illa opera, ad quæ obligat; ità ut, ſi jejunium vel per voluntatem, vel per præceptum habeat ſuum valorem, & ſuum meritum, hoc meritum adaugeat, duplicet, dicit S. Thomas 2. 2. q. 88. Ille, qui jejunat, quia ad hoc ſe obligavit cum voto. Potéſtne eſſe res per ſe nobilior, quàm cuſtodire virginitatem? Jam, ut iſta virginitas mereatur majorem honorem, dicit S. Auguſtinus, eſt per votum DEO conſecranda. Eſt itaque ſemper ex auro iſta catena Voti, quia, ſi fiat, ut debet fieri, eſt ſemper DEO gratum, meritorium, & magni pretii; eſt hæc veritas Catholica, expreſſa in Divinis Scripturis, & in ſcriptis Sanctorum Patrum: *Vovete, & reddite Domino DEO veſtro*: Pſal. 75. v. 12. Portemus itaque in pectore iſtam catenam, non in pedibus; quia non eſt votum per ſe laqueus ad cadendum, ſed nexus amoris ad augmentanda merita. Ideò naſcitur ex pectore, ex corde, & ex voluntate, quia emiſſio cujuscunque voti, debet eſſe ex noſtro libero, & ſpontaneo velle noſtræ liberæ voluntatis, cùm nullus ſit obligatus faciendi aliquod votum; Sed ſemel factum, ille, qui illud fecit, circulos hujus catenæ ſibi in collum injecit; Id eſt, injecit ſibi tale vinculum obligationis, quod obſervare non minùs tenetur, quàm vitam animæ; in collo ille portat jam funem, qui facto DEO aliquo voto, illud non reddit; *Vovete, & reddite.*

III. Nunc itaque, ut advertant illi, qui hoc fecerunt, & alii, ſi cum tempore facere vellent, videant priùs cum maturitate, conſilio, & prudentia id, quod faciunt, intelligamus, quid ſit votum. Multi tenent pro votis illa, quæ non ſunt, & peccant millies ex errore; & alii ſinè ponderatione & cogitatione matura, qualis ſit obligatio voti, ſe deobligant ad illud implendum imprudentiſſima facilitate.

Vo-

Votum ergo, ut definiunt Theologi, eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea, quam facimus DEO de bono poſſibili & meliori. Procedamus pedetentim: Tria hìc ſunt; Primum, ille qui vovit; Secundum, cui vovit; Tertium eſt illud, quod vovit. Incipiamus à primo: ille qui vovit, debet facere promiſſionem DEO, & ſi non eſt promiſſio illa, quam facit, non eſt votum. Tali modo, Dominæ meæ, quòd quantumvis aliqua ex vobis habeat intentionem & propoſitum firmum ut octo, jejunandi e. g. omni Sabbatho, & quantumvis hoc dicat, & pronuntiet; habeo propoſitum firmum hoc faciendi; hoc non eſt votum: quia hoc non promittit, ſed proponit; & ſic, quamvis una & pluribus vicibus hoc rumpat, non eſt peccatum, quia nunquam obligat ad tantum iſtud propoſitum. Jam ergo, ut ſit votum, debet eſſe promiſſio, non autem qualiſcunque, ſed deliberata, id eſt, ut ſciat hoc, & intelligat, quod facit, ut bene advertat, & nè ſe decipiat in re, quam promittit. Quare illi, qui nondum habent uſum rationis, non poſſunt votum facere; illi, quantumvis habeant, rapti quandoque, & cæci ex primo impetu paſſionis alicujus, qui illud fecerunt ſine advertentia, ſimile votum non valet, nec eſt votum; & illi, qui in re, quam promittunt, ſe decipiunt; promittit quiſpiam velle viſitare ſepulchrum Sancti Jacobi in Galitia, cogitando locum ultrà viginti vel triginta milliaribus non diſtare ab hinc; pro certo patientiam aliam requirit hoc iter; iſtud non eſt votum, quia ſe hìc interponit totum mare deceptionis poſitum in ſuo capite, & non ſcit, quid illa res ſit, quam promittit. Verùm ſi deceptio non ſit in re, quam promittit, cùm ipſi de tali re optimè ſit notum, ſed in rei circumſtantiis, quando valebit iſtud votum, interrogatis, ſi talis caſus eveniat? Plùs: ille, qui promittit credendo cum ignorantia votum ſe non obligare ſub peccato mortali, nec quidem iſte facit votum, quia non ſcit, ad quid ſeipſum obliget. Omnia iſta itaque requiruntur, ut promiſſio ſit deliberata; ut illud advertat, quod promittit; quid illud ſit, quod promittit; & quomodo promittentem obliget. Sic ergo deliberata, debet præterea eſſe ſpontanea, & libera promiſſio; id eſt, ex propria voluntate, & cum intentione, quia primò, ſi non habeat intentionem votum faciendi, licèt illud pro- IV.

nunciet, non eſt votum. Secundò, ſi, quantumvis habeat intentionem faciendi votum, non habeat intentionem, ut iſtud votum eum obliget; nec hoc etiam eſt votum, quod facit. Quodſi, licèt habeat intentionem votum faciendi, & ſe ad illud obligandi, nihilominus faciat votum ſimul cum intentione illud rumpendi, præterquam quòd peccet mortaliter juxta ſecuriorem, & communiorem ſententiam, iſtud votum eſt validum, & voventem obligat. Et quid ſi votum faciat ex timore? Sæpiùs obligat, interrogate me idcirco poſtmodum, dum ad hanc materiam pervenerimus. Omnia itaque iſta debent adeſſe ex parte votum facientis, ut illud ſit validum.

V. Secundò, cui fit? Soli DEO, quia cùm votum ſit, juxta S. Thomam, quidam actus de actibus ſubjectiſſimis virtutis Religionis, eſt actus Latriæ, & hæc ſoli DEO eſt exhibenda. *Colent eum*, dicit Iſaias cap. 19. v. 21. *in haſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent:* Et ità ſoli DEO fit votum; ità ut dum promittitis Sanctiſſimæ Virgini, vel huic vel alteri Sancto aliquam novenam, vel viſitationem, vel Miſſam, &c. non fit hoc votum nec Beatiſſimæ Virgini, nec Sanctis, ſed ſoli DEO, adhibendo hunc Sanctum pro Mediatore, ut pro iſto ſpeciali honore, quem illi exhibemus, nobis à DEO id obtineat, quod petimus.

VI. Sed qualiſnam debet eſſe materia Voti? Qualis res, quam promittimus? Hoc eſt tertium. Primò debet res eſſe poſſibilis; debet eſſe, ut illam poſſimus facere, & obtinere. Neſcio, quid debeam dicere de imprudentia, qua certæ Virgines, non habitô, nec quidem mediô florenô de dote, & ſcientes, quòd abſque dote nullatenus ſint ſuſcipiendæ, nihilominus faciunt Votum ſtatum Monialium ſe velle profiteri; Erit illarum obligatio, dico ego, facere ex parte ſua, ut optimè poſſunt, ſuas diligentias: quodſi autem jam ſuas adhibuerunt diligentias, quieſcant, nec ſe multùm turbent, iſtud enim votum jam illas non obligat. Sed pariter votum debet eſſe de re bona & honeſta, non de re indifferente: ut eſſet, non tranſire per certam viam; niſi id ſit, quod hoc voveant ad evitandum in illa via aliquod periculum animæ; ſi res ità habeat, jam erit votum obligatorium, ſicut pariter

riter juramentum, ſi illud ſit ſolùm de re indifferente; nec votum tale, nec juramentum DEO factum, obligat. Et quidſi quis voveat aliquid facere, quod eſt peccatum? Si eſt peccatum mortale, peccat vovendo illud mortaliter, hoc cuivis patet: & quidſi quid voveat facere, quod eſt peccatum veniale? Etiam nihilominus, ut Suarez dicit tom. 1. de Relig. l. 5. de Voto, juxta meliorem & tutiorem ſententiam, eſt peccatum mortale, & ſpecies blaſphemiæ: quia eſt vel cogitare, vel dare ad inteligendum, poſſe aliquam culpam DEO eſſe gratam. Non itaque ſolummodo debet res eſſe bona illa, quæ vovetur, ſed etiam melior; id eſt: non ut jam ſit melior omnibus, quæ dantur, hoc non; ſed ut res, quam quis vovet, ſit melior, quam ejus contrarium: e. g. meliùs eſt orare, quàm non orare, meliùs eſt jejunare, quàm non jejunare; quapropter poteſt quis facere votum, quòd velit hoc vel illud orare, & quòd velit tali tempore, vel tali die jejunare.

Hæc itaque ſunt eſſentialia, & ſubſtantialia Voti, ut ſit validum, gratum DEO, & meritorium. Hinc itaque me interrogabitis: Pater, & quid de certis veſtibus devotionis dicis, cùm non ſit mulier, quæ ob aliquem dolorem capitis, ob unius diei febres, non promittat tales portare? Quid de iſtis dicemus? Ah Dominæ meæ, debéntne etiam introduci pro more & uſu res Religionis? Debéntne etiam inſervire profanitati actiones maximè venerabiles in Chriſtianiſmo? Debéntne etiam fieri materia vanitatis, fuci, mollitiei, deliciarum, & neſcio, an debeam tamen dicere, turpium, & fœdarum provocationum, illa, quæ adinvenit ſanctitas, mortificatio, pœnitentia pro meritis? Facere votum ſumendi habitum, ut poſtmodum fiat cum tali habitu novum embamma diaboli. Quid eſt hoc? ego bene ſcio, quòd ſimilia vota facere pro inſtrumentis ſerviat turpium fœditatum, & eſſe antiquum morem vilium meretricum. Ità hoc depingit Salamon Prov. c. 7. v. 14. & ſequentibus: *Victimas pro ſalute vovi, hodie reddidi vota mea*: Perſolvi certas novenas, dicit iſta effrons; feci votum, & veni, ut illud adimpleam, & hoc planè illo tempore erat, quando cogitabat implicare ſuis amoribus juvenem infelicem. Sed quòd in Chriſtianitate non ſolùm meretrices, ſed etiam aliæ mulieres, VII.

DEUM

DEUM timentes, faciant ex habitu, quem vocant devotionis, habitum forsitan damnationis; oh quo devenit noſtrum infortunium! Quòd jam videamus res ſacratiores noſtræ Religionis ità confuſas! Non ſufficit tanta profanitas, & luxus ornamentorum, de quibus pro nunc non loquor, ſed etiam volunt introducere, ut fiat ipſa profanitas materia votorum! Oh DEUS!

VIII. Verùm eſt, eſſe validum, & eſſe gratum DEO votum, quod ſit, aſſumere aliquem habitum honeſtum, decentem, & mortificativum in honorem Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ, vel alicujus Sancti; ſed interrogo: Mulier, ſi tu cum iſto tuo habitu te non diſtinguis à tua ordinaria profanitate alia re quàm colore, de habitu loquor, & non de minio, & vernice; ſi incedis cum iſto habitu ità gravata merlettis, vulgò Spitzen, ligulis, & gallonis, ut ſemper ſoles, quale eſt tuum votum? Mihi nihil aliud videtur eſſe, quàm palliata blaſphemia; hoc tu vis, ut DEO placeat? Compara iſtos tuos ſplendores, & tuum ſericum cum materia vili Sanctæ Thereſiæ; & vis, ut eadem paritas ſit utriuſque, dum dicis: Tuum habitum eſſe Sanctæ Thereſiæ? Tu feciſti votum portandi habitum Sancti Franciſci? éſtne iſte tuus ſericeus habitus, Sancti Franciſci habitus? itaque vel non adimples votum, quod feciſti, vel illud, quod votum dicis, eſt blaſphemia. O introductionem! O abuſum dignum magis authentico remedio, quàm ſit mea vox! Sed quid ego habeo, dicent mihi; Nunquid iſta vel illa incedit in habitu modeſto? Ità replicabat quædam talis ſuo Confeſſario in Gallia, ùt legitur in Chron. S. Franciſci p. 2. l. 4. c. 30. & in tantum eam commovit Confeſſarius, ut illa vel ex impatientia, vel ut contrita, diabolus à me auferat, dixerit, illud, quod de ſuo haberem: immediatè apparuit ibi certa nigra umbra, quæ ei abſtulit omnia ſua ornamenta, & fucos, & illicò exclamavit: Hoc tibi aufero, & mecum ſumo, quia iſta ſunt mea vexilla. Oh ſi iſta umbra aliquoties te invaderet, quam experireris, & cognoſceres, quòd quantumvis dicas te incedere ut Beatam, incedas ut damnata.

IX. Exiſtimo etiam ex alio capite quàm plurima peccata mortalia committi. Quanta facilitate promittunt mulieres nunc unam novenam, huic vel illi Sancto, nunc viſitationem Sancti Michaëlis

lis in Gargano, nunc ad Sanctum illum, vel illum locum peregrinationem? finitur anxietas, moleſtia, infirmitas, anguſtia, & promiſſio facta eſt prima res, cujus obliviſcuntur. Audientes me hic ſtabunt forſitan plures quàm duæ, quæ ante quatuor, vel ſex annos fecerunt talia vel ſimilia vota, & hucuſque illa non adimpleverunt. Si adfuit legitimum impedimentum, non eſt culpa; ſed votum ſubitò obligat ad ſui impletionem, quamprimùm commodè fieri poteſt; & ſi fieri poteſt, & non adimpletur, quantumvis in animo habeant illud adimplendi, peccant mortaliter, & expectent, & timeant caſtigationem: *Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere*, dicebat lex Deuteronomii cap. 23. v. 21. Ne tardes votum perſolvere, quia ſi tardaveris, faciet Deus, ut illud cum pœna ſolvas; *Quia requiret illud Dominus DEUS tuus*: & tota iſta tarditas eſt culpa: *Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* In vita Sancti Appiani Monachi, refert noſter Bollandus 6. Mart. l. 1. Quòd certus pauper informis, & diſtortus curaverit ſe portari ad templum honori ejus dedicatum, ibique ſalutem à Sancto inſtantiſſimè petierit, prout in neceſſitate ſimiles ſolent, & Sancto votum fecerit, promittendo, ſi hanc obtineret, ſe eidem ibi in ſuo templo ſerviturum per totum ſuæ vitæ reſiduum temporis ſpatium. Impetravit à DEO per interceſſionem Sancti, quod petierat immediatè, & jam ex templo exivit ſaltando præ gaudio. Determinavit quantocyus ſe in ſuam conferre Patriam, ut eum ſanum ſui viderent Parentes; petiit ab Epiſcopo licentiam, & hic illi dixit: Vide, hanc tuam non eſſe promiſſionem, nè te caſtiget Sanctus Appianus: Non, reſpondit, ego enim ſum promptus redeundi abſque omni dubio, ſervire illi totâ vitâ meâ; non plùs volo, quàm ut mei Parentes conſolationem habeant videntes me ſanum; tantum dixit, & Epiſcopus ei licentiam conceſſit. Diſpoſuit itaque ſuum iter; & die abitûs acceſſit Eccleſiam audire Miſſam, & vix Eccleſiam intravit, eô ipsô punctô cœperunt illum gravare præteritæ infirmitates ut antea, remanſit diſtortus, informis, & miſer, ità ut ſe de loco movere non poſſet. Ità caſtigant Sancti dilationes votorum, quæ illis facta ſunt.

X. Et quomodo caſtigabunt non ſolùm dilationes, ſed omnino omiſſiones Votorum? *Ruina eſt homini devorare Sanctos, & poſt vota retractare*; dicit Salomon in ſuis Proverbiis c. 20. v. 25. Perditio, ruina, & omne infortunium congregatur à tali ſupra proprium caput, qui contentus eſt ſolummodò devorare Sanctos; ità ſolemus dicere, & taliter etiam dicit textus: *Devorare Sanctos*: multas orationes maſticamus, multa oramus medietatem devorantes, facimus offertoria, facimus vota, & poſtmodum ea rumpimus; Oh qualis ruina! Oh quale infortunium! Meliùs erit non facere votum, ſi poſtquam factum fuerit, non adimpleatur: *Melius eſt non vovere, quàm poſt vota promiſſa non reddere*, dicit Spiritus Sanctus Eccleſ. 5. v. 4. Oh quot & quantas experientias poſſem referre in timorem negligentium! Innumerabiles caſtigationes inveniuntur ſupra hanc materiam in hiſtoriis Sanctorum.

XI. Sed cùm pro nunc deſit nobis tempus, claudo hoc exemplo breviter. Refert noſter Eruditiſſimus Theophilus: Quendam venatorem avium, qui ſerviebat cuidam Principi Galliæ, habuiſſe falconem tam dextrum in venando, ut quovis die eidem caperet ſex vel octo perdices, & cùm ex ipſo habuerit talem proventum, quiſque judicare poteſt, quantam falconis æſtimationem habuerit. Infirmatus eſt hic falco nemine ſciente cauſam morbi, & magis Domino, quàm falconi alæ ceciderant; videbat ad extremum, quòd eum perdere deberet, & nullum eum conſervandi remedium præ manibus erat. Dixit venatori tunc ſua Domina, ut votum faceret ad Sanctiſſimam Virginem de Valfiorita, Latin. de Valleflorente, cujus Imago in illis partibus erat ùt plurimùm miraculoſa, & quod tandem Magna Regina Cæli reconvaleſcere faceret ejus avem. Ille in hac anxietate promiſit Sanctiſſimæ Virgini ſe velle portare ad ejus templum facem ceream ponderis ſeptem librarum, ſi ſanitatem reſtitueret falconi. Exaudivit eum Magna Domina, eô ipſô momentô reſtitutus eſt falco ſanitati, & quidem tali modo, ut ſequenti die decem perdices prædatus fuerit: correſpondit in Domino jubilus tranſacto dolori; ſed ſecuta eſt oblivio adimpletionis voti. Advenit Sabbathum, dies, quo magno concurſu venerabantur Mariam Sanctiſſimam in illo ſuo Templo; reduxit in memoriam venatori ſua Domina, & eundem monuit,

nuit, ut portaret ad Templum facem, quam promiſerat: non eſt tanta neceſſitas, reſpondit ille, ut res tam citò fiat. Tranſivit hoc, & alterum Sabbathum; tertiô rurſus Sabbathô convenit eum ſua Domina de voto explendo monens, ſed ille ut plurimùm ſubridens, & jocando reſpondit: Domina, ad quid indigebit Sanctiſſima Virgo mea promiſſa face? Quid prodeſt tantæ Dominæ, & Magnæ Reginæ hæc res tam exigua? Quid? non, non indiget tantâ minutiâ; dum iſta ille diceret; ſedebat falco ſolitarius in arbore anguli aulæ; vocavit eum venator, volavit ille Domino ad manum, & in illa ſedens jam efferata avis infixit roſtrum illi per quatuor partes manûs, & cadendo ſubitò mortua eſt, reliquit venatori manum cum vulneribus ità contractam, ut nulla medicina potuerit unquam reſiduo toto tempore vitæ id efficere, ut manum contractam ultrà extendere poſſet. Oh quàm benè merita caſtigatio! perdat avem, qui ingratus eſt, & perdat manum, qui non perſolvit illud, quod Sanctiſſimæ DEI Genitrici promiſerat.

Ah manus erga DEUM contractæ! habere manus ad recipiendos à DEO favores, & poſtmodum retinere DEO promiſſa, ea non adimplendo? Tali modo totum perdetis: *Vovete, & reddite.* Multum poteſt apud DEUM votum; ſed poteſt multum pariter in ſuo furore, hoc ipſiſſimum votum, ſi non perſolvitur. Alacres igitur ſimus ad vota ſolvenda, ſi velimus, ut ſua Majeſtas nobis largiatur favores ſuæ benignitatis, & ſuccurſus ſuæ gratiæ. XII.

INSTRUCTIO XXII.

Quid ſit illud, quod debemus offerre DEO in Votis: qui ſint illi, qui Vota poſſunt facere, & quomodo ceſſet eorum obligatio?

Liberalem illum habere manum, poſuerunt pro titulo ei, qui fur eſt, & è contrario furem dicerem ego illum, qui dando id, quod aliorum eſt, vult lucrari nomen liberalis. Et ſi dare alicui illud, quod non eſt ſuum, non eſt donum, ſed furtum; non eſt vocandus liberalis in opere, ſed fur in veritate ille, qui in veritate aufert illud, quod cum mendacio donat; nulli honeſto I.

homini poſſunt placere ſimilia dona; Quomodo itaque eſſent DEO grata iſta furta? *Honora Dominum de tua ſubſtantia*; dicit nobis Salomon Prov. 3. v. 9. Honora DEUM illo, quod tuum eſt; ſi habes, ſis cum DEO liberalis, dicit in alio loco Spiritus Sanctus: *Fili ſi habes, bene fac tecum, & DEO dignas oblationes offer.* Eccleſ. 14. v. 11. Illa erunt dona digna DEO; illa, quæ de hoc, quod tuum eſt, nihil auferendo alicui alteri, illi offers. Furatus eſt quidam alveare, & occiſis apibus, mel devoravit, & factô globô ex cera, illum Sancto Gallo Abbati obtulit; Oh quàm pius, quàm liberalis oblator! Sed ubi pervenit ad Eccleſiam, dum extraheret ex pera globum cereum, ut eum offerret, invenit eundem converſum in lapidem duriſſimum; Talia ſunt dona ex alieno DEO facta; non dona, ſed lapides.

II. Et cùm votum ſit donum, quod DEO facimus, & ex illis donis, quæ Sua Majeſtas ùt plurimùm æſtimat; debemus illud DEO offerre ex eo, quod noſtrum proprium eſt, ut ſit illi gratum & acceptum donum noſtrum. Nunc jam hoc dicto, dixi, quinam illi ſint, & de quibus rebus, qui facere poſſint DEO aliquod votum. Illi, debent intelligi, qui tali voto non auferunt aliis illam authoritatem, & dominium, quibus legitimè ſunt ſubjecti. Volo, dicit filius familias, mulier, vel homo uxoratus, ſclavus (nè loquar nunc de Religioſo, de Parocho, quia iſti meipſum poſſunt inſtruere) loquor itaque cum illis, cum quibus debeo loqui, in meis Doctrinis Chriſtianis. Filiusfamilias non poteſt facere votum, quod opponatur dominio & authoritati, quam in illum habent ſui Parentes. Uxoratus vel maritata non poſſunt facere votum, quod contradicat obligationibus matrimonii; Sclavus non poteſt facere votum, quod illum tolleret ex ſervitio, quod ſuo Domino tenetur, quia hoc eſt furari, ut quid offeratur, hoc eſt auferre, ut aliquid dari poſſit. Eſt expreſſa doctrina Angelici Doctoris, conſpirat cum illo communis Doctorum, & hoc ipſum confirmant cum expreſſione Sacri Canones; Quòd id, quod DEO promittitur, debeat eſſe res, quæ ſit in noſtro poſſe, & in noſtra voluntate; hoc autem non habet, qui ab alio dependet. Sed ecce tibi, objiciunt mihi efficaciſſimum argumentum; Scimus, quòd nulla res ſæpiùs repetatur in Vitis San-

Sanctorum, quàm quòd Parentes Votum fecerint conſecrandi DEO ſuos filios in Religione: hæc vota erant DEO accepta, prout eventus demonſtrârunt, quoniam filii facti ſunt Sancti: ut eſt Sanctus Andreas Corſinus, Sanctus Angelus Carmelitanus, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & alii quàm plurimi. Imò, in Sacra Scriptura, Anna mater Samuelis, obtulit DEO cum voto, quòd, ſi filium ei DEUS daret, illum conſecrare vellet cultui, & ſervitio ejus in Templo. Nunquid eſt hoc facere votum de illo, quod eſt in voluntate aliena, & pendet ex voluntate filii? Quomodo ergo iſtud votum fuit DEO gratum, & obligatorium? Eſt tantum hoc votum, adjungo ego, ut ſi Parentes hoc votum rumpant, graviſſimè à DEO caſtigentur, ut plurima nos exempla docent. Certa Matrona Nobilis, quæ à quatuordecim annis erat maritata, & vixerat ſinè prolibus, fecit votum ad Sanctum Petrum Martyrem, quodſi ei impetraret à DEO filium, vellet illum Religioni Sancti Dominici dedicare, ut in hoc Sacro Ordine DEO deſerviret. Sanctus votum Matronæ ſecundavit, eidémque filium à DEO impetravit; naſcitur itaque intra annum tempore debito filiolus; & dum jam quaſi ſex menſium eſſet, pulcher & gratioſus, tenens illum certo die intra ſua brachia Mater, inter delicias, & jocos cum infantulo habitos, dixit ad filium: *Ut verum fatear, fili mi, ignoſcet mihi Sanctus Petrus Martyr, & non debes eſſe Frater Religionis.* Ex eo momento, acſi his verbis illi inſtillâſſet venenum, viribus defecit infantulus, & mortuus eſt intra paucas horas. Ah Patres! ah Matres! quæ tanta vi impeditis veſtris filiis ingreſſum Religionis, vel ob veſtrum reſpectum, vel ob veſtram vanitatem, vel ob veſtrum amorem ſtultum; DEUS vobis illos auferet, ſi non evenerit, quòd vobis in illis ipſis, & per illos ipſos daturus ſit majorem caſtigationem. Quomodo itaque procedit iſtud votum, cùm ſit, ſicuti eſt, voluntatis alienæ? Ego vobis hoc dicam: quia illud, quod in iſto voto offert, & promittit Pater, & Mater, eſt, non ſolùm non impedire filio ſtatum Religioſum, ſed cooperari ex parte illorum, & adhibere omnes diligentias, & media ad inducendum illum ad talem ſtatum, ad qualem ex voto ſuorum Parentum non eſt obligatus filius; ſed fiet obligatus, ſi, perveniendo ad uſum rationis, ille

per ſeipſum conſenſerit, & ſe ſubjicere tali obligationi voluerit. Ità Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. de Voto. Bonvin. diſp. 4. q. 2. x. de Voto cap. Licet. Avell. tom. 2. de 2. Præcep.

III. Itaque Votum, quod facit filiusfamilias, mulier, vir uxoratus, ſclavus, in illis rebus, quæ non opponuntur eorum ſubjectioni, eſt validum & obligatorium; ſed ſemper cum certa conditione: facio votum viſitandi Sanctiſſimum Crucifixum in Salerno, ſi meus maritus conceſſerit; facio votum adeundi hanc vel illam Eccleſiam per novem dies, ſi meus Dominus mihi dederit licentiam; & ſic, cùm qui poſſit, non contradicat, obligat votum, & debet adimpleri.

IV. Videamus jam nunc, quando votum ceſſat obligare: vidimus jam votum in materia gravi obligare ad impletionem ſui, & obligare ſinè dilatione, dum fieri poteſt, ſub peccato mortali. Attamen quomodo poſſunt dari rationes, quæ diſobligent? Ad hoc reſpondet cum diſtinctione, & ſua conſueta brevitate Catechiſmus: *Quantum ad vota, dic mihi quando eſt peccatum illa non adimplendo, vel procraſtinando?* Reſpond. *Quando non adeſt ratio, cur non adimpleantur, ex judicio prudentis Confeſſarii*; Quamobrem poteſt eſſe ratio vel non adimplendi votum, vel illud differendi? Nullum hac in re eſt dubium: Jam qualis erit iſta ratio? Poteſt eſſe ex quatuor cauſis: Primò, ceſſat iſta obligatio, ſi res quam vovisti, fiat impoſſibilis: Secundo, ſi ceſſet finis principalis, ob quem factum eſt votum: promittit aliquis dare eleemoſynam alicui determinatæ Virgini pauperi, quia videt in periculo eſſe ejus pudicitiam ob paupertatem; hæc interim iniit matrimonium, & jam habet media, quibus ſe poteſt ſuſtentare; itaque ultra hoc votum illum non obligat: Tertiò, ſi res quam vovisti, fuit honeſta, poſtmodum autem fiat mala, vel indifferens, vel quæ impedit facere ultra rem DEO gratam, ceſſat pro tunc, ceſſat obligatio voti, quod non poteſt obligare ad rem malam, nec indifferentem, nec quando impedit aliud majus bonum, quia nihil horum poteſt eſſe DEO gratum. Plus ultrà: Quando in adimpletione voti obvenit aliqua gravis difficultas, vel mutatio, quam ille non prævidit; gravis dico, & quam non prævidit; vovit aliquis jejunium omnibus diebus Sabbathi; hoc jejunium malè ipſi conducit, &

ex-

exinde erit ipſi graviter damnoſum, jam tunc non obligat votum, ſicuti in ſimili non obligat Præceptum. Sic itaque ex parte materiæ poteſt ceſſare obligatio voti.

Ceſſat etiam & finitur, ob unam de tribus rationibus: vel quia iſtud votum irritat, qui poteſtatem habet, vel quia illud commutat, vel quia in illo diſpenſationem accipit. Incipiamus ab irritatione, quæ hìc non ſignificat commotionem ad iram, vel choleram, prout vulgariter ſoletis dicere; Non: irritare votum eſt auferre voto totam obligationem ſuam per illum, qui habet Authoritatem dominativam ſupra perſonam, quæ votum fecerat: Primò talis eſt Pater reſpectu ſuorum filiorum, cum hac tamen diſtinctione; nimirum vel filius fecit votum ante decimum quartum ætatis annum, vel filia ante duodecimum ætatis annum? vel poſt annos iſtos fecerunt? Si fuit votum factum ante hos annos, ſit illud votum, qualecunque velit, etiam Religionis, vel caſtitatis, Pater poteſt illud irritate. Et quomodo illud irritabit? dicendo ſolùm, ſe non velle, ut illud adimpleat; hoc eſt irritare votum, non conſentire in illud, ſi Pater contradicat, & in defectu Patris, vel per mortem ſublati, vel per infirmitatem ſtultitiæ impediti, vel ob abſentiam longam alibi morantis poteſt illud irritare avus, vel tutor, vel in defectu horum, mater, vel avia, vel in horum defectu, magiſter; Omnem iſtam amplitudinem concedunt Doctores attendentes ad defectum maturitatis, quo factum eſt votum in illa ætate. Poſſunt igitur iſti irritare votum, ſit illud qualecunque, factum in hac ætate, etiamſi filius jam excreverit, & ſit in ætate majori. Sed ſi jam poſt decimum quartum annum filius, & poſt duodecimum filia, fecerunt aliquod votum, hic eſt neceſſarium loqui cum diſtinctione: quia pro tunc Pater, vel in defectu illius, tutor, ſolummodo poteſt irritare illa vota, quæ facta ſunt circa res domeſticas, in quibus, & de quibus omnino filius non poteſt diſponere, & illa alia, quæ opponuntur bono gubernio & directioni; ſed reliqua alia vota, quæ prædictas materias non tangunt, ut eſt vel orare, vel jejunare, vel fieri Religioſum, &c. hæc non poteſt Pater irritare. Secundò: Dominus Poteſt ſimiliter irritare ſclavo ſolummodo illa vota, quæ poſſunt obeſſe ſervitio, vel illud diſturbare, non autem alia, V.

quæ

quæ hoc non disturbant. Tertiò: Maritum, non deest, qui dicat, posse irritare omnia vota suæ uxoris, exceptis reservatis Summo Pontifici; Nihilominus est sententia securior, & communior, quòd ità maritus suæ uxoris, ut uxor sui mariti, unus alterius, possit irritare illa vota, vel quæ se opponunt usui matrimonii, vel quæ impediunt bonum regimen, curam, & attentionem filiorum, & familiæ. Oh quàm bonum punctum! Tali modo, Dominæ meæ, etiamsi aliqua vestrûm feciset votum, quòd velit omni die remanere in Ecclesia per quatuor, vel sex horas, vel se in oratorio includere suo, cum dispendio rei domesticæ, si maritus hoc nolit, non obligat vos istud votum, & si votum factum DEO non obligat vos tali modo, quomodo placebunt, & gratæ erunt illæ horæ DEO vestri oratorii, cum perditione domûs, Prolium, & familiæ dispendio? Oh DEUS! utinam hoc intellegerent, & exemplum caperent jam à pluribus hac in parte devotissimis illusis; Sed redeamus ad cœptum: Quamobrem Dilectissimi, quantumvis maritus faceret votum peragendi quavis nocte per duas horas orationem, & se flagellandi, si uxor huic rei non consentiat, sed contra protestetur, quia illis horis vel illius consortio carere non potest ob timorem aliquem, ut fœminæ sunt timidæ, vel illa sola non potest, vel non est sufficiens gubernandi, & coërcendi familiam, jam non obligabit maritum istud votum. Quòdsi votum tam sanctum cesset ex eo, quòd uxor reclamet, adire per totas noctes lusum, vel diabolica conventicula frequentare, vel choreas ducere, & domum relinquere, filios, & servos: Oh DEUS! & quales? Cur hoc non cessabit? & quare hæc res de medio non tolletur? Hac de causa itaque respondi quondam alicui mulieri, quæ mihi dixit: Pater ego feci votum adeundi aliquo die Virginem Sanctissimam de Arco, & quamvis potuerim illuc ire, meus maritus non concessit: Mulier, tu es libera à tuo voto, non vellem enim, ut propter hoc tuus irritetur maritus. Sed attende: dic ex parte mea tuo marito, cùm ipse non velit, hoc est clarum, quòd hac in parte non sit defectus in te, ob unum diem, quo abesses, non caturam domum; sed vel ob suam miseriam, nè cogatur dare expensas pro quatuor candelis, vel ob suam avaritiam, nè quid minùs eveniat suo negotio, vel ob alium finem,

nem, quem ille ſcit; dic ei, me dicere, quòd illic experietur, & videbit apud Beatam Virginem, & debitas dabit pœnas; tu autem remanes libera. Ità ergo ceſſat obligatio voti per irritationem illius, qui poteſtatem id habet faciendi.

Secunda ratio, quæ eſt Commutatio, eſt multò clarior; VI.
per iſtam non tollitur obligatio voti, ſed commutatur in aliam rem. Vovit quiſpiam jejunare in Sabbatho, jam eſt ipſi onerosum jejunare, licèt poſſit; quia ſi non poſſit, jam dixi, quòd liber remaneat; ſed quantumvis poſſit, petit à Confeſſario commutationem voti. Ad hoc Bulla Cruciata ſufficit, qui illam habet, ſit votum qualecunque, exceptis illis tribus reſervatis, Caſtitatis, Religionis, & Viſitationis Sacrorum Locorum in Jeruſalem; his exceptis tribus, omnia alia vota poteſt illi commutare Confeſſarius ratione Bullæ, vel qui illam non habet, ratione alterius privilegii vel facultatis, quam habet. Commutat itaque Confeſſarius antiquum votum, & locò jejunii aſſignat illi recitandum omnibus diebus Sabbathinis Roſarium Beatiſſimæ Virginis MARIÆ; iſta itaque eſt commutatio, & hanc poteſt facere quilibet per ſe ipſum ſibimet ſed cum diſtinctione; quodſi enim Confeſſarius facit commutationem, poteſt illam facere in aliquod bonum opus æqualiter bonum; ſed ſi quis per ſeipſum vult commutare ſuum votum, debet eſſe, dicunt Doctores, in aliquod aliud opus, quod notabiliter ſit melius; quia, ſi ego promiſi alteri determinatum annulum ex Smaragdis, & dem illi ex Adamantibus, nullum eſt dubium, quòd alter annulum talem libenter ſit accepturus; ſed ſi ego promiſi ex Smaragdis, poſtmodum illi dem ex Rubinis, poteſt eſſe, quòd illum ſit recuſaturus, illum verò quem promiſeram petiturus.

Bonum exemplum & ad caſum: Narrat illud Surius in vita San- VII.
cti Georgii; Certus miles promiſit Sancto Georgio Martyri ſe illi equum daturum ſuum, ſi felicem reditum ei ex bello à DEO impetrare dignaretur. Ivit, & ſalvus reverſus eſt, & ſanus. Ex una parte ſe ſentiebat obligatum ſuo voto, quia agnoſcebat magnos favores, quos illi exhibuerat Sanctus Martyr; ex altera parte, amabat ùt plurimùm ſuum equum, & nolebat illum perdere. Quid facit? mittit in burſam viginti ſolidos aureos, quæ erat

ſumma illa, quæ equus æſtimabatur, & equitat in ſuo equo ad Eccleſiam; deſcendit, intrat, gratias agit Sancto Martyri eò, quòd eum de tot, & tantis liberaverit periculis, & poſtmodum ponendo burſam cum ſolidis ſuper altare, dicit: Sancte mi, tu ampliùs non eges meô equô, ego autem bene eo egeo; hic tibi relinquo ejus pretium, & concede mihi, ut eum mecum reducam; hoc facto exit ex templo, ſaltat ſupra equum; at equus acſi ligneus foret, non movebatur, quantumcunque eum calcaribus urſiſſet. Eja, dixit deſcendendo, Sanctus non vult; intrat Eccleſiam, & ponit ſuper altare alios decem ſolidos auri; Sancte mi, dicit, eſto cum hoc contentus, ecce jam tibi do tantò plùs, & ſine me abducere meum equum; exit denuò, & equus nihilominus manet ſtans acſi lapideus eſſet: intrat tertiò, ponit Sancto alios decem ſolidos, nihilominus tamen ſinè motu remanet equus. Rurſus intravit, & exivit faciendo propalam, dicamus hoc ſic, uſquedum poſuiſſet Sancto ſuprà Altare ſexaginta ſolidos auri: Et tunc videndo equum moveri, dixit Sancto cum lepiditate: Sancte mi, hoc eſt verum, quòd pro commodo pretio facias favores, ſed ut verum fatear, vendis cariſſimè equos: nunquam ampliùs fiet, ut à te alium emam equum.

Tertia ratio, unde omnimodè ceſſat obligatio voti, eſt diVIII. ſpenſatio. Diſtinguitur iſta ab irritatione in hoc; quòd illi, qui irritat votum, ſufficiat habere aliquod dominium naturale, temporale, vel politicum ſupra perſonam, quæ votum fecit; Diſpenſatio autem eſt poteſtas ſpiritualis, conceſſa à Vita noſtra Chriſto JESU noſtro Patri Sancto Petro, & in illo, ſuis Succeſſoribus. Habent itaque Reverendiſſimi Epiſcopi hanc poteſtatem ordinariam diſpenſandi in omnibus votis ſuorum ſubditorum, exceptis quinque, quæ ſunt reſervata Summo Pontifici: nimirum, votum caſtitatis, votum Religionis, & tria vota viſitandi vel Jeroſolymam, vel Reliquias Sanctorum Petri, & Pauli Romæ, vel Sancti Jacobi Compoſtellæ. Plura dicerem, ſed tempus mihi nimis breve eſt: in reliquo ad Confeſſarium nos remittit Catechiſmus; & ut nullus præſumat interpretari ſua vota juxta ſuam voluntatem, audite ſequentem eventum.

Nar-

Narratur in Chronicis Sancti Franciſci, quòd in certa civi- IX.
tate Provinciæ Toſcanæ quidam civis Nobilis & dives, habuerit filiolum, & in eo repoſitas omnes ſuas delicias, & omnes ſuas ſpes; ſed vidit illas quàm citiſſimè tabeſcere; ſiquidem acceſſa gravi peſte, arreptus ab illa filiolus, incipiebat, nullo præ manibus exiſtente remedio, jam mori; & pater, nè cogeretur videre morientem, acceſſit Conventum Sancti Franciſci ibidem triſtia præſtolaturus novalia, & proſtratus ante hujus Seraphini terreſtris Imaginem, cum lacrymis, & ſuſpiriis orando pro vita ſui filii, fecit votum, ſe illum DEO conſecraturum in ſua Religione, ſi Sanctus ei impetrare vitam dignaretur. O prodigium! illo hìc faciente votum, Sanctus eodem tempore reſtituebat vitam filio; quamobrem dum ille exſpectabat nuncium de morte filii, advolant ſervi nunciantes: Domine, Domine, veſter filius jam ſanus factus eſt; quid dicitis? jam ſurrexit ex lecto. Currit pater totus anxius domum, invenit rem ſic ſe habere, & repletur lætitiâ. Sed immediatè inter ſe cœperunt pugnare in corde patris amor filii, & obligatio voti facti: ex una parte hoc illum trahebat, & ex altera ille retinebat; vellet votum adimplere, & vellet, filium ſecum remanere. Et quid facit? unam commutationem vel interpretationem, quam illi dictavit ſuus ſtultus amor, & quam illi propoſuit, ut cæco, ſuum deſiderium. Meum votum, dixit, quod feci, fuit offerendi meum filium Sancto Franciſco, imponendo illi habitum Sancti; Itáne? itaque ſi hoc faciam, adimpleo votum. Curat fieri in ſua domo habitum Sancti Franciſci, duxit filiolum ad Eccleſiam, & ibi eum Sancto obtulit, & illicò cum illo domum redit, & habitu prædicto eum exuit; hoc peracto, dixit, jam voto ſatisfeci; pulchra pro certo ſatisfactio! ille ut plurimùm manſit, & vixit tranquillus, ſed exinde multùm eſt ad iram provocatus Sanctus Franciſcus, ſiquidem intra paucos menſes, dum dies primarum Veſperarum Sancti adveniſſet, mortuus eſt pater, qui ſperabat, & credebat ſe longiſſimo tempore filiolô fruiturum: anno ſequenti mortuus eſt eadem die filius Sancto Franciſco ſacra, ſub veſperis; & ſola unica filiola, quæ adhuc reſidua erat, mortua pariter eſt in feſto Sancti Franciſci ſub veſperis anno ſequente. O Seraphine amoroſe, itáne ſcis iraſci?

X. Benè itaque intelligatis, & vobis notate Dilectiſſimi, hoc experimentum, ut tenentes verbum DEO, quod illi dedimus in voto, non ſit ille favor, quem nobis fecit, pignus in noſtram caſtigationem, ſed, ſi illi correſpondeamus, conſequendi pignus æterni præmii in gloria.

INSTRUCTIO XXIII.

Tertium Præceptum.

Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices.

De ſignificatione, & de Profectibus Spiritûs, qui nobis ſe inſinuant etiam tantùm ex ſolo Nomine Miſſæ.

I. UNicum ſolùm verbum eſt hodie tota noſtra doctrina; & quis crederet, unicum ſolùm verbum poſſe eſſe tanti emolumenti, ut ſcire illud proloqui, dico plùs, ut ſcire pronunciare ſolùm unam literam illius, exinde non minus pretium dependeat, quàm vita? Et ſic fuit. Celeberrimum eventum aſſigno ex Scriptura Judic. 12. Fugitivi Ephratæi diſcurrebant, ut poſſint effugere manus Jephte ſupremi Generalis populi DEI; quapropter ratione ſuæ fugæ cogebantur tranſvadare Jordanem, & in vado Jordanis erant deprehenſi; ſiquidem ibi poſuerat vigilias ex Galaaditis Jephte, veniebant illuc illi de Ephraim; ſed cùm eſſent omnes unius Nationis. Hebræi omnes, etiamſi loquerentur unam linguam, diſtinguebantur tamen in pronunciatione; & quid faciunt Galaaditæ ad diſtinguendos Ephratæos? Veniebant iſti, & petebant tranſitum; Non, dicebant Galaaditæ, tu Ephratæus es? non ſum, negabat alter: exſpectes itaque, pronuncia hoc verbum: *Scibboleth*, quod pronunciabant per c. illi de Galaad, Ephratæi autem reſpondebant *Sibboleth* per s. quia hoc verbum neſciebant alio modo pronunciare, & ſic ex pronunciatione unius literæ cogniti, jugulabantur in ipſo Jordanis tranſitu; & in veritate ob unicum verbum, & unicam literam, jugulata ſunt quadraginta duo hominum millia.

Uni-

Unicum itaque verbum, non tantùm pronunciatum, ſed bene intellectum, poteſt afferre animæ profectus, qui plùs quàm mille vitæ valeant. Et ut verum fatear, ſi me ponerem ad iſtas portas hujus civitatis, & quemvis intrantem, interrogarem: quid vult dicere, & quid ſignificat hoc verbum *Miſſa*? neſcio, an omnes mihi poſſent reſpondere; Ego autem non vellem illos confundere; idcirco alibi ſolent dicere de illo, qui nihil ſcit, illum neſcire Miſſæ medietatem; & certum eſt, quòd de pluribus quàm de duobus, qui gloriantur ſe multùm ſcire, poſſemus dicere, illos ex integro de Miſſa nihil ſcire. Oh improperium pro Catholicis! Sapiens æſtimatur multùm, intelligendo æquivoca; curioſus defatigat alium mille interrogationibus, ut ſolùm unum poſſit intelligere verbum; Studioſus animô angitur, ut memoriæ mandet unicum vocabulum; eruditus ſe conſumit in acquirenda certa notitia; & illud, quod plùs eſt, unus ſcurra apprehendit, & ſtudet, ut bene poſſit uti in occaſione nugis ridiculis, vel proverbiô lepidô; & Chriſtianus non deberet ſcire nec intelligere nomen tam ſanctum, quod toties omnibus diebus in omnium ore repetitur, & ſuprema in ſe complectitur Myſteria? In Gallia, juxta relationem noſtri Lobezii tom. 5. in Aſp. Sacer. c. 7. Accedens propius Hæreticus ad certum Catholicum, illum interrogavit: *Quid vult dicere hoc verbum Miſſa?* Remanſit hic mutus, neſciens vel unicum hæretico reſpondere verbum, & magno riſui hæretici expoſitus perſolvit ſuam ignorantiam maxima ſui confuſione, & pudore, irridendo illum maledictus blaſphemator, quòd nec ſic intelligerent nomen illius rei, quam ut plurimùm æſtimat, & ut plurimùm veneratur Catholica Religio. II.

Aggredimur jam Tertium Præceptum: *Sanctificabis Feſta*; ſed antequam incipiamus explicare compendium hujus Præcepti, neceſſarium eſt, ut in memoriam revocemus immenſitatem inventionis Divinæ, cujus recognitionem hoc Præceptum nobis intimat. Siquidem, quis non videt fore ſummam improbitatem coarctare nos, ligatos nos ut plurimùm ad illud, quod ſolummodo eſt obligatio; quando DEUS pro nobis ſparſit omnes ſuas infinitas inventiones amoris ſui; dum nullum poſuit terminum mirabilibus ſuæ ſapientiæ, & theſauris ſuæ potentiæ. Et cùm aſſiſtere Miſſæ, ſit prima obligatio III.

noſtra die feſto, aggredior explicare in iſta, & ſequentibus Inſtructionibus illud, quod poterit aſſequi mea ignorantia de hac actione excelſiſſima, ſuprema, ſublimiſſima ſupra omnes alias, quaſcunque exercet noſtra Catholica Religio, cultu ſupremo, quem poſſumus exhibere veræ Divinitati, oblatione gratiſſima, quam poſſumus offerre Beatificæ Trinitati, de hoc compendio omnis puritatis, omnis ſanctitatis, & omnis gratiæ; omnia enim hæc abbreviat, & compendiat in ſe Sacroſanctum Sacrificium Miſſæ, & importat tantum, ut faciamus omnes debitum conceptum de hoc Divino Sacrificio, ut hac de cauſa Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 22. c. 8. mandet, ut explicetur Fidelibus ſpeciatim ejus valor in tantum ſupra omnem ponderationem inæſtimabilis, ut non ſit, nec eſſe poſſit ſuper terram, nec etiam in cælo oblatio, quæ oculis DEI ſit jucundior, nec magis potens percipiendi à ſua Majeſtate omnia beneficia. Incipio itaque hodie ſolùm de ſignificatione hujus nominis *Miſſa*, quia etiam ipſo nomine nos invitat ad aſſiſtendum ei, attentè, ad eam frequentandam, fervoroſè, & ad effectus lucrandos devotè.

IV. Hoc nomen *Miſſa*, eſt tam antiquum, ùt Eccleſia, quantumvis blaſphement impii, quantumcunque latrent ſacrilegi hæretici ſacramentarii, illud in uſu ſemper habuerit; nam cùm claudant aures ad hiſtoriam Eccleſiaſticam Baronii, inſignis Cardinalis, qui anno trigeſimo quarto Redemptoris affirmat, quòd hoc nomen *Miſſa* docuerint Romanos Apoſtoli Sanctus Petrus, & Paulus; & illos qui erant Jeroſolymis Chriſtiani, illorum primus Epiſcopus Apoſtolus Sanctus Jacobus, obdurati maneant; interim certa eſt hæc veritas ex plurimis antiquis Conciliis; & Summis Pontificibus; relinquendo alias, ſufficit Authoritas Sancti Clementis Papæ, Diſcipuli fortunati Sancti Petri Apoſtoli, qui in ſua tertia Epiſtola facit mentionem hujus nominis *Miſſa: Non igitur Miſſas ſinè conſenſu Epiſcopi quiſquam Preſbyterorum agat.*

V. Attamen quoad ſignificationem ſunt ſibi oppoſiti Doctores Catholici, aliqui credunt eſſe nomen Latinum, & alii nomen Hebraicum. Referam ſenſum omnium, quia relictis eorum controverſiis, quælibet ſignificatio hujus verbi nobis offert ſuccum pietatis, & profectûs. Miſſa, dicit Magiſter ſententiarum, ità voca-

vocatur à verbo Latino *mitto*, quod ſignificat mittere. Vocemus itaque hoc nomine iſtud Supremum Sacrificium Altaris, quia tunc mittit DEUS ex cælo, non ſolùm unum Angelum, qui præſidendo Sacrificio, eſt ille, qui per ſuas manus illud portat ad cælum, ut illud offerat Æterno Patri; ſed, ut adjungunt Sancti, quia tunc à DEO miſſæ deſcendunt cohortes Angelorum ad Altare; qui Angeli reverentes aſſiſtunt, obſequioſi ſerviunt, & proſtrati adorant illud Divinum Sacrificium. O confuſionem noſtræ tepiditatis, Catholici! O pudorem noſtræ incuriæ! O exprobrationem noſtri tam exigui fervoris! *Per id tempus*, dicit Sanctus Chryſoſtomus, *& Angeli Sacerdoti aſſident, & Cæleſtium Poteſtatum univerſus Ordo clamores excitat.* Quando in Miſſa ſuſpenſi Angeli inter attentiones aſſiſtunt attoniti, nos ſtamus diſtracti vilibus curis terrenis; & ſinè dubio locutus eſt ex ſua experientia Chryſoſtomus, quando quidem de illo refert Sanctus Nilus, quòd ſemper, dum ſe conferebat ad celebrandum, viderit Eccleſiam totam plenam Angelis. Sanctus Gregorius Magnus nobis dicit: Quis poterit dubitare, quin ad celebrationem tam alti & ſupremi Sacrificii, cæli non aperiantur, deſcendendo ad laudandum ſuum Regem illi cæleſtes Aulici? *Quis fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, & Angelorum Choros adeſſe?* Sanct. Greg. lib. 4. Dial. c. 58. Et locutus eſt extra dubium ex propria experientia, ſiquidem dicendo Miſſam die Paſcatis iſte Magnus Pontifex in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris, ad prolationem horum verborum: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, reſpondit illi Angelus clara, & ſonora voce, ut omnes audierint: *Et cum Spiritu tuo.* Et ab hinc remanſit mos, quòd ſemper dum in illa Eccleſia dicit Miſſam Summus Pontifex, illi ad hæc verba non reſpondeat Chorus. Non eſſet finis referre id, quod in Miſſa meruerunt videre Animæ Sanctæ: Sancta Brigitta videbat audiendo Miſſam iſtos cæleſtes Spiritus per aërem volantes tot, quot atomos. Sancta Catharina Bononienſis, dum finita Præfatione in Miſſa pulſaretur ad *Sanctus*, audiebat cantare Choros Angelicos harmonia tam dulci, ut inter ſupremas delicias jam ſibi videretur ſtare in gloria. Jam qualis eſt noſtra reverentia, dum cæleſtes Spiritus ſtant inter nos ità attoniti? Et quantò ſunt majores

jores illorum inter ſe præeminentiæ, tantò ſe humiliores demonſtrant: Angeli Majeſtatem Divinam, ùt Eccleſia cantat, laudant: *Majeſtatem tuam laudant Angeli*; Dominationes, quæ ſunt Superiores Angelis, proſtratæ adorant: *Adorant Dominationes*; idcirco Poteſtates, quæ hos, & illos tranſcendunt, ut eos etiam in reverentia tranſcendant, ſe congregant, timent, tremunt: *Tremunt Poteſtates*; jam vocibus horum cæleſtium Spirituum in Miſſa conjunguntur noſtræ orationes, & preces: *Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, deprecamur*; Qualis eſt fervor, quo illas peragimus? Quanta devotio, & quanta puritas, ut poſſit aſſociari Angelis? Jam hujus nobis memoriam ingerit hoc nomen *Miſſa*, quod in iſta ſententia vult, dicere: Miſſa eſt miſſio Angelorum, quam facit Æternus Pater, ut aſſiſtant, & ſerviant Supremo Sacrificio Altaris.

VI Sed Angelicus Doctor Sanctus Thomas, & Seraphicus Sanctus Bonaventura, cum aliis intelligunt hoc de duplici miſſione: de cælo ad terram, & de terra ad cælum. De cælo ad terram, de illa demiſſione indicibili, de illa humilitate inexplicabili, qua DEI Filius obediens voci Sacerdotis, ſe demittit ex ſupremo Throno ſuæ Divinitatis, ad ponendum ſe eô momentô ſub ſpeciebus Panis & Vini, ut poſtmodum de terra ad cælum nos illum mandemus ut noſtrum Legatum, qui componat cum ſuo Patre pacem; ut noſtrum Advocatum, qui in Divino nos defendat Tribunali; & ut noſtras literas recommendatitias, quæ temperent apud Patrem Æternum omnes ſuas iras. Oh quale motivum ad accenſiſſimum fervorem, ſi non eſſet noſtra Fides ità ſopore obruta! Si Filius DEI hodie rediret in mundum viſibilis oculis corporeis, quæ ſors, quæ fortuna eſſet illum videre, cum illo tractare, illi ſervire? Ecce hunc ipſiſſimum habemus in Miſſa; & quantò meliùs vident oculi Fidei, dicebat Sancta Thereſia, præ oculis corporeis? Quid faceres Anima, ſi in elevatione Hoſtiæ videres ibi Filium DEI viſibilem oculis corporeis? facerem, mihi dices, illud, quod alter Sanctus Sacerdos Plegillus, qui videndo in Hoſtia Dominum in forma pulcherrimi Infantis, totus liquefactus in lacrymas, ut alter Simeon, excipiendo illum inter ſua brachia, non ſatiabatur oſculando illam carnem puriſſimam,

exar-

exarsítque in flammas ſuus amor. Facerem, dices mihi, illud, quod quondam Sancta Lidwina, quæ videndo in Hoſtia illum Crucifixum, & ſanguine manantem, ità extra ſe rapiebatur ſenſibus, & movebatur ad compaſſionem, & amorem, ut videretur jam animam exhalare præ exceſſivo ardore ſuorum affectuum. Facerem, dices mihi, illud, quod Beata Angela Fulginienſis, quæ videndo illum in Hoſtia in forma venuſtiſſimi & formoſiſſimi Juvenis, ut Regem coronatum, & in ſuo Throno collocatum, attonita præ Majeſtate, manſit muta, & impotens vel unicum proferendi verbum. Et totum hoc eſt id, quod tu vides oculis Fidei: *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum manducas*, dicit tibi Sanctus Chryſoſtomus; Nunc dic mihi, ubi ſunt tui fervores? dic mihi, ubi eſt tua fides? cùm hoc tibi etiam in memoriam revocet hoc nomen *Miſſa*. Eſt donum inæſtimabile, quod nobis facit Æternus Pater dando nobis ſuum proprium Filium, & eſt pariter donum, quod nos ipſi tranſmittimus, in quo illi offerimus ipſiſſimum proprium ejus Filium.

VII. Alii cum noſtro Cardinale Bellarmino intelligunt hoc nomen juxta morem antiquum Eccleſiæ. Sicut, dicunt, in Latino idem eſt *Collecta*, quod *Collectio*; ità pariter eſt idem *Miſſa*, quod *Miſſio*. Significabat itaque dimiſſionem Catechumenorum, dum perventum fuit ad Offertorium, quia ſolùm uſque ad Offertorium poterant aſſiſtere, qua de cauſa uſque ad illud vocabatur Miſſa Catechumenorum; & inde remanſit poſtmodum mos amandandi Fideles finitô Sacrificiô, dicente Diaconô: *Ite Miſſa eſt*: quod eſt, acſi dare eis licentiam, & illos domum mittere, & ab hac antiqua cæremonia ſumpſit nomen Miſſæ totum Sacrificium; Ideò etiam in hac ſignificatione inſtruimur, quòd aſſiſtere Miſſæ, ſit actus, quo diſtinguimur ab illis, qui omnino non ſunt Chriſtiani; ſed in quo monſtramus nos diſtingui, cùm Fides noſtra dormiat, ſi pietatis obliviſcamur, & ſi attentionem diſtractio pervertat?

VIII. Alii ergo derivant iſtud nomen ab Hebræo *Maſſach*, quod vult dicere: *Panis Azymus*; quia hunc elegit Dominus ad ſe ponendum ſub ejus ſpeciebus, & ut ejus candor nos recordari faciat noſtræ ſineeritatis, & noſtræ puritatis: *In Azymis ſinceritatis, & veritatis*, ùt nobis dicit Apoſtolus 1. ad Cor. c. 5. In Ger-

mania, refert Cæsarius lib. 4. Dial. c. 65. dum quidam Sacerdos Missam dicere voluisset, avolavit illi ex patena Hostia; videbatur id ei factum esse per contingentiam, posuit super patenam eandem Hostiam, & ista ut priùs avolavit; etiam & hoc sibi casu accidisse cogitabat; reponit illam tertia vice, & hac tertia vice avolavit Hostia in partem magis distantem: hæsit aliqualiter attonitus Sacerdos, consideravit Hostiam attentiùs, & invenit in Hostia esse vermem, qui cum illa pistus erat. Ah corda verminosa! ità DEUS etiam in materia hujus Sacrificii, puritatem zelat.

IX. Alii pariter ab Hebræo hoc nomen deducunt clariùs, & plausibiliùs. Missa, dicunt, derivatur à voce *Missach*, quod significat oblationem spontaneam, oblationem voluntariam: Hæc intelligitur, quæ sola meretur nomen oblationis, in qua ipsemet Filius DEI est victima; illa, quæ sola plùs valet cum infinitis excessibus, quàm valeant omnia unita Sacrificia, quotquot oblata erant DEO in utraque lege, naturæ, & scripta; illa inquam, quæ sola fuit, & dedit valorem Sacrificiis, quotquot fecerunt antiqui Sacerdotes, & Patriarchæ. Oblatio voluntaria, in qua totus DEI amor cifratur, & in qua omnes subtilissimæ inventiones DEI comprehenduntur. Sed de hoc commodiùs loquar alibi.

X. Ultimò tandem hoc verbum *Missach*, significat etiam ex Hebræo *Sufficientiam*; quia omnia, ad quæ se potest extendere nostrum desiderium, quidquid potest petere nostra natura, & quidquid potest esse necessarium nostræ miseriæ, omnia hæc habemus in Missa. Carolus IX. Rex Galliæ, fecit ostentationem suæ Magnificentiæ, donando certum unionem pretiosissimum, qui in sua extremitate habebat incisam hanc inscriptionem: *Qui me possidet, nullius eget.* O vanitatem! de solo Missæ Sacrificio potest veraciter dici: *Qui me possidet, nullius eget*; vel hoc dicatur de divitiis animæ, vel de adjutoriis corporis; contra seipsum conqueratur, qui tali thesauro pro suo commodo nescit uti, nec commodum exinde trahere; & tales audiant hoc sequens exemplum.

XI. Refert noster Hautinus quendam pauperem operarium habuisse hanc devotionem, quòd priùs solitus fuerit omni die audire Missam, antequam forum accessisset, ut ad operas conduceretur. Surrexit ille oppidò citiùs quadam vice, útque agnosceret, non esse

esse suum laborem, sed suam propriam devotionem, id, quod eum alebat, venit illi animus forum priùs accedendi, & differendi postmodum auditionem Missæ; sed immediatè sensit, feliciorem illum esse, cui DEUS adjutorio est, præ illo, qui summo manè surgit; siquidem, quantumvis stetisset in foro longissimô spatiô temporis, nullum invenit, qui eum ad laborem conduxisset. Itaque cogitabat intra se, quid restat faciendum? Eh! ibo, & audiam Missam; ivit ad templum, & nescio quo fervore eum impellente, solito diutiùs se in Ecclesia detinuit; exivit tandem aliquantò tardiùs, in forum rediit, sed jam in vanum, quia nullus ampliùs illum convenit, qui ei aliquem laborem daret, aut ejus operâ egeret. Et jam absque lucro redibat domum cogitabundus, & mœstus; & ecce tibi obviavit illi homo dives, optimus ejus notus, qui ad primam interrogationem immediatè intellexit causam suæ tristitiæ: Vides, dicit ei, quòd ego non habeam, in quo te occupare possem; sed vade ad Ecclesiam, mane ibi, & audi Missas, oráque pro me illo tempore, quo deberes laborare, & ego tibi tuam mercedem solvam. Ecce immediatè eo, respondit alter. Vadit ad Ecclesiam, & petitam devotionem peragit, jámque Vespere appropinquante, accedit divitem pro sua mercede: hic ei punctualiter, quod promiserat, exolvit, & erat pro tunc merces ordinaria duodecim cruciferi, & libo panis; Operarius totus consolatus cum hoc, quod acceperat, in suam redibat domum; & ecce sic redeunti obviat quidam Senex Venerabilis, qui dum cuncta ex eo percunctatus esset, & omnia resciviſſet; Redi, dixit illi, & dic illi homini, quòd tibi hucusque id non persolverit, quod tibi debet; ut tibi majorem tribuat mercedem, vel si id facere noluerit, pessimam experietur sortem. Redivit ille cum sua legatione, audivit illam dives non scio quali timore, & illi addidit alios quinque cruciferos: ibat hic, & rursus illi obviat ipsissimus Senecio; redi, dicit illi, & dic huic homini, quòd tibi plùs debeat; hac secunda vice cum hoc nuntio tantum incussit diviti timorem, ut sinè omni replica ei centum cruciferos persolverit, à quo ille lætissimus discessit. Illa ipsissima nocte apparuit nostra Vita Christus JESUS illi diviti, in tribunali sedens cum vultu plurimùm severo,

ro, & poſt exprobrationem tuarum graviſſimarum culparum, illi dixit: Ecce ſcias, ſi iſte pauper hodie pro te Miſſam non audiviſſet, hac nocte ſinè omni dubio, & remedio fuiſſes condemnatus ad pœnas inferni æternas; conſidera, & vide, an id, quod illi debes, ſit multum. Dixit, & diſparuit. Et quot aliis, qui hoc non ſciunt, forſitan hoc ipſum contigerit! Quot? ratione Miſſæ quam audiunt, habebunt bona temporalia, quibus fruuntur? & quot bona æterna animæ?

XII. Cùm itaque nos omnia bona in Miſſa habeamus, comitemur, & imitemur in illa Angelos in puritate, aſſiſtamus huic tremendo Sacrificio taliter, ſicut ille, qui videt in perſona præſentem noſtrum DEUM oculis Fidei, ut lucrari poſſimus per tam Divinum Sacrificium viſionem illius, revelata facie per lumen fortunatum gloriæ.

INSTRUCTIO XXIV.

De Admirabili, & Divino Miſſæ Sacrificio.

I. INcludere totum cælum in uno annulo, ponere in circulo unius digiti machinam cæleſtium globorum, & abbreviare in annuli gemma totum motum ſphærarum, celebratum fuit olim rationabiliter pro maximo artis prodigio: *Magni artificis eſt totum clauſiſſe in exiguo*, dicebat Seneca. Talis fuit ille annulus, in cujus gemma fuit incluſa machina horologii cum rotis abſque defectu vel unius, indice deſignabat, & ſonabat regulari campanulâ horas in manu Magni Imperatoris Caroli V. ità ſinè mole, ità ſinè moleſtia, & impedimento, ut potuerit dici, illum portare totum cælum in uno digito. Gloria artis hæc eſt maxima abſque omni dubio; ſed Oh! quàm repreſſam illam facit fabrica unius formicæ; quàm victam ſe confitetur ad texturam unius muſcæ. O DEUS! qui ità te oſtendis maximum in minimis, exclamabat attonitus humilis Franciſcus: O! ut relucet Magnus in paucis DEUS! Sed qualem ſe oſtendit DEUS in ſuprema exuberantia ſuæ ſapientiæ, in applicatione maxima ſui Brachii omnipotentis, dum non ſolùm nobis cælum abbreviat, in Sacro Sancto Miſſæ Sacrificio, ſed

ſed cum illo nobis ponit compendiatum totum infinitum, contractum totum immenſum, totum DEUM in uno parvulo circulo, & omnes abyſſos ſuarum perfectionum in una hoſtia, ut ità remaneret ſemper infinitè obligatus noſter Amor, quaſi ſic nobis dat illud ipſiſſimum, quod ipſi offeramus pro noſtra unica diſobligatione; & cùm hoc totum habeamus in Miſſa, intelligamus, & percipiamus hoc bene, ut ſciamus lucrum exinde trahere.

II. *Quid eſt Miſſa?* quodſi ſolus cortex hujus nominis nobis jam dedit tantum ſuccum pro noſtro ſpiritu; qualis erit interior dulcedo tam Alti Miſterii? *Miſſa?* reſpondet Catechiſmus verbis definitis à Sacro ſancto Concilio Tridentino Seſſ. 22. cap. 1. *eſt Sacrificium, quod fit à Chriſto, & repræſentatio ejus vitæ & mortis. Et cui fit hoc Divinum Sacrificium? Æterno Patri.* Stabilitô itaque, ut veritate Fidei, Miſſam eſſe verum Sacrificium, & unicum, & ſolum, quod nobis reliquit noſtra Vita Chriſtus JESUS in Lege Gratiæ, quo fruimur, quia illud ſolum cum infinito lucro complectitur omnem perfectionem, quam figurabant omnia antiqua Sacrificia legis naturæ & ſcriptæ, remanent nobis tria puncta explicanda: quid hoc velit dicere, quòd Miſſa ſit Sacrificium? Cui illud offerimus? Et quid eſt illud, quod offerimus?

III. Non omne illud eſt Sacrificium, quod hoc nomine vocamus; quia etiam opera, quæ magna æſtimamus, ut eò majorem apparentiam habeant, & ut ea magìs extollamus, illa vocamus Sacrificia. Ità dicimus, illum facere magnum Sacrificium, qui ſe DEO conſecrat in Sacra Religione; qui cum patientia ſuffert pro DEO, vel gravem dolorem, vel mortem, *Quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Sap. 3 v. 6. Et ſic in iſta impropria ſignificatione nominavit David Sacrificium cor contritum: *Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus.* Pſal. 50 v. 19. Vocavit Sanctus Paulus Sacrificium eleemoſynam: *Talibus enim hoſtiis promeretur DEUS.* ad Hebr. 13. v. 16. Et ità omnia opera virtutum, quia omnia conſecrantur DEO, poſſunt laxè vocari Sacrificium. Nihilominus tamen in ſua propria, & rigoroſa ſignificatione, illud, quod intendunt cum Sancto Thoma omnes Theologi, eſt, quòd Sacrificium ſit oblatio exterior legitimè inſtitutâ authoritate ſuprema, quam ſolùm DEO offerimus in ſignum noſtræ humilis ſubjectionis, & in proteſtationem abſoluti, Supremi, & Altiſſimi Dominii, quod

DEUS habet in omnes res; & ideò per deſtructionem, vel mutationem illius, quod illi offerimus, confitemur illum eſſe Dominum vitæ & mortis; & quod, ſicut ex ſolo ſuo velle pendet eſſe omnium creaturarum, ità ſolo ſuo velle poſſit illas omnes in nihilum redigere. Hoc eſt verum, quòd adoratione recognoſcamus in DEO ſuum abſolutum Dominium; nihilominus tamen, quoniam per illam nihil ei offerimus, non eſt Sacrificium ſola adoratio. Illud eſt verum, quòd ut Domino abſoluto porrigamus multas oblationes, Templorum, Altarium, & aliorum Sacrorum Ornamentorum, ſed quia iſtæ remanent, prout illas facimus, & damus, ſinè mutatione; non ſunt omnes oblationes Sacrificia, quantumvis omne Sacrificium ſit oblatio. Etiam & hoc verum eſt, quòd incenſum, quod offerimus in Altari, conſumatur, & evaporet in recognitionem noſtræ ſubjectionis, & in proteſtationem ſupremi Dominii DEI; de cujus manu noſtræ pendent vitæ; Nihilominus tamen hoc in lege gratiæ non eſt amplius Sacrificium; quia ſolum unicum *Sacrificium* nobis inſtituit Vita noſtra Chriſtus, quod eſt illud ſui *Sacroſancti* Corporis, & Sanguinis; cùm omnia jam reliqua *Sacrificia* abſque valore reliquerit, quæ erant hujus figuræ, & umbræ; Et ſic incenſum, quod in Miſſa offerimus, ſolummodo eſt ornamentum, quod ſervit huic maximè ſtupendo *Sacrificio*, & quod nobis ob oculos ponit, quomodo in ſe liquefacta debeant verſus *DEUM* noſtra volare corda. Fuerunt itaque *Sacrificia* ab exordio mundi, tributum, quod ipſamet natura dictavit in recognitionem, vel veræ Divinitatis, vel apprehenſæ; ità ut ab hac recognitione Supremi Dominii non fuerint excuſati nè quidem maximè Barbari, dixit Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Civ. cap. 4. *Nulla fuit gens tam barbara, quæ non ſacrificavit iis, quos vel putavit, vel finxit eſſe DEOS.*

IV. Et cùm jam nos habeamus cognitionem Veri DEI, cùm huic *Supremo* Domino, huic Regi Maximo, huic abſoluto Patrono, ut ipſamet Lex Naturæ nobis dictat, debeamus perſolvere aliquod tributum, quod dignum ſit ejus Magnitudine, quæ eſt infinita, ſit pariter correſpondens noſtræ obligationi, quæ eſt immenſa; Quale tributum poterimus illi perſolvere, quod eſſet dignum tantô Monarchâ *Supremô*? Intuemini omnes creaturas, & nec in aliqua

qua ex iis, nec in omnibus simul unitis invenietis oblationem, quæ digna sit poni ob oculos illius, qui est Dominus omnium. Ex altera parte, si nostras obligationes debemus illi numerare omnium instantium nostræ vitæ, omnium respirationum, cujusvis membri nostri corporis; quali tributo possimus correspondere huic Regi Divino? Froton IV. Rex Daniæ, victis Saxonibus, donavit eis vitam, attamen sub conditione, ut illam solverent suo tributo; & primo posuit eis tributum supra quodvis caput, postmodum aliud tributum supra quamlibet partem corporis, siquidem cùm totum istud, dixit, ego vobis dem, donando vitam, vos mihi debetis pro quovis membro solvere distinctum tributum. O DEUS meus! quid itaque erit illud, quod tibi debemus? *Ecce totum me debeo pro me facto, quid addam jam, & pro refecto*? dicebat totus in affectus solutus Bernardus. Si me totum, quantus sum, si totum, quantum habeo, debeo meo Domino, quia dando mihi esse, mihi totum dedit? Quid mihi remanet, quo possim persolvere secundum, & quidem multò meliùs esse gratiæ? O abyssus obligationis! si esses cæcus, quid dares illi, qui tibi visum restituerat? Si te videres contractum, & membris captum in lecto jacentem, quid dares illi, qui tibi usum pedum & manuum redderet? si te videres jam in puncto mortis sinè omni remedio, quid dares illi, qui tibi vitam restitueret? Cùm itaque his omnibus obligationibus simus DEO obstricti, quale tributum ei persolvemus?

V. Ecce istud omnino est illud, quod habemus, unde solvere possimus, in Missa; in hoc ad amussim habemus, unde DEUS honoretur à nobis tantum, quantum meretur sua infinita Majestas, & unde correspondeamus tali modo, qui æquivalet omni nostri obligationi; Ipsissimus Filius DEI est ille, qui transubstantiando se sub speciebus Panis & Vini, est oblatio, est victima, est tributum, qui in protestationem Supremi Dominii DEI se offert pro nobis, paratus perdere illud esse Sacramentatum, quod ibi per consecrationem acquirit; & ista oblatione Divina, & hac mutatione prodigiosa, quali ipsemet Filius DEI perdit illud esse Sacramentale, in defectu specierum Panis & Vini, actu humilitatis maximè stupendæ, protestetur loco nostrûm suo Æterno Patri

tri ſuam Divinam Superioritatem. Hac de cauſa eſt Miſſa Sacrificium Excelſiſſimum, quô nos miſeri correſpondemus noſtræ immenſæ obligationi; & cùm talem illam debeamus agnoſcere, nisi bruta ſimus, quomodo non quæremus ſemper maxima ſolicitudine hoc Divinum Sacrificium: in quo totum infinitum capitale Chriſti JESU Vitæ noſtræ, noſtrum fit, ut habeamus, unde ſolvere poſſimus? De illo celebri charitativo Telonario narratur, quòd, ubi nihil ampliùs ſupererat, ut elargiri poſſet, ſeipſum in ſclavum vendiderit, ad id, ut inter pauperes totum ſuum poſſet diſtribuere pretium. Sanctus Paulinus ſeipſum captivum fecit ad redimendum ex captivitate cujusdam pauperculæ viduæ filium. Sed quid unum, & alterum exemplum habet comparationis cum ipſomet Filio DEI, qui omnibus diebus ità innumerabilibus vicibus nobis ſeipſum dat, totô novô & pulcherrimô modô noſtrum ſe facit, ut tantô valore, quantô valet Filius DEI, poſſimus perſolvere nos miſeri tributum Æterno Patri, quod illi debemus? Quomodo itaque ô DEUS meus, & Vita mea, nos exſolvemus hanc tenerrimam tuam inventionem? Quid diceremus, ſi illic illi pauperes, vel illa vidua non voluiſſent aſſiſtere, vel aſtitiſſent cum peſſima voluntate contractui, in quo unus ſeipſum vendebat pro illis in ſclavum, & alter remanebat captivus? Sed ecce qualiter non pauci cum peſſima voluntate aſſiſtunt Miſſæ, ubi tamen ipſemet Filius DEI ſeipſum nobis dat, ut ſuo toto valore divites effecti, poſſimus perſolvere DEO noſtra imponderabilia debita? Quintus Terentius, Senator Romanus, prout narrat Livius lib. 10. de Bell. Pun. quia à Scipione Africano redemptus fuit ex captivitate, in qua fuerat apud Carthaginenſes, nullum alium modum invenit demonſtrandi Scipioni ſuam gratitudinem, quàm ut intraret in Scipionis triumpho Romam ut captivus, & ad pedes ejus inter alios captivos incederet. Ah quomodo nos non aſſiſtemus cum gratitudine illi, qui ſeipſum nobis dat in pretium, quô perſolvamus noſtram ſtrictiſſimam obligationem?

VI. Hoc itaque Sacrificium, hanc obligationem Divinam, hoc tributum, quô recognoſcimus noſtram humillimam ſubjectionem, & quô proteſtamur DEI ſupremum, & abſolutum dominium, nos offerimus Æterno Patri; & ſic, quantumvis ſoleant dicere, quòd dica-

dicatur Missa Beatissimæ Virgini, huic vel alteri Sancto, debemus intelligere, quòd nec Sanctissimæ Virgini, nec alicui Sancto, offeratur Sacrificium, sed solùm illi, qui est Dominus absolutus totius universi; interpellamus tamen vel Sanctissimam Virginem, vel Sanctum, de quo Missa dicitur, pro nostro speciali Intercessore, ut nobis à DEO id impetrare dignetur, quod petimus per illum specialem honorem, quem illi facimus: ità nos instruit Sancta Mater Ecclesia, dum orat: *Ut illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

VII. Sed jam: Quid est illud, quod offerimus Æterno Patri, offerendo illi suum Filium in isto supremo Sacrificio? Oh DEUS! hic expeto, O animæ Christianæ! vestram attentionem, hìc omnes vestras ponderationes, & hìc omnem vestram teneritudinem. Quantus fuerit honor, & gloria, quam illi obtulit Sanctus Vincentius Ferrerius, qui convertit ducenta quinquaginta millia Judæorum, centum & octoginta millia Maurorum? Quantus fuerit honor, quem fecit DEO Sanctus Franciscus Xaverius, qui baptizavit unum millionem, & ducenta millia animarum? Quantus fuerit honor, quem obtulerunt DEO omnes duodecim Apostoli, & septuaginta duo Discipuli, qui sparserunt lumen Fidei per totum mundum? Ecce totus iste honor unitus, nec quidem infinitâ distantiâ appropinquat honori, qui offertur DEO in una sola Missa. Adjungamus itaque aliquid plùs: Quantus erit honor, quem fecerunt DEO, spargendo suum sanguinem, dando suas vitas, inter tam atrocia tormenta, tot milliones Sanctorum Martyrum? Quantus honor, quem illi exhibuerunt tot Sancti Confessores, & Virgines, vel lacerati pœnitentiis, & mortificationibus, vel consumpti jejuniis, vel ardentes, & extatici in contemplatione fervorosa? Nihilominus tamen non assequitur totus iste honor illum, qui in unica sola Missa DEO offertur. Adjungamus, & accumulemus adhuc plùs: quantus erit honor, quem tot millia, & millia Angelorum fecerunt Divinæ Majestati sinè cessatione, vel unico momento, illam laudando? Quantus ille, quem omnes Beati uniti illi faciunt nunquam cessando illum amare amore beatifico, & in supremo gradu intenso? Et supra hæc omnia, quantus erit honor & gloria, quam DEO dedit MARIA Sanctissima,

vel in terra tot & tantis meritis, quot inſtantibus reſpiravit, & vel in cælo exceſſibus gloriæ, quæ ſuperant omnes creaturas? Totus tamen & omnis iſte honor, etiamſi totus in unum coaleſceret, etiamſi multiplicarentur adhuc tanti, prout modò in cælo ſunt, Beati, & adhuc tanti milliones millionum: etiamſi accreſcerent multi milliones creaturarum, quarum quælibet eſſet in tantum abyſſata in perfectionibus, quantum MARIA Sanctiſſimâ; omnes tamen non attingerent unquam honorem & gloriam, quæ offertur DEO ſolùm unius celebratione Miſſæ. Et ratio hujus veritatis non minùs eſt de Fide; quia cùm ſit ipſiſſimus Filius DEI illud, quod offertur in Miſſa ut victima Sanctiſſimæ Trinitati, omnes honores, laudes, & gloriæ, quas poſſunt offerre omnes creaturæ unitæ, per totam æternitatem, non attingunt, nec unquam æquare poſſunt unicum ſolum actum amoris Chriſti JESU Redemptoris noſtri, qui dignificatus à ſua Divinitate, iſte ſolus actus eſt valoris, & pretii infiniti. Quantum itaque erit hoc Sacrificium, in quo non unus ſolus actus, ſed totus Chriſtus ſe humiliat, ſe offert, & adorat Sanctiſſimam Trinitatem in omnibus, quantum illa eſt adorabilis, & illi offert honorem tam infinitum, qui adæquatur toti immenſitati ſuæ Magnitudinis.

VIII. Idcirco etiam jam Beati adorant, & reverentur iſtud Divinum Sacrificium; Venerabilis Pater Petrus Saavedra ex noſtra Societate, ſemper dum audiret Miſſam in ſepulchro Sancti Diegonis de Alcala, ad elevationem Hoſtiæ audiebat rumorem intus in tumba, argumentando, quòd Sacrum corpus Sancti ſe elevaret ad adorandum Dominum. Et Beatus Frater Mauritius Ungarus Dominicanus, dum illi celebrarentur Exequiæ, & Sacrum ejus Cadaver poſitum fuiſſet in medio Capellæ majoris, ad elevationem Hoſtiæ cum tremore, & admiratione omnium, aperuit oculos, & illos in Hoſtiam defixit; poſtmodum illos clauſit, & dum Calix elevaretur, rurſus illos aperuit, & ſecunda vice poſtmodum illos clauſit ſubitò, relinquendo circumſtantes attonitos. Neapoli, ubi in quadam ampulla cuſtoditur modicum ſanguinis Sancti Stephani Proto-Martyris, quamvis iſte durus ſit ut lapis, ſi ponatur ad Altare, ubi Miſſa legitur, ſub Miſſa liquefit, coloratur, & bullit, acſi eſſet calidus. Plùs, Midelburgæ cùm conver-

versa fuisset per stupendum miraculum una particula consecrata in carnem recentem & pulchram, post alia mirabilia patrata, dum transferretur processionaliter in civitatem Colonien sem, ut collocaretur in suo celebri reliquiario, in introitu ad Ecclesiam, vidente toto concursu populi, omnes Reliquiæ variorum Sanctorum, quæ erant expositæ in Altari, sinè admotione cujuspiam manûs, se retraxerunt, relinquendo disoccupatum principalem locum illi, quam videbant intrare sui Supremi Regis. Non stitit in hoc miraculum, sed ubi jam fuisset collocata, redierunt omnes illæ, exhibere illi pluribus vicibus profundam inclinationem. Sed quid multum, quod taliter omnes Sancti se prosternant ad sui Domini præsentiam, si ipsamet Regina omnium Sanctorum MARIA Sanctissima, descendit usque adeò ex suo Throno ad serviendum humiliter in supremo Sacrificio? Ità ipsam vidit Beata Beneventa Dominicana: Vidit dico, audiendo Missam, illam descendere comitatam ab Angelis cum profunda humilitate, & veneratione servientem Sacerdoti, & dantem postmodum per suam manum pelvim cum aqua illis, qui se communicabant, cuivis illorum exhibebat reverentiam inclinando caput. Oh animæ! si itaque sic huic Sacrificio supremo totum cælum se submittit, quis ex nobis erit, qui non procuret participationem exhibendi DEO honorem tam infinitum? vel dicendo Missam, vel curando eandem dici, vel ei asistendo, & audiendo eandem cum devotione? Lucrabimur pro certo, quantum ex parte nostra est, istum thesaurum immensum, si ad initium Missæ præsentes ex toto affectu cordis nostri, ad hunc Thronum Supremum Sanctissimæ Trinitatis, illi obtulerimus debitô modô corda nostra integra.

O Supreme DEUS! & Domine absolute omnium creaturarum! optimè video, & cognosco, quantæ sint obligationes, quas debeo tuæ immensæ liberalitati; cùm autem mea paupertas tam summa sit, meum esse in tua præsentia nihil sit, ecce hìc Domine, tibi præsento tuum ipsissimum Filium, tam verum DEUM, sicut tu ipse es; omni, & toto ejus pretio, quod infinitum est, tibi infinitè correspondeo; quantum teneor & debeo; cum toto DEO, qui est meus Fidejussor, meus Sponsor, tibi mea porrigo debita; & quandoquidem tibi non potest displicere IX.

ista oblatio tui Filii, totum meum cor conjungo, & unio ejus infinitis meritis, omnia mea desideria conjungo valori ejus Sacratissimi Corporis & Sanguinis, & totus quantus sum, tuus sum, & me tibi consecro cum tuo Filio ad tuum honorem, ad tuam laudem, & ad tuam gloriam.

INSTRUCTIO XXV.

Qualiter supremum Sacrificium Missæ sit simul representatio cruenti, & tenerrimi Sacrificii Crucis?

1. GIgas sopore oppressus excitavit in antiquitate omnem admirationem; prostratus ille in terra, extulit supra se plùs quàm Giganteos applausus, & clausis oculis ad somnum, fecit alios habere apertos ex integro oculos ad attentionem. Idea fuit Timantis, Pictoris magni nominis, depingere sic sopore oppressum Cyclopem, demonstrantis suô penicillô, quòdsi Gigas in pedibus erectus stetisset, nullus inventus fuisset, qui quantitatem altitudinis ejus mensurare præsumpsisset; in terra extensus, nec quidem sic habebat calculum exactum, qui sufficisset suæ vastitati. Et idcirco ità protenso in somno Giganti, appinxit circa eum multos pigmæos, qui certâ mensurâ soliciti, & diligentes erant in eo dimensurando, incipientes eum à pedibus mensurare, quantumvis rem festinanter peragerent, tamen non poterant usque ad caput pervenire; bene ficta & depicta exaggeratio, sed solùm depicta. O Catholici! quantum habemus, quòd stupeamus hodie in una imagine viva, in effigie animata, & in una pictura, quæ nobis ob oculos ponit suum ipsissimum Originale: istud est Sacrosanctum Missæ Sacrificium; est Copia, quæ nobis in memoriam reducit ipsissimum Originale Divinum, quod nobis dat; est Imago, quæ nobis repræsentat ipsissimum Christum, & est simul ipsemet Christus, qui in hac imagine se nobis repræsentat. Sed cur sic, cùm ipsemet Christus sit illud, quod in Missa habemus, vult totus pariter esse simul sui ipsius repræsentatio, & Imago? Scitisne quare? ut ità videamus, an possimus mensurare immensitatem ejus

tene

teneritudinis, & amoris erga nos. Arripite itaque manibus mensuram Crucis, & attendite Dilectissimi mei, an hac ipsa Cruce possitis mensurare magnitudinem infinitam hujus Gigantis DEI, quando maximè humiliatus, quando maximè excruciatus, & contusus stat in illa pro nobis, non jam sopore oppressus, sed mortuus. O *JESU* Vita meæ vitæ, & quis erit, qui ex quantitate Crucis possit mensurare, quanta fuerit amoris tui magnitudo! Nani, pigmæi, hoc in passu remanent altissimi Seraphini. Ecce ista mensura sinè mensura teneritudinis, & amoris DEI in passione & morte est illa, quam nobis repræsentat; est illa, quam nobis in memoriam reducit ipsemet noster Redemptor in isto suo incruento Sacrificio, ut sic agnoscat nostra debita gratitudo, quanta sit sua strictissima obligatio.

Hoc itaque est illud, quod nobis pro hodie remansit in tribus verbis responsionis antè factæ. *Missa*, insinuavit nobis Catechismus, *est Sacrificium, quod fit à Christo:* hucusque explicavimus: Jam adjungit: *Et repræsentatio ejus vitæ, & mortis*; ità ut, cùm sit ipsemet Christus ille, qui in realitate, & verè se offert pro nobis in Sacro Sancto Sacrificio Altaris, sit repræsentatio, qua nobis in memoriam reducit Sacrificium, quod pro nobis obtulit in Cruce; unum, & alterum est à nobis attendendum. Confitetur, & adorat nostra Fides, quòd sit ipsissimus Filius DEI ille, qui in Missa se offert pro nobis; idcircò simul nostra memoria debet habere ad conspectum illius gratitudinem, & amorem in illo Sacrificio sanguinoso, in quo pro nobis se obtulit, ponendo suam vitam inter tam terribilia tormenta. Et ità cùm sit ipsemet Christus, ille, qui se in Altari offert, est etiam repræsentatio, imago, & effigies suiipsius, prout se obtulit in Calvario. Ista memoria est illa, quam à nobis quærit in compensationem tam indicibilis teneritudinis, & amoris: Hanc rememorationem nobis intimat pro hostimento beneficii tam infiniti: *Hoc facite in meam commemorationem.* II.

Priùs igitur antequàm ulteriùs progrediamur, audio jam mihi à vobis proponi dubium, & est, quòd copia, vel effigies sit res semper distincta à *suo originali*; Effigies Regis non est ipse Rex; III.

jam, ſi Sacrificium Miſſæ eſt repræſentatio, & effigies illius, quod Chriſtus Dominus obtulit pro nobis in Cruce; quomodo poteſt eſſe in Miſſa ipſemet Chriſtus illud, quod offertur? hoc eſſet, eſſe Chriſtum copiatum à ſe ipſo. Ità eſt, nec hac in re eſt ullum dubium; & me explico per hoc exemplum: Producitur aliqua Comœdia, quæ intitulatur: Maximus actus Heroicus Imperatoris Caroli V. eſt hæc comœdia ex integro hiſtoria illius generoſæ renunciationis, quam fecit, renunciando coronæ, & Imperio, ut eò meliùs ſe ad mortem præparare poſſet. Producatur itaque nunc iſta Comœdia: & quid eſt hæc productio? Ego interrogo: eſt repræſentatio illius, & nil ultra, quod iſte Imperator fecit: Hoc eſt verum; ſed ſubjungo: & ſi iſte Imperator pro nunc viveret, & ille ipſemet in ſua perſona vellet prodire, & ſuam partem repræſentare; ſi hoc ſic faceret, eſsétne iſta ſolummodo repræſentatio? Non, ſed unum & alterum haberet, eſſet repræſentatio, & eſſet realitas: realitas, quia adeſſet ipſemet Carolus V. in ſua perſona, ille qui exiret; & repræſentatio, quia ille ipſemet repræſentaret eam heroicam actionem, quam priùs fecerat. Attendite nunc, & advertite.

IV. Maximus actus Maximi Imperatoris Cæli eſt ille, quem in Miſſa nobis repræſentat ille ipſemet. Talis & tantus fuit amor noſtri DEI, ut ponderant graves & magni Patres, quòd ſicut manſit pro noſtro remedio per tres horas pendens in Cruce, ſi neceſſarium fuiſſet pro remedio noſtro, manere in illa ità acclavatum ſinè ceſſatione, vel unico momento à cruciatibus uſque ad finem mundi, hoc feciſſet; ſed quia hoc nec fuit neceſſarium, nec conveniens diſpoſitioni Divinæ Providentiæ; quid fecit hic Amans Divinus, ad ſatisfaciendum ſuo amori? Adinvenit iſtum modum prodigioſum, per quem poſſet remanere nobiſcum in terra, continuare omni inſtanti in Sacrificio Altaris illud admirabile Sacrificium Crucis; ſed tali modo, ut, cùm jam mori non poſſit, repeteret, & renovaret ſuam teneritudinem, & inventionem amoris, repræſentando ſinè ſparſione ſanguinis, hoc ſanguinoſum Sacrificium. Taliter itaque Dilectiſſimi mei, eſt in Miſſa ipſiſſimus Chriſtus, ille, qui in realitate ſe offert, prout ſe obtulit in Cruce; idcircò eſt etiam repræſentatio, quia nobis in memoriam revocat

vocat, tormenta, dolores, ſanguinem, & mortem, quam ibi paſſus fuit; in Sacrificio Crucis ſe obtulit pro nobis perdendo vitam; hoc pariter repræſentatur *in Sacrificio Altaris*, perdendo, non jam vitam, quam amplius non poteſt perdere; ſed eſſe Sacramentale, quod ibi acquirit. In Cruce per ſeipſum ille fuit Sacerdos, qui ſe obtulit DEO Patri; jam hoc repræſentat in Altari, offerendo ſeipſum de novo, ſed per manus Sacerdotum. O repræſentationem admirabilem, quæ ità unitur, & conjungitur ſuæ ipſiſſimæ realitati, cùm ſit in Cruce, & in Altari una eadémque victima, ipſemet Filius DEI; qui pro nobis ſeipſum offert, ſolummodo diſtinguitur per admirabilem modum, quo in Altari ſe nobis repræſentat! *Una enim eadémque eſt Hoſtia*, dicit nobis Sacroſanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 22. c. 2. de Sacr. Miſſæ, *idem nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.*

V. Jam itaque, Dilectiſſimi mei, ſi videndo repræſentari Fabulam, aut aliquam fictionem, vel aliquod mendacium in comædia, abſque omni noſtro lucro, vel diſpendio, vel nos movet ad pietatem infortunium, vel irritamur ad choleram ob injuſtitiam, vel nos lætificat bonus exitus intricationis, vel condolemus malo ſucceſſui, cùm tamen in ſubſtantia totum hoc ſit deceptio, mendacium, & fabula; quales ſunt noſtræ cogitationes, qui noſtri ſenſus, Catholici, dum videmus oculis noſtræ Fidei, & aſſiſtimus huic repræſentationi ſupremæ, quâ in Miſſa nobis repræſentatur Actus maximè lacrymabilis, cui ſimilem nunquam viderunt, nec poſthac viſura ſunt ſæcula? Dum monſtratur nobis Tragædia ſanguinoſiſſima, quæ horrore implet uſque adeò ipſos cælos? Mors maximè terribilis Principis Excelſiſſimi, qui mortuus eſt in Cruce, ut nos viveremus? Quales ſunt ergo noſtri ſenſus, videndo hanc repræſentationem prodigioſam, in qua nobis tantum poſitum eſt? Quem amorem damus pro tali teneritudine, & inventione amoris? Quam gratitudinem pro tali beneficio? Quam compunctionem, quam compaſſionem, & quos animi affectus pro tantis, & talibus injuriis? & quas lacrymas cordis pro tali morte? Idcircò ô DEUS! quàm ego timeo, quòd nec quidem ſimplicem memoriam harum rerum habeamus. *Quot* & quanti audiunt Miſſam, qui nec quidem minimam memoriam faciunt

mor-

mortis Filii DEI, quam nobis Missa repræsentat? Ah repræsentatio suprema, quæ non refers de cordibus hominum nec quidem id, quod de eisdem refert una comœdia! De quodam magno, & famoso Comœdo, nomine Polo, refert Gellius lib. 7. c. 5. quòd, cùm eidem fuisset mortuus filiolus, quem ille extremè amabat, postmodum occasio se ei obtulerit repræsentandi Athenis Tragœdiam; prodiit foras exhibendo personam cujusdam, qui portabat ossa Orestis ad propriam matrem in una urna, & faciendo sermonem ad matrem, recordatus est sui proprii filioli mortui, commotus ad dolorem, & lacrymas, quæ debebant esse tantùm fictæ, sparsit ità veras, & tali affectu, ut totum Auditorium ad lacrymas commoverit. Ah quantò majori ratione commoveret nos ad spargenda flumina lacrymarum istud Divinissimum Sacramentum, si vivificando fidem attenderemus, & interrogaremus nos ipsos: Quæ mors est ista, quæ mihi hìc repræsentatur? Nunquid est illa Filii DEI, quam pro me sustinuit? pro mea salute? ideò mortuus est, ut ego vivam? ut ego salver? & hac de causa, tali modo, & talia passus est? Hæc cogitatio erat illud, quod Sanctum Philippum Nerium faciebat madefacere Corporalia tam exuberantibus, & abundantibus lacrymis, ut necessarium fuerit ea mutare; Hæc cogitatio erat illa, quæ Margaritam Reginam Hungariæ, quamdiu elevabatur Hostia, faciebat prorumpere in pluviam continuam lacrymarum; Hæc cogitatio erat illa, quæ innumerabiles Sanctos faciebat prorumpere in affectus tenerrimos, & in sensus amorosissimos; & hæc est cogitatio, qua vult, ut correspondeamus, Christus nostra Vita in Missa, ei pro tam indicibili teneritudine, & inventione amoris. Festo die Sancti Michaëlis audiendo Missam Beata Angela Fulginiensis, petiit à Sancto Archangelo, ut sibi præsentaret suum Dominum in Hostia, in illa forma, in qua Æternus Pater vult, ut illum honoremus; exaudivit illam Archangelus, & dixit ei: Vide hic Dominum, prout petiisti; & elevando oculos, vidit illum in hostia coopertum plagis, & sanguine, Cruci clavis affixum. Ità vult Majestas Divina, ut nostra teneritudo sit attenta; Hæc erit devotio in auditione Missæ gratissima Divinis oculis; habere illum præsentem in nostra mente, & cogitatione cum viva consideratione hujus Sacratissimi Sacri-

crificii, in quo pro nobis miſerrimis ſparſit ſuum Sacratiſſimum Sanguinem in Cruce.

VI. Ut itaque nobis clariorem faceret hanc ſupremam repræſentationem ſuæ mortis, voluit Dominus remanere nobiſcum ſub binis diſtinctis ſpeciebus, Panis, & Vini. Poſſet quiſpiam veſtrum ità dubitare: Pater, ſi intentum amoroſum noſtri DEI erat remanere nobiſcum, & dare ſe nobis ad manducandum, unire ſe ità intimè noſtris animabus, nunquid ad hoc totum perficiendum ſufficiebat ſe ponere ſolummodo ſub ſpecie Panis? Cur itaque adjunxit etiam ſe ponere ſub ſpecie Vini? Bona interrogatio: Reſpondeo, quòd ſufficeret hoc ſolum pro Sacramento, ſed non pro Sacrificio, quod nobis voluit inſtituere noſtra Vita Chriſtus JESUS; quia cùm debebat eſſe memoria, & repræſentatio ejus mortis, & in illa fuit ſeparatus Chriſti Sanguis à ſuo Corpore, ad r præſentandam iſtam ſeparationem, ſub ſpeciebus Panis, ex virtute verborum conſecrationis ponitur Chriſti Corpus, & ſub ſpeciebus Vini, ex virtute verborum, ponitur ejus Sanguis; & ſic, quantumvis ſub una, & ſub altera ſpecie ſit realiter totus Chriſtus, nihilominus tamen in repræſentatione, illud quod ſolummodo repræſentat Hoſtia, eſt ejus Corpus; & illud quod repræſentat Calix, eſt Sanguis Chriſti, ut ità in ſuo Corpore, & ſuo Sanguine, ſeparatis, videamus ad vivum repræſentatam ſuam mortem; Hac de cauſa itaque Conſecratio ſub una, & ſub altera ſpecie eſt de eſſentia hujus Divini Sacrificii; quia in iſta ſeparatione nobis reliquit Dominus expreſſam ſuæ mortis, & magis claram memoriam: Ità hoc recognoſcit Eccleſia, quæ in momento, finitâ conſecratione ſub utraque ſpecie nobis in memoriam reducit verba Domini: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei commemorationem facietis.* Hoc dedit ad intelligendum Chriſtus Dominus Beatæ Iſabellæ Schonaugienſi, quæ audiendo Miſſam, vidit ſupra Calicem JESUM Crucifixum, & defluentes ex ejus Corpore rivos Sanguinis, qui omnis decurrens Sanguis recipiebatur in Calice, remansitque in elevatione ejus ſolum Sanctiſſimum Corpus. Hanc memoriam Paſſionis nobis refricant tot Cruces, quot illarum facit Sacerdos in Miſſa, & tanta cura illarum, non ſolùm ab Eccleſia, ſed ab ipſo cælo, nè in celebratione Miſſæ deſit Crux in

Altari. Dicat hoc tantundem ſtupendum, quantum notiſſimum omnibus prodigium Crucis Caravaccenſis.

VII. Ità eſt, Pater: ſed hæc ipſiſſima memoria excitavit mihi modò dubium, quod pro certo non volo portare mecum domum, & eſt hoc: quòd cùm moriendo in Cruce noſtra Vita Chriſtus JESUS ſolô illo Sacrificiô ſanguinoſô nobis remedium attulerit, & nos à culpa redemerit Redemptione immensa, cùm fuerit tam infiniti meriti illa mors, quæ ſuffecit ſola ad obtinendam condonationem à DEO omnium peccatorum, non ſolùm totius hujus mundi, ſed etiamſi fuiſſent mille mundi peccatorum; In quem finem ergo repetitur pro nunc incruentum in Miſſa hoc Sacrificium cruentum Crucis? Priuſquam ad hoc reſpondeam, etiam ego volo facere aliam interrogationem: Si quiſpiam haberet quadraginta millia florenorum capitale, hæc ſumma autem tota eſſet repoſita in caſſa Regia, diceremúsne talem eſſe divitem? Ità eſt, cùm habeat quadraginta millia florenorum; Subjungo: & quid ſi per multos annos nihil exigeret, nihil peteret tempore debito, aut etiam commodo, nec de capitali, nec de cenſu, nec quidem unum obulum, diceremúsne talem eſſe pauperem? Sic eſt, & quidem rationabiliter, quia moreretur præ fame; itaque conſiſtunt divitiæ in uno, & in altero, in reſervatione pecuniæ in caſſa Regia, & in exigenda aliqua parte depoſitæ pecuniæ, vel cenſu debito tempore. Jam intelligamus nos ad invicem: Paſſio noſtri DEI eſt illa, quæ nobis congregavit theſaurum immenſum; Miſſa eſt illa, quæ nobis illum theſaurum diſtribuit, & illum nobis applicat; Paſſio eſt caſſa, in qua ſunt noſtræ infinitæ divitiæ; Miſſa autem eſt clavis, qua nobis caſſa aperitur, & nos per illam de his divitiis participamus; tali modo (oh utinam vobis remaneret fixiſſimum in memoria hoc, quod vobis pergo dicere) tali modo, ut dicere, vel audire unam Miſſam cum debita attentione, ſit facere, ut ille Dominus, qui mortuus eſt pro omnibus hominibus, acſi rurſus rediret mori pro me ſolo, vel pro te ſolo in particulari, applicet ità mihi, vel tibi merita ſuæ mortis. O munde cæce! ſi hoc cognoſceres; O animæ deceptæ! Ah ſi hoc ponderaretis debita attentione Fidei; quibus ardoribus cordis quæreretis Miſſam? Cum quanta teneritudine devotionis

huic

huic tremendo Sacrificio assisteretis? Quali, & quanto amore? cum quanta gratitudine? in hoc Sacrosancto Mysterio habetis claves omnium thesaurorum DEI, adlaborate, ut lucremini fructus ejus Sacratissimi Sanguinis; Si enim debita cum devotione, & dispositione veniatis ad Missam audiendam, hic vobis applicabitur omne illud, quod vobis Christus JESUS acquisivit in Cruce.

VIII. Refert noster Nicolaus Serarius lib. 3. rer. quòd Valdurnæ, loco parvo & exiguo, Diœcesis Herbipolitanæ in Germania, celebrando certus Sacerdos, & jam consecratione expleta, casum mirabilem habuerit; illi enim, inscio, quomodo vel qualiter, Calix inversus ad corporale, & Sacrosanctus cruor effusus, & hinc inde sparsus, efformavit in continenti in tela istam prodigiosam picturam: in medio remansit depictus Crucifixus cum tota claritate, & expressione; & postmodum in circuitu illius formabantur in extremitate telæ aliquot effigies Divini vultus Redemptoris, quas effigies vulgò Veronicas vocamus, plenæ Sanguinis & coronatæ spinis. Obstupefactus, & attonitus ad tale spectaculum Sacerdos, non scio quali cum timore (vocant autem illum timorem imprudentiam) nec verbulum dicendo, elevavit secretè in ipso Altari certum lapidem, ibique hoc Corporale abscondit, ut cum tempore putrefieret. Effluxit sat longum tempus, & cùm infirmitas mortalis invasisset illum Sacerdotem, jam in suis extremis, quia judiciô medicorum diutiùs non poterat vivere, anima tamen in corpore hærebat, nec exire volebat, & dum rem hanc mirabilem omnes ponderâssent, ille ipsemet recogitabat, quale hoc secum ageretur Mysterium. Quis scit, occurrit ei, an hoc ideò non contingat, quia illud prodigium tacui? Advocavit illicò ad se homines, aperuit eventum, locum designavit, in quo Corporale inveniendum esset, & immediatè exspiravit. Accurrerunt ad locum designatum, & Corporale invenerunt in eadem forma, ut ille dixerat, & ego antè retuli: Et cùm postmodum crebra ibidem miracula contigissent, pervenit notitia hac de re ad Summum Pontificem pro tunc Eugenium IV. qui Annô 1445. exhortatus est Fideles ad adorandum debita cum magnificentia illud Altare, in quo illæ pretiosæ Reliquiæ conservantur, pro majori incentivo teneræ nostræ memoriæ.

IX. Oh! utinam ſemper ſimus memores in ſupremo Sacrificio Altaris, in quo gaudemus infinitis bonis, quid nobis acquiſierit Dominus in ſanguinoſo Sacrificio Crucis: Studeamus lucrari in Altari illas divitias inæſtimabiles; ſed ſemper ſimus memores, quòd in Cruce res acta fuerit, ubi nobis acquiſivit Dominus omnes iſtos theſauros gratiæ.

INSTRUCTIO XXVI.

De Fructibus, & Utilitatibus inæſtimabilibus, quas habemus in Miſſa.

I. IN quatuor validis fluminibus dividebat toti orbi terrarum Paradiſus quadruplicem ſummam amœnitatum, quaſi dando ad intelligendum, quòd ità abundaret deliciis, ut ſinè detrimento illas divideret, & largiretur univerſo per quatuor copioſos, & abundantes fontes. Meliùs ego hoc dixerim de illo Paradiſo, qui cùm habeat ipſiſſimum Fontem Divinitatis, unde germinant deliciæ æternæ, non ſolùm nobis præparat illum bolum, qui nobis dat vitam, ſed qui etiam partitur toti mundo in quatuor fluminibus immenſis omnes cæli divitias. Iſti ſunt ſemper interminabiles fructus, quos ut impetuoſos torrentes liberalitatis Divinæ nobis communicat Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium: Quanqoquidem omnia iſta quatuor flumina immenſa nobis ſunt neceſſaria ad ſatisfaciendum DEO pro noſtris debitis.

II. Quatuor ſunt principales obligationes, quibus DEO obſtringimur, dicit Sanctus Thomas 1. 2. q. 102. a. 3. ad 10. Prima harum eſt, propter ejus Majeſtatem, & Dominium Supremum, propter quod illi tenemur dare maximum honorem & tributum; *Maximè obligatur homo DEO propter ejus Majeſtatem.* Secunda: Cùm ipſum offenderimus, debemus placare ſuam juſtam iram; *Secundò propter offenſam commiſſam.* Tertia: Cum receperimus ex ſua manu tam infinita beneficia, debet illi reddere noſtra gratitudo infinitas gratias; *Tertiò propter beneficia jam ſuſcepta.* Quarta: Cùm nihil aliunde poſſimus habere, nisi ex ſua manu, obligata eſt noſtra miſeria continuas ad illum fundere preces; *Quartò propter*

pter beneficia ſperata. O quales, & quantæ quatuor obligationes, quarum quælibet deberet habere ad ſatisfaciendum capitale immenſum! Oh quàm verè poſſemus dicere cum Propheta Michæa cap. 6. v. 6. *Quid dignum offeram Domino?* Quid offeram DEO, quod dignum ſit ejus Magnitudine, & mea obligatione? Quia illa quatuor Sacrificia correſpondentia his quatuor obligationibus, quæ in uſu erant in lege antiqua, non ſufficiebant: *Nunquid offeram ei holocauſtomata?* Offeram illi holocauſta, in quibus conſumebatur tota in honorem ſuæ Divinæ Majeſtatis, & in recognitionem ſui ſupremi Dominii; Sed quis eſt hic honor pro illo, cui infinitus debetur? Offeram illi ad placandam ſuam juſtiſſimam iram, ad quam eum meis commovi peccatis, illam hoſtiam, quæ à Lege vocabatur: *Hoſtia pro peccato?* Sed quam hoſtiam, quam victimam poſſum illi offerre, quæ ſufficiat ad ſatisfaciendum infinito per peccata offenſo, etiamſi illi offerrem meum proprium Filium? *Nunquid offeram Primogenitum meum pro ſcelere meo?* Offeram illi vel Sacrificium ſalutis ad impetrandam ejus miſericordiam, vel hoſtiam pacificam ad reddendas gratiarum actiones pro ſuis immenſis beneficiis? Sed quid valoris habet ſanguis animalium, mors brutorum? *Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum?* Ecce qualiter itaque hic conſtricti ex quatuor partibus inter immenſas obligationes, ex omnibus partibus nos omnino experimur non eſſe ſolvendo.

III. Nunc autem, in Sacrificio Miſſæ, quod omnia iſta Sacrificia complectitur, habemus in noſtra manu quatuor capitalia infinita: Primum jam, vidimus, qualiter in Miſſa offerat Æterno Patri ſuus proprius Filius honorem ſummum in proteſtationem abſoluti, & ſupremi Dominii, perſolvendo pro nobis in recognitionem noſtræ humilis ſubjectionis tributum tam ſupremo Regi. Reſtat nobis videndum, qualiter in Miſſa habeamus capitale pro aliis tribus obligationibus; Iſtæ ſunt illæ, quas modò exponit Catechiſmus; Vix finivit nos docere, quòd offeratur hoc Divinum Sacrificium ſolummodo Æterno Patri, & immediatè ſubjungit: *Quare? Propter tres fines: Propter reddendas ei gratiarum actiones, propter faciendam ſatisfactionem, & propter petenda ab eo beneficia.*

IV. Gravis, terribilis, & ſtricta obligatio eſt illa, quam imponit gratitudo, volebam dicere in aliquo corde nobili, ſed video, quòd & ipſæ feræ ſint gratæ; Volebam dicere, in rationali, ſed video, quòd & ipſa bruta non denegent gratitudinem. Oh quæ, & quales tres leges ſunt hominis grati! Confiteri, & cognoſcere beneficium, conſervare illud in memoria, & correſpondere illi recompenſatione. Sed qualis recognitio noſtra aſſequitur beneficia, ob quæ DEO obligati ſumus? Qualis memoria nobis ſufficit, cùm ſint infinita? & quæ recompenſatio, cum ſint immenſa? Æquè ſapienter ac piè dixit ille celebris Coſmus de Mediceis, Magnus Dux Florentiæ, ùt narrat Engelgr. Cœleſt. ſec. 282. qui diſtribuerat in eleemoſynam unum millionem; expenderat alios quatuor milliones in Eccleſias, hoſpitalia, & alia opera pia; & ad juſtam menſuram redigendo quodam die ſuos computus, neſcio quis familiarium ex eo quæſierit, quid faceret? & ille prudentiſſimè reſpondit: Hic inquiro videndo, an inter multos, qui mei debitores ſunt, unicum ſolum debitum invenire poſſim, quo mihi DEUS obligatus eſſet; & ut verum fatear, quamvis tantum expenderim, adhuc tamen DEUS eſt meus Creditor. Quomodo itaque poterit noſtra gratitudo reddere DEO dignas gratias, ſi, quantumcunque ei poſſimus offerre, excedat infinitudo beneficiorum nobis ab eo collatorum? Solo Sacrificio Miſſæ illum contentamus.

V. Hac de cauſa in Miſſa Sacerdos nos invitat, ad DEO dandas gratias: *Gratias agamus Domino DEO noſtro*; & in quovis verbo ſequentium verborum dat nobis rationem, ut ei gratias demus: *Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne DEUS;* debemus itaque illi reddere gratias tanquam Domino, *Domine*, quia ab illo dependet noſtrum eſſe; Gratias tanquam Fonti Sanctitatis, quia ille nobis dat gratiam, *Sancte*; Gratias ut Patri amoroſiſſimo, quia præter hoc, quòd nobis largiatur ſuſtentamentum, nobis ſervat præparatam æternam hæreditatem, *Pater*; Gratias tanquam omnipotenti, qui in omnibus creaturis adeſt largiendo nobis beneficia ſua, *Omnipotens*; & Gratias tanquam æterno, qui omnibus inſtantibus nobis partitur ſuos favores: *Æterne DEUS*; & ſi ità eſt dignum propter ejus Magnitudinem, eſt etiam juſtum propter noſtram obligationem, & eſt æquum pro-

propter noſtram recognitionem, & eſt ſalutare ad movendam ejus pietatem, ut ſemper, & in omni loco ipſi reddamus gratias: *Verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper, & ubique gratias agere:* Sed quomodo ipſi gratias agemus, ut ei ſint acceptæ? Quomodo ipſi illas referemus, ut ſint gratæ? Jam nos hoc docet Eccleſia: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, reponendo illas in ipſomet Chriſto, ut in Altari gratiſſimo DEI oculis. O animæ! ponite in Miſſa intra vulnus lateris Chriſti veſtras gratiarum actiones, ut ſic fiant Æterno Patri gratæ. Rapta quadam vice in ſpiritu Sancta Gertrudis, ut narrat Hautin. num. 1139. in principio Miſſæ, vidit, quòd ipſemet Chriſtus, indutus veſtibus Sacerdotalibus ſtaret ad Altare offerendo Sacrificium, & cùm ad offertorium perveniſſet, vidit cor Domini ſupra pectus elevari Ejusdem inſtar altaris aurei pulcherrimi ſplendoris, volantes Angelos Cuſtodes circumſtantium cernebat pariter ſupra illud altare ponentes certas aviculas albas, quæ erant preces, & gratiarum actiones juſtorum, qui Sacrificio Miſſæ adſtabant; proſecutus fuit Dominus Miſſam, audivit cantare Sanctiſſimam Virginem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & poſtmodum vidit, quòd Dominus elevando ſuas manus ad ſuum Æternum Patrem, offerret ſeipſum cum omnibus illis oblationibus, quas in corde ſuo habuerat; & dum ità Sancta Gertrudis erat elevata, audivit pulſari campanulam, prout ſolet pulſari ad elevationem, & redeundo ad ſe, advertit, illud quod modò videbant ejus oculi, fuiſſe id ipſum, quod antea videbat ejus ſpiritus.

VI. Jam itaque totum nihil valet, quidquid nos poſſumus offerre DEO gratum, ſi comparetur magnitudini beneficiorum ejus; ſed ſi illud reponamus in JESU, ab hoc pro certo infallibiliter acquirit, quod petimus. Attendite: jam ſcitis, qualiter oſtenderim, & quomodo debeamus abſcondere liberalitatem; ſolent mittere in ſcutella argentea, vel aurea, vel aliquas reculas ſuperpoſitas dulces, vel aliquos fructus; quale donativum tam exiguum, & parcum! Hócne mittitur? Ità eſt, ſed videte, quòd hoc cum ſcutella veniat, & omnia unà cum ſcutella domi maneant; modò ſum bene informatus: dic Domino tuo me ei plurimas referre gratias, pro tam largo dono: ità ut illi fructus, vel dulciaria,

ciaria, quæ antea per se non æstimabantur, jam ratione scutellæ, in qua porriguntur, æstimentur, laudentur, & grati fiant; quapropter etiam gratiæ referuntur. Ecce hoc habemus in Christo, qui in Missæ Sacrificio offertur; ille est scutella, in qua est posita miseria nostrorum affectuum gratorum, cùm ex se nullum habeant pretium, ratione scutellæ in qua offeruntur, sunt Æterno Patri gratissimi ad reddendas illi dignas gratias pro infinitis suis beneficiis, quæ nobis miseris hominibus conferre dignatur.

VII. Sed quidsi loco gratitudinis correspondeat DEO nostra improbitas peccatis? Oh quale debitum supra omnem ponderationem imponderabile! DEUS offensus! quis sufficiens erat mitigandi ejus justitiam? Necessarium fuit, ut ejus proprius Filius, verus DEUS, in Sacrificio sanguinoso Crucis daret vitam propriam in satisfactionem; tunc itaque, prout jam dixi in Instructione antecedente, ibi nobis acquisivit illud capitale infinitum satisfactionis; sed in Missa, quæ clavis est, nobis distribuitur, nobis applicatur iste thesaurus, ad placandam iram Æterni Patris, & ad satisfaciendum pro nostris culpis; Hac de causa definit Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 22. Can. 3. Hoc Sacrificium non solùm esse laudis, & gratiarum actionis, sed etiam esse propitiatorium ad obtinendam ab Æterno Patre remissionem nostrarum culparum. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; --- anathema sit.* Non dico hoc, quòd per solam Missam immediatè condonentur, vel remittantur peccata, prout succedit in Sacramento Pœnitentiæ; sed illud quod dico, est: nos per istud Divinum Sacrificium obtinere à DEO auxilia ad cognoscenda nostra peccata, ad ea ex contrito corde detestanda, & deflenda, & confitenda: & ut nobis remittatur illa pœna, quæ illis debebat correspondere pro digna castigatione. O peccatores! O animæ perditæ! Missa est Tribunal misericordiæ, thronus pietatis, asylum clementiæ: vultis exire, vultis vos extricare ex vestris vitiis? hìc, hìc habetis fontem lucis, quæ vos illuminat; quæritis remissionem? hic invenitur: desideratis esse amici DEI? hoc medio DEI amicitia est consequenda: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare meum.*

Psal.

Pſal. 49. v. 23. Sunt magna, enormia, & graviſſima veſtra peccata? infinities major eſt victima, quæ pro vobis offertur, & ſicut ſentiunt graves Theologi, in oblatione hujus Divini Sacrificii, ipſemet Chriſtus Dominus noſter in cælo, non ſolùm illud offert Æterno Patri, ſed etiam agit Advocatum, intercedit, precatur pro *nobis*, monſtrando illi ſua vulnera, repræſentando illi ſuam mortem. Quid negabit Æternus Pater talibus meritis, talibus precibus, & tali Filio? Si viſus filius Abrahæ humiliatus in ſacrificio ità ejus cor tenerrimum commovit, ut illum beneficiis impleverit; Quid faciet videndo ſuum Filium ità humiliatum in ſua præſentia? Occupaverunt Venetiani Ferrariam, ut refert Lobet. p. 193. ſenſit hoc graviſſimè Summus Pontifex Clemens V. hæc enim civitas ſpectabat ad Eccleſiam, & ſic fulminavit excommunicationis ſententiam contra totam Rempublicam Venetam; ad placandam itaque iram Pontificis, venerunt Avenionem duo Senatores; ille autem eos nec voluit audire, nec ad ſuam admittere præſentiam. Et quid non fecit quidam illorum? Veſtivit ſe pelle canina, & projecit ſe ſub menſam, cui ſolebat aſſidere Pontifex, & quando jam aſſederat, prodiit inde in illa forma, & ſe ad pedes ejus proſtravit; iſta humilitas erat ſufficiens, quòd Pontifex non ſolùm iram depoſuerit, ſed etiam elevando illum inter ſua brachia, multos favores ei exhibuerit, ſicut & toti Reipublicæ. Jam ſi hoc conſecutus eſt ab homine actus humilis Legati hujus, quid conſequetur ab illis viſceribus infinitæ miſericordiæ, Filius proprius ipſemet ſupplicans pro nobis humiliatus? Hæc itaque eſt occaſio in Miſſa ad DEO ſatisfaciendum; Peccatores videte, ne illam perdatis.

Sed non ſolùm eſt ad tollendam DEI iram; eſt etiam ad petenda beneficia ab eo. Oh ſi Fides noſtra eſſet vivifica, quantum non obtinerent noſtræ preces in Miſſa? In anguſtiis, vel particularibus, vel publicis; in neceſſitatibus, vel propriis, vel familiæ, & filiorum; in periculis animæ, vel corporis, recurramus Dilectiſſimi ad Miſſæ Sacrificium audiendum; Non datur occaſio opportunior ad obtinendum; non habetur conjectura melior ad conſequendum: Ibi, ibi, ubi noſtræ preces ab ipſomet Filio DEI Æterno Patri præſentantur, quomodo poterunt VIII.

ei accidere molestæ? Sinite, ut vobis certum referam eventum. Sanctus Porphirius, ùt narrat Surius in ejus vita 26. Februarii, Episcopus in Gaza, venit Constantinopolim regnante Imperatore Arcadio: Circuibat ille arduô pro tunc negotiô gravatus, & difficillimæ consecutionis; volebat ille ab Imperatore impetrare mandatum, ut ruinæ, & demolitioni exponerentur in suo Episcopatu omnes Synagogæ Judæorum, quarum numerus erat plurimus. Idcirco, quantumvis Imperator esset Christianus, valde tamen arduum, & difficile ipsi erat hoc concedere, cùm in maximo numero essent discredentes; hinc Sanctus Episcopus non poterat assequi suam petitionem. Natus fuit illo tempore Imperatori filiolus, qui fuit Theodosius; portatus fuit ad Baptismum ad Ecclesiam; & quid fecit zelantissimus ille Episcopus? scripsit suum memoriale, in quo petebat illud, quod jam dixi, ponit recens nato filiolo inter manus, & post reditum ex Ecclesia consignat filiolum Imperatori, ut illum inter sua reciperet brachia. Quid est hoc? Arripit Imperator supplicationem, legit, & ità ipsi grata accidit illa prima supplicatio; quam ei proprius porrigebat filius, ut immediatè totum, quidquid in illa petebatur, concesserit. Ah! an hic non habemus aliqualem comparationem? idcirco trasnferte oculos à Patre ad Patrem, à filiolo ad filiolum: quomodo nobis negabit Æternus Pater illud, quod per manus Filii sui petimus, cùm in sua oblatione in Missa portet in suis manibus nostras petitiones? Quid non consequemur? Oh! multis vicibus jam rogavi, petii, & nihil obtinui: Conqueratur contra seipsum, qui hoc diceret, vel ob suam stultitiam, dum petit illud, quod ei nocet, vel ob suam indispositionem ad acquirendum id, quod petit; sit itaque, quòd in particulari non consequatur illud, quod petit: Semper, semper generaliter tamen datur bonum rescriptum; & si illud, quod petitur, sit in bonum animæ, & pro gloria DEI, securus accedat, certè exaudietur deprecatio. Possem centena referre exempla, sed finio hoc sequenti.

IX. Refert noster Hautinus, quòd Anno 850. Cimbri cum valido exercitu destructâ, & desolatâ totâ Flandriâ, intra communem calamitatem reliquerint etiam prostratum, & desolatum Monaste-

naſterium Prumienſe, in quo cùm multis Monachis vivebat exemplariſſimam vitam Abbas Sanctus Ansbaldus, qui videndo totam omnimodè domum ruinatam, & nullum locum habendo, ubi ſuos accommodaret, & conſervaret Monachos, recurrit ſuis ad DEUM precibus, commendando DEO in Miſſa ferventiſſimis inſtantiis hanc ſuam neceſſitatem. Evenit itaque, quòd ultra quindecim milliaria Germanica à Monaſterio deſtructo, in Civitate Guiſa dicta Regni Galliæ, vixerit illo tempore certus Nobilis multùm potens, & dives, dictus Nidardus, qui, cùm ſinè liberis eſſet, & deſideraret bene applicare ſuam copioſam ſubſtantiam, poſt multas orationes, quibus à DEO petiit, ut ſe illuminaret, qualiter ſuum expendere, & impendere capitale deberet, ad majorem Summi Numinis complacentiam & honorem, ſentiendo ſe confuſum, illud quod facere determinavit, fuit, formare ſolemnem, & authenticam ſcripturam donationis, quâ ſcripturâ ex tunc donabat totum ſuum patrimonium illi loco, in quem dicta ſcriptura cadendo perveniret. Hac itaque taliter formata ſcriptura, ſequenti manè, alligando hoc folium ſagittæ, aſcendit in locum altum, inde ſagittam ejaculatus eſt in aërem. O prodigium! hoc ipſiſſimo momento in ſuo Monaſterio Sanctus Ansbaldus ad Aram DEO Agnum Immaculatum offerebat, & ſuſpiriis ad DEUM clamabat pro reſtauratione Eccleſiæ, & Monaſterii humiliter ſupplicando: & ecce tibi ſagitta, tranſvolando in uno momento diſtantiam quindecim milliarium, eo ipſo puncto, quo in Guiſa eam Nidardus excuſſit, decidit ſuper Altare, in quo Ansbaldus Miſſam celebrabat. Accepit in manus ſagittam, aperuit ſcripturam, quam portabat, & inventum eſt in ea tantum de capitali, quantum ſufficiebat ad reparationem, & reſtaurationem totius Monaſterii; Recurrendo itaque ad Nidardum, ille ſubitò extradidit Abbati totum ſuum patrimonium. Et in teſtimonium tanti prodigii uſque in hodiernum diem cuſtoditur, & aſſervatur in Monaſterio Prumienſi illa ſagitta, & ſcriptura donationis tam miraculoſæ.

Et cùm nos in Miſſa habeamus ſcripturam firmatam multò X. meliori manu, adipiſcimur, Dilectiſſimi, int gram à DEO liberalitatem, qui ſolummodo exſpectat illic noſtras petitiones, &

preces: lucremur nobis Patronum, qui eſt Filius DEI, & repræſentemus illi confidenter noſtras neceſſitates ad obtinenda ejus beneficia; quæramus, & petamus humiles, quantumvis ſint bona corporis, modò nobis proſint ad meliora bona animæ, quæ per gratiam nobis conducent ſemper ad æterna bona gloriæ.

INSTRUCTIO XXVII.

De Repartitione Fructûs Miſſæ, Diſpoſitione, quâ eam debemus audire, ſi velimus ejus Fructibus gaudere.

I. QUando videtur in mundo diviſa inter multos hæredes aliqua hæreditas ſinè querelis, ſinè diſturbiis, & ſinè litibus? Hac de cauſa etiam ipſemet Chriſtus, dicit Chryſologus, recuſavit illic dividere inter duos fratres eorum hæreditatem. *Quis me conſtituit judicem, & diviſorem inter vos?* Luc. 12. v. 14. Quia hæreditas mundana primò dividit hæredes, antequam repartiatur portiones: priùs ſeparat in diſcordias animos, quàm inter filios dividat partes: priùs rumpit vincula ſanguinis, quàm diſſolvat ligamina crumenæ: *Hæreditas mundana ante poſteris infert jurgium, quàm confert cenſum, antequam dividat facultates, ſcindit hæredes, antequam tradat ſingulis portiones, ſucceſſores ipſos diſſecat, & mittit in partes.* Chryſol. Serm. 162. Hoc tamen non obſtante, aggredior ego ſecurè facere repartitionem ſupremæ omnium hæreditatis, quam in Miſſa habemus; dum enim ego ſolus ſum ille, qui debeo aſſignare, & repartiri partes, quilibet meorum Auditorum debet ille eſſe, qui ſecum ipſo ad juſtam menſuram redigat, quantum deperdat, vel quantum lucretur; & ſi tunc ſentitur, & advertitur amiſſio, dum oculis videtur, eveniet mihi per fortunam id cum aliquibus, quod illi Patri accidit, qui ad corrigendum ſuum filium luſui libenter deditum, & ad creditum perdebat, & ad oppignorationes ſuarum rerum dedit ſummam perditam numerandam; filio ad emendationem ſuffecit, numeratio propriis manibus facta ſemel grandis ſummæ pecuniæ, quam perdiderat; vel mihi ex oppoſito eveniet cum aliis id, quod mercatori, qui faci-

endo

endo exactam ad bilancem æstimationem sui lucri, videns suum emolumentum, acquirit nova incitamenta in suæ mercaturæ exercitio prosequendo. Non aliter ille, quem minor in hac repartitione portio tetigerit, contra seipsum formabit querelam, & secum ipso inibit computum.

II. Est itaque una hæreditas Divina illa, quam habemus in Missa, in qua omnes partem habemus; hinc istud Supremum Sacrificium tunc fuit institutum, quando Vita nostra Christus JESUS fecit suum testamentum scriptum, & subscriptum, & rubricatum suo ipsissimo Sanguine: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti:* Novi Testamenti, quia terminatis umbris, & figuris, inceperunt in illo substantiæ veritatum; & Testamenti Æterni, quia cùm omni die repetantur in Missa, durant, & durabunt semper in eodem ipsissimo rigore, suæ clausulæ. Itaque sicut in qualicunque testamento habetur hæres principalis, legata, & alia, & præter hæc Executor, qui illud exequatur, & adimpleat; Ità, ut in qualibet Missa repeteretur, reliquit Christus Sacerdotes pro suis Executoribus, Thesaurariis bonorum, & Prodatariis, ut sic per eorum manus fiat admirabilis repartitio. Nam sicut Mater, amatrix tenera, munuscula, quæ conservat, quantumvis omnia pro filiolo sint, attamen illa non dat una vice omnia illi, sed per partes, & tantum demonstrat suum amorem in eo, quod dat, quantum in eo, quod pro tempore reservat; Ità, in Missa, nulli totum confertur, id est, infinitus, & immensus valor Missæ, ut Christus possit repetere suam teneritudinem amoris, & ad excitandum pariter nostrum amorem, nostra bona opera, & nostra merita: ut illum sæpius adeamus, dum Missa celebratur, & ille nobis sæpiùs sua exhibeat beneficia: quia in beneficiis vult nostram correspondentiam, cùm sit, sicuti est, infinitus valor Missæ, ità ob illum, qui se in illa offert, prout ob Principalem Sacerdotem, qui illam offert, qui est ipsissimus Christus; ob tam affectuosa motiva, in qualibet Missa, non communicat nobis nisi quandam partem finitam, & limitatam; & hanc quidem majorem, vel minorem, prout est cum hoc Divino Sacrificio major vel minor nostra dispositio, noster fervor, nostra devotio, & nostra teneritudo.

III. Jam hoc est omnino illud, quod nunc nobis dicit Catechismus: *Ad quid prosunt Missæ? Prosunt vivis, & defunctis in Purgatorio.* O valorem infinitè prodigiosum! Partitur sol suos radios, verum est, tanto numero viventium, per tantam distantiam milliarium; sed eô ipsô tempore relinquit obscuram, & sinè luce alteram medietatem mundi; At istud Divinum Sacrificium, cùm continuò repetatur omnibus horis diei, & noctis, in omnibus mundi partibus in qualibet Missa partitur generaliter profectum, & fructum cuivis Christianorum, qui vivunt in toto orbe terrárum; ità, ut de Missa, quæ nunc celebratur in Japonia, habeamus partem omnes nos, qui hìc stamus, omnes illi, qui Hispaniam incolunt, qui in Gallia, & Romæ demorantur. O valorem admirabilem! qui ità partitus tamen non deficit; imò, quod adhuc etiam illi restet, quòd possit partiri omnibus animabus purgatorii, quarum quælibet sua fruitur parte, & præter hæc omnia tamen adhuc infinitum restat, quod possit dividi! Ità est; Hæc enim repartitio est solùm generalis; remanet nunc particularior repartitio: idcircò subjungit Catechismus: *Et præter istos, quibus prosunt Missæ particulariter? Illis qui illas audiunt, pro quibus leguntur, & offeruntur.* Quemadmodum enim, sicut quantò magis quis accedit ignem, tantò plùs participat de calore; ità ille, qui propiùs accedit hanc Divinam actionem, habet majorem in ea partem: Plùs participat, qui audit Missam, plus qui ministrat, plùs ipsemet Sacerdos, quia omnes illi, qui audiunt, offerunt suo modo Sacrificium, & quilibet eorum potest dicere esse suum: *Ut meum, ac vestrum Sacrificium*; sed principaliter Sacerdos, qui ille est, qui ut legitimus Minister, nomine omnium, illud offert; Taliter itaque ex triplici parte gaudent fructu Missæ illi, qui illam audiunt; Primò ex parte, quæ illos tangit generaliter cum omnibus aliis Fidelibus: *Pro omnibus fidelibus Christianis:* Secundò, ut assistentes, & *pro omnibus circumstantibus*; Et tertiò tandem, quia illi etiam suô modô offerunt Sacrificium; *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* O quale emolumentum tanti lucri, absque eo ut alicui sua pars diminuatur, sive sint pauci, vel sint multi illi, qui cum eo audiunt Missam! Attamen etiam supra omnes istos, gaudent plus illi, pro quibus specialiùs applicat Sacerdos Sacrificium,

cùm

cùm Christus reliquerit in Sacerdotis manibus, & potestate istam admirabilem repartitionem. Sed super omnes, ille, qui sibi maximam vendicat partem; ille, quem possumus vocare principalem hæredem, est ille, pro quo Sacerdos primariò applicat Missam, vel ex obedientia, vel ex particulari charitate, vel ex obligatione justitiæ ob acceptam eleemosynam pro sua sustentatione; non pro solutione Missæ, prout solent insciibarbarè, & crassè loqui; quæ enim solutio posset esse sufficiens pro unica Missa solvenda? Iste itaque est ille, qui reportat maximam partem de Missa; quia sicut dicit lex ff. de Admin. Tutor. *Quod quis per alium facit, per seipsum facere videtur;* ille qui dat Sacerdoti sustentationem, ut possit dicere Missam, ille est, qui offert, quantumvis id fiat per manus Sacerdotis.

IV. Sed quis est fructus iste, quô ità repartitô fruimur in Missa, hic hucusque non est nominatus? Est primò, meritum, cui correspondet solutio, & merces illic in gloria; Secundò impetratio, quâ obtinemus à DEO bona tam spiritualia, quàm temporalia; Et tertiò, satisfactio, quâ nos liberamus ab aliqua parte pœnæ, quæ debebat correspondere nostris culpis: fructus ad obtinenda immensa gaudia in cælo, fructus ad lucranda inæstimabilia beneficia in mundo, & fructus ad evitandas maximè terribiles pœnas Purgatorii. Oh quanti tres fructus animæ! Oh quales tres fructus? Hoc itaque est illud, quod ex parte Missæ habemus securum: dixi ex parte Missæ, & per hoc volui dicere, quòd quantumvis Sacerdos sit tantum indignus, & peccator, quantum ego, quantumvis per summum infortunium dicat Missam in peccato mortali, tamen, quia ille nihil plùs est, quàm instrumentum Summi Sacerdotis Æterni, Christi JESU nostræ Vitæ, qui est, qui in Missa offert seipsum: *Idem est nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum in Cruce obtulit,* dicit Concilium Tridentinum Sess. 22. c. 2. & quoniam in omnibus aliis orationibus Missæ, illud, quod postulat à DEO, & deprecatur Sacerdos, sit totum nomine Ecclesiæ; hac de causa non possumus defraudari fructu Missæ principali, quantumcunque improbus sit Sacerdos.

V. Ecce hìc itaque facta repartitio, partes lucri, quod possumus habere ex parte Missæ; restat ergo pro nunc, ut quilibet con-

consulat de sua parte, suam propriam conscientiam, & incundo cum sua anima computum, videat, vel quantum futurum sit lucrum suum fortunatissimum, vel quanta sua lacrymabilis perditio. Certum est, quòd si in anima inveniatur funestum impedimentum peccati mortalis, quantumvis pro ista anima sit nihilominus impetratorium istud Divinum Sacrificium, & hac de causa debet illud frequentiùs adire ad obtinenda à DEO auxilia, ut possit de culpa se extricare per veram pœnitentiam; Nihilominus durante tali statu, nec meritum acquirit, nec satisfactionem; quia durante culpa, quæ corpus est, non potest auferri pœna, quæ umbra est; Oh quanta igitur perditio tanti imponderabilis fructûs! Certum est, repeto mea verba, quòd etiam stando in gratia, secundùm dispositionem, quâ assistimus, secundùm mensuram devotionis, fervoris, pietatis, quibus audimus Missam, juxta hanc proportionem gaudeamus in illa, plùs, vel minùs, vel nullo fructu. Oh DEUS, & quæ dilapidatio! conqueratur cæcus de suis oculis, qui illi sunt, quorum impedimentum illum affligit, non autem conqueratur de sole, qui illum liberaliter obtegit sua luce; date culpam stramini, quòd ex propria sua debilitate producat flammam tam remissi caloris; non culpate ignem, qui, si ei applicetur materia solida, causat fortiùs incendium. Et jam per hoc respondi ad illud, quod mihi posset objici, & ex me quæri cum justissima admiratione: Quomodo igitur, cùm in tantum habeamus ad manus nos Christiani omnes divitias DEI in Missa; cùm in illa habeamus clavim cæli, cùm in illa sit ipsemet Filius DEI ille, qui se totum ad nostra impendit beneficia; quomodo tanta paupertas in animabus, tanta miseria in corporibus invenitur? tam remissus fervor, tam vilis virtus, tam tepida charitas, tam parcus, exiguus, vel planè nullus profectus? esse ad oram fontis infiniti, & sitire? habere clavem ad immensum thesaurum in manu, & pauperem esse? Quid est hoc? Ah Dilectissimi mei! de lupo referunt naturalistæ, quòd, cùm sit voracissimus inter omnia bruta, quò plùs vorat, semper persistat lassus; & cur hoc? Quia non masticat, sed statim deglutit; & ideò nullus ei in commodum cibus conducit. Assistunt oh quanti ex Christianis Sacrificio Missæ, in tantum sinè rumi-

natio-

natione, ſinè conſideratione illius, quod faciunt, ut illis poſſemus dicere id, quod Chriſtus Samaritanæ dixit: *Vos adoratis, quod neſcitis.* Joan. 4. Illic flectunt genua, & tamen neſciunt, quid adorent, nec recogitant per unum momentum illud, quod faciunt; & pariter quando elevatur noſter DEUS in Sacroſancta Hoſtia, nec quidem unicum actum ſolùm Fidei, & amoris eliciunt. Jam quod lucrum, quem fructum habent percipiendum, ſi ſub auditione Miſſæ tenent totam occupatam animam, vel in illorum negotiis, vel in illorum curis? Quàm optimè volebat Joſeph plurimam copiam frumenti ſuis dare fratribus; verùm ejus amor menſurabatur cum illo, quod fratres capere poterant; impleri curavit quidem uſque ad ſummum benè eorum ſaccos, ſed quòd plures ſecum non attulerint, non Joſephi, ſed fratrum culpa erat, quia non attulerunt plures, ut plùs de frumento eis contuliſſet: *Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere.* Gen. 44. v. 1. Ità pariter menſurat Chriſtus in Miſſa ſua beneficia, ſecundùm capacitatem, quam evacuat devotio, & fervor in noſtris animabus, ſi iſtæ ſint occluſæ, vel obſeratæ peccatô, vel ex omni parte intricatæ rebus inanibus, defleant ob propriam culpam illud, quod non lucrantur. Audiebant ſimul Miſſam tres fœminæ, ùt refert Godeſcalcus tom. 2. Serm. 106. lit. C & illo ipſo tempore vidit Sanctus Religioſus deſcendentem de cælo Angelum, qui unius capiti impoſuit coronam ex albis roſis, & reſplendentibus; alteri coronam aliam ex roſis rubris; ob hoc ornamentum factæ ſunt, & apparuerunt fœminæ illæ pulcherrimæ; diſparuit Angelus, & vidit poſtmodum turpiſſimum diabolum, qui ſe collocavit ante tertiam cum certis ſubſuturis, quas in manu portabat, infligebat ei grandes ictus in capite, & poſtmodum ſaltabat ante illam jucundiſſimè. Obſtupefactus ex hac viſione, finitâ Miſſâ, abſque manifeſtatione viſionis, interrogavit duas priores, quid mente volverint ſub Miſſa? & dixit una: ego cogitavi de bonitate infinita, qua DEUS dignatus eſt veſtire ſe carne noſtra, & infans fieri; & ego, reſpondit altera, nil aliud recogitabam, quàm illum amorem immenſum, quô pro me ſparſit ſuum Sanguinem in Cruce: cognovit ergo Sanctus Homo, qualiter cujuslibet cogitationibus fuerint coronæ correſpondentes. Interro-

gavit poſtmodum & tertiam, quæ reſpondit: Ego nil aliud cogitabam quàm de certa ſubſtitutura, quam debeo comparare pro certa veſte, & fui impatiens, eò quòd Miſſa prolongaretur, debeo enim comparere in certo ſaltu, ad quem ſum invitata: Aperuit poſtmodum omnibus tribus illud, quod viderat. Ah! ſi ità nobis res patefieret, quis pudor aliquibus eſſet, quale gaudium, & ſolatium aliis, & quale experimentum omnibus? quilibet nunc ſcrutetur, & examinet ſuam conſcientiam, & in ea vel lucrum, vel perditionem inveniet. Quem fructum habeo ego ex tot Miſſis, quem profectum, quod lucrum? Has in peccato, alias ſinè attentione aliqua, alias inaniter verba proferendo audivi: DEUS ibi eſt præſens offerendo mihi ſuas divitias, & ego adſto obſerando meum cor ad illas recipiendas! DEUS ibi eſt offerendo mihi omnia ſua beneficia, & ego in mundo cum omni mea applicatione, & cura! DEUS ibi mihi aperiendo cælum adeſt, & ego terga ei vertendo! Et illinc, unde exeunt tot animæ melioratæ, & divites factæ, mea prodit pejorata, & pauper; ex hoc ſolùm, quia non videtur hæc perditio, non deplangitur. Eja ergo agite, & ſatagite accumulare divitias in hoc Diviniſſimo Sacrificio.

VI. Et primò ſuadet noſter Spiritualiſſimus Pater Joannes Euſebius Nieremberg, devotionem certam, ùt facilem, ità proficuam pro acquirendis etiam plurimis partibus in omnibus Miſſis, quæ in toto dicuntur mundo, & eſt: offerre DEO quotquot Miſſæ dicuntur in illo die per mundum totum, cum deſiderio, ſi quis poſſet, aſſiſtendi omnibus. Quid poteſt dari faciliùs? jam quantumvis pars foret parva, quæ nos tangeret ex qualibet, quantus cumulus foret? Oh quantus! perpendite hoc bene. Ego pono, quòd fructus, qui tangit quemlibet ex qualibet Miſſa de illis, quæ in toto celebrantur mundo, ſit ut granellum ſinapis, ut me ſic explicem; jam quot erunt Miſſæ omni die, quæ in toto dicuntur mundo, & quantus illis correſpondebit fructus, utut parvus ſit, in quovis die? Quantus hic erit in una ſeptimana? quantus in uno menſe? quantus in uno anno? O animæ! hic certè vellem vos eſſe ſanctè avaras; ecce totum hoc lucramini habendo deſiderium adeſſe præſentes, & corde veſtro deſiderantes

tes omnes has posse audire Missas, congaudendo, quòd ità totus DEO faciat, & exhibeat mundus hunc honorem. Et si tantô major fructus est, quem lucramur in Missis, quibus in gratia assistimus, & cum *devotione*, & attentione, *Oh quæ divitiæ!* præbeat itaque aurem nostra Fides, nostra pietas clamoribus, quos nobis porrigunt Pauperculæ animæ purgatorii, ut dividamus cum illis per applicationem illud, quod nos tangit pro satisfactione; certè hoc non perdemus, & non possumus illis facere majorem eleemosynam, quàm offerendo Missam: *hic primò deberem meum* incipere discursum; sed sufficiat, quod dixi, sufficiat ad amplectendum, quantum dixi, & ad animandos nos ad lucrandum fructum Missæ, exemplum quod refero.

VII. Narrat Petrus Cluniacensis lib. 2. Mira. t. 5. Author antiquus, & gravis, quòd Gratianopoli in Thracia in certis sat profundis ferrifodinis laboraverit quidam pauper, quærendo per tam molestum laborem suam sustentationem; evenit itaque illud, quod scimus sæpiùs in nostris evenire fodinis, vel in fodiendis fundamentis ædificiorum, quòd, commota ex imo fundo terra (nam & montes transportat avaritia) traxerit deorsum, & ædificia, & rupes obturavit fodinam, & reliquit illum pauperculum in viscеribus terræ, priùs sepultum, quàm mortuum. *Hic exortus est* planctus, & profusæ lacrymæ à sua infelice uxore, defectus animi, & singultus gemebundi, deplorando se evenisse viduam: sed quoniam ad demonstrandam fidelitatem non sufficiunt ista exteriora signa, monstravit multò meliùs suam fidelitatem, dando ex sua miseria quavis septimana eleemosynam pro legenda Missa, & sub Missa offerebat semper unum panem, & candelam; erat ità elapsus unus annus integer, & uxor nullam septimanam intermisit sinè Missa, & applicatione offertorii, præter unam septimanam solam, in qua Missam solvere non poterat, nec offertorium facere ex defectu pecuniæ. Tunc igitur fodiendo alii ex illa parte rupis, audiunt ex centro terræ voces, clamores, & gemitus: prosequuntur laborem non sinè horrore, fodiendo versus illam partem, unde voces veniebant, aperiunt tandem penetrando, & deprehendunt hominem; quem? qualem? illum pauperem, qui annô elapsô ibidem remansit sepultus; & dum vidissent, & cognovissent

viſſent eum eſſe vivum, quomodo hoc factum ſit? quærunt ex illo; quomodo poteras protrahere vitam ſinè cibo, in hac obſcuritate? Ego habui meum cibum, reſpondet; ſciatis, quòd ſuffodiendo rupem, hæc mihi reliquerit iſtud vacuum, in quo ab illo uſque puncto, quantumvis liber, me æſtimabam pro mortuo; affligebant me mæſtæ hæ tenebræ, & fames me conſumebat, dum ecce tibi ante me, ego neſcio quis, attamen erat juvenis gratioſiſſimus, & pulcherrimus, qui quavis ſeptimana ſemel intrabat huc cum candela accenſa in manu, & uno integro pane, & hunc mihi porrigebat, & abibat; & iſta candela erat mihi levamini in his tenebris, & pane me ſuſtentabam, uſquedum altera vice redivifſet? verùm ſola unica vice, qua non advenerat, vidi me jam conſtitutum in extremis. Rediit poſtmodum, & hoc ſuo adventu, prout & aliàs fecit, me conſervavit, prout videtis: contulerunt poſtmodum hoc cum illo, quod ſua mulier offerebat omni ſeptimana cum Miſſa, & qualiter una ſola vice intermiſerit, & invenerunt illam fuiſſe, quæ tam Supremo Sacrificio illum ità tanto tempore ſuſtentavit.

VIII. Ad unius & alterius conſideràtionem nos incitat iſtud prodigium: monſtrat nobis, quomodo vivis ſit ſubſidio, & dat nobis ad intelligendum, quomodo pariter ſit defunctis levamini; dicit nobis, quomodo ſerviat vitæ corporis, & nobis notificat etiam, quomodo juvet ad meliorem vitam animæ; quòd luce meliore hoc Supremum Sacrificium diſſipet tenebras culparum, & quod meliori pane ſuſtentet, & vivificet vitam æſtimatiſſimam gratiæ.

INSTRUCTIO XXVIII.

De debita Obſervatione Feſtorum.

HUcuſque non ceſsârunt ridere moderni certum quemdam Pictorem, quem habuit antiquitas, tam inſipientem, qui ſinè exacta æſtimatione menſurarum tabulæ ad proportionandam delineationem, incipiebat à pedibus pingere, & occupato toto ſpatio tabulæ, deficiente campo, relinquebat ſemper ſuas effigies ſinè capite.

capite. Venuſta inſania, relinquere principale, & ſe totum in eo occupare, quod minùs prodeſt. Attamen illum non culpate tam ſeveri, uſquedum videatis, an non hoc ipſum vobis contingat. In extenſa tela hujus vitæ depingenda nobis eſt anima & corpus: Corpori quærenda à nobis ſunt ornamenta, animæ procuranda eſt pulchritudo, venuſtas, vivacitas, & gratia: Anima caput eſt, in qua totum poſitum eſt; corpus habeat hoc vel illud ornamentum, parum importat. Jam itaque de iſta tela vitæ occupavimus & tranſegimus tot dies in labore, in ſolicitudine, in diligentia, in defatigatione; & omnia hæc qua de cauſa? Ob corpus; & quem campum, quem locum relinquimus, quos dies deſtinamus ad depingendum caput, ad exornandam animam? Debétne tranſigi integra hæc tela noſtræ vitæ ſolummodo in cura corporis? deprehendemus nos itaque in fine cum effigie ſinè capite. Hæc pro certo erit ſtultitia digna irriſione æterna: *Rogamus vos, Fratres, ut quieti ſitis*, dicit nobis Apoſtolus 1. ad Theſſalon. c. 4. & *veſtrum negotium agatis*: Fratres mei, ego vos rogo, ut diligenter faciatis veſtrum negotium, non illa negotia quæ procurantur & aguntur in laboribus, in defatigationibus, ſed illud, quod optimè componitur, & in ordinem redigitur in quiete, non cum rumore curarum, ratiociniorum, negotiationum, ſed cum quiete cogitationum; non cum laborioſis anxietatibus, & moleſtis ſolicitudinibus, ſed cum pace tranquilla cordis. Jam quale negotium eſt iſtud, quod cum tanta commoditate acquiritur? Eſt negotium, quod alia omnia negotia ſuperat, eſt unicum, & importantiſſimum: eſt negotium animæ. Oh quale negotium! hoc negotium, ſi anima pereat, quid prodeſt ei, etiamſi totum lucrata fuiſſet mundum? Ille, qui in annulo ex ære portat incluſum adamantem, ſi ex digito ei labatur, poſtmodum tamen inveniat adamantem, non eſt tanta amiſſio, etiamſi annulum deperdiderit; ſed ex oppoſito, quid juvabit invenſſe annulum ex vili ære, ſi adamas ſit deperditus? Jam hoc eſt noſtrum negotium, invenire adamantem animæ, & hoc debemus conſequi in quiete, in requie diei Feſtivi. Impendantur dies laboris in quærendo cum tanta defatigatione æreo intereſſe mundano; dummodo lucremur cum DEO quietem in diebus Feſtivis, ut aſſecuratus maneat adamas

animæ. Nihil perdit de ſuo itinere, qui ad reſtaurandas vires declinat ad hoſpitium, non intermittit aſcendere gradus, qui modicè ſubſiſtit ad reſpirandum: jam hoc ſunt dies Feſtivi, hoſpitia, ideò, ut ulteriùs ambulemus; requies, ideò, ut non intermittamus alacriùs aſcendere.

II. Iſta itaque commoditas non eſt otioſa, in qua debemus tranſigere dies Feſtos; omnia ſunt verſus DEUM dirigenda, & omnia in bonum animæ; Etiam ipſimet Gentiles, & Barbari deſtinabant dies, in quibus perſolvebant ſuis mendacibus Diis iſtud tributum; hoc eſt eſſe legis naturalis iſtud Præceptum; ſed quia etiam erat in illo pars cæremonialis præcepti quoad dies, quos aſſignavit DEUS in feſtivos Judæis; auferendo cæremoniale, quod ſolùm vim habuit in illa lege jam mortua, nobis aſſignârunt Sancti Apoſtoli, & poſtmodum Eccleſia noſtra Mater, dies, qui à nobis ſunt obſervandi in noſtra lege gratiæ; Illi obſervabant Sabbathum, in memoriam creationis mundi; ſed cùm mundus perierit ob culpam, acſi illum de novo creâſſet, dedit illi multò meliorem vitam noſter Redemptor ſua morte, hac de cauſa Sancti Apoſtoli aſſignârunt nobis diem Dominicam, quâ, reſurgendo Dominus de ſepulchro, extraxit ſecum liberum mundum ex inferno: ideò vocata eſt dies Dominica, quod vult dicere, dies Domini, & tali pariter nomine illam vocat Sanctus Joannes in ſua Apocalypſi c. 1. v. 10. *Fui in ſpiritu in Dominica die*: Alios dies Feſtos in honorem Domini, & memoriam Sanctorum, aſſignavit nobis poſtmodum Eccleſia: Quamobrem tribus nodis nos ſtringit hoc Præceptum, Legis Naturalis, Divinæ, & Eccleſiaſticæ. Quis cogitâſſet, quòd ad hoc, quod noſtra requies eſt, fuiſſet opus adhibere tantam ſolicitudinem, & curam? Quòd ad hoc, quod noſtrum eſt lucrum, oportuerit addere tantam obligationem? Cui ſervo daret ſuus Dominus unum diem in ſeptimana liberum, in quo ſuis negotiis propriis vacare poſſet, & hunc acceptaret, neceſſarium foret multùm eundem deprecari? Verùm tales ſumus nos homines, qui cum Pharaone eligimus mundi labores, & defatigationes, & nolumus cum DEO habere requiem.

III. Jam itaque duæ ſunt obligationes, quas nobis imponit tertium Præceptum: Una, quæ à nobis elongat impedimenta, & intricatio-

tricationes; Altera, quæ nobis proponit optima lucra: una negativa, quæ nobis prohibet opera ſervilia, ut nos applicemus operibus ſanctis; & altera poſitiva, quæ nobis intimat audire diebus Feſtivis Miſſam integram; de iſta loquar in ſequenti Inſtructione, ſi tamen eſt, quod aliquid reſtet ad dicendum de obligatione illi, in quo theſaurus infinitus Miſſæ, quem jam explicavi, non accendiſſet ardentiſſimum amorem ad hoc Diviniſſimum Sacrificium. Obligatio itaque non laborandi die Feſto eſt ſufficientiſſimè clara, & non indiget explicatione. Occludere officinas Mercatores, occludere ſuas tabernas negotiatorias Artifices, ſcripta auferre, & ſeponere ſcribas, ceſſare omnia Tribunalia cum omni illo, qui cauſat apud miniſtros judicialem ſtrepitum, hoc quòd debeat fieri, omnes intelligunt, & ſciunt; ſed ſuiipſius latrones oh quot dantur, & fures, relinquunt requiem DEI, ut in laboribus poſſint ſervire diabolo? quot & quanti, dum illi requieſcunt, faciunt gemere in afflictionibus ſuos miſerabiles ſclavos, ſuos artifices, & ſervos? Et quot, & quanti templum accedunt ad componendos ſuos contractus? Ah infamis cupiditas! in hócne reponis tuum lucrum? Ecce ſciatis, quòd quidquid taliter acquiritur, totum ſinè fructu deperdetur; in domo tali, ubi non obſervantur Feſta, nolite quærere, unde proveniant infortunia, ruinæ, & paupertas. Die feſto Sancti Jacobi, refert Belluacenſis lib. 6. c. 11. laborabant, neſcio in quo opere certi Caſtelli, ſeu munitionis, omnes milites, & ſequenti manè fuit combuſtum integrum Caſtellum, & redactum in cineres. Cœpit certâ mulier ſuere induſium in die feſto, ùt refert Meyli an. 661. & ad omnem ictum, ſudando tela ſanguinem, reliquit illam totam rubram. Certus agricola, refert Gregorius Turonenſis lib. 1. g. Mar. c. 15. exiens ad arandum die Feſto, expertus eſt manus ſuas quaſi agglutinatas ſtivæ, nec per integrum annum liberari poterat ab hac caſtigatione. Alius ivit effodere foſſam die Aſſumptionis Glorioſiſſimæ Virginis Dominæ noſtræ, cadente ſupra illum terrâ, remanſit ad unicum ictum ſepultus, & mortuus; Nunquam poſſem finire, ſi referre vellem ſimiles caſtigationes; iſtud itaque eſt lucrum, quod reportat cupiditas laborandi diebus Feſtivis. Sed animadvertite modò contrarium: Certus Dominus fundi, refert Herol-

tus,

tus, convenit ſub certo pretio cum quibusdam meſſoribus, ut illi purgarent, & excolerent certam partem terræ; advenit dies Feſtus, & unus eorum magis Chriſtianus, quàm cupidus, determinavit diem Feſtum celebrare; alii ſinè omni alio ſcrupulo laborem ſunt proſecuti: tranſit Feſtum, redivit ille, & videndo ſe poſt alios ſat longè diſtare, & reſtare, exceptus riſu ab aliis, vexationes à conſociis coactus eſt experiri, & ſufferre; verùm exiguo ſpatio non fuit opus plùs metere, dum ecce invenit grandem laminam ex auro, elevat illam, & legit in eadem ſcripta hæc verba; *Manus DEI me fabricavit, & dedit me in recompenſationem pauperi, qui feſtivitatem obſervavit.* Laborate modò, laborate jumenta auſtri, nam tale nomen imponit rationabiliter Iſaias c. 30. v. 6. illis, qui contra DEUM adlaborant ſe onerando ventis.

IV. Nihilominus tamen non tam ſtrictè obligat hoc Præceptum, quin ex quatuor cauſis non excuſetur quis in die Feſto à peccato mortali, ſi laboret. Prima eſt, parvitas materiæ, ſicuti, ſi quis unam laboraret horam: & dantur Doctores, qui etiam ad duas prolongant horas, & dicunt, non eſſe peccatum mortale. Ecce tibi hìc jam mercatorem, qui mihi objicit: Ergò ego intra unam horam poſſum peragere, & in finem perducere certam venditionem viginti millium florenorum; hócne ergo licitum erit die Feſto? Non erit, niſi peccando mortaliter, quia in hoc non menſuratur parvitas temporis, ſed quantitas venditionis, aut permutationis. Secunda cauſa eſt excuſatio pietatis: excuſat pietas, qua ſervitur DEO immediatè in ſuo Sancto Templo; immediatè

E. dixi, prout faciunt ſacriſtæ, qui adhibentur ad componenda, & reſtauranda, ornanda Altaria, expurgandam Eccleſiam, pulſandas campanas, &c. jam autem ex hoc colligitur, quòd non ideò aurifaber, qui facit calicem ad Eccleſiam ſpectantem, ſinè peccato illum poſſit facere die Feſto. Tertiò: excuſat charitas Proximi in rebus, & caſibus neceſſitatis, ut eſt, qui ſervit infirmis, qui alteri ſuccurrit, cujus domus igne conſumitur, vel qui in aliquo alio ſimili opere, vel labore invenitur. Quartò: excuſat neceſſitas non ſolùm certa, ſed pro certo probabilis. Opifex pauper, & prolibus onuſtus, miſera mulier, qui ſi non laborent, certiſſimè non habebunt, unde ſe, & liberos ſuſtentare poſſint

auditâ

auditâ Missâ, procurent vitare scandalum, & laborent tota die; Volo dicere: ut laborem suum non faciant cum publicitate, & laborent tota die, & non est opus Confessarios ad nauseam movere isto impertinenti scrupulo; ità pariter illi, quibus ex dilatione potest evenire aliquod damnum, & gravis amissio vel rei, vel laboris. Quapropter, an ad similem necessitatem possint reduci angustiæ, & solicitudines, in quibus se vident negotiatores Indici, & in Flottis, & mercatores in suis emptionibus, & scribæ in suis instrumentis, & artifices in suis officinis, hoc hìc non resolvo, consulat suos Confessarios, & meliùs foret quærere, & petere, quoad tales dies dispensationem à Judice Ecclesiastico, & sic facilè eveniet, ut scrupulus tollatur. Ad hanc necessitatem reducuntur tam opificia domûs, quàm illa officia, quorum interest procurare omnia necessaria pro sustentatione; & per hoc aufero scrupulum pistoribus, & dico, quòd, dum conveniunt tres, vel quatuor dies Festivi uniti, licitè possint conficere massam & pinsere panes, quantumvis sit dies Festus; quia non est ratio, ut cogamur innocenter comedere panem durum.

Nos, Pater, DEO sint laudes, non comprehendimur in ulla harum necessitatum: sumus omnino disoccupati; & modò? modò, ego resumo, modò cogitamus de DEO, modò de anima, jam de æternitate: nunc accedimus Ecclesiam ad audiendum Sermonem, Doctrinam Christianam, Rosarium, Vesperas, modò legimus librum devotum, & quandoque ad aliquam moram imus ad recreationem honestam; hoc est sanctificare festa. Quòd si autem totum contrarium agatur, quid erit? erit facere festa diaboli illa, quæ debebant esse festa DEI: erit conjungi diabolis, & dicere, & exequi: *Quiescere faciamus omnes dies Festos DEI à terra* Psal. 73. v. 7. Oh DEUS! Dilectissimi mei, & qualia sunt nostra Festa, & quidem majora, & magis affectuosa? ista sunt vel maximè scandalosa. In nocte Sancti Joannis quales ebrietates, quæ impudicitiæ in istis publicis conventiculis? In die Corporis Christi, quæ & quales dissolutiones per has ipsas plateas non practicantur? Jam olim dixit nostra Vita Christus JESUS Domnæ Sanciæ de Carrigio, quòd in hac die tractarent Christiani illum multò pejus, quàm ipsimet Judæi eundem tractaverint. In nocte V.

Sanctiſſima Natalis Domini quales abuſus, & abominationes in iſtis viis, quas vocant Creutz-Wege? In certis Feſtis particularibus Civitatum, ex adjacentibus, immò etiam longiùs diſtantibus locis, quis non ſit concurſus ad amatorios aſpectus, ad oculorum luſus, & ad res infames? & hæc vocamus Feſta? O DEUS meus! quantum ad literam video in Chriſtianitate punctuales tuas intimas querelas contra judaïſmum completas; Superſtitioſiſſimè hypocritæ Hebræi non elevabant de terra nè quidem unicum ſtramellum die Feſto, & poſtmodum conſumebant & tranſigebant diem Feſtum integrum, in quo? in quo? in hoc ipſo, quod nunc videmus, & experimur: in ſaltibus inhoneſtis, & in conventiculis laſcivis: Minùs malum eſſet, dicit M gnus Sanctus Auguſtinus, ſi foderent, quàm ſaltarent tam turpiter: *Meliùs foderent: quàm ſaltarent.* Idcirco, per omnes Prophetas ſuos, illis manifeſtat, & denunciat ſuam iram, & illis prædicendo inſinuat illorum caſtigationem & pœnam: abominatur, & abhorret anima mea veſtras Feſtivitates, dicit illis per Iſaiam, nauſeæ mihi ſunt, non illas ultrà patiar, quia iniqui ſunt veſtri cœtus: *Neomeniam & Sabbathum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri.* Iſa. c. 1. v. 13. Sabbatha mendacia vocat illorum Feſtivitates per Amos Prophetam cap. 8. v. 5. Stercus illa appellat per Malachiam Prophetam cap. 2. v. 3. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus Solemnitatum veſtrarum.* Oh Chriſtiani! Ah quæſo! nè hoc ipſum dicat Dominus de noſtris Solemnitatibus; quæſo, nè ſint Feſta noſtra irritantia & excitantia Dominum ad furorem & iram, dum in illis nobis ſe demonſtrat Majeſtas ſua magis propitia: Hac de cauſa Vita noſtra Chriſtus JESUS in diebus Feſtivis fecit ſua majora & favorabiliora miracula, ùt noſter certificat Mathias Faber; In die Feſto ſanavit illum Hydropicum: per hoc volebat dicere & innuere, quòd deberent ceſſare diebus Feſtivis anxietates, & ſitis cupiditatis; Die feſto reſtituit ſanitati illam mulierem pauperculam, quæ per octodecim annos erat incurvata versùs terram: hoc facto fuit nobis dictum, quòd omnes attentiones in Feſtis, quæ aliàs versùs terram tendebant, elevandæ ſint versùs cælum; Die Feſto curavit illum, qui habuit manum aridam: per hoc voluit nos docere, quòd in Feſtis diebus extendenda manus ſit ad eleemoſynam.

nam; Die Feſto ſanavit illum cæcum à nativitate: hoc facto nos voluit inſtruere, aperiendos diebus Feſtivis eſſe oculos ad lucem Doctrinæ Chriſtianæ, ad lumen Concionum, & Sacramentorum; Die Feſto ſanavit illum Paralyticum ad piſcinam: hoc facto voluit nobis dicere, quòd integram noſtram ſalutem poſſimus conſequi diebus Feſtivis.

VI. Sed conſumere totum diem Feſtum in veſtiendo corpore cum omni pompa, ut aliquæ mulieres faciunt, & aliæ in veſtiendo corpore ad illaqueandos, & irretiendos juvenes, ad monſtrandam profanitatem, ut appareant, & prodeant ùt plurimùm venuſtæ, hilares, & alacres; Oh DEUS! *Gloriati ſunt, qui oderunt te in medio Solemnitatis tuæ.* Pſal. 73. v. 4. Nec ab hoc vitio ſunt immunes juvenes, & adoleſcentiores viri, qui cogitant neſcio quàm ornatos diebus Feſtis ſe debere comparere. Non nego, veſtitum honeſtum & decorum, & ſtatui competentem eſſe ad ornamentum, & decorem Feſtorum: Sed quomodo? Tali modo, qualiter ille Heros Thomas Morus, qui dum à longo tempore miſſus in carcerem fuiſſet ob veritates Fidei, ibi advenientibus Feſtivis diebus ſe nobiliſſimis ornabat veſtimentis; interrogaverunt illum quadam vice, in quem finem ſe ornaret tam honorabili veſtitu, cùm à nullo videretur? Et ille reſpondit: Ego me non veſtio veſtibus decoris, & novis in diebus Feſtis in meum honorem, ſed ad honorandum DEUM. Obſervate vos, & animadvertite, an veſter veſtitus pompoſus, veſtra ſupellex, & ornatus ad hunc finem tendant. Pro ultimo tandem ego fateor, quòd opera ſancta & virtuoſa nos non obligent ſub peccato mortali taliter, ut ſit peccatum mortale omittendo illa; Attamen, ſi prodigatur dies in ſimilibus conventiculis, luſibus, ſaltibus, comœdiis, quilibet ſuam conſulat conſcientiam, quid illud ſit, quod illi ſimilia in anima reliquit, & timeat ſimilem caſtigationem ſequenti, quam jam vobis refero.

VII. Narrat Frater Thomas Cantipratanus vixiſſe in certo loco Brabantiæ fœminam Donnam nomine, & peſſimi nominis, dedi tam profanis diſtractionibus luſuum, ſaltuum, & muſicarum, tantundem inhoneſtarum, quantum illa ipſamet erat. Hæc itaque habebat pro devotione morem omnibus diebus Feſtivis tenendi

conventicula, & academias juvenum lascivorum, & fœminarum saltatricum, dissolutarum, & harmoniarum scandalosarum: Nunquid hæc erat venustissima devotio pro inferno? Erat in his conventiculis ut plurimùm de hilaritate, de tripudiis, de cantibus, & de comessationibus, & compotationibus. Post prandium itaque semel horum dierum festivorum, quos illa dies festos diaboli faciebat, instruxerunt in via, ad quam exporrigebatur ejus tabulatum, lusum pilæ certi quidam juvenes; ut eos ludentes possent intueri, exierunt omnes ad tabulatum, quod versùs viam protendebatur. Volavit non procul ab ipsis pila per reticulum, vi impulsûs, & ille, qui ex altera parte expectabat ad eam excipiendam, & repercutiendam, tam violentam vim adhibuit in ea repellenda, ut elapsum instrumentum de manu, quo pila repellebatur, volans per aërem, & ductum à superiore impulsu, se vibraverit ad tabulatum, & percutiendo illam Damam sanctificatricem Festorum in fronte, fracta ossa cum cerebro in minutissimas partes allíserit parieti: cecidit in instanti mortua; & ad casum, JESU! JESU! quæ compassio! proruperunt omnes amicæ, elevando in cælum clamores; est mortua! Sancte DEUS! qualis remanserit illa facies? qualis remanserit illa anima? Enunciet, & dicat nobis hoc id, quod secutum est. Tractârunt de ejus funere cognati, invitârunt plurimam Nobilitatem, impleta est domus populo, & defuncta in medio salæ in suo feretro, cooperto vultu, jacebat, ne appareret cum sua turpitudine turpior quàm mortua; jam, finitô responsoriô, ibant ad feretrum, ut illud una cum corpore in humeros elevarent, dum rumpens per gentem, & implens horroribus, & mugitibus aërem turpissimus taurus niger, ignem vomens, & fumum per oculos, & per nares jaciens, currens versùs feretrum, cornuum ictibus, calcibus, discerptionibus lacerando in minutissimas partes corpus, renovavit diabolus ad sonum suorum mugituum crudelem, & durum saltum; & sic illud relinquens, disparuit. Certiorati ex hac publicitate lacrymabili Cognati, colligentes postmodum reliquias infelices hujus miserabilis corporis, conduxerunt illas in campum: & quæ festivitas facta fuerit in inferno cum anima hujus saltatricis?

Ah!

Ah! Dilectiſſimi mei, cùm à nobis non ſanctificentur Feſta, ſaltem etiam non profanentur; cùm illa non faciamus Feſta DEI, ah non fiant feſta diaboli! In illis, ſi ea ſanctificare voluerimus, habemus profectum animæ, lucra ſpiritûs; optimum lucrum Regni cæleſtis, quòd ſi ſciverimus conſequi, continuare pergemus æternum diem Feſtivum, qui erit in gloria. VIII.

INSTRUCTIO XXIX.

De *Obligatione audiendi Miſſam integram die Feſtivo.*

In die noſtri Sancti Patris IGNATII.

EXcuſationem aliqualem haberemus in non procurando nobis majori honore, majori emolumento, & commodo, & majori fortuna, ſi ſimilia ſolvenda forent eo ipso pretio, quo nobis conſtat vanitas; ſed cùm hæc omnia habere poſſimus gratuitò, & ſinè pretio, emere poſtmodum vanitatem pretiô tam carô, quæ nobis excuſatio relinquitur? Fuit antiquitus Romæ, refert Suetonius, certus homo dives pari modo, ùt vanus, qui deſiderans menſæ accumbere Caligulæ Imperatoris, convenit cum ſervis Imperatoris; & efficit, quòd ipſum, neſcio ſub quali veſtitu, introduxerint quadam nocte ad convivium Palatii, & hac de cauſa obtulit illis, & exolvit ducentos ſeſtertios, qui ad minus aſcendunt ad ſummam quinque millium ducatorum. Cara ſcutella pultium ventoſarum, dare quinquaginta millia ducatorum, ut ſolummodo dici poſſit, illum cænâſſe cum Imperatore. Abſque tanto pretio ſumus nos vocati ad melius convivium, abſque talibus expenſis ſumus invitati ad lautiorem menſam, ad meliorem dico, & lautiorem, quàm unquam ſimili gaviſi fuerint cæleſtes ſpiritus. Oh! quid nobis darent ipſi ſupremi ſpiritus, quatenus poſſent nobiſcum adeſſe huic menſæ, adeſſe Miſſæ, non ſolùm ut ſervuli, nam ut tales jam læti ſerviunt; ſed ut commenſales, ut hoc Diviniſſimo Cibo frui poſſent? Magnum favorem videbatur exhibere I.

hibere Rex Perſarum Cyrus, mittendo ex ſua tabula aliquam ſcutellam Regiô repletam cibô alicui ex majoribus ſuis belli Ducibus; pro maximo favore, & affectu habebant Reges Parthorum admittendo aliquem ad ſuum convivium de ſuis Principibus, & quidem tali modo, Rex aſſidebat menſæ in altitudine Throni ſui, & Princeps in plana terra, ex illa altitudine Rex illi projiciebat cibos, acſi illos cani alicui objeciſſet; & honor maximus, quem exhibebat Rex Hiſpaniæ alicui ſuorum Magnatum, erat quodam die in anno ſolemni, & quidem maximè ſolemni illum ad ſuam admittere menſam. Si nos DEUS ad ſimilem tractaret modum, adhuc eſſet amor immenſus, adhuc eſſet dignatio ſuprema: idcirco quantò major eſt exceſſus, quantò major excellentia? O DEUS! O immenſam dignationem! quæ nobis dat gratioſè infinitè plus, præ illo, quod illa ipſamet comparavit tantô pretiô, tantis expenſis; Non mittit nobis unam patinam de ſua menſa, ſed ſeipſum demittit ab ipſo cælo ſummo, ut ſe nobis largiri poſſit; Non tractat nos ut canes, ſed nos honorat ut filios, & non certo die aſſignato, ſed omnibus diebus nobis tenet portam liberam ad fruendum tam ſupremo honore, & offert nobis in Miſſa menſam appoſitam. Et his omnibus poſitis éſtne poſſibile, quòd adhuc opus ſit præceptô, quod nos ad illud obliget, pro quo omnes Angeli nobis darent totum id, quidquid valent? Neſcit ille, quid ſit Sacrificium Miſſæ, qui, ad lucrandam immenſam fortunam & beatam ſortem, aſſiſtendo illi, expectat ut illum ad hoc trahat obligatio præcepti.

II. Hoc eſt omnino illud, quod hodie ſequitur vobis explicandum; Silentiô prætereo, quòd animæ nobiles quoad hoc non egeant Præceptô: Carolus V. totâ ſuâ vitâ nunquam omiſit Miſſam audire, præter unicum diem, quo pugnam commiſerat cum Tunetanis; quis allegat curas majoris ponderis? quis occupationes majoris momenti, negotii? Thomas Morus, qui cùm eſſet Magnus Cancellarius, & primus Miniſter Angliæ, non ſolùm quovis die Miſſæ aderat, verùm aliquando vocatus à ſuo Rege, duabus vicibus reſpondit, ſe pro nunc ſtare in ſervitiis majoris & melioris Domini, & non omiſit Miſſam; quis adducet negotia majoris preſſuræ? quis dependentias majoris curæ? Margaretha

Auſtria-

Auſtriaca, unio, & gemma Reginarum, omni die audiebat infallibiliter tres Miſſas; quis ponet pro obſtaculo ridicula ornamenta? profanum muliebrem cultum? Sed jam nunc quid ſortis, quid fortunæ habemus? O tempora! Ut ſaltem ſatisfiat Præcepto, correſpondetur obligationi.

III. *Quis*, interrogat Catechiſmus, *quis adimplet Præceptum audiendo Miſſam integram? qui toti aſſiſtit, ſinè voluntariis diſtractionibus.* Toti Miſſæ? quid ſi veniat ad Epiſtolam? adimplet: & quid ſi ad Evangelium? etiam: ſed quid ſi ultrà, jam non ſufficit, & mortaliter peccat, ſi non audiat aliam. Debeo itaque hic aliquid notificare; Attendite bene ad hoc, neſcio enim, an hoc aliquando obſervaveritis; quòd ſucceſſurum ſit ſæpius aliquem audiviſſe Miſſam integram, & tamen hoc non obſtante, peccaturum mortaliter contra hoc Præceptum; quomodo hoc poteſt fieri? Quandoquidem ſi illud, quod mihi mandatur, eſt audire die Feſto Miſſam integram, & ego illam audio; adimplevi ergo jam audiendo Præceptum; non poteſt itaque adeſſe hic peccatum; benè eſt; ſed ego quæro: Veniſti currendo ad Miſſam audiendam circa meridiem? Ita eſt Pater; fuit mea fortuna, quòd adhuc Miſſam deprehenderim; attamen finaliter illam audivi; jam ego tibi dico: Quantumvis illam audiveris, peccâſti mortaliter propter periculum, in quod te expoſuiſti non audiendi Miſſam; confeſúsne es, quòd te huic expoſueris periculo? Ah Patresfamilias! quale onus? uſque ad meridiem expectare, poſtmodum ut Miſſa omittatur; & tunc circa meridiem pulſatur domeſtica campana ad colligendam familiam, & Eccleſia longè diſtat: eja, eja citò currite, acclamatis. Non aufertur, non tollitur veſtrum peccatum mortale per ſimiles acclamationes; per ſimiles excitativos clamores.

IV. E contrario, non ſemper eſt peccatum omittere audire Miſſam, quia dantur ſufficientes rationes & cauſæ, quæ legitimè aliquem excuſant; Hæ ad tres reducuntur; ob impotentiam, ob charitatem, vel ob neceſſitatem. Ob impotentiam; vel ſit impotentia corporalis, ut eſt, qui affixus eſt lecto, incarceratus, hæc impotentia cuivis patet; vel ob impotentiam moralem, id eſt: quòd ſolummodo cum multa difficultate, labore, vel periculo illam poſſit audire: tali modo itaque ſunt excuſati ab audien-

da

da Missa mulier gravida, quæ partui proxima est; convalescens, qui si foras prodiret, posset reincidere in morbum; Ille, vel illa, qui ob exitum cum fundamento timet aliquod periculum vitæ, vel honoris: qui caret vestitu, ut decenter comparere possit; tempestas mala, & ut plurimùm pluviosa specialiter pro fœminis: sed quia potest esse pro uno legitima excusatio illud, quod ob circumstantias non est pro altero, consulant hac de re ulteriùs suos Confessarios. Excusat pariter à Missa charitas, dum à quopiam assistitur alicui infirmo, vel qui non habet, qui illi assistat, vel qui habet suum solatium, quòd ista, vel ista persona illum non derelinquat: vel necessitas, sit illa subjectionis, ut est in sclavo, qui supra animam sui Domini relinquit Missam, quam ille non finit eum audire, vel sit ratione officii, & servitutis, ut est in Pastore, qui non potest derelinquere suum gregem; vel sit ob exercitium, ut est in muliere, quæ lactat infantem, & non habet aliam, cui illum concredere possit, & infans est nimium lacrymabundus: tales obsecro cum infantibus non accedant Ecclesiam, nec audiant Missam, & bonum opus & servitium nobis præstabunt, non veniendo ad inquietandum nos; & si talis mulier omiserit venire ad concionem cum infante plangente, majorem nobis præstabit favorem.

V. Nunc itaque, illi, qui ità impediti, omittunt audire Missam, non solùm non peccant, sed acceptum possunt sperare, & æstimare à DEO illorum bonum desiderium. Certus Sanctus Laicus Ordinis Sancti Francisci, cocus sui Conventûs, habebat desiderium, & devotionem assistendi omni die tot Missis, quot poterat; itaque quodam die dum nullus in culina fuisset, & cati oportunam occasionem invenissent, ecce tibi invertunt ollam, & devorant illud, à quo postmodum debuerunt abstinere Religiosi. Iratus ob hoc Guardianus, mandavit illi Laico, ut ultrà non iret, prout solebat, ad audiendam Missam, sed ut suæ attenderet obligationi; obedivit ille, sed die sequenti, dum campana sonum daret ad elevationem, in genua prostratus, & in tenerrimas resolutus lacrymas: Ah Domine! dixit, solatium, & consolationem meam, quam habebam ex assistentia ad tuum Divinum Sacrificium, debet mihi auferre ista culina! Sed quid agendum? Melius est

eſt illud, quod tu diſponis; eo ipſo momento, ſtupendum prodigium! Aperti ſunt, quotquot ibi erant, parietes uſque ad Altare, vidit patentem, & adoravit Hoſtiam Sacramentatam; parietes poſtmodum ſunt reuniti, verumtamen reliquerunt ſigna hujus prodigioſi miraculi.

Ego in tantum occupatus aſſignando illo, quod excuſat, & nondum dixi illud, ad quod nos Præceptum hoc obligat. Obligat nos itaque, dixit nobis Catechiſmus: *Aſſiſtere integræ Miſſæ, ſinè diſtractionibus voluntariis*: Duo hic nobis dicuntur: aſſiſtere corpore, attendere animâ: Nec ſolùm ſufficit venire cum anima, id eſt habere intentionem, vel deſiderium eundi ad Miſſam, nec ſolùm ſufficit adſtare cum corpore, & ſtare vel dormituriendo, vel ſinè intentione audiendi Miſſam; Conjungenda itaque ſunt corpus & anima, iſta cum attentione, hoc cum reverentia; Quanta ergo debet eſſe una, & altera? Oh DEUS! dicamus priùs de corpore, & non cito Sanctum Paulum, nec apporto authoritatem Sancti Auguſtini; quidam Gentilis refert, qualiter aſſiſtebant Gentiles ſuis ſordidis ſacrificiis; *Intramus templa compoſiti*, dicit Seneca, quæſt. nat. lib. 71. c. 3. *ad ſacrificium acceſſuri vultum demittimus, togam adducimus: in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* In omne? Ità eſt; genibus in terram proſtrati, oculis modeſtis, vultu ad reverentiam compoſito, ne quidem muſſitatio auditur, ſed ſtrictiſſimum ſilentium: *In omne argumentum modeſtiæ.* Hoc faciebant Gentiles aſſiſtendo dæmoniis? O confuſionem! O infamiam! O vituperium! Pro quo? Pro quo? ex hoc quod ſequitur, advertant pro quo. Narrat, & admiratur Sanctus Ambroſius, quòd, dum offerret ſacrificium Alexander Magnus, ſteterit ad latus ejus unus ex Ephebis cum facula: prolongabatur ſacrificium, facula conſumebatur, & quidem in tantum, ut jam manum Ephebi flamma apprehenderet: & ille ſtetit immobilis; fumigabat jam manus, & ille conſtans; ſtrepitum jam edebant ardentes digiti, & ille firmus eò uſque ſivit ſe uri, & manum ardere, nè turbaretur ſacrificium. Ah Dilectiſſimi mei! quòd apud nos non ſacrificetur aliquis taurus Deitati mendaci, ſed Agnellus Immaculatus Filii DEI Sanctiſſimæ Trinitati! Ità hoc credimus, ità hoc cognoſcimus; At neſcio, an imitemur illum Ephebum heroicum, quandoquidem forſitan in VI.

Missa tot & tanti inveniuntur, qui sinunt animam suam adur à pejoribus favillis! Oh quomodo confistit nostra Religio! Et quomodo similes disordines requirerent zelum illius cordis Catholici Philippi Secundi: audiebat ille quadam vice Missam cum suis Grandibus Castiliæ, & duo eorum cæperunt inter se conf bulari; advertit hoc Rex, sivit finiri Missam, & in exeundo conversus ad eos cum sua naturali severitate: Vos duo, dixit utrique, non præsumatis ultrà in mea comparere præsentia. Suffecit hoc, ut unus ex illis subitò mortuus fuerit præ cordolio, & alter stultus factus. Ah quid faceret iste Catholicus Monarcha, si videret circulos ineptas, & immoderatas locutiones hic inter vos, & non inter Grandes Castiliæ; silentium, silentium, est pars Principalissima Cultûs Divini; etiam bruta quandoque nos hoc docuerunt. Audiebat Missam Sancta Ida Lovanienfis, juxta relationem vitæ ipsius, & illic immediatè causabant molestum suum strepitosum rumorem glocitando quædam gallinæ; convertit se Sancta, vocavit illas ad se in nomine Domini, omnes advenerunt; recedite hinc, dixit illis, absque omni clamore, state quietæ; in veritate ità manserunt immobiles, & fixæ, admirantes Sanctam, & mutæ, usquedum, terminatâ Missâ illis mandâsset foras ire, & glocitare.

VII. Verùm cùm non sufficiat sola reverentia exterior corporis, quanta debet esse attentio animæ? Ad sedandas mentes scrupulosas, sufficerent solummodò discreta verba Catechismi: *Sinè distractionibus voluntariis*; Ità ut quantumvis adsint distractiones, tamen auditioni Missæ satisfiat? Ità est; dummodo similes distractiones non quærantur ex proposito; & quantumvis aliquis eò non pertingat ad videndum illud totum, quod facit Sacerdos? Etiam, & quantumvis nec hoc videat, ob nimiam copiam gentis concurrentis, tamen adimpletur præceptum audiendi Missam, & si res se aliter haberet, ad quid conveniunt cæci ad Missam? Sed quis hoc poterit mulieribus persuadere? Idcirco jam aliæ ex me quærunt: Pater, ego habeo devotionem audiendi simul quatuor vel quinque Missas, quæ uno tempore exeunt, & leguntur eodem tempore; poteróne hoc facere? Dico quòd sic, ex sententia multorum gravium Authorum, & quòd talis sit ut plurimùm sancta, & proficua devotio; & quamvis sit dies Festus, posúmne audire

audire conjunctim cum Missa obligationis alias Missas? Repeto dicere, quod jam dixi, quòd ità, & faciunt vobis istud lucrum, quòd id non impediat attentionem. Et quid est illud, quod impedit? scitis quid? In Ecclesia esse examinando apud se totam congregatam communitatem, cum animo se divertendi; legendo, non dico, si sunt aliquæ orationes, quæ solent orari, sed alias res, etiamsi sint materia spiritualis; Loqui, vel dormire, & si hoc per notabilem partem Missæ practicetur, est peccatum mortale: *Age quod agis*, clamavit certa vox cuidam Sacerdoti, qui sua operando distractus erat. Et in quem quæro exempla ad movendam nostram attentionem, nostrum fervorem, nostram teneritudinem erga hoc Divinissimum Sacrificium, cùm habeamus in illo Altari illum Sacerdotem *Sanctissimum* ex toto prodigiosum? Qua de causa cogitatis depingi meum Glorioſum Patrem Sanctum Ignatium plùs quàm ordinariè, indutum vestibus Sacerdotalibus? Nunquid, & alii Sancti fuerunt Sacerdotes? & tamen taliter non depinguntur; quare itaque *Sanctus* Ignatius in tali pingitur forma? Scitísne quare? quia prout in eo fuit singularis, rarissima, & prodigiosa teneritudo, & devotio erga *Divinum Sacrificium*, ità in eo fuerunt stupendi, & vix non continui favores, quos de cælo habuit; omitto nunc *plurimas vices*, quibus Manresæ audiendo Missam antequam fuisset *factus* Sacerdos, vidit in Hostia patentem nostrum *Redemptorem*; ordinatus jam Sacerdos, dum jam numerabat à sua conversione sedecim annos vitæ; meliùs dicam, martyrii pœnitentiarum; meliùs dicam, mortis omnium suarum passionum, & sensuum; meliùs dixero, continui volatûs amoris ardentissimi in revelationibus, in extasibus; cum his omnibus post ordinationem in *Sacerdotem*, mansit de die in diem se præparando pro prima sua Missa, octodecim mensibus in tali præparatione. Oh quæ præparatio! hoc fuit pro prima Missa, & quid dicemus de reliquis? Omni vespere legebat per longum spatium temporis Missam, quam volebat sequenti dicere die; & manè, post horam orationis, præparabat se per alteram integram horam genuflexus ad Missam, & absolutâ Missâ reddebat gratias per spatium aliarum duarum horarum: Hic, hic est, ubi cælum effundebat supra illum fluviorum instar suas luces, & suos favores.

Quas lacrymas, quos ſenſus, quos ſingultus non profundebat! Ordinariè neceſſitabant eum ad ſubſiſtendum in Miſſa, quia non poterant ultrà procedere: videbatur ad Altare ſtans aliquot vicibus totus reſplendens; alii multi viderunt de cælo deſcendere globum ignium, qui ſupra ejus ſubſiſtebat caput; ibi faciebant illi Angeli muſicam; ibi Regina Angelorum ſe illi præbebat viſibilem; illic finaliter innumerabilibus vicibus raptus, vidit modò Humanitatem Sanctiſſimam Chriſti, modò inſcrutabile Myſterium Trinitatis Beatificæ. Videtis modò rationem, qua de cauſa depingatur in veſtibus Sacerdotalibus; & cùm jam illum teneamus veſtitum ut Sacerdotem, in veritate audienda nobis eſt nunc Miſſa; quantumvis jam tempus ſit pomeridianum, & quidem Miſſa integra, & hoc erit locò exempli.

VIII. Duaci in Flandria, refert noſter Hautinus num. 1069. in certo Monaſterio Monialium Sanctæ Claræ erat quædam Monialis, quæ jam per integrum annum, numerando cum inſtantibus ſuas convulſiones, expectabat quælibet hora, immò omni momento, mortem; omnes medicinæ deſperatæ erant, & in tantum diſtantes pro adferendo remedio ſanitatis, ut omnes ſtuperent videndo illam vivam, in una continua convulſione membrorum, quæ convulſio illam aggravabat paralyſi, quæ ſola, cum aliquanti per ab illa certis modis repelleretur, dabat illi inducias vehementiſſimi doloris capitis, ità, ut etiam ſola locutio illam offenderet. In hoc ſtatu ſui infortunii audivit nuntium, quòd canonizatus eſſet Sanctus Ignatius; & vel in honorem novi Sancti, vel quia jam nullus alius ei reſtabat, quem ſuis non fatigâſſet precibus, ſtatuit facere unam novenam; explevit illam, & nihilominus remanſit ut antè; verùm cœpit immediatè repetere alteram: bene, hæc obtinebit; quantis beneficiis, & gratiis nos reddimus indignos, & vacuos, quia non ſumus conſtantes in precando? Vix ſecundam incepit novenam, ecce tibi in capite ſentit aliquem ictum: ad vocem, oh me! auve! vertit ſe tota doloribus repleta, & videt ſe cinctam ſplendoribus, & in his meum Glorioſum Patrem. Interrogat illam: an crederet eum tantum poſſe habere, ut illam ſanare poſſet? Reſpondet illa, quòd ſic; & Sanctus, qui nec in cœlo obliviſcitur zeli animarum, volebat illam prius curare in ani-

ma;

ma: adhortatus est illam, quatenus in sua reformaret persona quosdam defectus; promisit illa hoc, & Sanctus disparuit, relinquendo nihilominus illam infirmam ut antè. Sancte DEUS! & quid ultrà expectat Sanctus Ignatius? Scitísne quid? ut illa priùs ejus audiret Missam: Advenit dies; quo in illa Civitate celebrabatur Sancti Canonizatio; & circa horam octavam matutinam, illa Monialis jam quasi moribunda, rapta in spiritu, vidit se esse in quadam pulcherrima Ecclesia, & in altari omnia ad celebrandam Missam necessaria præparata. Intonuit Chorus, & sub hoc præcedente Diacono, & Subdiacono, videt prodire Sanctum Ignatium, vestitum vestibus Sacerdotalibus, ad dicendam Missam, & post eum vidit exeuntem grandem multitudinem populi; virorum, & mulierum, quibus repleta fuit Ecclesia; interrogavit, quis populus iste esset? & fuit illi responsum, esse illos multos, qui in toto mundo acceperunt à Sancto Ignatio illo die aliquod speciale beneficium; hoc audito confortata est animô. Incepit Missa, & illa continuabat in suis languere doloribus, quinimmò magis eam gravabant toties, quoties Sanctus Ignatius se vertebat ad populum dicens: *Dominus vobiscum*; usquedum jam terminatâ Missâ, dum Sanctus se verteret ad dandam benedictionem, infirmæ illam impertiit his verbis: *Ad Majorem DEI gloriam fias sana*, hoc facto disparuit visio, illa ad se rediit, & experta est ex integro se esse liberam, sanam, & recentem; datúrne modus similis patrandi miracula? quid hoc fuit? Notificare nobis ex ipso cælo voluit hic Sanctus, Missam esse illud, per quod consequimur omnes favores, & quòd in audienda illa integra repositum sit lucrari benedictiones cæleſtes.

O Sanctissime Pater mi! Emitte de cælo supra omnes hic IX.
præsentes tuam benedictionem, & cum illa communica nobis de tuis splendoribus radiolum, de tuis fervoribus unicam scintillam, ut taliter sciamus tam supremo Sacrificio assistere in terra, quatenus assequi mereamur, frui, & gaudere ejus fructibus in gloria.

INSTRUCTIO XXX.

De Obedientia, quam tenentur præstare Filii suis Parentibus.

Præceptum Quartum.

Honora Patrem, & Matrem.

I. UNico gradu minùs continet enormitatis delictum illius, qui ausus est offendere Regem in sua imagine, in comparatione alterius, qui præsumpsit illum offendere in propria persona; idcirco in ambobus invenitur crimen læsæ Majestatis. Hic, ubi distantia nos privat præsentiâ nostri Regis, & Domini naturalis, cernimus effigiem positam sub baldachino magnifico, cum omni apparatu digno tanta Majestate, cui correspondet in omnibus respectus, attentio, & reverentia. Et sitne totum hoc obsequium isti mortuæ telæ? Non; sitne tota ista humiliatio istis coloribus sinè anima? Minùs; unde itaque est tanta veneratio huic picturæ? Ob personam regalem, in cujus cognitionem nos ducit, ob Majestatem regalem, quam nobis repræsentat. Attendite nunc Dilectissimi mei; habemus in cælo Regem, Dominum, Patrem, qui quantumvis nobis dedit esse, sustentationem, respirationem, vitam, quantum sumus, quidquid habemus; licèt intimè nobis sit præsens, quia immensus est, nihilominus illum nostri non vident oculi, quia spiritus purissimus est, & ideò nobis voluit ponere suam imaginem visibilem ob oculos, ut in illa ipsi exhibeamus omnes debitos respectus. Et quales sunt istæ effigies DEI, istæ imagines Patris cælestis, quas debemus venerari sicut sub repræsentatione? Sunt nostri Parentes naturales, quos Plato appellavit Deos terrestres, quos Stobæus nominavit Creatores secundarios, quos Philo dixit Deos visibiles, & quos Catechismus Romanus vocat Imagines, quæ moraliter nobis repræsentant nostrum immortalem Patrem DEUM: *Sunt enim Parentes, immortalis DEI quasi quædam simulacra.* Et si tanto cum decore revereremur imaginem mortuam Regis terreni, quantum non debet esse nostrum obsequium erga has imagines vivas Regis supremi cælorum, quæ cùm sint

ſint ſua inſtrumenta, per illas accepimus eſſe; conſervationem, educationem, & vitam? *Memento quoniam niſi per illos, natus non fuiſſes*; inculcat nobis Spiritus Sanctus Eccleſ. 7. v. 30.

II. Idcirco ubi finiviſſet ſua Divina Majeſtas ſcribere in prima Tabula ſuô Divinô digitô tria prima Præcepta, jam à me explicata, in quibus continetur tota noſtra obligatio erga DEUM, ut eſt in ſeipſo, qui petit à nobis ex toto corde amari qui colit, ut omnia noſtra verba in laudem ejus cedant, & omnia noſtra opera in exteriorem cultum; tranſit jam nunc ad intimandum nobis amorem, quem tenemur præſtare Proximo in ſeptem Præceptis ſecundæ Tabulæ. Primùm omnium nobis intimat honorare noſtros Parentes; Præceptum immediatum illis, quæ pertinent ad honorem DEI; quia cùm non ſit ſatis nec ſufficiat amare, & honorare ſuam Divinam Majeſtatem in ſeipſa, debemus illam honorare, & amare in his ſuis vivis Imaginibus: eſt Præceptum etiam primum inter illa, quæ reſpiciunt amorem Proximi, quia inter omnes alios Proximos, iſti ſunt maximè Proximi, id eſt viciniſſimi quoad obligationem. Et quia, uniendo ambas rationes in unam, eſt pro quolibet Pater ſuus, medium inter DEUM, & alios proximos, qui ex una parte confinat ſeu conterminat cum immortali, id eſt: cùm ſit effigies DEI; & ex altera quoad mortalem conterminat cum aliis hominibus. Et ecce tibi hic, quomodo iſtud Præceptum honorandi Parentes, eſt ligamen, nodus, qui inter ſe unit, & compaginat utramque Tabulam legis, illam de amore DEI, cum illa de amore Proximi; ità ut filius, qui non honorat ſuos Parentes, nec erga DEUM pariter tenet legem, nec obſervabit legem erga Proximos alios; quomodo enim ergo hos legem obſervabit, qui ſuo Patri reſpectum denegat? & erga DEUM quem reſpectum habebit, qui hunc erga Imaginem ſuam deperdit, quam viſibilem habet? *Qui non diligit, quem videt, DEUM quem non videt, quomodo poteſt diligere?* 1. Joan. 4. v. 20. eſt argumentum Sancti Joannis Evangeliſtæ. Itaque, ſi nec pro DEO eſt bonus, nec eſt bonus pro hominibus filius inobediens, pro quo erit bonus? ſolùm pro inferno. Aufer radium à ſole, & quid erit ille radius? umbra; Aufer rivum à ſuo fonte, & quid fiet de riyo? nil præter arenam, & lapides; Tolle de arbore ramum,

mum, & quid erit de ramo? lignum ſiccum pro foco; Tolle à corpore brachium, & quid, quid erit hoc brachium? putredo, fœtor, & vermes. Jam ecce totum hoc eſt filius; qui à ſuo ſejungitur Patre inobediens, dicit Sanctus Petrus Chryſologus: *Sic ſepara filium à devotione paterna, & jam non erit filius.*

III. Ego confiteor, quòd quaſi invitus incipiam explicationem hujus Præcepti, non jam ex occaſione, & ratione, quòd Solon, dando leges Athenienſibus, non aſſignaverit pœnam filiis, qui aliquid tentâſſent contra vitam ſuorum Parentum; & interrogatus, cur iſtud non præveniſſet delictum, ſtatutâ pœnâ legis? reſpondit: Quia nec cogitatio ſibi incidiſſet tale poſſe evenire delictum, & quòd nec pœnam poſuerit, nè in memoriam incideret culpa; *Nè tam prohibere, quàm admonere videretur*, inquit Cicero pro Roſc. Sed ego è contrario non vellem legis recordari, quia video, quòd dentur tot mali filii, tot mali Parentes, & neſcio, an pejores filii ſint Parentibus, vel Parentes pejores filiis, timeo ego, quòd in memoriam illis reducendo Præceptum DEI, & naturæ, inde nihil plùs ſit ſecuturum, quàm aggravatio damnationis tam pro his, quàm pro illis; tales ſunt conſtantes in filiis contumaciæ; tales ſunt perniciosæ in Patribus negligentiæ, & tales ſunt in matribus venenoſæ, & mortiferæ blanditiæ, & illecebræ. Nos certè videmus perditam Rempublicam ob innumerabiles filias, & filios, perverſos, audaces, & diſſolutos; innumerabiles Patres, & Matres infamiter negligentes advertimus, & cùm ſimilibus plena tota ſit civitas, nihilominus tam exigua ratio habetur hujus Præcepti, ut vix ſoleamus audire nos Confeſſarii, & hoc rariſſimè, à Parentibus quandam generalitatem plurimùm confuſam: *Ego me accuſo Pater, de negligentia, quam commiſi circa meam familiam*; quàm hoc ſit cum exiguo ſcrupulo! à prolibus: *Ego me accuſo, quòd fuerim inobediens meis majoribus*, cùm quanta ſerenitate! & hócne ſufficit? Pergam igitur ego demonſtrare in particulari graviſſima peccata mortalia funeſtiſſimarum conſequentiarum, quæ hac in re inveniuntur, & exhinc videant hi, & illi ſuam obligationem. Incipiam à filiis, tranſibo poſtmodum ad Parentes, pergam percurrere per familias. Oh DEUS! quanta eſſent dicenda! verùm ego procurabo pro poſſibili hæc coarctare.

Honora-

Honorabis tuum Patrem, & tuam Matrem, ut sis longævus super terram; sunt verba ipsiusmet DEI, quæ nobis formant quartum Præceptum suæ Legis Sanctissimæ. *Honorabis*; Quare non dicit, illos amabis, illos timebis? Cur solummodo dicit, ut illos honoremus? quia in hoc omnia comprehenduntur; timet unus alterum, & illum non amat; Non itaque: honorabis, honorabis, quod in lingua DEI non vult solùm dicere, & insinuare solas exteriores reverentias, & illa, quæ vocant exteriora complementa, non; sed amorem ut plurimùm verum, qui non debet remanere solùm internè in corde, sed debet prodire extrà in obedientiam, in subvenientiam, in adjutorium, & in reverentiam erga nostros Parentes. Hoc est illud, quod DEUS vocat honorare Parentes, & hoc nobis pariter jam dicit Catechismus: *De quarto Præcepto te interrogo: Quis est ille, qui suos honorat Parentes? Ille, qui illis obedit, subvenit, reveretur.* Reverentiam illis debemus, quia illis post DEUM nostrum esse debemus, & vitam: quantus itaque debet esse noster erga illos respectus, subsidium, auxilium, subvenientia, quia illis debemus educationem, & sustentationem, & alimenta; quas non habuerunt molestias? quas non curas? quales labores? Quàm promptus itaque esse debet noster succursus, nostra subvenientia? Obedientiam, quia per ipsos habemus educationem, & doctrinam: quanta igitur debet esse docilitas nostra ad illorum præcepta? Et omnia hæc, quia sunt innumerabilia beneficia, ob quæ illis obstricti sumus, non sufficiunt, nec his omnibus præstitis, poterimus nos ad æqualitatem nostræ obligationis, illis exolvere, & sufficienter gratos exhibere. Permittamus itaque pro sequentibus Instructionibus, subsidium vel subvenientiam, & reverentiam, quæ à nobis Parentibus debetur; loquemur hodie de sola obedientia. IV.

Verùm hoc de obedientia, subjectione, & promptitudine nobiscum loqui, mihi forsitan plures objicient, hoc loqui est cum parvulis, cum pueris, cum infantibus: Unus adolescens jam barbatus, qui se jam accingit gladio; una mulier, quæ jam quærit maritum, erunt subjecti, & obedientes, vel uni Seni turbulento, vel alicui Viduæ pauperculæ, quæ alia subsidia, & insignia non habet, præter sua vela, nec ultrà aliud habet, quò recurre- V.

re poſſet, præter ad ſuas crepitas? Oh DEUS! & quot illorum, & quot illarum non dantur, qui, & quæ ſimili modo loquuntur; & hoc quod pejus eſt, taliter hoc faciunt. Lex naturæ recognoſcitur etiam à beſtiis, & juri Gentium obediunt etiam Barbari; & Lex Divina, & hoc Præceptum Divinum ubi manet apud Chriſtianos? Ah Chriſtianiſme! Nominabat Imperator Decius filium ſuum in collegam Imperii, ſed juvenis nullo modo volebat ſe oneri ſubjicere, & dedit tale reſponſum (audite filii infortunati, audite filii maledicti à DEO iſta verba unius Gentilis) timeo, reſpondit, nè, quòd ſi me faciant Imperatorem, filius eſſe deſinere debeam; & potius volo non eſſe Imperator, quàm ceſſare eſſe filius obediens, & humilis, imperet Pater meus, mihi ſolùm incumbit obedire in illo, quod Pater mihi voluerit mandare: *Malo non eſſe Imperator, & humilis filius, quàm Imperator, & filius indevotus.* Oh qualia verba! plùs æſtimare obedientiam filialem præ Imperio, plùs ſubjectionem, quàm coronam, plùs ſervitutem, quàm ſolium. Et ille ob ſuum gladiolum, & illa ob ſuam ſpeciem, ità ſe extollunt, ut ille ſit ſolus, qui in domo mandet, & illa ad nutum domum gubernet, & ut Pater vel Mater taceat, toleret, & omnia ſufferat. Quis attulit hanc diſpenſationem Legis DEI, quam videmus tam communem in domibus? Quis dedit hunc ſalvum conductum impietati? Quis inter Chriſtianos tam uſuale fecit illud, quod etiam Barbari abhorrebant? Quis, eò quòd filia excreverit, illam liberavit ab obſervantia, & ſubjectione? Verùm ego valdè metuo, quòd ipſimet Patres ſint, & Matres cauſa totalis talium diſordinum, ut ſic omnes ſimul, proles, & Parentes damnentur. Cleoves, & Vitone fuerunt ab antiquitate venerati ut Dii, quia dum templum accedere debuiſſet Mater illorum, & fanorum ſacerdotiſſa Argia, & equi defuiſſent, hi duo pii, & religioſi filii, imponendo collis ſuis jugum, & juncti temoni currûs, conduxerunt per vias Urbis Romæ ſuam Matrem uſque ad portas fani; ità hoc factum laudat Magnus Tullius, & ità illud celebrat Claudianus.

Si vetus Argolicos illuſtrat gloria fratres,
Qui ſua materno colla dedére jugo.

Ut habituni inter Gentiles fuerit pro tanta gloria hoc jugum; &

inter

inter Christianos inveniuntur, qui tam audacter excutiunt jugum obedientiæ?

VI. Certum est, obedientiam in omni illo, quod respicit probitatem morum, bonum animæ, & bonum regimen, & decorem domûs, obligare filium sub peccato mortali; tali modo, quòd si non sit materia levis, ut sit disobedientia peccatum mortale. Jam itaque, tibi mandavit illa paupercula mater, cui tu pro tormento servis, & illa tibi est nigra nubes maledictionis, tibi ergo mandavit, ut frequentares Ecclesiam, Sanctissima Sacramenta; tu tibi ad hoc rides, aut te excusas; Mandat tibi, quatenus hanc, vel illam domum non adeas, vel illam, aut illam personam, quæ igne infernali luxuriæ ardet, evites, vel ut lusum dæmonum caveas; tu exinde jocum facis: mandavit tibi jam millies, quatenus te ab illa pessima societate segreges, ut tempestivè nocturno tempore te domum conferas; tu in omnibus pejùs facis, & tantò tardiùs redis; Et postmodum veniendo ad Confessionem tibi videtur te omnia adimplere, solummodo superficialiter te accusando: *Fui inobediens in domo*: Itàne tantus peccatorum numerus mortalium explicatur? & illa pertinacia taliter tacetur? Et dolor gravis, quem tuo Patri causas; & amaræ lacrymæ, quas tuæ Matri educis, itàne omittuntur? Non bene es confessus, non sufficit hæc confessio; debuisses dicere: *Me accuso Pater; quòd postcaquam mihi mandâsset meus Pater, vel mea Mater, ut derelinquerem certam domum periculosam à tali vel tali tempore, ego non voluerim derelinquere: quòd dum mihi mandâssent, ut congruâ horâ domum redirem, ego media nocte redeam: me accuso, quòd hac de causa viderim continuas lacrymas, clamores, & cordolia meæ Matris, & ego hæc omnia vilipenderim.* Et tantò plùs, si illos hos clamores, has lacrymas, tua audacia causârunt responsa; tali modo poterit Confessarius conceptum sibi formare de statu tuæ animæ, & juxta hunc dabit tibi consilia salutaria; pœnitentias convenientes: videbit, an venias tandem cum proposito emendationis, & si hoc non adfers, tibi quàm optimè negabitur absolutio; tali modo teneris confiteri, sed confiteri superficialiter dicendo solummodo, *fui inobediens*, hoc est celare apostema, & illud minimè confiteri; hoc est conservare, & facere ut eò magis accrescere possint peccata mortalia in anima.

VII. Hæc obedientia igitur obligat filium ſemper ſub peccato mortali, dum expreſsè illi mandat Pater, vel Mater aliquam rem gravem, licitam, & juſtam. Idcirco, oh DEUS! ſi Pater mandat filio, ut falſum juret, ut mentiatur, ut furetur, ut ſe vindicet de injuria: *Si* Mater mandat filiæ, ut ſe ornet, ut foras exeat, ut quærat, ut admittat petentem, ut petat, & ut pro utraque lucrum faciat; & poſsétne eſſe, & dari talis Pater, qui hoc filio diceret? & poſsétne dari talis Mater, quæ talia mandaret? Eja pergamus ulteriùs, de his vos ſcietis, & me pudet de ſimilibus loqui; Hoc quod dico, eſt: filium mortaliter peccaturum, vel filiam, qui talibus obediunt mandatis; non eſſe tales Parentes, ſed dæmones, qui talia mandant. *Honora Patrem tuum*, ſcribit ad Furiam Sanctus Hieronymus in certa epiſtola, *ſi tamen te à vero Patre DEO non ſeparat, & tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quam diu ille noverit ſuum conditorem.* Recognoſce obligationem filii, quam diu Pater tuus recognoſcit obligationem Chriſtiani; obedi illi ut Patri, modo ille obediat in eo, quod illi mandat, ſuo Creatori. *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino*, exhortatur nos Sanctus Paulus ad Epheſ. 6. v. 1. Obedientia debet eſſe in DEO, in bonis operibus, & juſtis; in reliquo obedire dæmonio, quæ ſe vocat Matrem, & negare DEO obedientiam ratione hujus Matris, eſt ſe reddere indignum annumerari inter filios DEI: *Qui amat Patrem, aut Matrem, plùs quam me, non eſt me dignus*, dicit nobis Vita noſtra Chriſtus JESUS, Matth. 10. v. 37.

VIII. Sed juſta, & decens obedientia filii extenditúrne eò uſque, ut filius apprehendat ſtatum ad ſolum guſtum ſuorum Parentum? Longè patens eſt hæc interrogatio pro nunc ubi jam tempus labitur, reſpondeo præſto, & dico quòd non, ſed explicabo hoc, ubi tractabimus de hac obligatione Parentum. Interim ego adverto, vos mihi ut errorem imputare, quòd omiſerim exempla. Sed quid neceſſe eſt narrare de præteritis ſæculis, cùm ſuccedant noſtris temporibus? Quid neceſſe eſt referre eventus ex aliis partibus aut Provinciis, cùm tot, & tanti videantur in iſta civitate? Filios inobedientes quot, & quantos vidiſtis peſſimum finem ſumpſiſſe, infelices, miſeros, perditos? abſque exitu ab hinc ad longam diſtantiam, poſſem vobis in memoriam aliquem revocare; ſed

ſed quot vidiſtis mori ut infames in his ipſis patibulis? & quot & quantæ, poſteaquam fuiſſent offendiculum diaboli infame, ſunt miſerè, & infortunatè mortuæ? Jam omnibus iſtis utriûsque ſexus, vel parti ſaltèm majori, dicit Graviſſimus Pater Sanctus Ephrem in Deca. c. de virt. ſupervenit illorum infamia, illorum dishonor, & illorum mors ex eo, quòd fuerint inobedientes ſuis Parentibus, quòd voluerint ſuam facere voluntatem, & ſic, in faciendo voluntatem propriam, invenerunt totum ſuum præcipitium. Attamen ad individuandum ex his aliquid, refero, inter alios innumerabiles, iſtum eventum.

IX. Refert illum noſter Doctiſſimus Theophilus Raynaudus. In regno Galliæ ex illa parte, quæ terminos habet cum Sabaudia, fuit quidam Juvenis clarior ſanguine, quàm moribus, notæ nobilitatis, & hac de cauſa perditionis magis notæ. Portabat habitum certi Ordinis Militaris, & ſerviebat illi Crux, quam in pectore gerebat, pro dedecore ob enormitatem ſuarum actionum. Erat finaliter filius ſinè Patre, & cum ſola Matre Vidua, cujus exiguæ vires ad eum reprimendum, & compeſcendum ſerviebant ad hoc, quòd ille tantò audaciùs maternos confunderet, & deſpiceret reſpectus. Ah filii Viduarum, DEUS adeſt, adeſt DEUS, & qui habet brachium potentiſſimum! Hic itaque ſolebat exire ad venandum in campis, & redibat ad ſuam domum media nocte; Mater, quæ DEUM timebat, & filii attendebat honori (attamen neſcio, an ille attendat, qui permittit ut ſua aperiatur domus omnibus noctis horis) rem acriter ferebat, filium tam tardè domum redire, & idcirco illi mandavit, quatenus citiùs rediret: ille rem nihili æſtimabat, & illa (Oh bonam Matrem) non remanendo ſolùm in verbis, minata eſt illi, quòd ſi alia vice rediret media nocte, cænâ eidem abſtinendum foret. Ille negligendo minis maternis fidem habere, exivit ut aliàs venatum, redivit, ut ſolebat, medio noctis, ſed omnia ſerata invenit habitacula, omnes in ſuis quieſcebant cameris, ità ut nullus ſervorum aperiret; clamat, pulſat, nullus reſpondet, ſiquidem ſervi omnes tacebant obedientes mandato Dominæ domûs. Hic illum invaſit cholera, hic exagitavit ira, ità ut prorumperet in formidabiles blaſphemias, maledictiones, & injurias: vocavit repetitis vicibus

diabolos, ad omnia tamen hæc nullus in domo movebatur. Unus fratrum ſuorum, & alter ſervus, qui cum ipſo ex venatione venerant, procurabant illum moderari, quærebant foris locum, & cœnârunt ex hoc, quod invenerant, & ſic ſe contulerunt uniti dormitum omnes tres in uno lecto, quia plures non invenerunt; uſquedum aliquantiſper ſedatâ irâ, obdormiviſſent. Attamen exiguo elapſo tempore ob terribilem ictum expergiſcuntur, & vident ante ſe nigrum, turpem, & formidabilem gigantem, qui ſecum ducebat quatuor ſæviſſimos canes: remanſerunt rigidi præ horrore, & dum ſic quilibet illorum ſuum expectabat infortunium, appropinquans in forma gigantis dæmon lecto, aſpexit omnes illos longo tempore, & apprehendendo poſtmodum per pedes illum infelicem, & ſceleſtum, trahendo illum, abſque eo quòd vel in minimo poſſet reſiſtere, poſuit ſupra unam menſam extenſum, extractáque frameâ diſſecabat in partes corpus, abjiciendo partes diſſectas illis canibus, quos ſecum adduxerat, qui anhelantiſſimè illas deglutiebant. Finivit tandem, & dum alter frater tremens hoc ipſum expectâſſet; converſus ad illum diabolus: Gratias age, dixit illi, me nullam aliam à DEO habere licentiam; & his dictis diſparuit. Remanſerunt illi duo, oh quales! quapropter redeuntes ad ſe, quærunt ſuum ſocium, ille non comparet, nec unquam amplius ejus comparuit corpus. Eventus horribilis! qui ſufficiens fuit, ut alter frater ad Carthuſianos confugerit, Sacrum Ordinem amplexus; in quo poſtmodum vixit, & ſanctè obiit.

X. Oh utinam, & pro nunc ſufficeret, ut viderent filii qualiter DEUS ſciat ſumere vindictam in favorem Parentum. Fidant ſibi tantùm, nihil poſſe unam pauperculam Matrem; nam ſi illa parum aut nihil poteſt, poteſt multum diabolus, quem DEUS ſcit delegare ut ſuum carnificem. O filii, & filiæ! in obedientia conſiſtit ſecuritas, felicitas, benedictio DEI, & gratia.

INSTRU-

INSTRUCTIO XXXI.

De Subſidio, quo tenentur aſſiſtere Filii ſuis Parentibus in neceſſitate conſtitutis.

QUid communius aëre illi, qui reſpirat, terrâ illi, qui moritur, mari illi, qui inter ejus aquas naufragium patitur, orâ maritimâ illi, qui ex undis maris evadit? Jam hoc, quod non negatur infortunatiſſimo mortalium, qui vivit, aër; Hoc, quod non deeſt infeliciſſimo, qui moritur, terra; Hoc, quod ſupereſt afflictiſſimo, qui fluctuat, aqua; Et hoc, quod patens, liberum eſt miſerabili, qui natando ex periculo maris evadit, ripa; Omnia iſta negantur rationabiliſſimè improbo filio. Cogitabant Romani, dicit Tullius Oratorum eloquentiſſimus, quam pœnam infligerent filio, qui rebellando contra pietatem, ſuo Parenti aufert vitam? Auferre rurſus vitam Parricidæ, eſt valde parum, ſiquidem poſt mortem adhuc illi remaneret terra: ſubmergere illum mari, non ſufficit, nam aqua ſaltem illum reciperet, & remaneret illi forſitan ſpes evadendi in ripam. Nonne itaque omnia hæc inſimul illi ſunt auferenda, qui à ſe abjecit pietatem erga ſuum Parentem? nam abjecit pariter à ſe totam naturam: ideò determinârunt, ut talis inſueretur in pellem animalis; & jam hoc eſt illum tractare ut beſtiam; & ibi inſutus, & clauſus projiceretur in mare, ut uno tempore perdat cum reſpiratione vitam, abſque uſu aëris; *ut ducere animam de cælo non queant*: Moriatur ità, ut nec terra eum cooperiat; *ità moriantur, ut eorum oſſa terra non tegat*; Submergatur in medio aquarum, ità tamen, ut nec unica eum tangat guttula: *ità jactentur fluctibus, ut nunquam abluantur*; Et ſi aliquando mare talem ejiceret ad ripam, nè quidem in rupibus requieſcant illius cineres; *ità poſtremò ejiciantur, ut nec ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Negentur omnia illi, qui ſe negavit pietati. Meritiſſima pœna, ſed tamen nondum ſufficiens. Et ſi tali pœnæ adjudicabant Gentiles, immorigerum, improbum, & ſceleſtum filium, cui pœnæ non debet adjudicari inter Chriſtianos? I.

Neſcio, an hìc ſit filius, qui abominetur ſuos Parentes, ità, ut illis imprecetur infirmitatem, infortunium, vel planè mortem. II.

Ne-

Neſcio, an poſſit hic eſſe filius, qui furiosè contra ſuos Parentes effutiat maledictiones, qui illos aſperè alloquatur, vel qui multùm ſeverus illis loqui prohibeat, aut illis communicationem aut bonos mores deneget. Poſsúntne tales inveniri filii? ecce ſi hic adſint, ſciant, hoc totum, ſi facerent, non ſolùm eſſe peccatum mortale graviſſimum, ſed, cum duplicata ſit malitia, illi obligati ſint illam in confeſſione explicare, & non ſufficit ibi dicere: Fulminavi imprecationem; ſed exprimere, fulminavi illam contra meum Patrem, vel contra meam Matrem; non ſufficit dicere: non alloquor certam perſonam, ſed opus eſt exprimere, non alloquor meum Patrem, vel meam Matrem, & ſic de reliquis ſimilibus actionibus. O DEUS! ſola cogitatio, quòd tales poſſint dari filii, complet hominem horrore; Quid itaque erit, ſi in veritate tales inveniantur? Oh quale infortunium! O quæ infelicitas! Obligat pro certo iſtud quartum Præceptum filios ad amorem ſinceriſſimum, & veriſſimum erga ſuos Parentes intrinſecùs in corde; ſed hoc ſolùm non ſufficit; ſiquidem huic amori debet correſpondere extrinſecùs ſubſidium, quo ipſis tenentur ſuccurrere. Hæc idcirco eſt ſecunda obligatio, quæ hodie ſequitur à nobis explicanda.

III. Obligati ſumus Parentibus noſtris, eò quòd nos educaverint, nutriverint, & conſervaverint, dum ipſimet nos in nullo poteramus juvare. Oh quæ obligatio! Oh quale debitum! quæ ſolicitudo illa Parentis ab eo uſque tempore, in quo filius in cunis nec de ſeipſo ſcit; Quæ curæ non ſunt adhibendæ, qui diſcurſus, qui labores, qui timores, quæ diligentiæ, & qui ſumptus, uſquedum ad ſtatum deveniat, in quo ipſemet poſſit comedere, ambulare, & ſeipſum diſtrahere? Et poſtmodum, ultrà id, quod jam retuli, quæ attentiones requiruntur, quæ ſolicitudines, ut diſcat, ut aliquid ſciat, ut aliquem ſtatum eligat, ut aſſecuratus vivat? hæc ſunt Patris curæ. Et quid de Matre: Ah pauperculæ Matres! tantò pejùs vobis correſpondent mali filii, quantò imponderabiliores erant veſtræ cum eis teneritudines; Primò ante partum, dolores, nauſeæ, indiſpoſitiones, mœſtitiæ, moleſtiæ; in partu, maximæ anguſtiæ, maximè terribiles dolores, maximum periculum; Et ſecundò poſt partum, labores, vigiliæ, noctes

noctes insomnes, timores, & hæc omnia perdurant continuò, quàm diu filius vivit. Ah quomodo hæc omnia exsolvemus? Fili mi, dicebat suo Senex Tobias, fili mi, omnibus diebus vitæ tuæ considera Matrem tuam, attende illi, guberna eam, honora, in memoriam tibi reducendo, quæ pericula, & quanta propter te passa sit, dum te in ventre portaret: *Memor esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Tob. 4. v. 4. *Fili*, dicit nobis Spiritus Sanctus Eccl. 3. v. 14. *fili susципe senectam Patris tui*; Si enim ille tot annis se oneravit, usquedum ex te hominem faceret, quæ non debet esse tua recompensatio?

IV. Est itaque obligatio sub peccato mortali in filio, succurrendi, assistendi, & adjuvandi Patrem, vel Matrem in illorum necessitatibus, non solùm in necessitate extrema, sed etiam in gravi, & semper dum necesse habent filiorum subsidiò; & tali modo quidem, ut quantumvis necessitates, quæ in aliis proximis nos solummodo obligant ex charitate, ex misericordia; quoad Parentes est obligatio ex justitia quoad tales necessitates, & sub peccato mortali tenentur filii succurrere cum omni illo quantum habent, & possunt; ex carcere illos liberare omnibus possibilibus diligentiis, assistere illis in infirmitate medicinis, quibuscunque possunt, liberare eos ex penuriis, & angustiis, mediis, quæcunque se offerunt, & alere illos in paupertate sustentando, vestitum tribuendo, domicilium in propria domo, aut alibi procurando, eò usque quò filiorum capitale se extendit, & vires; quando ipsimet filii nihil habent, etiam alios per se adjuvare nequeunt. Filii, filii, non est, non est hoc solummodo pietas, sed obligatio; non est solummodo opus charitatis, sed justitiæ; non est hoc permissum soli vestro beneplacito, & electioni, vos obligat totum jus gentium, totum jus legis naturæ, & totum Præceptum DEI. Et quid ego debeo hìc multum loqui, si id ipsum recognoverunt planè ipsæmet bestiæ? Ciconiæ, refert S. Ambrosius, sustentant, cibant, portant, serviunt suis senibus parentibus: Accipitres, aves rapaces, refert Beatus Albertus Magnus com. sen. t. 1. l. 3. sec. 4. sunt visi quandoque à venatoribus porrigere cibum seni parenti, & senex jam sinè unguibus, & pennis expectabat in nido: Leones, ùt refert Aldrovandus quadr. l. 1. conversa in pietatem illorum ferita-

ritate, visi sunt portare prædam, ut illam dividerent cum sene patre, qui illam expectabat jam sinè unguibus, & sinè viribus. Nolo modò in memoriam revocare exempla gentilium: Illa mulier Romana, cui hoc non est notum? quæ lacte suarum mamillarum, dum alio non potuisset modo, sustentavit multis diebus suam matrem, occlusam in obscuro carcere. Illi duo prodigiosi filii Anapia, & Anphinomus, qui, dum fluvius igneus ex monte Ætna descenderet, imponentes suis humeris unus Patrem, alter Matrem, cum eis periculum fugiebant, attamen flammæ eos deprehenderunt; sed istæ, ad tantam pietatem attonitæ, dividendo seipsas in duas alas igneas, illos minimè voracitas flammarum tetigit; in tali obsidione ignea reliquit posteritati æviternam ad tantum prodigium admirationem, & ita coronata splendoribus erga Parentes, pietas.

V. Idcirco, oh DEUS! Infidelitas videndo se convictam per ipsos planè infideles, videndo se instructam per ipsa planè bruta, oh quales excusationes allegat infidelitas impiorum filiorum; qualia impossibilia opponit illorum improbitas, & quos prætextus illorum avaritiæ! Habeo uxorem, & filios, quos sustentare teneor, & hoc præcedit omnibus. Hoc præcedit omnibus? audiant tales suffragia, & sententias magnorum hominum. Sanctus Ambrosius docet, ordinem amoris debere esse primariò ad DEUM, inde ad Parentes, postmodum ad filios? *Primò diligendus est DEUS, secundò Parentes, inde filii.* Ex Philosophis Plato, lib. 11. de leg. Homo tam admirabilis, ut meruerit adipisci nomen Divini, in libro suarum legum stabilit, quòd si quis, ut suis posset assistere filiis, & eos juvare, relinqueret subsidium præstare suo Parenti pauperi, debeat accusari in judicio ùt reus, & gravissimè puniri. Ex Theologis, Magister & doctor omnium, Sanctus Thomas 2. 2. q. 26. art. 11. docet, quòd in æquali necessitate extrema filiorum, & Parentis, primò debeat succurri sub peccato mortali Parenti præ filiis; & hæc est sententia communis meliorum Theologorum: ille idem Princeps Theologiæ docet, quòd, quantumvis uxor sit eadem persona cum Marito, & quantumvis ob uxorem, dicit Scriptura, Maritus debeat deserere Patrem, & Matrem, hoc intelligatur quoad habitationem; sed quoad necessaria

præ-

præſtanda, & ſubſidium in illorum neceſſitatibus, non poſſe licitè maritum ob uxorem intermittere ſubſidium in gravi neceſſitate præſtare ſuis Parentibus. Videtúrne vobis hoc multum? Ecce plùs affirmat inſignis Abulenſis in Matth. c. 10. q. 154. magnum lumen Hiſpaniæ, & eſt, quòd in æquali neceſſitate extrema primo quis debeat ſuccurrere ſuo Patri, quam ſibimetipſi: *In alimento debent valde providere filii Parentibus, & magis quidem quam ſibiipſis.* Tali modo, ut ſi filius plùs non habeat præter unum fruſtum panis, à ſuo proprio debet hoc fruſtum detrahere ore, & dare ſuo Patri. Et quid multùm eſt hoc, quòd in luce Evangelii, & Scripturarum hoc tantus affirmet Doctor, ſi ſolo lumine naturali illuſtratus hoc idem docebat Ariſtoteles? Eth. 9. c. 2. Jam itaque vide fili perfide, conſidera filia ingrata, an patrocinentur tuæ excuſationes, tuæ impietati.

VI. Verùm quales ſunt iſtæ excuſationes, & effugia? dicet hoc nobis ſequens eventus. Fuerat quidam homo multùm potens, & dives, nomine Joannes Connachia. Iſte poſtquam duas genuiſſet filias, eaſdem matrimonio locavit cum divite dote duobus Nobilibus, & adhibentes pulchrum modum, & exquiſitos mores Generi nullam intermittebant occaſionem comitandi ſenem, & proceſſerant cum ſuis obſequiis lucrando voluntatem, & inclinationem Senis eò uſque, ut diviſerit illis duobus totum illud, quodquod adhuc in repoſito habebat, fidens quoad hoc, quòd per illud modicum vitæ tempus, quod adhuc illi ſupererat, habiturus eſſet ſemper omnia in ſuperfluitate in domibus filiarum: verùm ità res pro Sene contrarium habuit exitum, ut in continenti improbi, & nequam generi, & cum illis multò nequiores filiæ mutaverint reſpectus in deſpectus, & in nauſeas blanditias. Patiebatur pauperculus Senex, jam tot gravatus annis, ut vacuus pecuniâ, miſerias, defectus, inopiam, & etiam irriſiones, & contumelias, quod etiam hic videmus pariter pati ſenes Parentes in domibus improborum filiorum, & multò magis nequam generorum. Et quid Seniculus fecit? Audite: adivit certum Mercatorem ſibi amicum, & ſub ſecreto petiit ab eo ſibi præſtari ſolummodo ad tres dies decem millia florenorum; tranſtulit hanc ſummam in domum ſub ſummo ſecreto; & dum eſſent ſuæ filiæ, & generi uniti in certo

loco domus, ille in ſuo habitaculo incepit facere rumorem, & aperire ſuas ciſtas, & ſcrinia, hinc inde menſas trahere, & poſtmodum cum grandi ſonitu ſupra menſam pecuniam numerare: ad hunc rumorem, quid facit noſter Senex? dicebant foris ſtantes inter ſe, vadunt exploratum per ſciſſuras portæ: Videte, videte, quantam pecuniam habeat noſter Parens, & coram nobis fingebat ſe ita pauperem. Ille, qui nihil aliud prætendebat, fingebat ſe continuò numerare; & iſti, oh qualis theſaurus! Poſtquam aſſecutus eſt, quòd illum viderint, repoſuit facculos pecuniarios in ciſtam, & tandem foras exivit, optimè rem diſſimulando. Et ecce tibi jam filiæ, jam generi multò humaniores, & multò civiliores ſe exhibebant, modò ſubridebant in faciem, modò ex ipſo quærebant, quid ſibi placeret, aut arrideret. Senex reliquit eos in ſua opinione, & pecuniam ſub pari ſecreto ad Mercatorem detulit. Attamen unus ſuorum generorum non poterat ſe ampliùs continere, interrogavit igitur ſenem: Videtur, quod ſua Dominatio numeraverit pecuniam die elapſo? Ita eſt, reſpondit Senex audientibus etiam aliis; hic in iſta ciſta ſunt viginti quinque millia florenorum; quam ſummam ego retinebam repoſitam pro mea ſenectute: Sed pro nunc ad quid mihi ſunt? in meo teſtamento relinquam hanc ſummam illi, quæ ex filiabus, aut generis meis mihi meliùs aſtiterit, & me meliùs habuerit. Dixit, & ſe ſerium exhibuit. Nulla alia re ultrà opus erat, & perpendite, hic immediatè certatim, & cum æmulatione filiæ, & generi ſubmittebant munera, ollulas optimis cibis refertas; embammata, exhibebant reverentias; & Senecio curando ſe bene tractari, arcam hujus rei cauſam eſſe bene conſiderabat. Evenit caſus ſuæ mortis, convocavit omnes, & dixit illis: Hic intùs in hac arca incluſa eſt cum meo teſtamento, hæreditas; & mando ut nullatenus aperiatur uſquedum meum corpus ſit ſepultum, & exequiæ peractæ: ita omnia punctualiter adimpleverunt hæredes: Eunt poſtmodum aperire arcam, inveniunt eam omnino vacuam, & in illa baculum ſat craſſum, & ſcripturam, quæ ſequentia continebat: *Joannes Connachia relinquit pro teſtamento, ut dentur hoc baculo multi ictus Parenti, qui neglecto ſeipſo conſignat totum ſuum capitale ſuis filiis aut filiabus, confidens illos ſibi ſubventuros in neceſſitate.* Taliter ita-

itaque, quamdiu ſpes affulgebat pecuniarum, exhibebantur Patri blanditiæ; his deficientibus, aderant ignaviæ, & deſpectus. Iſtæ igitur ſunt veſtræ excuſationes? Ah filii improbi, & nequam!

VII. Zelat DEUS in tantum hoc ſubſidium, quod Parentibus debetur, ut ſuo proprio juri cedat, nè filius ſuo poſſit deeſſe officio erga ſuos Parentes, & non ſolùm cedit, ſed hoc ipſum ita mandat; Volo dicere: quòd in ſententia Sancti Thomæ, & omnium Doctorum, ſi Pater vel Mater ſit in gravi neceſſitate, in qua illis filius poſſit ſuccurrere, non liceat eidem Religionem amplecti, & peccabit mortaliter, ſi id fecerit; immò etiamſi jam eſſet in Novitiatu, ſi talis neceſſitas ſuperveniat Parentibus, ſub peccato mortali eſt obligatus relinquere Habitum, & exire ad ſuccurrendum eis. Plùs ultrà: etiamſi fecerit votum expreſſum intrandi Religionem, habentibus hanc neceſſitatem Parentibus, votum non obligat, quia primariò ſuccurrendum eſt illis. Jam ego nunc ſic replico: Si ità deſerere Parentes in neceſſitate conſtitutos intrandi Sacram Religionem eſſet peccatum mortale in filio, quale peccatum erit ſinere ipſos perire ob nimium luſum, ob otium propter aliquam amicam, &c. O Juſtitia DEI! quæ ſemper tenet elevatum gladium, & minatur capitibus filiorum ingratorum.

VIII. Et ſi ita ſtricta eſt obligatio ſuccurrendi Parentibus in temporalibus, quanta non erit ſuccurrendi illis in neceſſitate ſpirituali? Eſt itaque obligatus filius, dum Pater morti vicinus eſt, in quantum poteſt procurare, ut percipiat Sacra Sacramenta, ut conficiat teſtamentum, ut ſe diſponat ut decet Chriſtianum. Et poſt Patris mortem eſt obligatus exequi, & adimplere Patris teſtamentum, exſolvere ſua debita, mandare in effectum ſua legata, & oblationes, vel zelare, & procurare, ut quantocyus executioni mandentur, aliàs ſi hæc ſinè juſta cauſa differantur, eſt peccatum mortale, & quidem tam grave, ut contra illud fulminent cenſuras Sacri Canones, mandando, ut is, qui tales dilationes poneret, ejiciatur ut excommunicatus ex Eccleſia; ita circa hoc diſponunt duo capitula Cau. 13. q. 2. c. 9. & 10. *Qui oblationes.* Idcirco oh DEUS! quàm pauci filii hic erunt, qui poſſint dicere cum Veritate ſuis Parentibus defunctis illa verba Prophetæ: *Nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo.* Pſal. 43. v. 18. Quis hic

erit, qui veraciter poſſit hoc dicere? Audiant itaque ſequens exemplum illi multi, qui hic adſunt, qui non poſſunt in veritate illa verba Prophetæ proferre.

IX. Mediolani refert Frater Bernardinus Buſtos p. 2. ſerm. 1. Dom. in Paſſ. in certa domo bene nota, erat umbra horribilis giganteæ ſtaturæ, quam in tenebris nocturnis videbant interdum obambulare per omnia cubicula, & cænacula Palatii. Vivebat ibi certa honorata Vidua cum Juvene ſuo filiolo, & dum hic quadam nocte infirmus eſſet, & lumen apud ſe haberet ex neceſſitate applicandi ſibi neſcio quam medicinam ecce tibi intrat per cænaculum illud nigrum horribile phantaſma. Quis timor, JESU! Noli timere, dixit illi, non enim venio aliquid mali tibi facere. Confortatus ille animo, & quis ergo es tu, interrogavit umbram, & quid vis? Ego ſum Dominus talis ---- Sancte DEUS! adverterat ſiquidem, & cognoverat juvenis valde bene, illum fuiſſe Dominum domûs illius. DEUS mihi mandat, repoſuit umbra, ut hic per duos dies patiar quavis ſeptimana, & ſimul porto licentiam à ſua Majeſtate adeundi domum meorum perverſorum filiorum, qui damnandi ſunt, quia in nullo meum adimpleverunt teſtamentum, & porto licentiam faciendi illis damna, quanta potero, prout nunc facio, & modò venio illis hoc facere ---- refer tu illis hoc, & juvenis invenit ſequenti die ad amuſſim eveniſſe illud, quod illi defunctus dixerat. Juxta tua relata, meus avunculus Dominus Petrus detinetur pariter uſque modo in purgatorio? ita eſt, ibi eſt, reſpondit defunctus, quantumvis jam ſint decem anni, à quo mortuus eſt; ſed unde tu argumentaris de hoc? interrogavit defunctus? ex eo quòd videam, quod ejus filii omni anno habeant millena infortunia, & nunquam fruuntur aliqua bona meſſe in ſuis fundis, & palpabiliter ruunt in ruinam. Ita eſt, ſic ſe res habet, ſubjunxit mortuus, quia hucuſque non ſatisfecerunt teſtamento Patris ſui, & ille ex purgatorio illis maledicit, & DEUS audiendo illius maledictiones, non levabit manum à pœna, uſque dum illos conſumat: Hæc dixit, & diſparuit.

X. Oh ſi hoc diceret ad aures Pater cujusvis filii improbi, & iniqui, qui illum detinet in illis terribilibus flammis. Si non haberemus tantum cordis videre taliter comburi in medio fornacis accen-

accensæ unum canem, ubi est pietas, ô filii! erga vestros Parentes? Succurrite illis, nam clamoribus, & gemitibus vestram implorant opem, ut tandem liberi, suis benedictionibus è cœlo vobis obtineant omnem felicitatem, & gratiam.

INSTRUCTIO XXXII.

De *Reverentia, quam debent Filii suis Parentibus.*

CElebratus semper fuit omnibus sæculis ille thronus, in quo Salomon demonstravit pompam maximam suæ Regiæ Magnitudinis: suum ebur quàm tersum, & lucidum; suæ aureæ laminæ, quàm splendentes; sui duodecim leones, quàm formidabiliter pulchri; sui gradus quàm sublimes; suum solium quàm respectuosum; attamen omnis ista magnitudo remansit obscura, remansit humiliata, in conspectu alterius majoris magnitudinis, in qua Salomon reliquit in quadam certa occasione hunc thronum. Magnus fuit occupando illum, relinquendo autem illum se ostendit sinè comparatione majorem. Casus fuit iste: residente Salomone in suo throno intravit quadam vice Mater sua Bethsabee ad exponendas illi nescio quas preces, & Rex immediatè, depositâ omni Majestate ob maternum respectum, relinquendo solium ex humillima reverentia, se subitò erexit de sede, descendit ex throno: *Exsurrexit Rex in occursum ejus*, dicit Sacer Textus 3. Reg. 2. v. 28. Et incurvando genu ad debitum obsequium, mansit prostratus ante suam Matrem: *Adoravitque eam*, ibidem. Itáne? majorem itaque se demonstrat Salomon hic ad pedes suæ Matris prostratus, quàm illic in solio aureo exaltatus. Non celebretur ultrà magnitudo, & Majestas hujus throni, publicetur autem maxima granditas hujus filialis prostrationis: majorem se monstravit in solo filius, quàm in solio Rex. Rex erat Salomon: idcirco tamen etiam erat filius, & ut Rex unam solam habebat coronam, ut filius reverens, & humilis lucratus est ibi sibi coronam omnium coronarum. Ille ipsemet id præoccupavit in alio loco: *Audi Fili mi disciplinam Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ*: Prov. 1. fili sta semper attentus I.

ad

ad mandata Patris tui, *Ut addatur gratia capiti tuo*; & ſeptuaginta legunt: *Ut addatur corona gratiarum capiti tuo*; Ut acquiras capiti tuo coronam honoris, vel maximum honorem, quem poſſunt alicui adferre coronæ; *Ut addatur gratiarum corona capiti tuo, & torques collo tuo.* Prov. 1. v. 8. & 9.

II. Eſt itaque reverentia, obſervantia, reſpectus, obſequium, alicujus filii erga ſuos Parentes, corona pulcherrima, quam in mundo habere poteſt, ſicuti deeſſe in reſpectu erga ſuos Parentes eſt maxima ruina, & viliſſima infamia. Sed quanta debet eſſe iſta reverentia, quod eſt illud, quod hodie nobis ſequitur explicandum, pro ultima obligatione filiorum? obedientiâ correſpondet filius illi, quod Patri ſuo tenetur ratione educationis; ſubſidio, & ſuccurſu ſolvit illi id, quantum poteſt, quod ei tenetur ratione alimentorum, ſuſtentationis, & diſciplinæ. Reverentia itaque, & reſpectus cui correſpondet rei? correſpondet *eſſe & vitæ*, quam poſt Deum debet ſuis Parentibus; *Niſi per illos natus non fuiſſes*, Eccl. 7. ſi itaque vita, & eſſe tantum valent; ô DEUS! quantus debet eſſe reſpectus alicujus filii, quanta reverentia?

III. Explicat illam Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum c. 3. v. 8. *qui timet Dominum, honorat Parentes, & quaſi dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt.* Filius debet eſſe reſpectu ſuorum Parentum, ut quidam ſclavus, in obſequio, in ſubjectione, in ſervitio, ſemper ſollicitus ad illorum guſtum, ſemper attentus ad illorum reſpectum. Habeat quandoque honorem filii, & ut talis amorem; ſed ſciat, ipſum non debere pudere ſervire ſuis genitoribus in officiis, & obſequiis humillimis, & in abjectiſſimis, & demiſſiſſimis exercitiis. Hæc eſt filii obligatio, iſte eſt ipſius maximus honor: ſervire, aſſiſtere illis, & eos revereri, ut ſclavum decet; *quaſi dominis ſerviet.* Apud Perſas, refert Rhodingus, erat moris inviolabilis, quòd nunquàm filius conſederit, nec caput texerit præſentibus ſuis Parentibus. Inter Lacedæmones, & Cretenſes, refert Strabo, ſclavi illi, qui ſerviebant in domo, erant filii, & filiæ; dictamen bene accommodatum naturæ, quia ſi totum eſſe dedit Pater filio, totus filius eſt Patris, & eſt Patris poſſeſſio. Ita vocavit Eva primum ſuum filium, qui in mundum natus fuerat, Cainum, quod vult dicere: *Poſſedi hominem per DEUM*: accepi poſſeſſionem unius hominis, hoc idem fuerat, ac habere filium; Et ad hoc reſpiciebant

leges

leges absque omni dubio, Divina, & humana, dum in casibus gravis necessitatis permittebant Parentibus vendere in sclavos suos proprios filios. De Hebræis constat c. 21. Exod. & de Romanis leg. 2. cod. de Patribus, qui fil. distraxerunt.

Sed jam nos Christiani contenti sumus cum minoribus obse- [V.
quiis; contentamur hoc, ut omnes actiones filiorum demonstrent respectum, verba dicant reverentiam, & tolerantia exhibeat venerationem: *In opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum*, Prosequitur Spiritus Sanctus: Eccl. 3. v. 9. Idcirco, oh DEUS! quantus est defectus, qui in his intercedit! quilibet videat, quomodo in domo sua agatur. Culpa erit in filiis, hoc non nego: Quapropter ô Patres! ô Matres! vos ipsimet meremini vestram infelicitatem, vos ipsimet fomentatis vestra infortunia. Filius videbitur, in quo vix per totum annum unicam actionem respectûs advertes, ita elatus, nè dicam audax, ita æqualis Patri per omnia, nè dicam malè moratus, ità familiaris, nè dicam rusticanus, ut vix possit distingui, quis Pater sit, vel quis filius, & Pater hoc videt, & tacet? O Parentes nolite plangere tunc, dum jam remedium deest; peccat mortaliter filius, qui suo Patri, vel Matri manus injicit. JESU! etiam minùs sufficit: qui cum advertentia elevat manum contra suos Parentes; qui facit qualemcunque aliam actionem, ex qua cognoscit, & scit, quòd graviter ad iram Parentes commoveantur, & resentiant, peccat graviter, & ab ista obligatione nec ætas eximit, nec status. Magnus Cancellarius erat Angliæ insignis Thomas Morus, cujus jam aliàs feci mentionem, & absque eo, quòd illum gradus suæ dignitatis impediviſſet, vel sua prima Authoritas in Regno, dum in publico suum conspexisset Parentem, manum ejusdem prostratus petebat deosculandam, & benedictionem. Ah filii absque respectu, quas benedictiones expectatis? Notissima historia est de illo, qui dum à filio per capillos traheretur usque ad limen portæ, sufficit, dixit filio, sufficit, jam enim recordor, quòd hucusque ego ipse tuum traxerim avum, & meum Parentem, & jam agnosco meam pœnam.

Verùm non solùm per actiones: per verba etiam peccat mor- V.
taliter filius, qui irridet suos Parentes, aut verbis injuriosis spernit,

aut verbis asperis irritat: qui audet illis dicere aliquod, vel aliqua verba injuriosa, vel etiamsi talia non sint, si tamen alterabili voce respondeat, furiosa alacritate, aut clamore incondito; qui illis loquitur non verba, sed sagittas, quibus illorum cor transfigit. Oh verè non merentur tales abortus naturæ vocari filii! Fecit ille extraordinarium testamentum; ùt refert Guilelmus Peraldus, & scripsit, quòd de tribus, qui sui dicebantur, & vocabantur filii, unus solus in veritate talis esset, & hunc se nominare hæredem: ille plus non declaravit, & sic obiit; & ecce tibi hic contentionem inter illos tres; adeunt judicem, quisque jus suum allegat, & judex dubiosus non scit litem decidere. Quid facit? Mandat, ut exponatur in publico alligatum arbori cadaver Testatoris, eô sic expositô, jam videtis, dicit, quòd non sit medium determinandi, quis vestrum sit verus filius, & idcirco nihil aliud superest, quàm ut hanc litem huic committamus experientiæ; quicunque vestrum sagittam infixerit cadaveri viciniorem cordi, hic hæres esto; immediatè in hoc consenserunt; librat ictum primus, & per transversum transfixit illi viscera: emittit alter sagittam, transverberat pectus: pervenit res ad tertium: tollite hinc, dicit: tollite cadaver, non enim volo hæreditatem tanto pretio comparare, & perdere tali modo respectum injuriando cadaver mei Parentis; cedo meo interesse, nè desim erga Patrem obsequio. Iste est ille, decidit judex, iste est filius verus, & huic immediatè consignata fuit hæreditas tota. Ah si sagittis verborum transverberatis cor Parentum, quid aliud experimenti nobis restat, quid aliud judicandum, quàm quòd inter filios, qui se nominant filios, locò filiorum, feras, & furias inveniremus.

VI. Attamen adhuc pejor est improbitas, & insupportabilior. Videntur sæpiùs non pauci, qui, quoniam nati sunt in paupere, vel moderata sphæra, vel quia mutatis temporibus, illi ascenderant vel per favorem, vel per industriam: & illorum Parentes, vel in paupertate manserunt, vel planè in statum sunt lapsi miserabilem, & dedignantur filii habere illos ad latus suum; illos à se elongant, se ab illis retrahunt; illos spernunt: & quidsi planè illos suos parentes esse negent? O magne DEUS! qui nunquam oblivisceris delictorum mortalium! istud est delictum tam enorme,

istud

iſtud eſt peccatum mortale tam abominabile, ut ſolummodo ſcire, talis rei capacem eſſe noſtram naturam, incutiat pudorem. Et potéſtne eſſe, qui è contrario, perdendo erga DEUM, & erga naturam pudorem, non recognoſcat illum, cui debet vitam, & qui illi dedit eſſe? Oh quomodo cœca eſt ſuperbia, eò quòd reponat maximam infamiam in illo, unde poterat maximum ſibi conciliare honorem. Uvigilius erat filius pauperis carpentarii, ſed ob ſuam inſignem litteraturam, & dotes relevantes, effectus eſt Archi Epiſcopus Moguntinus, quæ ſedes eſt inter primarias Germaniæ, & in tam excelſa dignitate tam alienus fuit ab oblivione ſuæ originis, ut pro inſigni ſumpſerit, & in ſuo ſcuto impoſuerit rotam carpentariam, cum hac inſcriptione: *Memineris quid ſis, & quid fueris*; hæc rota illi ſuam duplicavit gloriam. Rexit cum generali applauſu triginta ſex annis ſuam ſedem, & illam rotam determinavit Imperator Henricus II. ut perpetuaretur in inſigni, & ſcuto Archi Epiſcopatus Moguntini; ita æternavit ſuum honorem, qui non fuit oblitus ſui principii. Ità pariter ſuum perpetuavit honorem Agathocles in hiſtoriis, qui, dum eſſet filius figuli, dum pervenit ad dignitatem Regiam, & factus eſt Rex Siciliæ multùm potens, inter vaſa aurea, & argentea utebatur pariter vaſis fictilibus. Ità perpetuavit honorem Bonifacius VIII. Summus Pontifex Eccleſiæ, ùt ſcribit Platina lib. 1. c. 28. qui dum eſſet filius Parentum pauperculorum, jam ut Pontificem venit Mater ſua ad eum inviſendum ſplendidis exornata veſtibus, cum multa pompa, & apparatu; quæ mulier eſt hæc? interrogavit Pontifex: eſt Mater Veſtræ Sanctitatis, reſponſum ei fuit; non poteſt eſſe, nam mea Mater, ut ego bene novi, eſt mulier paupercula; dixit, & ſe retraxit, uſquedum poſtmodum rediens Mater ſua in ſimplici, & humili apparentia, ab illo agnita fuit, quam etiam amplexus eſt exhibendo illi omnem demonſtrationem affectûs, & venerationis. Hoc facit ſummus Pontifex collocatus in ſupremo mundi ſolio: & tu fili improbe, tu fili infamis, tu audes negare naturam, & erubeſcere de Divina Providentia, ut te extollere poſſis in tua vanitate, & quærere majus præcipitium tuæ ſuperbiæ?

Jam itaque in adimpletione hujus obligationis conſiſtit noſtra fortuna, in exſolvendo hoc debito ſtat noſtra felicitas, in dando VII.

honore noſtris Parentibus iſto, conſiſtit totus noſter honor. Nulli alteri Præcepto adjunxit DEUS immediatè tam manifeſtum præmium, prout huic: *Ut ſis longævus ſuper terram*; Bene enim meretur longam vitam, qui bene retribuit illi, qui ei dedit vitam. Idcirco adhuc clariùs hoc nobis exprimit Sanctus Paulus ad Epheſ. 6. v. 2. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut bene ſit tibi*; honora Parentes tuos, & bene habebis, & bona; Quæ bona? Omnia unita, omnia coacervata, bona in animâ, bona corporis, bona in tua perſona, bona in tuis filiis, bona in terra, & bona in cœlo: *Ut bene ſit tibi.* Omnia iſta bona meretur bonus filius. Et quæ mala ſuis imponit humeris filius malus & nequam? Jam hoc patet à contrario: mala animæ, mala corporis, mala perſonæ, mala in ſuis filiis, mala in hac vita, & mala in altera. Oh quales ſunt benedictiones in Divinis Scripturis filiis humilibus, obedientibus, pietoſis: ſunt benedicti in prolongatione vitæ: *vita vivet longiore*, Ecc. 3. v. 7. Sunt benedicti in illorum capitalibus, & ſubſtantiis, DEUS hæc illis proſperabitur: *Sicut qui theſaurizat, ità qui honorificat Matrem ſuam.* Eccl. 3. v. 5. Sunt benedicti in ſua deſcendentia, in ſuis filiis, & nepotibus, oh & ſi illis fruantur! *Jucundabitur in filiis*, eodem v. 6. Sunt benedicti in ſuis domibus, & in ſuis familiis, oh & hæ illis accreſcant! *Benedictio Patris firmat domos filiorum*: eodem v. 11. Sunt benedicti quoad honorem, quoad ſplendorem, quoad dignitatem, oh utinam hæc obtineant! *Ex honore Patris, gloria filii*: v. 13. Sunt benedicti in auxilio, & ſubſidio DEI in tribulationibus, oh utinam exinde prodeant liberi! *Et in die tribulationis memor ero tui*: v. 17. Sunt benedicti in eo, quòd DEUS eorum audiat orationes, & preces: *In die orationis ſuæ exaudietur*: v. 6. Sunt benedicti in eo, quòd eis DEUS condonet peccata eorum: *Sicut in ſereno glacies, ita ſolventur peccata tua*: v. 17. Et tandem pro ultimo ſunt benedicti conſequendo æternam felicitatem gloriæ: *Superveniet tibi benedictio à DEO, & benedictio illius in noviſſimo maneat*: v. 10. O filios fortunatos! O filios felices! Sed ex oppoſito malos filios quid expectat? Audite Sacram Scripturam: Sunt maledicti à DEO in vita; tranſigant eam in obſcuritate, infortuniis, depreſſionibus, & illorum abbrevientur dies, prout extinguitur quædam candela: *Qui*

ma-

maledicit Patri ſuo, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov. 20. v. 20. Vivant ſinè honore, & ſit ſemper nomen eorum infame: *Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit Patrem, & eſt maledictus à DEO, qui exaſperat Matrem.* Eccl. 3. v. 18. Nullum bonum ſucceſſum habeant in ſuis rebus, deſtruatur à fundamentis domus illorum: *Maledictio Matris eradicat fundamenta domûs filiorum.* Eccl. 3. v. 11. Nullum inveniant ſolatium in ſuis filiis, immò filii eorum ſint illi ipſi, qui implentes eos cordoliis, ſerviant Parentibus pro carnificibus: *Ex iniquis omnes filii teſtes ſunt nequitiæ adversùs Parentes*, Sap. 4. v. 6. Sint maledicti à DEO, nec obtineant remiſſionem ſuorum peccatorum: *Eſt maledictus à DEO, qui exaſperat Matrem ſuam.* Eccl. 3. v. 18. Et pro ultima maledictione ad laceranda eorum cadavera congregentur dæmones, ut voraces corvi: *Oculum, qui ſubſannat Patrem, effodiunt eum corvi de torrentibus.* Prov. 30. v. 17. O terrorem! O horrorem! O infelicitatem horribilem! O magne DEUS ſeveriſſime Adminiſtrator juſtitiæ! Eligite nunc filii, eligite, vel omnes benedictiones DEI, & quidem omnes unitas honorando veſtros Parentes, vel conglomeratas omnes maledictiones, ſpernendo illos.

VIII. Transſtulit ſe ex Hiſpania Panamam, civitatem Americæ (cafus eſt planè modernus, quem refert noſter Alexander Faya) certus quidam juvenis annorum circiter quindecim: excepit illum, & accomodavit, prout ſolent, certus quidam Mercator, fiduciæ ejus tradens ſuam ſubſtantiam, hic autem illi exſolvit hanc fiduciam, prout hic videmus practicare aliquos, diſſipando, diſpergendo, furando; quod ubi reſcitum fuit à Domino; irâ eum commovente, poſt largam, & bonam exhibitionem, & inflictionem verberum, ejecit eum de domo ſua. Ille autem videns ſe in tantum pudore affectum, recepit ſe ad quoddam tugurium campeſtre expectans occaſionem abeundi ex illa terra. Inviſit eum certus quidam ſuus amicus, & patriota, qui poſtea fuit religioſus noſtræ Societatis, & ille eſt, qui manifeſtavit ad teſtimonium verum de viſu hunc eventum. Animando itaque illum bonis verbis, ut ſibi aliquam vim inferret, & honorato modo perdita reſtauraret: Ah frater! quid ultra vis, reſpondit ille, jam enim ego ſum damnatus, & hac de cauſa nihil ultrà boni mihi eveniet. Quare ſimilia loque-

ris? repoſuit alter; & ille, ego tibi narrabo: Dum ego quadam die comederem Seviliæ cum mea Matre, illa mihi neſcio quid, in faciem exprobravit, ego hujus pertæſus elevavi ſcutellam, & eam in faciem Matris projeci. Multas maledictiones pro tunc illa in collum meum effutiit, & inter alias mihi imprecata eſt dicendo: DEUS det, ut vivas in dedecore, & moriaris ſinè confeſſione; & ab illo tempore nihil boni mihi ſuccedit. Non habuit amicus, quod replicaret, itaque ſe ei recommendans, diſceſſit, & ille proſecutus eſt in meris infortuniis ſuam ducere vitam, & ultimò tandem ſe ſocietati inhoneſtæ cujusdam Indianæ, non ſinè maximo ſcandalo adjunxit, ac vitam turpiſſimam duxit. Tali modo vivebat; & ecce tibi quadam vice dum deberet transvadare eques certum flumen, conducendo ſecum ſuam amicam in dorſo equi, in medio fluminis quoddam monſtrum ferum invaſit eum, & omni defenſione, & reluctatione poſthabita ex ephippio illum ejecit; & relinquendo equum liberum cum amica, ſolum illum demerſit in profundum fluminis, & in profundum inferni. Iſte eſt ſcopus, & terminus malorum filiorum; Timete hunc terminum vos, qui

IX. hunc imitamini infelicem in veſtris moribus.

Et vos filii alii pietoſi, filii reverentes, filii humiles, filii obedientes, vivite læti, vivite pleni gloria, exultatione, & honore; gaudete de præmiis, quæ veſtra meretur pietas: lucremini benedictiones veſtræ humili ſubjectioni debitas, uſquedum poſt vitam multùm felicem acquiratis meliores lauros, & coronas in æterna gloria.

INSTRUCTIO XXXIII.

De graviſſima Obligatione Parentum in educatione ſuarum Prolium; & de damnis, ac profectibus, quos poſſunt facere toti Reipublicæ.

I. AD conformandum me ordini Catechiſmi debui loqui prius cum filiis; attamen ſi debuiſſem ſequi diſordinem, quem noſtris temporibus videmus, & experimur, debuiſſem loqui prius cum Paren-

rentibus. Fuit quidam celebris Agyrta Athenis, qui magno cum applauſu curioſi populi, revelabat Auditoribus multa quædam occulta. Auditores ſuas diſtractiones, & oblectamenta habebant ex ejus reſponſis, & ille vivebat ex ſuis divinationibus. Quadam vice, cùm plurimi eſſent congregati interrogatores curioſi, volebat illum quidam ex illis decipere, & irriſui populi exponere; monſtravit ergo illi manum occluſam, in qua paſſerem vivum continebat, divina nunc, dixit illi, éſtne hoc, quod ego in manu mea contineo, vivum an mortuum? intentio interrogatoris erat, ſi reſpondeat Agyrta eſſe vivum, comprimam pugnum, & monſtrabo paſſerem mortuum, ſicque illum irridebo; ſi reſpondeat eſſe mortuum, aperiam manum, & finam paſſerem volare, & ſic totus ridebit populus; ex utraque parte igitur volebat conſtringere Agyrtam: At ille aſtutus erat, & ſagax, reſpondit ergo ei ſubridendo: Paſſer, quem in manu contines, ſtat in tua poteſtate; ſi illum vis eſſe vivum, vivet, ſi vis eſſe eum mortuum, morietur, ſiquidem unum & alterum in tua ſtat poteſtate, applauſum ex reſponſione Agyrta retulit, & illuſor illuſionem portavit. Oh utinam hæc reſponſio ipſiſſima faceret hodie non illuſos, ſed inſtructos multos Patres, & multas Matres! quæ utilitas interrogare, quales ſint in hac civitate filii, an ſint vivi, vel an ſint mortui? erunt tales, Patres, & Matres, prout vos volueritis, in veſtra manu illos habetis: ſi inter perverſos mores ſunt mortui, veſtra manus fuit, quæ illis tam lacrymabilem mortem intulit: quòd ſi autem in virtutibus vivant, in actionibus honoratis, in bonis operibus, veſtra manus fuit, quæ illis tam pretioſam largita eſt vitam; Ah manum potentem parentum! Ah manum potentem! ſiquidem ex manu Parentum, ratione bonæ, vel malæ educationis, dependet, oh quantum! dependet tota felicitas illorum familiarum, & domûs, omne bonum univerſale Reipublicæ, omnis pax, & profectus Regni, omnis reformatio, & emendatio mundi. Forſitan vobis hoc multùm videtur? dependet ex manu Parentum in educatione ſuorum filiorum ſalus innumerabilium animarum, augmentum virtutum, compoſitio morum, decus, & ſplendor Eccleſiæ, & totus fulgor ſacer Chriſtianiſmi; & ſi Parentes non adhibeant manum in educatione bona ſuorum filiorum, ſuperflua ſunt tribunalia, dicebat

Pla-

Plato lib. 4. de leg. nihil proficiunt leges, ad nihil ſerviunt decreta, in vanum ſunt pœnæ, nihil reformabunt exilia, & nihil remediabunt omnia patibula. Plus ego addo: ſi Patres ſuas non adhibeant manus in bene educandis filiis, benè poſſunt tacere Prædicatores, nihil enim obtinent eorum voces, benè poſſunt ſilere Confeſſarii, nihil enim lucrantur ſuis exhortationibus: benè poſſunt quieſcere Paſtores animarum, nihil remediabunt ſuis laboribus. O manum potentem! Jam itaque non quæro ob filios, propter totam Rempublicam interrogo: Státne viva Reſpublica hujus noſtræ Civitatis, vel eſt mortua? Et reſpondeo, taliter ſtat, qualiter vos illam Patres, & qualiter vos Matres illam ſtare vultis. Tot filii luſores, fraudulenti, diſſoluti, latrones, tot filiæ inverecundæ, perditæ, ſcandaloſæ: unde provenit hoc malum, unde oritur hoc damnum pari modo generale, & funeſtum? Conſiderate benè hoc ipſum, & invenietis, quòd hoc ipſum cauſent Parentes, cauſa maxima Pater, & Mater eſt: & tot & tantæ culpæ, tot & tantæ rapinæ, tot & tantæ impudicitiæ, tot & tanta ſcandala, cujus humeris imponuntur? Patrum & Matrum; quandoquidem in iſtis repoſitum eſt omne damnum, & in his poteſt eſſe omne remedium.

II. Sicut noſtra Patria, debebat eſſe vitiata Reſpublica Athenienſis, quando congregati ejus Senatores ad excogitanda media pro procuranda ſua reformatione (minùs igitur infelix illa Reſpublica, dum ibi congregabatur conſilium non ſolùm ad dandas ſententias de rebus neceſſariis, ſed etiam ad inveniendam emendationem morum) dabant ſua vota, & unus illorum ſapientior, poſtquam omnes audiviſſet, projecit in medium pomum putridum, & poſtea, quale remedium vobis videtur, dixit illis, quod poſſit eſſe, ut hoc pomum, quod videtis ex integro putridum, fiat maturum, pulchrum, dulce? Difficilis quæſtio! pomum omninò putridum facere recens, quomodo id poteſt fieri? Omnes manſerunt ſuſpenſi, & ille ſuum proſecutus eſt ſermonem; ecce videte, ſi extrahantur grana, quæ intra ſe hoc pomum includit, & hæc ſeminentur, cultiventur, intra paucos ex hoc pomo tam putrido, habebimus poma dulcia, recentia, ſana, & pulcherrima; ità eſt reſponderunt omnes. Igitur ſi ita eſt, ſubjunxit ille, adhibeatur

cura,

cura, quæ debet adhiberi in educatione filiorum, & intra paucos annos habebimus totam Rempublicam melioratam; Nunquid ità eſt Patres? nunquid ità eſt Matres? Si Parentes tales ſe monſtrarent, quales deberent eſſe erga ſuos filios, intra paucos annos mutaret totam faciem Chriſtianiſmus: Domus viderentur plenæ pace, non diſcordiis, viderentur Eccleſiæ frequentatæ, deſertæ deambulationes, viderentur vacua maledicta tentoria lusûs, populatæ officinæ, & officia, videretur modeſtia in filiis, & honeſtas in filiabus; Status eſſent ſtatus, & non ſtadia, & ut paucis multa complectar, viverent Chriſtiani ut decet Chriſtianos. Et ſi pro nunc vivunt ut Barbari, illic vos videbitis Patres, quales ſint veſtræ culpæ, Oh DEUS quales! oh DEUS quantæ! & tamen hæc omnia ità negligitis, ut rarò Parentes ſe de ſimilibus accuſent culpis; Hæc eſt damnatio certiſſima.

Illud eſt indubitatum, quartum Præceptum etiam magis ſtringere, magis rigoroſè obligare Parentes, quàm filios; & hac de cauſa non exprimit Parentes iſtud Præceptum, quia eſt ità clara obligatio naturæ, ut ſi etiam bruta illam agnoſcant, quid neceſſe erat illam repetere hominibus? Omnia peccata, quæ filii committunt ob negligentiam, condeſcendentiam, defectum educationis ſuorum Parentum, Parentes hæc luent, & de hoc nullum eſt dubium. Etiam apud Lacedæmones, refert Plutarchus, ſi quiſpiam filiorum aliquod admiſerat delictum, non caſtigabant eum, ſed ſuum Parentem, excuſantes filium ob inconſiderationem, & aggravantes Patrem ut incurium. Non determinant hoc ad ſimilem modum apud nos leges civiles, ſed quid importat, cùm filiorum publica infamia proferat contra Parentes ſententiam, cùm lex DEI de illis pœnam ſumat? Jam ergo interrogat Catechiſmus: *Quid debent Patres naturales ſuis filiis? Suſtentare illos, erudire, & de ſtatu providere illorum voluntati non contrario.* Oh qualia onera pro tribunali DEI in tribus ſolis repartitionibus! Oh quales obligationes in tribus ſolis verbis! Oh quàm infinita damnatio in tribus ſolis infinitivis, ſi non adimpleantur! *Suſtentare, erudire, & de ſtatu providere voluntati eorum non contrario.* III.

Suſtentare, parùm dicam de hac obligatione, quia ità clara eſt, & quia pro illis, qui ab hac obligatione ſe alienant, non poſ- IV.

ſunt eſſe ſufficientia mea verba, & meæ voces, melius autem hanc intelligent ex pœnis. De Struthione, beſtia turpiſſima, in Scriptura expenditur cum admiratione, illum in tantum eſſe duplicatam beſtiam, quòd tam duri cordis ſit, ut ſuos relinquat filios, nec illis de alimentis provideat, *duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Job. 39. v. 16. Et ſi hoc in una beſtia admirationi eſt, quid dicemus de tot, & tantis Struthionibus, qui homines videntur? qui habentes uxorem, & proles, nec illarum recordantur, nec cum illa vivunt? Quid de tantis, qui propter luſum, propter turpem amicam, relinquunt filios perire, relinquunt, ut eos diabolus devoret? & quid de tot & tantis vagabundis, qui nè cogantur laborare, volunt, ut ſua mulier, vel ut filiæ propriæ ſint illæ, quæ illos ſuſtentent? Ah pudorem! ah infamiam! ah abyſſum peccatorum mortalium! Ex hinc ſequitur, quòd filius ſit latro, filia perdita, uxor neſcio quid. O homines ſinè anima! ô homines ſinè erubeſcentia! quam rationem debetis dare DEO de tot & tantis culpis? Nè cogitetis quæſo Parentes barbari, rem eſſe ſolummodo ſitam in veſtro arbitrio alere, & ſuſtentare veſtras proles, nè cogitetis, quòd hæc ſolummodo fiat vel ex amore, vel ſi non faciatis, quid dicet mundus? Non; eſt obligatio ſtrictiſſima legis naturalis, quæ ſub peccato mortali vos conſtringit dandi eis omnia neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, habitationem, cibum, veſtimenta, & omnia reliqua; eſt obligatio, quæ ſub peccato vos obligat mortali hæc omnia quærere omni diligentiâ, mediis, & laboribus quibuſcunque poteſtis, & in qualicunque occaſione vel modo negare prolibus ſuſtentationem in materia gravi, eſt peccatum mortale in Parentibus.

V. Hinc etiam eſt (oh quantum alterum punctum) quòd Patres, & Matres, qui ſinè aliqua ratione, vel quod pejus eſt, ut videantur improbæ Matres liberæ ad proſequendas ſuas infamias, abjiciunt proles ad portas alienas, peccent mortaliter; Oh! hoc ſolet fieri, vel quia Patres ſunt in tantum pauperes, ut non poſſint prolem educare, vel ut Mater ſuum non perdat honorem; ſi res ſic ſe habeat, ob nimiam paupertatem, vel ad evitandam infamiam, dico, non fore peccatum mortale; Idcirco, ſi Pater, & Mater habeant poſſibilitatem, & modum, ſciant, quòd in ſententia tutiori,

ri, & communiori, & meliùs fundata, ſint obligati reſtituere illi perſonæ, ad cujus portam depoſuerunt prolem, omnes expenſas, quas fecit in educatione, & ſuſtentatione prolis; tali modo, ſicut qui fingendo ſe pauperem quærit eleemoſinam, debet, & tenetur reſtituere eam illi, qui eam ei dedit cogitans eum eſſe pauperem. Sed quid dicemus non jam de illis improbis Patribus, de illis damnatis Parentibus; ſed ex oppoſito, de aliquibus Patribus honoratis, qui ad caſtigandos ſuos filios de aliqua gravi culpa non ſuſtollunt illis omninò ſuſtentationem, ſed per aliquot dies imminuunt: auferunt illis per aliquot dies veſtes honeſtiores, & illos in domo tractant prout merentur, cum lacerata veſte, vel etiam ſacco; poſsúntne hoc facere? Sinite me interrogare priùs, qui tales ſunt, & qui ſunt illi, qui id hic faciunt; ut eis debitas poſſim referre gratias. Dico, quòd quantumvis tali modo intermittat audire Miſſam filius, poſſint hoc facere, & debent, & forſitan tenentur; ineant conſilium, ſi talis caſus emergat, non cum ſuo proprio amore, non cum matribus, quia iſtæ matres, oh DEUS!-- ſed cum aliquo homine docto, & prudente. Oh quot filii! qui viſi ſunt perire ob illorum ſcelera, ob illorum ſceleratos mores, qui viſi ſunt infames in his ipſis carceribus, ſciviſſent reddere gratias ſuis Parentibus, qui per paucos dies ſolo illos cibâſſent pane, & potâſſent aquâ, & illos veſtiviſſent ſacco rudi, quàm eò pervenire, ubi ſe nunc eſſe experiuntur, & ubi omni die videntur.

VI. Sed jam hoc eſt intrare in ſecundam obligationem Parentum, de qua quàm plurimum eſt dicendum. *Erudire, inſtruere illos*: iſta eſt obligatio ſecunda. O Patres! O Matres! ſi aliquando vellem habere linguam igneam, ſi aliquando optarem, ut mea verba eſſent ſcintillæ, id hìc eſſet, ad imprimendam veſtris cordibus materiam tanti momenti, quam oblivione obrutam tenet veſter ſtultus amor, veſter amor perniciosus: veſter amor indiſeretus, & ſtolidus. A quo infans incipit in verba linguam ſolvere, debet in Parentibus inſtructio incipere; & quæ inſtructio illis poteſt dari in tam teneris annis? Audite: Poſtquam triumphans rediret Auguſtus Cæſar poſt obtentam certam victoriam, exiit illi obviam quidam pauper corvum manu geſtans, & elevando vocem corvus in manu dixit diſtinctè: *Ave Cæſar*; ità eum inſtruxerat ille pauper, & hoc ità gratum erat

Imperatori, ut ei dari mandaverit viginti millia florenorum; jam si ille, propter unam terrenam solutionem, & vilem, instruxit ità loqui corvum: *Ave Cæsar*: Quomodo vos propter præmium cæleste non instruetis meliùs, ut prima verba, quæ vestra loquitur proles, sint: *Ave Maria*? Et si in tantum sibi complacuit Augustus audiendo se salutari ab uno corvo, ut immediatè instructorem præmiaverit, quomodo sibi non complacebit MARIA Virgo Sanctissima, audiendo se salutari ab uno infantulo, in quo gratia DEI resplendet? quomodo non immediatè illum præmiabit? Ità omnino docebat orationes pietosa Mater illum, qui ideò evasit tam insignis Heros in sanctitate, & doctrina, Joannem Gersonem, Cancellarium Parisiensem: ponebat Mater reculas dulces in manibus alicujus statuæ, incurvabat postmodum infantulum, & dicebat illi: vides, si bene pronuncias istam orationem dabit tibi Virgo illud, quod in manu tenet; orabat infantulus, si non bene tetigerat, nihil illi dabat, & si bene pronunciavit cum certa discreta industria sinebat de manu statuæ reculas dulces decidere; & ità adescatus infans per hanc fraudem apprehendebat cum devotione, & cum pietate orationes. Ab illa ætate est vobis incipiendum Patres, & Matres, ab illa ætate debetis educare, & instruere infantulos, si vultis, ut lucrum, & profectus inde sequatur. Scribit Sanctus Basilius orat. 10. in Hex. quòd suo tempore, dum infantes tres compleviſſent annos, eorum corpuscula mensurare solebant, immediatè exinde accuratè æstimando ad quam altitudinem perventuri forent, ubi excreviſſent in homines; quia trium annorum infans, dicunt, habet tertiam partem altitudinis illius, ad quam excrescet, ubi factus fuerit homo. Meliùs itaque erit, ut vos ab ista ætate tenera incipiatis mensurare meliùs, & accuratè æstimare, quantum sit habiturus virtutis vester filiolus, quæ erit proportionata illi devotioni, quam ei ab hac usque ætate infuderitis, & cordi ejus impreſſeritis: *Filii tibi sunt*, dicit Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 7. v. 25. *erudi illos à pueritia illorum.*

VII. Sed adveniente usu rationis hic incipit, Parentes, vestrum onus, & officium, hìc vos stringit vestra obligatio: Tenemini ab illo tempore adlaborare sub peccato mortali, ut vestri filii sciant *Credo*, Præcepta, & Sacramenta, & debent frequentare Confessio-

feſſionem, & accedere Communionem, ut ſciant dico, non ſolùm memoriter, & ſicut pſittaci, ſed explicare illorum Myſteria, de Myſterio ad Myſterium, de Præcepto ad Præceptum, de Sacramento ad Sacramentum, & ut hæc omnia intelligant modo meliori, quo poſſunt in illa ætate, & eſtis obligati ſub peccato mortali repetere iſta cum illis per aliqualem continuationem, nè horum obliviſcantur. Oh DEUS! & illud quid non efficeret, & quantus profectus eſſet, ſi id faceretis prout res fieri debet. Sanctus Ludovicus Rex Galliæ in ſumma magnitudine, & pompa Regni ſui quaſcunque actiones aggrediebatur, ſemper priùs ſignô Sanctæ Crucis ſe ſignabat, & ſolebat dicere: ità me docuit mea Mater, dum adhuc infantulus eſſem. Oh! & utinam vos ſicut iſta Sancta Mater Domina Blanca ſuo filio Sancto Ludovico, repeteretis ſæpiùs veſtris filiis: Fili mi, potius te libenter viderem mortuum intra hæc brachia mea, quàm ut te viderem in peccato mortali. Hoc itaque erit erudire, & inſtruere veſtras proles; imprimere illis à tenera ætate in illarum anima fundamenta, & axiomata cordis Chriſtiani, altiſſimam æſtimationem magnitudinis DEI, amorem grandem erga noſtram Vitam Chriſtum JESUM, devotionem tenerrimam verſus Chriſti Sanctiſſimam Matrem, reſpectum ad omnia ſacra, æſtimationem gratiæ, horrorem, & pavorem culpæ.

VIII. Verùm, Pater, objicit mihi jam quidam, ſi ego ipſemet non intelligo Doctrinam, nec illam ſcio, quomodo illam docebo meum filium? Hæc eſt maxima infelicitas, hoc eſt maximum infortunium; ideò, ſicut Mater, quæ lacte caret, eſt obligata quærere nutricem, quæ filiolum ſuum nutriat, ità, & multò plùs eſtis obligati invenire veſtro filio Magiſtrum, qui illum doceat Doctrinam, & qui vos etiam inſtruat, & non eſt hic alleganda excuſatio ætatis, vel etiam ruditas infantis: Audite ſequens exemplum, quo pariter hanc Inſtructionem finio.

IX. Perſequebatur Chriſtianos Dunan Rex Arabum, refert Metaphraſtes, & ex his comprehendit, ac condemnavit ad rogum certam mulierem: habebat illa filiolum quinque ſolùm annorum, & dum jam mater ſua ſtaret alligata ad palum, ignisque applicandus eſſet ad ſtruem lignorum, parvulus quærendo anxioſus

clamat plangens, & flens: ubi est Mater mea, Mater mea! nunquid me tu hic habes, dixit illi Tyrannus, ad quid tuam Matrem quæris? Non, meam Matrem volo, ut me conducat ad martyrium, quia hoc mihi sæpiùs promisit. Itaque tu scis, quid sit martyrium? Ità est, respondit infantulus, est mori pro Christo, ut vivamus æternùm. Stupefactus, & attonitus Rex audiens hoc ab infante quinque annorum; Jam mihi dic, quis est Christus? repetit interrogare; & ille; veni mecum, & illum tibi monstrabo, ibi enim est in Ecclesia; & sub hoc discursu videt, & cognoscit suam Matrem, quæ jam supplicio exposita erat, & elevando singultus, cœpit omnem vim adhibere, ut ad illam pervenire posset; Rex omnimode eum retinebat, & infans mordendo Regis genua Matrem desiderabat: cum dolore Rex illum dimisit, & ille abiens, absque eo, quòd eum quis retinere potuerit, & dum jam rogus ardere cœpisset, per medias flammas ad Matrem penetravit, illámque strinxit, & sic se complexi manserunt, usquedum uterque redactus fuisset in cineres pro Christo glorioſus. Infans quinque annorum! O Mater fortunata! quæ duas coronas tam pulchras, & tam selectas lucrata, & adepta es unitas.

X. Patres, ah Patres! verum est hoc, quòd in manibus vestris habeatis omnem, & maximam felicitatem, vel omnem, & maximam infelicitatem. Nectite vobis glorioſissimam Coronam ex vestris filiis, date per illorum bonam educationem toti Reipublicæ exemplum, vestris familiis, & domibus felicitatem, vestris filiis optimam vitam, vestris animabus gratiam, & vestro DEO gloriam.

INSTRUCTIO XXXIV.

De Educatione & Doctrina, quam tenentur dare Parentes suis Filiis.

I. Die 8. Septembr. In Festo Nativitatis B. V. MARIÆ.

NEgligere pedem, ut calceus salvetur, velle habere vulnus in pede, nè habeatur foramen in calceo, est stoliditas risu digna; & quid

& quid ſi tot Parentes hìc dentur, qui practicant hanc ſtoliditatem cum ſuis filiis, prout dicit Plutarchus, & nos ipſimet hoc videmus: *Quibus calceus curæ eſt, & pes neglectui*: Paucis verbis ſtringerem ego plurimas obligationes, quas iſti Parentes habent ad bonam educationem filiorum ſuorum; talis eſſet, ſi, prout curam gerunt quoad temporalia, ſic pariter attenderent quoad æterna, ſi, ſicut illis procurant ſubſtantiam, ſic etiam ſoliciti eſſent de eorum ſalute æterna; ſi, ſicut curant, ut decenter alios præcedant, ità illos dirigerent ad virtutes; ſi diligentiâ, quâ illis deſiderant ſanitatem corporis, eâdem procurarent illis optimam ſalutem animæ, & tandem, ſi, ſicut volunt filios pro mundo, illos vellent Parentes pro DEO; Ah quàm opportuna! Oh quam idonea! quàm diligens foret illorum educatio, quàm optimè applicatæ curæ illæ, quæ taliter prodiguntur, quàm benè impenſæ iſtæ attentiones, quæ nunc diſperduntur. Omnis labor in coacervanda ſuppellectile pro filio, & omnis negligentia in bene educando filio, ut conſervetur ſubſtantia ſuppellectilis? Omnia deſideria, anxietates, ſolicitudines adhibentur, ut filius vivat quatuor diebus bene proviſus in mundo, & ità totalis oblivio, nè ob ſuos malos, & perverſos mores moriatur æternaliter in inferno? Hoc eſt relinquere, & negligere pedem, ex quo jam ſanguis profluit, ut bene cuſtodiatur calceus. O ſtoliditatem dignam maxima compaſſione.

II. Obligatio itaque ſtrictiſſima, quam in hoc quarto Præcepto habent Parentes circa bonam educationem ſuorum filiorum, tota reducitur ad tria puncta: primum eſt, inſtruere illos in omni bono: ſecundum, elongare illos ab omni malo: tertium, ducere illos, & præire illis bono exemplo; ô quàm bona tria puncta! inſtruere illos, corrigere, & ædificare: jam dixi quanta ſit, & quantum terribilis obligatio, quam habent Parentes docendi filios Doctrinam Chriſtianam: ſubjungo, ſi poſſunt, & media habent, ſunt obligati Parentes, ut filii diſcant legere, & ſcribere, & ſi capitale in tantum ſe extendit, in illis, qui non habent impedimentum legitimum, debent illos ſtudiis applicare, tam ut in illa ætate per ſe periculoſa evitetur otium, quod eſt pater omnium malorum, quàm etiam ut ſic acquirant majus lumen ad meliorationem ſuorum morum, &

ad

ad bonum ſuæ animæ. Idcirco, ecce tibi, quid contingit in noſtra civitate, una paupercula mulier habet tres filios, & illa, & illi inſimul pereunt, unus jam eſt duodecim annorum, alter quatuordecim, tertius ſedecim: illa de domo in domum vagatur vanos ſermones miſcendo, & illi ex una in aliam plateam vagantur, jam hoc jam illud forum obeunt, illi facti ſunt floccus, & illa quo corpus cooperiat, non habet. Quæritis modò ex me, quid mulier iſta debeat facere cum filiis? quàm bona interrogatio; ſi illa, & filii hanc ſuo proponerent Confeſſario: reſpondeo illam eſſe obligatam ſub peccato mortali applicare illos ad aliquam artem: quomodo Pater? mei filii ad artem? ecce quantumcunque me videat ex variis floccis conſarcinatam, ſum ut plurimum perſona nobilis, & deſcendendo ex Advocatis, & Capitaneis: Dominus talis, & talis meus conſanguineus; ad artem? hoc nullo modo. Ecce hic magnam partem, ſi non eſt planè maxima, infelicitatum Neapolis. Dic mihi mulier Diabolica, dic mihi mulier infernalis, habésne prædia vel fundos, quos relinquas huic filio? pediculos; ſperas forſan in Eccleſia illum accomodandum? nec ſtudet, nec ſe ad clericatum applicat, & forſitan planè non eſt legitimus. Et quid facit vagando per has vias, & plateas: ſpatiatur, & tempus otiosè perdit, itaque videas latronem: hìc, luforem, ſcurram intrà paucos annos; & tu es perſona nobilis, ut tui filii fiant latrones; & erit contra tuam nobilitatem, ut aliquam addiſcant artem, aliquod officium honoratum? ésne hoc aliquando confeſſa mulier? pro certo non, nunquam hac de re ſcrupulum habui; bene procedis, ut verum fatear: nunc ergo ſcias te eſſe obligatam ſub peccato mortali applicare iſtos filios ad aliquam artem: applicare dico, & adlaborare, ut in arte addiſcenda perſeverent, nam ſi illos applicas, & mox ob unum verbum magiſtri, vel ob levem caſtigationem iterum illos avocas, in tota hac re nihil egimus. Matres Barbaræ in Inſulis Baleariis, ubi filii ad bonam ætatem pervenerant, nunquam illis dabant cibum conſuetum, niſi illi priùs ſagittâ ex arcu jacta illum ex alta trabe cadere deorſum feciſſent; ità illos docebant parare ſibi cibum. Ariſtippus perditô in certo ſuo naufragio totô capitali, & omnibus ſuis opibus, appulit nudus in Inſulam Rhodum; at quia callebat

Geo-

Geometriam, fuit ab Incolis tam benignè receptus, & sustentatus, ut nihil prorsus illi defuerit, & tunc nuntiavit dicendo suis Patriotis: date filiis vestris tales divitias, quas non perdant, quantumvis nudi ex naufragio emergant: hoc est dare filiis artem bonam; allega nunc excusationes tuam nobilitatem defensivas. Certè non es nobilior Augusto Cæsare Imperatore Romano, non es nobilior Carolo Magno, & isti suos filios non solùm curârunt doceri bonas artes, sed etiam suas filias curârunt instrui: fila ducere, nere acu, pingere, & laborare in omnibus exercitiis, quibus indiget aliqua mulier paupercula, & erant filiæ Regum.

III. Sed ut sit totalis instructio, non sufficit, quòd filii sciant operari bonum, sed sunt obligati parentes instruere illos hoc ipsum exercendo. Non sufficit, quòd memoriter teneant Præcepta, sed ut attendant, & invigilent Parentes, quatenus illa adimpleant; hoc est secundum punctum, correctio: Oh quanta ista obligatio Parentes! quæ innumerabiles ad infernum detrudit. Evigilate Parentes dormientes, evigilate, in tribunali enim Divino nihil valebunt vestræ excusationes; quòd adhuc omnino sit parvulus, quòd adhuc sit infans; hac de causa estis tantò magis obligati, siquidem in hac materia verum est axioma Juristarum: quod bonum principium optima sit pars operis, si planè non est totum: *Cujuscunque rei potissima pars, principium est.* Non, hoc enim modo eis vis infertur, præstent cum tempore id, ad quod sunt obligati, si non fecerint, postmodum illos corrigemus. Oh quæ hallucinatio! Oh qualis error! scorpioni non nascuntur dentes, quando mordet, longè ante jam illos habuit: quæ major itaque stoliditas, quàm expectare illos extrahere postquam momorderit? spina dicit Sanctus Augustinus, non pungit, non penetrat radice, attamen ex ipsissima radice nascuntur rami, qui transfigunt, & sanguine inficiunt; itaque, quæ major stultitia, quàm relinquere radices, ut postmodum spinæ prodeant, & nos lædant? *Spinæ non pungunt in radice, & totum, quod pungit ex radice procedit.* Oh nunquid ego ubique esse possum? ità est, sed debes vigilare, ut omnia rescias; cura rerum domesticarum non est prior, quàm cura, quæ tibi incumbit de prolibus. Sunt frivolæ excusationes, Dilectissimi, apud DEUM non valent. Ad initium noctis accommodat

modat horologiarius ſuum horologium, currit tota nocte, & quòd ſi manè ſonet decimam horam, quando debebat ſonare quintam, nunquid culpam in horologium devolvemus? Non, ſed horologiarius incuſabitur; Ah Parentes! & quòd ſi veſtri filii, quia illos malè educaviſtis, prodeant poſtmodum dando ſonum diſſonum, ſonum ſcandaloſum ſuis malis moribus, quis ſuo dorſo hæc omnia peccata imponet, quis de his omnibus reſpondebit?

IV. Non eſt itaque ſolummodò pietas, ſed obligatio graviſſima Parentum ab ipſis teneris annis filios in viam virtutis dirigere, ad rectitudinem, & devotionem erudire, modò exhortationibus, modò bonis exemplis, modò bonis conſiliis. Tali modò inſtruebat ſuum filium Tobias: *Ab infantia timere DEUM docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Tob. 1. v. 10. facere ipſos inamorari in rebus ſacris, ducere illos ad Eccleſiam, attendere ut ſint attenti ad ſacro Sanctum Miſſæ Sacrificium, ut frequentent Sacramenta, diſtribuere per illorum manus eleemoſynas in domo, tales quales poterunt diſtribui. Oh quantum in hoc obtinet, & proficere facit una bona Mater! parùm dixit Ariſtoteles, quando dixit, Matrem eſſe dimidium filiorum: *Dimidium filiorum Mater eſt*; Ariſt. l. 1. Polit. c. 8. Benè poterat dicere eſſe totum Matrem pietoſam, devotam, honeſtam; illa certè efficiet filios, & filias verecundas, virtuoſas, & honeſtas; at Mater impia, ſuperba, inſana faciet ex filiis monſtra inferni. Fratres erant Wenceslaus, & Boleslaus Principes Bohemiæ: filii erant unius Matris, ſed quantum diſpares? Oh DEUS! Wenceslaum, poſt vitam tranſactam Sanctiſſimam adoramus jam in altaribus: & Boleslaus fuit impius, Tyrannus, ſanguinarius, qui poſt ſuas turpitudines effectus eſt Carnifex, qui vitam abſtulit ſuo proprio Fratri: quæ diverſitas eſt iſta prodigioſa? unde tam diverſi mores provenerant? ſcitis unde: Sanctum Wenceslaum educavit Ludmilla ſua Avia, mulier Sancta, Mulier pia; & Boleslaum propria Mater Drahomira, mulier vana, inſana, infamis, & in moribus turpiſſima; & ità prodierunt hi duo tam diverſorum morum. Tantum itaque poſſunt

V. in filiis, & filiabus bona vel mala documenta.

Idcirco ſi locò iſtius informationis Parentes vivunt ità negligentes, ut nec ſciant qua hora noctis ſe domum filii recipiant, unde

unde veniant, cum quibus ſociis converſentur, quas ſocietates adeant, quomodo vivant, oh quàm hic eſt lethargus ut plurimum funeſtus! Obligatus eſt Pater ſub mortali peccato auferre filio omnes occaſiones peccandi; itaque ſi filius exit liber abſque eo, ut ſciatur quò, ſi filia vivit ſinè retentione, ſinè fræno, ibi inſtituunt hilaritates, & tripudia, ibi faciunt viſitationes, & Parentes hac de re nihil ſciunt, ſi tamen fortè non fingant ſe nihil de his ſcire; quòmodo amovebunt illis occaſiones? Obligatus eſt Pater ſub peccato mortali tollere filio malas ſocietates, ipſum retrahere, & prohibere à domibus perniciosis, & occaſionibus periculoſis; itaque ſi nec Pater ſcit, cum quo ſoleat incedere, nec quò ſoleat redire, quomodo ipſi tollet malas ſocietates, quæ ſunt filii ruina? & quomodo illum amovebit à domo, in qua pro ipſo parata eſt damnatio? Eſt obligatus Pater ſub peccato mortali reprehendere Filium, & illum caſtigare, magis, vel minus graviter, ſecundùm quod ſunt ſuæ culpæ; & ſi vel illas non videt, nec de illis ſcit ob ſuam negligentiam totalem, vel ſi illas ſcit, & diſſimulat, tacet, & condeſcendit, quid mihi reſtat dicendum aliud, quàm quòd talis Pater jam ſit damnatus; hac in re nullæ dantur excuſationes, quantumcunque illas alleget veſtra infamis negligentia, vel veſter ſtultus amor. Sanctus erat Sacerdos Heli, quoad ſuam perſonam, irreprehenſibilis in ſuis moribus; ſed, quia non caſtigavit peccata ſuorum filiorum, DEUS ipſi repentè abſtulit vitam per terribilem mortem; perdidit Sacerdotium, perdidit honorem; & juxta ſententiam graviſſimorum Patrum, perdidit æternam ſalutem, & animam.

VI. Ego non nego, quòd correctioni ſit admiſcenda ſuavitas: fateor Parentem non debere eſſe Præfectum triremum; in Arca fuit incluſa Virga cum Manna; opus eſt baculò, & pane: ideò in illo, quod requirit caſtigationem, eſſe blandum, eſt damnare ſeipſum, & filium, & eſt implere Rempublicam abortibus ut plurimùm lacrymabilibus. Si hyems ſit favorabilis, & dulcis, & temperet ſuum congelatum rigorem, ut ſit ſuavis, & placida, ſequentur ex hoc abortus, dicit Hypocrates de aëre, & aquis: *Hyems auſtralis, clemens, facit abortus, vel partus morboſos.*

VII. Sed ſi Pater, & Mater non præeant, ducendo, & incitando filios ad bonum, ſuò exemplò, hæc eſt tertia obligatio, ad nihil de-

ſerviunt verba, nihil proficiunt reprehenſiones, nihil juvant caſtigationes. O Parentes! & ſi bene ponderaretis, quantum poſſit veſtrum exemplum ad malum, vel ad bonum, apud veſtros filios, quàm continua, & aſſidua eſſet veſtra attentio in verbis, in actionibus, & in omnibus. Luſcinia, obſervat Sanctus Ambroſius, tunc meliùs cantat, quando nutrit ſuos partus; & pari modo videtur, id nos experiri hic Neapoli in paſſeribus ſolitariis, quòd illi, qui nutriti, & educati ſunt in cavea, nunquam perveniant ad tantam ſuavitatem cantûs, & harmoniæ, ut illi, qui volant liberi, quia domeſticis deſuit exemplum. Jam ergo, ſi cantilena, quam infans audit in domo, ſunt blaſphemiæ, & juramenta Parentis, maledictiones, & execrationes Matris, & ab uno, & ab altera audiat verba laſciva, & turpia, qualem cantilenam repetet filiolus? quod emolumentum, quis profectus poſtmodum, quantumcunque illum objurgetis? Dicite mihi: Vidiſtisne in hac civitate aliquem infantem, qui loqueretur linguam Japonicam? Hoc nunquam: Quare? Quia linguam Japonicam nunquam audiunt. Quare igitur loquitur hic vel ille infans linguam infernalem: Eja audite caſum inſolitum, ad propoſitum: Aberravit domum propriam quidam innocens infantulus Leodii, & populus, ut eum poſſet domum reducere, interrogavit illum: Dic nobis filiole, ubi, & qualis eſt domus tua? Et ille reſpondit: Domus mea, eſt domus diaboli; JESU! Quis eſt tuus Parens? meus Pater, dicebat ille, eſt diabolus; Et tua Mater, quæ eſt? Et ille: mea Mater eſt diabolus; attoniti hoc audientes, adhibent omnem diligentiam, inveniunt domum infantis, interrogant, qua de cauſa infantulus ſimilia diceret verba, & reſciunt, quòd maritus rixando cum uxore, ſoleat ei dicere: Mulier tu es diabolus: & illa reſpondere: Diabolus, & tu, eſt res eadem; oh utinam ſemel exirent ex iſta domo diaboli; & quandoquidem infantulus nil aliud audiebat, præter hoc, ideò reſpondebat, in ſua innocentia: dom m ſuam eſſe domum diaboli, & Patrem ſuum, & Matrem ſuam eſſe diabolum. Oh quot, & quanti filii, non jam ſolummodo ob verba, ſed propter actiones, quas vident, & propter opera ſuorum Parentum, poſſunt cum majori dicere veritate, meus Pater, & mea Mater eſt diabolus!

Domi-

Domini, & Dominæ, hic non adſunt infantes, nec etiam VIII.
eſt credendum hic adeſſe innocentes: etiam actiones, quæ ſunt licitæ, inter matrimoniô junctos, debent retrahi ab illorum oculis, & ſufficiat hoc leviter attingere in materia, quæ eſt graviſſimè periculoſa, & ex qua jam ſunt ſecuta damna irreparabilia, & funeſtiſſima. Ideò ſi hic adſunt Patres, ſi hic adſunt Matres, qui non ſolùm exemplô, ſed verbis, & etiam exhortationibus perſuadent ſuis filiis peccata, aut Matres filiabus, tales Matres ſunt deſignatrices diverſorii, vulgò Quartier-Meiſterinen / pro ſuis filiabus in inferno, negotiantur de illarum honeſtate, vendunt ſuam animam, & comedunt jam de ſua damnatione, res eſt iſta tam horribilis, & tremenda ut deſint verba illam dignè exprimere. In Gentilitate Romana, refert Plutarchus, lib. de amore prolis, ſi quandoque evenìebat, quòd aliquis canis poſt partum ſuum devorâſſet catellos proprios, confuſa immediatè tota civitate, hoc pro caſu habebant tam formidabili, ut omnes accurrerent ad offerenda ſacrificia ad placandam iram ſuorum Deorum. Et quid hic nobis faciendum foret, dum non jam canis, ſed tot, & tantæ Matres, quæ dicunt ſe eſſe Chriſtianas, & quæ veniunt ad confitendum, dum actualiter vorant de damnatione propria, & de ſuis filiabus? In inferno hoc experientur, & videbunt, ſicut hoc vidit illa, de qua mentionem S. Brigitta lib. 6. Rev. c. 52. facit, quæ dum ſerviviſſet filiæ in illo, quod modò tot practicant, poſtquam mortua fuiſſet, filiæ apparuit inter viperas, & ſcorpiones, & inter terribiles maledictiones, & blaſphemias illi dixit: Quòd toties, quoties illa ſe exornaret ad turpitudines, & libidines, duplicarentur illi in inferno tormenta.

Sed quandoquidem hodie eſt dies optimæ filiæ, quia eſt nata IX.
ex optima Matre, ô Parentes conſignate Mariæ Sanctiſſimæ veſtras proles, reponite illas ſub ſuo Patrocinio, & directione, & inſtillate illis ſemper Mariæ amorem; ut illam Matrem ſuam ſemper vocent, ut Matrem quærant, & deprecentur, & citiſſimè videbitis, & experiemini optimum ſucceſſum habituram illarum educationem. Refert Speculum magnum Exempl. Verb. Maria Virg. Exem. 40. certam Viduam Nobilem honoratam, & virtuoſam habuiſſe duas filias nubiles, quæ in ſumma paupertate duplicabant bonæ Matri

ſuos timores, ſuas ſolicitudines, & ſuas pœnas. Educavit illas lacte dulciſſimo amoris, & devotionis erga Mariam Sanctiſſimam, & illæ correspondebant ſuis virtutibus maternæ educationi. Videndo ſe itaque in quadam occaſione maximè afflictam à paupertate hæc bona Mater, ſumpſit ſuas duas filias, duxit illas ſecum ad Eccleſiam, & ante quandam Imaginem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ cœperunt loqui ejus lacrymæ: O Domina! dixit illi: bene noſti meas anguſtias, & meos timores; jam ampliùs eos ſufferre nequeo; & ſic, cùm ſis fons pietatis, has duas filias ego tibi trado: Ego renuntio, Domina, & relinquo in tuis manibus omne meum jus maternum, quod in eas habeo; Tu jam debes eſſe illarum Mater; conſentitiſne meæ huic reſignationi ô filiæ? Conſentimus, reſponderunt. Mandavit poſtmodum, ut quælibet illarum porrigeret manum Beatiſſimæ Virgini, & hoc præſtito, cum magna pietatis teneritudine redierunt ad domum propriam; pervenientes ad portam domûs, invenerunt ibi præſentem venuſtiſſimum Juvenem, qui, humaniter illis ſalutatis, Domina dixit matri, has centum libras auri ego debebam tuo marito, hic tibi illas exſolvo, & ad nutum capitis, jam non apparebat; attonitæ manſerunt pariter, & jubilantes viſis his omnibus. Veſtivit ſubitò mater filias, exſolvit ſua debita; & liberavit ſe ex anguſtiis; verùm incidit immediatè in alias moleſtias, ſiquidem vagabundi, & oberrantes ex vicinis, malè de filiabus ſentientes, quales nunquam deſunt, videntes iſtam mutationem, imputârunt hæc media, oh DEUS! imputârunt dico peſſimè judicantes, hæc media provenire ex quæſtu, quem filiæ, ſe proſtituendo, facerent. Ah linguæ maledictæ! volavit fama, talibus enim verbis, & detractionibus nunquam deſunt aures, & pervenit tandem etiam uſque ad aures Matris, quæ repleta cordolio, & lacrymis; filiæ meæ, dicit illis, jam ultrà non eſtis ſub mea poteſtate, ite, & dicite veſtræ Matri MARIÆ Sanctiſſimæ, id quod fama de vobis ſpargit: ità illæ hoc fecerunt: propoſuerunt Sanctiſſimæ Virgini querelam amoroſam de ſuo honore perdito, exorantes ab ea ſuccurſum: non tardavit ſuccurrere illis MARIA; ſiquidem intra paucos dies dum in illa Eccleſia ſermo ad populum haberetur, & accurſus ejusdem populi maximus fuiſſet, inter hunc etiam illæ duæ

Virgi-

Virgines erant, ecce tibi ex improviſo, videntibus omnibus, deſcendit de cælo Angelus cum duobus corbiculis, quos plenos floribus in manibus geſtabat, & accedens ad duas dictas Virgines, dixit voce clara, quàm omnes audierunt: Flores iſtos mittit vobis ex cælo veſtra Mater MARIA Sanctiſſima, in præmium veſtræ virginalis puritatis, quam defactò cuſtoditis: dixit, & diſparuit; & exorta eô ipſo momentô acclamatione, & tumultu, omnes acceſſerunt Dominum loci, qui erat magnus Princeps, & ſtupefactus ad miraculum, ædificavit duo Monaſteria in honorem MARIÆ Sanctiſſimæ, & in eis poſuit pro Abbatiſſis has easdem duas ſorores.

Ità favet Virgo Sanctiſſima illi, qui ſcit ſub ejus patrocinium confugere. O Mater pietoſiſſima, quis tibi non conſignabit totum ſuum cor, tui ſumus filii, reſpice nos ut tales, & monſtra nobis tuis favoribus, quòd ſis Mater noſtræ vitæ, & quòd ſis Mater noſtræ gratiæ. X.

INSTRUCTIO XXXV.

De Obligatione Parentum circa ſtatum procurandum ſuis Prolibus.

NOndum ſunt finitæ obligationes Patris Chriſtiani; & idcirco etiam non ſunt finitæ de hac materia; ſunt curæ, & obligationes Patris, quæ quantumvis omni die perſolvantur, locò hujus, quòd finiri deberent, eò magis creſcunt cum annis; incipiunt, à quo filius animatur, & durabunt etiam uſque in illud tempus dum morietur; uſque ad æternitatem ſe extendunt, uſque ad æternitatem ſe dilatant, Volo dicere: quòd ſi illæ duæ primæ obligationes, & primariæ, de quibus jam vidimus, habeant determinatum tempus, illa, quæ nobis hodie ſupereſt, habet pro ſphæra ſolicitudinis, & curæ integram vitam, & debet ſiſtere ſinè termino in æternitate; hoc eſt: providere filiis de convenienti ſtatu. O quale negotium à quo ſæpiſſimè dependet, vel cælum, vel I.

infer-

infernus! O Parentes! utinam conſideraretis iſtud punctum! Alere, & ſuſtentare filios, magnum onus; attamen finaliter exſolvunt hoc labores, aſſequuntur diligentiæ; Bene illos educare, terribilis obligatio, attamen acquirunt hoc finaliter attentiones curæ Magiſtri: providere autem illis de ſtatu, oh quale onus! à quo tantum dependet, & tamen de hoc tam parum movetur quæſtio, de hoc minimè aut nihil cogitatur.

II. Optarem ego mihi, ut hanc rem vobis benè ponderandam proponere poſſem, ſpiritum, ardorem, & zelum Sancti Pauli, quo imprimere poſſem verbis igneis cordibus veſtris materiam tam gravem; doctrinam tanti momenti; ex cujus ignorantia, vel ex contemptu, ſequuntur oh DEUS! tot perditiones, quanta infortunia, quantæ querelæ, quantæ damnationes! *Agitur de re non exigua, ſed omnium maxima*, dicit noſter Doctiſſimus Leſſius, *nempe de æterna vita, aut de æterna morte.* Doctrina itaque eſt ſtabilita, & currens inter omnes Doctores, quòd ex divinatione ſtatûs, aſſecuratâ animâ de vocatione DEI, vel ex errore, qui committitur, dum quis ſequitur ſolummodo ſuum appetitum, intereſſe, vel vanitatem; ſequatur ſæpiſſimè, ſi bene eligatur, lætitia cordis, pax conſcientiæ, profectus ſpiritûs, bonus ordo vitæ, perſeverantia in virtutibus, & ut paucis omnia complectar, ſequatur æterna ſalvatio: & è contrario, ſi erretur, & malè eligatur, repugnante voluntate, violenta inclinatione, oppoſitô geniô; ſequantur moleſtiæ, mœrores, premant amaritudines, iterentur pœnitudines, multiplicentur peccata, & poſt unam vitam miſerabilem ſequatur tandem æterna damnatio. Quanti, conſiderat noſter citatus Leſſius, quanti erunt in inferno, eò quòd fuerint Eccleſiaſtici, qui gauderent in cælo, ſi manſiſſent ſæculares? quantæ erunt damnatæ, eò quòd fuerint Moniales, quæ DEUM in cælo viderent, ſi fuiſſent maritatæ? & quot, & quanti Matrimonio juncti ardebunt in æternis flammis, qui ſi fuiſſent Religioſi, fruerentur æternâ gloriâ? Hoc punctum autem non conſiſtit in eo, ut hic, vel ille ſtatus ſit, in omni enim ſtatu, quos Chriſtianitas habet, eſt ſalvatio: ſed ut ſeligatur ille ſtatus, quem DEUS vult, ad quem DEUS vocat, quem DEUS inſpirat: *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Pſal. 36. v. 23. Jam nunc

atten-

attendite Dilectissimi: si illud, quod ordinariè videmus, est, quòd filii cæce, clausis oculis sinant se perduci à suis Parentibus ad statum, quem Parentes volunt, cùm illi ducant eos omnino cæci versus æterna, aspiciendo solùm præsentia, quid exinde sequi potest? nihil aliud, quàm si cæcus cæcum ducat, ambo cadant in infernum. Oh quot & quanti! ---hoc est pessimum, dicit Gentilis, hoc est maximum damnum, dicit Seneca, quòd disponamus vitam solummodo ad id, quod audimus, & non gubernamus nos ratione; vivimus solùm per similitudinem: *Nulla res majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus*, & quid exinde sequitur? mox subjungit: *Inde ista tota coacervatio aliorum supra alios ruentium*; id quod sequitur est: quòd alii supra alios cadant, ut acervi fiant.

III. Dicit nobis itaque Catechismus: *Obligatos esse Parentes providendi suis filiis de statu, voluntati eorum non contrario.* Duo hic sunt observanda; nimirum, quòd filius ille sit, qui eligit, & Pater, qui illum dare debet: filius est ex integrò liber ad eligendum statum, quem vult, de hoc nullum est dubium. Attamen respectus expetit, veneratio, & affectus, ut Pater circa statum disponat, quando non adest justa ratio, quæ obsit, quod filius negligat voluntatem sui Patris: si enim cum justa ratione hoc facit, nè *quidem* venialiter peccat. Ideò, si Pater dat filio statum contra filii voluntatem, peccat mortaliter; & si contingeret illum obligare filiam ut fieret Monialis, contra filiæ voluntatem, ad citiùs eam expediendam cum tribus millibus florenorum, ut illa postmodum in Patrem suum evomat quavis die tria millia maledictionum, incurreret Pater gravissimam excommunicationem, quam fulminavit Sacrosanctum Concilium Tridentinum, non solùm contra Parentes impios, sed contra alios etiam quoscunque, qui concurrerent ad talem violentiam cap. Anathemati 18. Sess. 25. de Regul. Sed quis posset credere simile quid de Patre Christiano?

IV. Nunc igitur, si ità introductus est talis pernicioſus abusus, ut Patres ductum præbeant filiis ad statum, si filii taliter se permittant duci ab illis, hoc ipsissimum facit multò terribiliorem illorum obligationem. Et quid solet evenire? Leviter hoc attingo solummodo quia tempus breve est. Moris erat apud Athenien-

ſes, quòd, ubi ad bonam ætatem filii perveniſſent, Pater ad domum ſuam curaverit omnia inſtrumenta artium liberalium adferri, quæ pro illa ætate ſerviebant pueris pro oblectatione, obſervabat Pater, in quod ex his filii magis inclinarent, & ſecundùm inclinationem illorum eos applicabant, quo eorum genius eos rapiebat; idcirco erant ibi homines tam excellentes in omnibus artibus illius Reipublicæ; quia adjuvante inclinatione, faciles erant in illarum exercitio; hoc fiebat inter Gentiles. Nunc quomodo vocabimus Chriſtianum aliquem Parentem, qui, conſulendo ſolummodo ſuas commoditates, ſuum intereſſe, vel ſuam avaritiam, maritat filiam contra filiæ propriam inclinationem, ſolummodo ideò, quia ille, cui Pater deſtinavit dare filiam, pecuniam habet, quia eſt inſignis Nobilitatis, vel quia in ipſo ſperat ſe ſclavum habiturum? O Sancte DEUS! & qualia damna non ſequuntur ex ſimilibus matrimoniis? O! ego illam non cogo, nullam vim ipſi infero; verum eſt, ſed debes advertere, Pater ſtulte, repetitas preces, ſolicitationes, corrugationes faciei erga aliquam virginem timidam eſſe violentiam. O! ego jam rem compoſui, & meum verbum dedi; & quis tibi dedit iſtam authoritatem? Pater barbare! quòd ſi tibi illam det lex illa maledicta puncti honoris, illa lex infamis diaboli; Lex DEI Sanctiſſima illam tibi tollit; hæc filia eſt per omnia libera circa electionem ſui ſtatûs, quomodo itaque tu impie, & tyranne vis illam facere ſclavam in ſua vita, quàm, cùm illa non elegerit ex inclinatione, experitur eſſe triremem, in qua ad remum cordoliorum, dimicationum, & rixarum, eveniunt oh quanta peccata? jam ego rem bene apud me perpendi, & optimè omnia prævidi; expecta, & audi me; Conſuluiſtine cum DEO? nihil minùs! *Os meum non interrogaſtis*, dicit DEUS per Iſaiam cap. 30. v. 2. Non; attamen cum maritus ſit dives, & abundans; omnia proſpera illis ſuccedent, & in multos in optima fortuna annos vitam prolongabunt.

V. Pervenimus, Dilectiſſimi mei, ad intimum cordis, ad punctum principaliſſimum hujus materiæ. Audite me filii, audite me Parentes; hæ enim ſunt duæ aleæ à quibus dependet divinatio in qua tantum poſitum eſt, vel à quibus ſequitur error, qui tam enormiter nocet. Aberrant multi à ſtatu, dicit meus glorioſiſſimus Sanctus

ctus Ignatius, quia ex mediis finem faciunt, & ex fine media. DEUS eſt unicus finis, ad quem, & in quo terminat quilibet ſuum ſtatum; ità verſus DEUM omnes tendunt; iſtæ res temporales, commoditas, gradus honoris, divitiæ, nihil aliud ſunt quàm media, quæ non poſſunt ducere ad conſequendum hunc finem: jam nunc hic eſtote attenti; vel tu virgo, quæ deſideras matrimonio jungi, vel tu juvenis, qui inclinas ad ſtatum Eccleſiaſticum, vel tu Pater, qui ad unum, & ad alterum illos ducis: & tu, qui collimas ſolummodo ad conſequendas divitias, veſtes ſplendidas, & oſtentationem; ſi tu habes deſiderium tantummodo, in gradibus honorum, & dignitatibus, in vita ducenda ad tuum beneplacitum; & ſi tu reponis attentionem ſolummodo in lucrando, vel ut lucrentur tui filii ſimiles convenientias, & reſpectus; hoc eſt ex mediis facere finem: & ſi tu, & tu, non reponitis veſtrum ſcopum ſolummodo in DEO; in eo, quòd hic ſtatus debeat ſolummodo deſervire ad ſerviendum DEO, hoc eſt facere ex fine medium, & hoc eſt aberrare à ſtatu, & ſit ille qualiſcunque velit.

VI. Ad DEUM ſolum, ad DEUM ſolum ô Patres! ad hunc debetis dirigere veſtros filios; ô filii! in hoc debetis reponere omnes veſtras curas, ſi velitis bene tangere veſtrum ſtatum: recurrite frequentiſſimis orationibus ad DEUM, rogando illum, ut vos illuminet, ut vos dirigat, ut viam monſtret: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem*, Pſal. 142. v. 8. *Pone greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea*: Pſal. 16. v. 5. Opus eſt frequentare Sacramenta, & in illo Sanctiſſimæ Communionis repetere has ipſas ſupplicas. Magnus Doctor Alcalæ civitate Arragoniæ, ſentiendo ſe vocari ad Religionem, non poterat ſe determinare, qualem amplecti deberet, & dicendo Miſſam clamabat ad Crucifixum Sanctum, ut ſibi notum faceret, in qua Religione vellet, ut illi ſerviret, dummodo non ſit in Societate noſtra, quia hæc Religio illi erat horrori, & hac de cauſa dicebat: Domine, ſit illa qualiſcunque, modò non ſit Societas: *In hac ego te volo*, reſpondit illi voce clara Crucifixus; & eô ipſô momentô ceſſavit, & ablata eſt ab illo omnis repugnantia; intravit Societatem; vixit, & mortuus eſt in illa ſanctiſſimè. Recurrite ad MARIAM Sanctiſſimam Matrem boni conſilii, prout hoc expertus eſt noſter Sanctus Aloyſius,

ſius, qui orando ad Dominam, illi reſpondit voce clara: *Intra Societatem mei Filii*, & in illa evaſit Sanctus. Non dico ideò, quòd vos etiam debeatis expectare ſimilia miracula; Nam ſcit DEUS ſecretè loqui ad cor per impulſus, vivificando inclinationem exæquando difficultates, & eaſdem complanando, tollendo impedimenta; ſi res taliter acta fuerit, hoc tunc erit rem acu tangere, & à vero non aberrare.

VII. Idcirco pro ſcopo, & fine ſtatuere ſibi commoditates terrenas, bona mundana, oh quàm hic ſcopus, quàm hæc collimatio eſt deceptoria! Non poteſt negari laus, ut ſapienti illi Novitio in Ordine Ciſtercienſi ratione reſponſi dati ſuo Parenti; erat hic Princeps potens, & Dominus magni ſtatûs: intravit Filius contra voluntatem Patris Religionem, & ille perſuadebat ei precibus, & teneritudine amoris, ut exiret, quòd taliter frueretur divitiis, magnitudine authoritatis, & totius ſtatûs. Ah Domine! reſpondit illi Novitius, in iſto veſtro Principatu eſt mos tam nequam, ità perverſus, & eſt ille, qui me ad fugam coëgit, & me in Religione retinet. Quomodo? repoſuit Pater: nunquid es Dominus omnium, cur talem morem non ſuſtuliſti? Idcirco dic mihi, quis mos ille eſt, & ego illum immediatè amandabo, ut cum tanto majori guſtu redeas? Ecce Domine, mos ille eſt, quòd æquè tam citò, & quidem ſæpius citiùs moriantur juvenes, quàm ſenes: & hic eſt ille mos, quem ſi non tollitis, ego nunquam ampliùs redibo ad veſtrum Principatum. Ah Patres, ego vobis nunc dicam omnibus; ſi non tollitis hunc morem, nempe quòd ſolùm collimetis ad bona temporalia filiorum, & ſolam peccuniam attenditis, ad vanitatem, ad equeſtrem dignitatem, erroneum, & nullius frugi ab hoc momento eſt hoc matrimonium, & ego hoc ſubſcribam meo ſanguine, & meo nomine. Scitiſne quale matrimonium vobis approbaret ex hac hora Spiritus Sanctus? Audite: *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam*; Eccl. 7. v. 27. Tradis in matrimonium filiam tuam? ità eſt: & vidiſtine an ſponſus ſit homo bonorum morum, homo ſenſatus, judicioſus, prudens, induſtrius, & quòd Chriſtianè vivat? ità eſt, eſt itaque magna res: *Grande opus feceris*. Non dicit, an ille ſolummodo ſit magnus, & famoſus Nobilis, an ſit ſolummodo multùm dives,

dives, non: *Homini ſenſato, homini ſenſato.* Etiam Gentilis irriſit ſimiles divitias: Themiſtocles erat pauperrimus; petiit ab illo filiam ſuam certus quidam juvenis magnarum divitiarum, ſed magnæ ſimplicitatis, & ille noluit illi eam dare; ſed cur id non vis facere, interrogârunt eum, cùm tua filia ſit tam pauper? ad quod ille protulit reſponſionis dictum, quod plùs valet, quàm omnes divitiæ illius ſimplicis: Malo hominem, dixit, qui egeat: & inops ſit divitiis, quàm divitias, quæ egeant homine.

VIII. Et quid jam dicemus de illo, qui ait: Meus filius debet fieri Clericus, quia jam habet Capellaniam, jam habet beneficium; quæ ratio eſt hæc quæſo ſinè ratione? quæ cauſa eſt iſta, cauſa tot, & tantorum inexplicabilium damnorum? Solùm ideò, quia habet Capellaniam, Beneficium? Et non erit, quia DEUS illum ad hunc ſtatum vocat? *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, dicit de Sacerdotio Sanctus Paulus, *ſed qui vocatur à DEO, tanquam Aaron*: cap. 5. v. 4. ad Hebr. Non fiet Clericus ideò, quia habet inclinationem? Non; ille nihil minùs cogitat quam hoc; non fiet ideò, quia naturale ipſius eſt bonum, eſt docilis, mores illius moderati, & honeſti, bona illius ſtudia ſunt ad propoſitum hujus ſtatûs? Non! mores enim illius ſunt diſſoluti, inclinationes perverſæ, ſunt aleæ illius ſtudia, & cartifolia; & cum his omnibus tamen debet fieri Eccleſiaſticus? Ità eſt: quia habet pinguem præbendam. *Liberi*, exclamat noſter inſignis Oliva, in Quadr. Fer. 3. Dom. I. *liberi artis adnoventur, non ut Altari ſervient, ſed ut de Altari vivant.* Ergóne, Parens infelix, in locum Miniſtri Altaris, qui illi ſerviat, vis dare Miniſtrum cui Altare, & Eccleſia ſerviat, ſerviat & tibi? & illud quod exinde ſequitur? Oh quantum! hoc experieris in tremendo DEI tribunali. Oh utilitatem vilem temporalis reſpectus, & lucri non perpendis humeris injicere tuo pauperculo filio certas obligationes tam terribiles in ſtatu tam perfecto, inquo ſi ſolummodo vivat ob talem finem, oh qui ſcopuli! Barbari Inſulæ Trapobanæ incolæ, referente Plinio lib. 6. c. 22. antequam de acu magnetica quidquam ſciviſſent, dum volebant navigare verſus Septentrionem, vehebant ſecum in ſuis naviculis certas quasdam aves, & dum jam in altitudinem maris perveniſſent, nec ampliùs terram in conſpectu haberent, ad illam reinveniendam

permittebant volare illas aves, quæ naturali inſtinctu tendebant verſus terram, & poſtmodum illas ſequebantur navigantes. Verumtamen multoties eveniebat, quòd, quantumvis aves illis terram demonſtraverint, non deſignaverint pericula maris, impingebant itaque in ſcopulos, & ſic ſubmergebantur. Niſi vobis monſtret cælum iter ô filii! non eſt inveniendus, qui ducat vos, ex illis, qui vobis terram monſtrant, quæ, plenum mare eſt, ſcopulis periculoſiſſimis.

IX. Non nego, quòd, quando Pater operatur ſecundùm DEUM, juſtiſſimum ſit, ut, in quantum poteſt, filius ſe accomodet ſuo Patri; attamen hoc intelligitur, quando voluntas Patris non opponitur vocationi Divinæ. Sueſſioni in Gallia Nobilis Capitaneus habebat filiam vultu admirabilis pulchritudinis, quæ à multis expetita fuit in ſponſam; fuit promiſſa à Patre alteri militi paris cum Parente dignitatis; ſed illa, quia jam fuit amore capta alterius juvenis, nullo modo voluit conſentire, opponendo ſe Patri, eidem dixit reſoluta, prius ſibi velle propria manu auferre vitam, quàm manum porrigere illi, quem Pater vellet. Pro decidenda iſta lite, ambo acceſſerunt Epiſcopum, qui pro tunc erat Sanctus Arnulphus, ut refert Surius 5. Aug. allegabat Pater ſuam authoritatem, filia verò ſuam libertatem; & Epiſcopus converſus ad Patrem, eidem dixit: Non eſt juſtum, ut filiam tuam matrimonio tradas contra propriam filiæ voluntatem, nec quòd illi neges maritum, quem illa petit; Et tu, converſus ad filiam, dixit, accipe tibi in maritum, quem petis, ſed eô diu non gaudebis: ità evenit, quia maritus tantopere ab illa expetitus intra paucos dies fuit occiſus, & illa remanſit vidua, vix ſponſa facta; ut ex hoc diſcant Parentes non debere auferre libertatem prolibus; & proles edoceantur non debere illas procedere ſecundum ſuum caput, ſed cum DEO omnia incipere, & quoad hunc ſtatum dent debitum reſpectum ſuis genitoribus.

X. Quoad hunc ſtatum dixi, quia ſi ſint Parentes, qui proles prohiberent ingredi aliquam Religionem, ad quam illas DEUS vocat, conculcent illos ut dracones, fugiant tales genitores ut diabolos. O Pater tyranne! ô Mater crudelis! ô Parentes impii!

excla-

exclamat iratus Sanctus Bernardus Epiſt. III. ô non Parentes, ſed carnifices, qui ità defletis ſalutem optimam filii veſtri, & ità conſolamini ex illius morte. *O durum Patrem! ô ſævam Matrem! ô Parentes crudeles, & impios! imò non Parentes, ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii eſt!* poſſent ex hoc intelligere Patres, & multò magis Matres clamores periculorum filiorum perditorum, ex eo, quòd illos impediverint ab ingreſſu Religionis. Talium, dico ego, qui committunt enorme peccatum mortale tantarum conſequentiarum, impediendo filios ſinè juſta ratione ab ingreſſu Religionis, ipſiſſimi filii erunt carnifices illorum, illi erunt talium Parentum flagellum; & quantò magis, ſi in ipſa Religione illos moleſtant, vel ex ipſa illos expellunt. Ex innumerabilibus infortuniis, quæ in hoc paſſu viſa ſunt, loquatur modò ſequens eventus. IX.

Refert illum Pater Alexander Faya Societatis Pal. 4. Ex. 25. In certo loco Caſtiliæ Veteris, nominato Tudela de Duero, quidam Agricola ditiſſimus, habebat unicum filium, hæredem ùt ſui totius amoris, ità pariter omnis ſubſtantiæ. Studebat ille in noſtro Collegio Segovienſi, & ex inſpiratione Divina commotus, ſtatuit intrare Societatem, & petiit ſuſcipi tantis, repetitis inſtantiis, ut tandem compos effectus fuerit ſui deſiderii, & erat ex hoc tantum contentus, quantum afflictus ſuus Pater, eô ipsô momentô, quo hoc reſcivit. Habebat in illo repoſitas omnes ſuas ſpes, & quoniam ità erant falſæ, deſperavit citò, & hac de cauſa venit ad Novitiatum, & pluribus lacrymis quàm verbis expoſuit filio ſuam ſenectutem ſinè fulcimento, ſinè auxilio, Matrem ſinè ſolatio, ſubſtantiam ſinè hærede; & in tantum illum perſuaſit, ut, victus ab amore naturali, Religionem dereliquerit. Rediit Pater domum jam ut plurimùm conſolatus, at non in tantum filius: quia ſtringendo illius cor de novo impulſus, magis illum conſtringebant ob ingratitudinem, & illum dicti impulſus in tantum ſtrinxerunt, ut, præ pudore nolens redire ad Societatem, petierit, & ſuſceperit Habitum Sancti Franciſci; debuiſſet Pater bene advertere, & manibus palpare rem à DEO eſſe, cùm tam clarè DEUS hoc manifeſtaret; attamen ità cæcus erat, ut cum novo cordolio redierit inſtando, ut Religionem de-

ſere-

fereret, & eundem ex Religione ſecunda vice traxerit: & ut ille, & filius aſſecurati impoſterum eſſent, ut Pater cogitabat, tractavit ſeriò de matrimonio filio providendo: in his diſpoſitionibus ſenex occupabatur, quas tamen filius minimè ignorans, apud ſe ipſum determinavit, & concluſit accipere ſibi uxorem juxta ſuum placitum; ità etiam hoc fecit, dum de hoc minimè Parentes cogitabant. Ecce tibi domus reducta in infernum ex eo, quòd uxorem duxerit contra voluntatem Parentum: elongaverunt ab eo ſuos affectus Parentes taliter, ut diu, noctúque, nullis auditis verbis bonis, nihil, præter opera mala, videretur. Quidquid faciebat, Parentes nauſeabant, omnis ſermo ejus faſtidium illis cauſabat, & inter verbera, & lites, Parentes vitam ducebant, moriendo, & filius vivebat præ dolore diſrumpendo. Evenit itaque, quòd exiret quodam die Pater ad campum, mandavit filio, ut iret laboratum in vinea: exiit uterque, & jam in campo aperto exiſtentes, Parens nitebatur, ut ad deſtinatum laborem ſe conferret, filius autem nitebatur Patrem commitari; & Seniculus, vires ſibi adaugens, volebat illi verbera inferre, & cecidit in terram ſupra filium, qui falce putatoria, quam in manu geſtabat, abſcidit Patri caput: reſcivit hoc juſtitia, ob hoc fuit incarceratus, & pœnas filius exſolvit in patibulo. Iſte eſt terminus Parentum, qui taliter reſiſtunt DEO ob ſuam voluptatem, & reſpectum: iſte eſt finis filiorum, qui taliter deſerunt DEUM in gratiam Parentum. Si iſte ſuam ſecutus fuiſſet vocationem, forſitan poſt vitam in ſpirituali lætitia tranſactam, mortuus ſanctè fuiſſet; deſerendo illam, vixit afflictus, & infami morte de hoc mundo ſublatus eſt.

XII. Parentes, filii, ad ſtatum ad quem DEUS vocat, connitemini, ſequi DEUM optimum eſt, in hoc enim conſiſtit ſalus, ſequi DEUM, in hoc conſiſtit gratia, ſequi DEUM, hoc enim faciendo pervenitur ad gloriam.

INSTRU-

INSTRUCTIO XXXVI.

De Amore & Respectu, quem sibi ad invicem debent Conjugati.

NOn semper est necesse pugnare ad consequendam victoriam; I.
Pax dat victorias gloriosissimas, triumphos reportat concordia felicissimos, & amor scit obtinere suas optimas coronas absque eo, quòd opus sit certamine. Volo ego dicere, absque ulteriori dilatione, quòd inter Conjugatos in non pugnando consistat glorioſissima victoria, in se invicem amando certatim debeant habere honoratissimam æmulationem, & inter se uniti quilibet serviat alteri pro trophæo, & uterque sibi formet glorioſissimam coronam triumphalem. Hoc ità expressit Domina Renata Principissa Lotharingiæ; Curavit depingi duos ramos olivæ, qui inter se innexi per repetitos circulos, efformabant coronam, & pro inscriptione appositi: *Cor unum, & anima una;* declaravit hoc dicto alium conceptum, & altioris indaginis intentionem, quam debent consequi Conjugati. *Si* enim non sunt cor unum in amando, & una anima in vivendo, Uxor, & Maritus, malè componetur pro illis corona ex oliva, quæ est nuntia pacis, unit prudens cum fœcundo, benignum cum proficuo. Succedit maritus uxori in locum Patris: *Amodo voca me Pater meus, dux virginitatis meæ*; Jer. 3. v. 4 Succedit uxor marito in locum Matris: *Propter hanc relinquet homo Patrem suum, ac Matrem.* Bene itaque transimus ab obligationibus Parentum, ad obligationes Conjugatorum; & non loquor pro nunc de omnibus illorum obligationibus, has explicabo, DEO dante, ubi pervenerimus ad magnum Sacramentum Matrimonii; loquor solummodo de obligationibus, quas quoad respectum, & quoad amorem illis intimat hoc quartum Præceptum.

Loquor dixi? dixi malè, non enim est alius, qui loquitur, II.
quàm Sanctus Paulus, quia, postquam sunt factæ communes inter conjugatos, nescio quales impiæ leges iniquitatis, opus est, ut eas aboleat tam magnus Apostolus. Verba Apostoli sunt illa, quæ nobis refert Catechismus; *Mariti*, interrogat jam, *mariti quomodo se debent habere cum suis uxoribus? debent illas tractare amore, &*

prudentiâ, & illas diligere ſicut Chriſtus ſuam Eccleſiam. Sicut Chriſtus ſuam Eccleſiam? quale *ſicut* eſt iſtud? quæ ſimilitudo? quæ comparatio, quæ in duobus verbis complectitur tot, & tantas terribiles obligationes? tantus debet eſſe amor mariti, tanta ſua diligentia, ſua cura, ſuus ſuccurſus, ut poſſit comparari illi Divino, qui inamoratus dedit pro ſua Eccleſia ſuum ſanguinem; illi amori Sponſi Divini, qui æſtimavit ſuam ſponſam, non minoris valoris, quàm ſuam vitam. Tantùm diligite, dicit Sanctus Paulus ad Epheſ. 5. v. 25. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*; proſequitur Catechiſmus; *Et uxores cum ſuis maritis? quomodo*; *amore, & reverentiâ ſicut Eccleſia cum Chriſto.* Sicut Eccleſia cum Chriſto? quale *ſicut* eſt hoc? repeto dicere: ergo uxor debet imitari in ſua obedientia, in reſpectu, in amore erga maritum, amorem tam ardentem, venerationem tam humilem, qua ſuum amatum Chriſtum adorat ſua ſponſa Eccleſia? ità, ità eſt: dicit hoc Apoſtolus: *Sicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; ità & mulieres viris ſuis in omnibus.* Ibid. v. 24. Conjugati, quis nobis loquitur? Sanctus Paulus, vox DEI, tuba Spiritus Sancti; non ſunt itaque iſta verba ſolius exaggerationis? non; ſed ſunt veritas, & quidem de fide; non permittitur hic amor, hæc cura, hic ſuccurſus, hoc auxilium arbitrio, & guſtui mariti; non? ſunt hæc omnia ſtrictiſſimæ obligationis: non debet eſſe iſta ſubjectio, iſta obedientia ſolummodo quando mulier, quando uxor velit, & in illo in quo velit? non; ſed ſemper, & in omnibus actionibus. *In omnibus, in omnibus.* Itaque quàm exemplar ſupremum æqualiter, & quàm terribile! Oh quale originale vobis proponitur, ut illud imitemini, in tantum amabile, in quantum horribile! *Sicut Chriſtus cum ſua Eccleſia: ſicut Eccleſia cum Chriſto*; quàm amor tam purus! quales affectiones tam Sanctæ! quas ſolicitudines non exigit in his tam ſolicitas; & quam obedientiam in illis tam humilem! fortunatæ eſſent familiæ, fortunatæ animæ, fortunata Chriſtianitas, ſi ità viverent Conjugati; quævis domus eſſet Eccleſia, quævis ſecreta camera eſſet oratorium, & quævis actio, Sacrificium; videremus hic duas animas ligatas ad jugum, portare glorioſam arcam Domini in Bethſames, & illic duas candidas columbas volare leviſſimas ad nidum æternitatis. Sed cum tam

oppo-

oppoſita videamus, cùm inferorum cernamus in tot domibus, ferveſcentiam funeſtarum flammarum in qualibet familia, prævenientem in clamoribus, maledictionibus, & lamentis anticipatam damnationem, unde hoc provenit? quis eſt in culpa? maritus illam devolvit in uxorem, uxor in maritum. Ego per me nolo eſſe dilectiſſimi Judex inter Conjugatos; dico cuivis ſuas obligationes, & illic videant in illorum anima, quis coram DEO ſit in culpa.

III. Ego ſuppono non adeſſe hic maritum tam exiguum, tam inutilem, tam effœminatum, qui ſe ſinat regere, & ſibi commendare à ſua uxore: leges Divinæ, & humanæ dant marito omne dominium: *Vir caput eſt mulieris* dicit Sanctus Paulus ad Epheſ. 5. v. 23. & ipſemet DEUS: *ſub Viri poteſtate eris.* Gen. 3. v. 16. Idcirco ſi tales mariti dantur, infelix domus, in qua omne dominium habet mulier imperioſa: infelix, & ſceleſtum matrimonium, ubi barba obmuteſcit ad clamorem veli, & calanticæ: infortunatus, & miſer maritus ille, qui in plumis repoſuit altare, quod adorat ſuus ſtultus amor: ibi habebit ſuam jugulationem ut victima à ſua inſipientia; non dico ego hoc, ſed ipſemet Spiritus S. apud Eccleſiaſt. cap. 25. v. 30. *Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo*; & fortè non? unica Jezabel id dicat, quæ totum invertit regnum; dicat hoc una Dalila, quæ ut jumentum tractavit fortiſſimum hominem populi DEI; & dicat hoc Salomon, Sapientiſſimus hominum, qui ob ſuas ſtultitias ſe riſui expoſuit omnibus ſæculis, poſtquam ſe ſivit gubernari à mulieribus. Appagite; talibus maritis etiam ipſemet DEUS in faciem eorum infamiam exprobrat Iſaiæ 3. v. 12. *Et mulieres dominatæ ſunt eis.* IV.

Debet itaque dominari, & gubernare Maritus; attamen ecce tibi hic alterum extremum multò periculoſius: non formavit DEUS, dicit Sanctus Auguſtinus lib. 12. de Civ. c. 26. mulierem ex capite Adami: non; quia illi eam non proponebat ut Dominam; non formavit eam ex pedibus: non; quia illi eam adjungebat, ut non ſclavam; formavit illam ex latere, quia illi eam dabat in ſociam. Ex latere, & ſub brachio eam eduxit, hoc fuit eam ſubjectam facere; attamen ex vicinioſſimo loco cordi; hoc fuit relinquere illi non parvam partem quoad affectum. Oh quæ diſcretio! Mariti Lupi, mariti tygres, mariti dracones intelligitis-

me, intelligitis veſtram non eſſe ſclavam illam miſellam columbam, quàm ità tractatis in tantum feri, in tantum imperioſi, & in tantum terribiles: eſt veſtra ſocia pro hac, & altera fortuna, pro hac, & altera vita: *Socia vitæ humanæ, atque divinæ*; Leg. adverſus cap. de crim. expil. hæred. illam vocat Lex: quomodo itaque reponitis veſtrum dominium in illa contemnenda, in dicendis contra illam injuriis, & in exequendis improbitatibus?

V. Peccat mortaliter maritus, qui tali modo offendit ſuam conjugem contemptibus, quos illa graviter ſentit, verbis injurioſis, graviter illam verberando ob res ridiculas: non eſt talis homo maritus, ſed beſtia, dicit Sanctus Chryſoſtomus: *Si vir appellandus eſt, & non beſtia*: hom. 26. in 1. ad Cor. Non conſiſtit itaque in hoc dominium. Certum eſt ſpectare ad maritum correctionem, reprehenſionem mali, & aliqualis moderata caſtigatio: Ideò tamen non conſiſtit ſuum dominium in hoc, quòd debeat uxor incedere timoroſa, & tremens, acſi aliqua ſclava eſſet; locum debet habere quandoque bonum conſilium, attentio debet fieri cum omni diſcretione: modò mulier ſe agnoſcat à marito dependentem, & modò attendat, nè dominetur. Dicite mihi, nunquid advertiſtis ſolicitudinem, qua cuſtoditur cotyla cryſtallina, ex qua ſolet potum ſumere Dominus domûs? omnia reſidua vaſa verſantur inter manus ſervorum, ex culinâ portantur ad triclinium, ex triclinio ad culinam; & hoc ſinè omni reſpectu; ſed cotyla cryſtallina oh quomodo cuſtoditur! eſt nimirum illa, ex qua bibit Paterfamilias! quali cum attentione non tractatur, cum quanta cura hinc inde portatur; ubique attenditur, nè in terram cadat, nè frangatur; Obſervatiſne hoc? ecce talis eſt veſtra uxor, dicit vobis non minùs quàm Apoſtolorum Princeps Sanctus Petrus Ep. 1. c. 3. v. 7. *Viri, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.* Eſt quædam cotyla criſtallina uxor, quàm delicata res! Serviat, attamen tenetur cum attentione: Obediat; verùm apprehendatur cum reſpectu; Vivat ſubjecta: verumtamen monſtretur ſolicitudo, quâ conſervatur illud, quod æſtimatur: quòd ſi enim elabatur è manibus, cadit infra pedes; oh DEUS! quàm facilè rumpitur; & non tam facilè ſolidatur; *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem*: & iſtud eſt veſtrum dominium.

Id-

Idcirco non debet vobis ſuccedere, & accidere tam vili pretio eſ- VI.
ſe caput; cùm DEUS Adamo intimaverit cum dominio ſudores, ex laboribus: *In ſudore vultûs tui, veſceris pane tuo.* Gen. 3. v. 19. Vir eſt caput dicit vobis S. Aug. lib. de Civit. DEI c. 14. *Non principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ.* Eſt itaque obligatus maritus ſub peccato mortali, dare, juxta ſuam ſphæram, uxori omnia neceſſaria, vel attulerit dotem, vel non; ſi nullam cauſam det, nec etiam abſit vel ab habitatione, vel in fide matrimoniali deſit; non dico illum debere ſequi omnes fœmineas incidentias; ſed, dum media ſuppetunt, dico, nec animam, nec honorem eſſe ſecurum cum vili parcitate; qui multùm contrahit, & occludit burſam, ut plurimum aperit ſuo infortunio portam: ſed quis perſuadebit miſerabilibus? Vis tu ut tibi obediat uxor tua, ſicut Chriſto ſua Eccleſia? quærit Sanctus Chryſoſtomus hom. 2. in c. 4. ad Epheſ. apud Maff. Hiſt. Ind. *Vis tibi obedire uxorem, ſicut Chriſto Eccleſiam?* Ergo illam alas, & ſuccurre illi, ſicut Chriſtus alit, planè ſuo ſanguine, Eccleſiam: *Ipſe quoque ejus curam gere, ſicut Chriſtus Eccleſiæ.* Sed ô tempora! quales videmus maritos! Dignum eſt riſu illud, quod referunt de Barbaris Braſiliæ, quòd, dum adveniſſet uxori tempus partûs, immediatè ubi peperit, ſurgat ad labores, ad ſervitia, & ad omnia domûs neceſſaria peragenda: & uxoris locò ſe in lectum collocet ad decumbendum maritus, ſe tegat, ab aliis viſitetur ut infirmus, & acſi ille eſſet puerpera ab aliis munera accipiat, alii ipſi blandiantur, donativa mittant, & ille ſe fingat delicatum, & debilem, & infantizatum. Videte unum Indum, quale proſtibulum! potéſtne dari major barbarismus? ità, & quidem invenitur inter nos. Quot, & quantis maritis, & non tantùm per dies, ſed per annos nihil plus deeſt quàm cyclas, & accomodatio in lecto, dum interim miſerabilis uxor eſt illa; quæ gemit, viribus deficit, & quæ laborat; Ah mariti non mariti, ſed monſtra infamiæ! Non nego, quòd ſi maritus, ob ſuas infirmitates, vel ob ſua infortunia devenit ad talem paupertatem, ut ſeipſum juvare non poſſit, eſt uxor, quomodocunque poterit, obligata illi ſuccurrere: non nego, debere uxorem ſervire marito, ſecundùm ſuam qualitatem, & ſecundùm ſuam ſphæram, vel perſonaliter providendo illi de cibo, de veſtitu,

&c. --- vel attendendo, ut hoc famulæ faciant, illæ quas in ſervitiis habent, ut domino cibos deferant, & illum veſtiant. Verùm illi pigri, ſocordes, vagabundi, melius invenirent in triremibus ſubſidium.

VII. Sed ſupra omnia hucuſque dicta eſt principaliter uxorum obedientia erga maritos; Scio, quòd jam multas replicas conglomeraverint uxores, quas mihi opponent. Oh! meus maritus eſt nimium inſulſus; ſolent tales dari; idcirco tu non illi obedis, ſed Chriſto Domino in illo: *Sicut Domino, ſicut Domino.* Oh! vult mille impoſſibilia; non deſunt tales imprudentes; attamen media invenit prudentia illos demulcendi. Oh! ſi quid non eſt ad ſuum guſtum, exoriuntur clamores: dantur mariti ità faſtidioſi; ſed opponere ſe illis erit pejus. Oh! ob nihilum ſæpius iraſcitur; mariti inveniuntur ità terribiles, ſed nunquid eſt bonum remedium, nihil illis respondere? Oh! ille me ſpernit, & quod mihi dare deberet, aufert ex domo: dantur mariti ità deſpicaces: nihilominus tacendo omnia iſta vincet amor conſtans. Oh! dicit mihi --- non ultrà Dominæ ſufficiunt iſtæ replicæ. Peccat mortaliter mulier, uxor quæ intermittit obedire ſuo màrito, in rebus gravibus, juſtis, vel ad minimum, non injuſtis, ſi hoc facit ex contumacia, cum acerbitate, & cum contemptu: ſi perdit graviter erga maritum reſpectum, etiam tantùm verbis: ſi illi reſpondet, vel verba dicit, quæ quantumvis non ſint injurioſa, uti jam illa ſcit, dant occaſionem, quòd maritus juret, imprecetur, blaſphemet. Oh quæ peccata non ſequuntur, ſi uxor non ſit humilis! Mulier vis imperare? medium ad hoc perveniendi eſt, obedire: *Si vis imperare mulier, pareas.* Ità vicit Sancta Monica, ſufferendo maritum ferocem, & barbarum; ità Sancta Elizabeth, Regina Portugalliæ, vicit maritum nauſeabundè averſum; & ità aliæ innumerabiles. Jam rem bene adverto; ego ipſi impoſterum obediam: attamen ut ille mihi prohibeat meas devotiones, & frequentationem Eccleſiæ, quis eſt obligatus hoc tollerare? Dicam, dicam: Peccat mortaliter maritus, qui ſuæ uxori mandat aliquid, quod eſt contra legem DEI, apud Leandr. D. 8. tr. 2. D. 3. q. 5. & 6. Vel ſi illi auferat illud, quod eſt ex omni parte neceſſarium ad ſe collocandum, & vivendum in gratia DEI, prout eſt con-

confeſſiones peragere; & in nullo horum tenetur uxor ad obedientiam. Attamen in Præceptis, quæ ſunt Eccleſiæ, prout eſt jejunare, audire Miſſam, &c. --- ſi adſit juſta ratio, ſicut eſſent, ſi ille graviter decumberet, & neceſſariam haberet aſſiſtentiam ſuæ uxoris, non peccaret, illam ab auditione Miſſæ impediendo, & illa teneretur ei in hoc obedire, ſed, nè plùs loquar de illo, quod Præcepti eſt, ſi propter ſuas devotiunculas remaneat uxor toto manè, & hoc omnibus diebus in Eccleſia, & hac de cauſa domus reſtat ſinè regimine, ſinè cura, familia perdita, maritus ſinè neceſſariis, filii ſinè illo, cujus neceſſitatem habent; & hanc vocant devotionem? eſt deceptio. Recitabat quadam vice Officium de Beatiſſima Virgine Sancta Franciſca Romana, cum tanta devotione, ut non audierit ſe vocantem maritum; vocavit illam ſecundò, non audivit; vocavit illam tertiò, & illa immediatè relictis Horis, comparuit obediens, executa eſt illud, quod illi mandaverat, & rediens ſubitò ad recitandum, invenit verſum, in quo deſierat orare, ſcriptum literis aureis; ità approbavit cælum ejus obedientiam. Ah meæ Dominæ, neſcio an ſint futuræ taliter aureæ litteræ veſtrorum certorum librorum.

Jam ſi taliter in marito eſt obligationis cum regimine, ſuſten VII°. tatio, in uxore cum obedientia reſpectus, in utroque debet ſibi correſpondere amor, unio, & pax. Etiam poſt mortem diſponebant Sacri Canones, ut ſepelirentur ſimul in eodem ſepulchro Conjugati, in tantum illos deſiderant unitos. Cauſ. 13 q. 2. cap. 3. Unaquæque mulier. Quale itaque erit peccatum, vel quanta, & qualia peccata illorum, qui ſinè ut plurimum juſta, & gravi cauſa vivunt ſeparati? Oh! DEUS medeatur tantis malis. Idcirco etiam neſcio, an minùs ſit, quando vivunt uniti, ſeparati tamen ſunt affectibus: in omnibus pugnæ, in omnibus maledictiones, furores, & in omnibus damnationes. Debet eſſe inter illos mutua fidelitas, de hoc nullum eſt dubium; ſed quis idcirco dedit licentiam marito, tot committendi peccata mortalia, quot facit judicia temeraria de ſua uxore? Et quis dedit licentiam uxori non ſolùm temerariè judicandi, ſed etiam inquirendi, interrogandi, quærendi, & verificandi? O zelotypiæ infernales! O inferne ſuſpicionum! Quot, & quantas animas tenes ardentes illic,

&

& hìc? Ille dicit, illa reſpondet: ille vocem elevat, illa clamat, & diabolus in medio inſufflat, & flamma malè nata incipit ardere. Dominæ, ſi ventus intrat per duas feneſtras, quæ ſibi correſpondent, totum cubiculum confunditur, facit volare ſcripturas, disordinat tabulas, elevat imagines, omnia evolvit; quale remedium? oportet claudere unam feneſtram; unam ſolam? ſed ſi per utramque ventus intrat? claude unam ſolam, dico; claudunt, & ventus illô momentô ceſſavit, quia ipſi defuit correſpondentia.

IX. Habebat quædam certa mulier maritum intollerabilem, & hoc loco exempli ſerviet, quia jam tempus elapſum eſt, ùt refert Drexelius de vit. *ling.* c. 10. §. 4. qui medio noctis domum redibat vel à luſu, vel à compotatione, & ſupra interrogationes ſtultas uxoris, & reſponſiones acerbas mariti, omni nocte grandes exoriebantur lites, alternantibus inter ſe vocibus, & manibus. Acceſſit fœmina prudentem virum, cui querebatur, maritum ſuum vix ullo die non ebrium eſſe, & omnia ſusque deque rotare, ac domum miſcere; querelas benignis auribus vir accipiens, arbitrabatur id, quod res erat, inſanam viri crapulam ſolu â uxoris linguâ *mirè* ſtimulari; *hæcne* eſt tota infelicitas? *dicit illi*; eſto quieta; remedium ergo non tantùm ſpondebat, ſed etiam in manus dabat. Habeo ego certam aquam, quæ tibi tantam virtutem conferet, ut intrà tres vel quatuor vices, dum illa uſa fueris, ſis expertura qualiter tuus maritus manſuefcet, & uterque habebitis pacem. Dictum, factum, *intravit* ſuam cameram, proferens ſecum poſtmodum vitrellum aquæ, benè occluſæ, hanc illi tradidit, ſubjungendo: Sis cauta, & conſerves hanc aquam ut tuos oculos; & dum tuus maritus domum extra tempus redit, priusquam illi portam aperias, ſume de hoc liquore aliqualem quantitatem in os tuum, & nihil ex illo deglutias, nè tibi quid mali cauſet, nec etiam illum exſpuas, aliàs te nihil juvabit, ſed retine liquorem in ore; quantarum virium ſit hæc aqua, res ipſa loquetur, experieris maritum non multa turbaturum. Dicto audiens fuit mulier, diſceſſit cum aqua, & effectus optimus ſecutus eſt, comperitque ſpei ſuæ reſpondiſſe omnino tam arcanæ nobilitatis pharmacum; prima nocte igitur non fuit exitus tam malus cum mari-

marito, ut aliàs; ſecunda jam fuit ſecutus effectus: agnovit illa bene effectum, quem faciebat illa aqua in tantum miraculoſa, & experta eſt jam ſuum maritum non ultrà eſſe tam terribilem; poteſtne dari aqua ſimilis huic? dicebat; hæc aqua pro certo eſt miraculoſa. Redivit volando ad illum, qui illi aquam dederat: & cœpit ſolicitè quærere; Domine, & quæ obſecro hæc aqua eſt, & quo pretio comparari poteſt? conſtet quidcunque velit, libenter expendam, cùm ſentiam maritum meliorari. O bona mulier, è proximo quovis fonte petere illam licet, ſinè ullis impendiis; hæc enim aqua alia non eſt, quàm aqua ex fonte proximo; ſed quia, dum illam in ore tenes, te facit mutam, & tu non reſpondes marito, hac de cauſa ille acquieſcit, & tacet; quod enim liquori tribuiſti, hoc ſilentio tuo adſcribendum fuit; quidquid linguam ligat, præſtantiſſimi pharmaci locò haberi poteſt.

Uxores, uxores, pauxillum aquæ in ore faciet ſæpius ſimiles X.
curas in tantum miraculoſas. Pax, Conjugati, repeto, pax eſt veſtri matrimonii corona; Pax faciet veſtram vitam cælum, & eſt illa, quæ vobis dat cælum æternæ vitæ in gloria.

INSTRUCTIO XXXVII.

De Obligationibus, quibus tenentur correſpondere Domini, Servi, & Sclavi.

PAterfamilias; ità vocabant Veteres Dominum domûs, & ne- I.
ſcio ego, quare in uno nomine duo conjunxerint, quæ videtur clariſſima repugnantia: nam familia, ſecundùm Feſtum, dicitur à nomine *Famel*, quod Oſcâ linguâ ſclavum ſignificat; & hoc nomen Pater, dicit relationem non ad ſclavos, ſed ad filios. Unire itaque in uno nomine unum, & alterum, videtur nobis per hoc dici, Patrem familias debere eſſe Patrem ſuorum ſclavorum; ità eſt, quantumvis debeat dolere pluribus quàm duobus ſuperbis. Ita eſt, dicit ſagaciter Seneca; hoc illud ipſum eſt, quod volebant nobis dare ad intelligendum ſimili no-

mine noſtri Majores; ut nec Domini ſe faciant odioſos gravitate ſui dominii, nec ſclavis, vel ſervis ſemper in faciem objiciatur vilitas eorum ſortis: *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam Majores noſtri Dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint;* Sen. Epiſt. 17. Hac de cauſa non vocabant illos Dominos, ſed Patres, ut eis in memoriam pietatem revocaret hoc nomen; Sclavos non aliter nominabant quàm familiares, ut illis amorem conciliaret hic titulus; *Dominum Patrem familiæ apellaverunt, ſervos familiares*, atteſtatur Sanctus Auguſtinus lib. 19 de Civ. c. 16. Induat hominem Dominus ad demonſtrandum ſe ut Patrem in miſericordia, & benignitate; ut taliter etiam animetur ſclavus ad ſe demonſtrandum filium in amoroſo obſequio; & non glorietur in tantum ſe eſſe Dominum, quantum æſtimet ſe Patrem eſſe ſuæ familiæ: *Quia gratius*, dicit Magnus Tertullianus in Apolog. *Quia gratius nomen pietatis, quàm poteſtatis, etiam familiæ magis Patres, quàm Domini vocantur.*

II. Ità denique hoc diſpoſuerunt gentiles; & cùm defactò hoc ipſiſſimum nomen duret, quid eſſet, ſi inter Chriſtianos non eſſent tales illi, qui nihilominus tam pleno ore vocantur Patresfamilias? Ecce illud ipſum Præceptum Divinum, quod obligat Patres, & filios, loquitur etiam de Dominis, & ſervis; debent iſti haberi, ob reſpectum DEI, in linea, & gradu filiorum, ità jam nos hoc docet Catechiſmus: ceſſat loqui, qualiter ſe debeant habere ad invicem Conjugati, & proſequitur: *Et quomodo Domini cum ſervis? ſicut cum filiis DEI.* Oh quantum dixit in duobus verbis! tali modo non debent illos tractare, ſicut ſuos proprios filios? Non; non obligat illos ad iſtam commoditatem, ad talem attentionem, ad talem teneritudinem circa temporalia; attamen intimat illis, in memoriam reducit, ipſos eſſe filios DEI, ut non conſiderent illos ſolummodo in illorum vili ſorte hujus mundi, ſed elevent ſuam mentem, & illos reſpiciant ut æquè ad æterna creatos. Ah Domini imperioſi! Ah Dominæ terribiles! non ſunt animæ coloratæ; DEUS non reſpicit perſonam; & forſitan illa miſella Maura, quæ in tantum vilipenſa, & in tantum conculcata vivit ob exceſſus veſtræ tyrannidis, habet animam in oculis DEI, millies gratioſiorem, puriorem, & pulchriorem, quàm

vos

vos unà cum veſtro toto ornatu, & fuco: Forſan illi pauperi ſclavo, qui vivit inter ſordes veſtri ſtabuli, jam præparatur thronus inter Seraphinos, dum vobis cum omni veſtro equitatu præparatur in inferno carcer horribilis: & jam ſinè forſan, ſed omnino pro certo quanti ſclavi erunt nunc in cælo videntes, & fruentes DEO ut ſui filii, dum illorum Domini exiſtunt ardentes in inferno, ut viles, & abjecti ſclavi diaboli? Veſtri ſclavi ſunt, attamen ſunt filii DEI ratione Baptiſmi: Sunt veſtri ſclavi, attamen empti, redempti pretiô infinitô Sanguinis Filii DEI. Itaque non reſpicite illos jam tali affectu ut filios veſtros, ſed conſiderate illos cum pietate, quam exigit eſſe filios DEI.

III. *Et ſervi cum ſuis Dominis, quomodo?* proſequitur Catechiſmus, & reſpondet cum Sancto Paulo: *Sicut qui ſervit DEO in illis.* O miſerculi! ô depreſſi! ô miſerabiles! ſublevate corda veſtra, & non deflete perditos tot labores. Quis vos huic ſorti tradidit, quis vos ſclavos fecit? Nunquid DEUS non eſt abſolutus Dominus univerſi, qui mediante hac ſervitute vos diſponit ad æternam libertatem? Servite itaque in veſtris Dominis ipſimet DEO, cogitate, dicit vobis Apoſtolus, hunc Dominum, cui ſervitis, eſſe ipſummet Chriſtum, & ſic omnis moleſtia erit corona, omnis tribulatio meritum, & omnis labor, gloria. *Semper eſt bonus* Dominus DEUS, ſemper eſt bonus Dominus; itaque facite omnia quæcunque vobis mandantur, conſiderantes eſſe ipſum DEUM, qui hæc vobis mandat, & relinquetis tali modo veſtras flagitioſitates. Ite, & ſolummodo curate, an hoc vel illud ſciat Dominus, an hoc vel illud videat, an acceptum habeat: ite infelices, hoc enim eſt operari inſtar inſulſorum nebulonum; reſpicite in veſtro ſervitio ſolummodo ad DEUM, qui omnia videt, omnia ſcit, & omnia præmiat; & tali modo fiet vobis veſtra ſervitus pari modo ſuavis, & meritoria: *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti facientes voluntatem DEI ex animo*, ad Epheſ. 6. v. 6. Oh & quæ eſſet noſtra fortuna, quæ eſſet noſtra ſors, ſi hoc ſic fieri videremus! Sed undenam provenit, quòd ſit tam univerſale noſtrum infortunium? Dixi jam in genere obligationes Dominorum, ſervorum, & ſclavorum, dicam in præſenti particulariores obligationes, quæ

ex hinc ſequuntur, tam quoad hos, quàm quoad illos, & illinc videant Domini, an ſemper ſint veritates conqueſtus, quos perpendunt illi ex malo ſervitio, vel, an ſint ſemper rationabiles querimoniæ, quas diffundunt ſclavi, & ſervi contra ſuos Dominos.

IV. Tres ſolicitudines ut plurimùm principales ſunt illæ, quæ incumbunt itineranti, ut feliciter ad ſuum perveniat terminum; Prima eſt, ut jumentum ſuo tempore cibum ſumat, quia ſi non paſcatur, citò defatigabitur; Secunda, ut ducatur per bonam viam, nec admitti debet, ut deviet, nè perdatur, & itinerans cum illo; Tertiò, debet illi onus imponi proportionatum ſuis viribus, quia ſi illi onus imponatur, quod illud opprimat, citò cadet, & ſe illo exonerabit. Jam iſtæ tres, dicit Spiritus Sanctus, ſunt pariter principaliſſimæ obligationes alicujus Domini erga ſuum ſclavum: Prima eſt ſuſtentatio, nè animo defficiat; Secunda eſt diſciplina, correctio, & caſtigatio, nè à recto aberret, & ſe perdat; Et tertia eſt, competens labor, ut tamen nec opprimatur onere, nec ob otium extollatur: *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus ſervo.* Eccl. 33. v. 25. Eſt itaque primariò obligatus Dominus ſub peccato mortali dare ſuo ſclavo ſuſtentationem, cibum ſufficientem: veſtitum competentem, medicinas, ſi infirmetur, neceſſarias. Non quærimus aut petimus phaſianos, ſed ut ad comedendum habeat; non volumus pretioſos pannos, aut ſericeas materias, ſed ut veſtiatur: non dicimus, quòd debeat convocari collegium medicorum, ſed ut miſero in ſua infirmitate ſuccurratur: eſt iſta obligatio Domini, ſub peccato mortali; apparet, quòd ſibi nullam conſcientiam non pauci de hoc faciant; Sancte DEUS, & quæ negligentia committitur in hoc puncto! & tamen quoad hoc deberet haberi cura ſaltem ideò, nè ſequantur damna in ſubſtantia, nè inurantur honori maculæ, nè fiant in Republica ſcandala, & nè ſequatur damnatio animæ. Si ſclavi non manducent, vel ſi eſt cibus illorum ità parcus, ità vilis, ut præ fame pereant miſerabiles, quid vultis, Domini, quid intenditis? vos ipſi eſtis fomentatores latronum, & furum, dicit vobis noſter ſpiritualiſſimus Drexelius tom. 3. in Noë. c. 11. §. 3. *Vos ipſi fures, quos facitis, fovetis; alimoniam pauciſſimam, ſæpè ſordidam, fœtentem, verminoſam oggeritis.* Si illis datis

tis ad manducandum pejùs quàm canibus, ſuſtentationem pejorem quàm brutis, nónne hoc eſt occaſionem illis dare furandi? Immò non tantùm eſt illis occaſionem dare, eſt quaſi illos adſtringere: *Ità non docetis tantùm furari, ſed penè cogitis.* Quid plùs fit, cum falcone, ùt tantò plùs de præda faciat in aëre, quàm quòd in cavea famelicus detineatur? Quid plùs fit cum cane venatico, ut eò agilior aſſaltet innocentem lepuſculum, quàm quòd jejunus è domo emittatur? Et multò pejus eſt id, dum poſtmodum videt Dominus in ſclavo, vel jam pallium, vel jam novos calceos; videt Domina in ſclava vel jam aliquid ex ſerico, vel jam fimbrias, vel forſitan planè margaritas, & hoc illis nec Herus, nec Hera dedit, nec ſciunt, unde hæc proveniant, nec interrogant, & per digitos aſpiciunt. Ah diſſimulatio operculum mille infamiarum! verumtamen non eſt operculum pro DEO, qui valdè delicatum habet viſum, quô numerat omnia peccata ad computum Dominorum. Et quid? ſi deperdatur patina, vel ſalinum, quis debet illud ſolvere? debet ſolvere ſclavus, vel debet ſolvere ſclava; hoc ſuccedit inter Chriſtianos? Unde autem hi poſſunt ſolvere, unde? ille ex eo, quod furatur, illa ex hoc quod meretur - - - peccando; meliùs foret non habere ſclavos, quàm unà cum ſclavis pergere ad infernum. Unicus ſervus eſt ille, qui me veſtit, dicebat ille ſapiens, & ſunt multi illorum, qui me ſpoliant (alludebat ad multas expenſas, quas debebat facere) Itaque tollantur reſpondiſſem ego, tollantur multi, qui ob vanitatem ſpoliant, quandoquidem unus ſolus ſufficit ad veſtiendum Herum.

V. Obligationem ſuſtentationis ſequitur Inſtructio. Oh quale punctum eſt iſtud, dignum certè, ut millies repetatur! Timeo, & quod pejus eſt, magnis fundamentis innixus timeo, innumerabiles eſſe ſclavos, qui damnantur, quia non ſciunt Doctrinam Chriſtianam, & cum illis innumerabiles Heros, quia ob eorum intollerabilem negligentiam illam neſciunt. Domini, & Dominæ, intelligamus hoc bene: eſt obligatio ſub peccato mortali graviſſimo, ùt docent Sanchez in Decal. l. 2. c. 3. n. 15. Caſtrop. tom. 1. tit. 4. D. p. 11. n. 3. Leandr. tom. 8. tract. 4. D. 3. q. 5. 6. 7. In Dominis, quatenus illorum ſervi ſciant Doctrinam, nec ſolummodo ut illam ſciant memoriter, nam ex ſolo odore panis

nemo se alit, sed illum masticando, & digerendo; Est itaque obligatio, ut etiam illam intelligant, & quidem ità gravis, ut insignes Doctores affirment, posse Prælatos Ecclesiasticos ad hoc obligare Dominos per excommunicationes gravissimas. O familiæ magnæ, & famosæ! O artifices principales Urbis Neapolis! in his tota cogitatio ad operationem diuturnam, ad laborem, ad lucrum: & in illis tota attentio ad recreationes, animi oblectationes, ad lusus, ad visitas, & ad deambulationes; interim miserabilibus manuariis, & servis elabitur integer annus absque auditione nè quidem unius verbi solius pro bono illorum animarum, absque scientia, quæ lex illa sit, in qua vivunt, qualia Præcepta, à quorum observatione dependet illorum salvatio, sinè modo & praxi qualiter debeant confiteri, & multi sunt forsitan inter eos, qui nec quidem sciunt, quid sit DEUS; & ad hæc omnia Domini ità negligentes existunt? Quomodo ergo confitentur tales Domini? certè vel non confitentur talem negligentiam, & quæ major disgratia? vel si confitentur, cùm sit continuata, & sinè emendatione, nescio, an detur, qui illos absolvat, & quod majus infortunium? Nec sufficit, quòd solummodo sciant, & intelligant servi, & sclavi Doctrinam, est semper nova obligatio Dominorum vigilare in observantia, in evitandis omnibus occasionibus peccandi, & in proscribendis ex propria domo omnibus offensis DEI. Sed quàm turpis alius usus nunc habetur; quia ille, vel iste servus est talis Domini--- omnes ipsius audaciæ sunt impunibiles, potest spoliare cum violentia pauperes, potest injuriam inferre derelictis, ità ut nec justitia eum apprehendere audeat, nec quidem querelæ contra eum ex ore sunt proferendæ. Domini potentes, videtisne vestras domos esse templa furum, & latrociniorum, asylum delictorum, refugium iniquitatum, & libertatem impietatis pro vestris improbis servis. Et si ob vanos respectus volunt damnari Ministri Justitiæ, contra legem Sanctissimam DEI nunquam datur præscriptio, & justitia ejus severissima omnia ista vindicat.

VI. Non dico, quòd ob unam, vel alteram culpam, quam servus, vel ancilla committit, sit immediatè obligatus Dominus de domo illos expellere, non; reprehendat, corrigat, castiget; Auferat

ferat illis omnes occasiones, hæc est illius obligatio. Quòd si ad curandum aliquod vulnus nihil ultrà necessarium foret, quàm subitò brachium abscindere, vel crus, ob hoc solum non esset opus Chyrurgis; Sagac tas consistit in eo, ut quis antea sciat applicare medicinas, vel modo suaves, vel jam mordaces, nè deveniat necessarium sit ad aliquid terribilius: abicindere enim, & rumpere est multò pejus, & ut dicam, quod sentio, est carnificum. Sed ô Dilectissimi! tanta familiaritas, sicut videmus in multis domibus, inter servos, & ancillas, tanta libertas, tanta permixtio, hi, & illæ ad invicem uniti die, & etiam nocte: Apage hinc, non est hæc familia, est prostibulum; non potest ergo fieri separatio? non potest fieri distinctio? Quam conscientiam habent, quam animam Domini, qui talia permittunt? Tanta occasio adest, tam manifestum periculum, & postmodum; Quis cogitâsset? & postmodum fustigationes, & carceres? Tu Here, & tu Hera, es, qui hæc ipsa meremini: & quis hæc incurret? Oh, utinam non contingat in inferno! *Quis miserebitur incantatori, à serpente percusso?* Eccles. 12. v. 13. jocari inter manus cum vipera, & postmodum quis cogitâsset, quòd me mordebit? applicare stuppam flammæ, & postmodum, quis credidisset, quòd arderet? sùntne istæ excusationes? O Heri! jam dum sic stant ardendo multæ domus, & sic pariter stant ardendo multæ animæ in inferno.

VII. Idcirco, locò remedii, quod esset applicandum, video introductum quendam errorem, quem ipsemet diabolus absque dubio seminaverit; errorem tam intollerabilem, qui non esset sufferendus inter Saracenos. Evenit, quòd vivat in concubinatu certus servus, & quòd illum, & suum Dominum ad se diabolus ducat; ad extrahendum unum, & alterum ex inferno, mandat famulo Confessarius cum doctrina, & prudentia, ut matrimonium ineat, & jam inivit: Quæ furia in Domino barbaro ubi hoc rescit, quæ castigationes, quæ injuriæ, quæ minæ; Quid est hoc Domini, quid est hoc? éstne Christianus Dominus, qui hoc facit? quia ego fundatissimè de hoc dubito; vel forsan non, videamus: servus, valdè, & licitè ducit uxorem; est hæc propositio, de qua, non datur Catholicus, qui dubitet; Stabilita in Sacris Canonibus,

defen-

defenſa à Sancto Thoma, & à Theologis; Can. Omnibus. 1. XXIX. q. 2. &c. 1. h. t. de Conj. Serv. Divus Thom. in 4. diſt. 36. q. un. art. 2. Fagund. in 4. Præc. c. 14. & confirmata per praxim Sanctiſſimam Eccleſiæ, quæ nòn ſolùm admittit, ſed defendit, & protegit ſimilia matrimonia. Quale itaque delictum commiſit iſte miſerabilis ducendo uxorem? Nullum, nullum, nec contra DEUM, nec contra ſuum Herum; *Utitur jure ſuo, & in nihilo delinquit*, dicit noſter inſignis Thomas Sanchez; Non contra DEUM, quia in ducenda uxore non eſt culpa; non contra ſuum Herum, quia quoad hoc non eſt illi ſubjectus, & utitur jure ſuo, quo in hoc caſu gaudet; Jam igitur ſupra quem cadit omnis hæc ira, & tota caſtigatio? Eh! reſpondet mihi quiſpiam, quia ſimiles non ſerviunt tam bene, dum habent uxores. Huc, huc; taliter tu vis, ut iſte ſclavus non ſerviat DEO, ut tibi ſerviat, & ut tu optimum ab eo habeas ſervitium? non diceret plùs diabolus; Vis, ut DEUS offendatur innumerabilibus peccatis mortalibus, ut tibi ſervus non deſit, nè quidem per unicum momentum pro tua decentia, & tuo guſtu: Vis, ut non ſit modò in tua gratia, quia ſtat in gratia DEI? Vis, ut quia tuus ſclavus eſt, ſit ſimul tecum ſclavus diaboli? & finaliter Dominus es ſicut diabolus. Quæro nunc: ſúntne iſta dictamina alicujus Catholici? Súntne hæc effata Chriſtianiſmi? Redeo itaque ego dubitare, an ſis Chriſtianus. Hæreticus Arianus, & iſte erat Rex Theodoricus, ùt refert Nicephorus Hiſt Eccleſ. lib. 16. c. 35. habebat certum ſervum, in quo Rex totum ſuum reponebat amorem, ob exquiſitiſſima, & punctualiſſima ſervitia, quæ illi præſtabat, lucratus ſibi fuerat omnem Regis gratiam, quantumvis ſervus Catholicus fuerit. Cogitavit, quòd adhuc magis Regem lucraretur, ſi ſectam illius amplecteretur; ità cogitavit, & ità fecit; idcirco immediatè ubi hoc reſciverat Theodoricus, obliviſcens omnis ſui amoris, mandavit abſque omni remedio, caput illi decuti; moriatur, dixit: quia qui non fuit fidelis ſuo DEO, pariter non erit fidelis in meo ſervitio. Oh quæ eſt hæc ratio unius hæretici! & poteſt dari Chriſtianus, qui velit, ut ſuus ſclavus ſit inimicus DEI, ut ſuus ſclavus maneat? Adhuc plùs: Dic mihi homo, quare tu uxorem duxiſti? ſi hoc opus feciſti, prout facere debebas, dices mihi, ut in gratia DEI vivam,

ut

ut quietè vivam, & tandem salver; Quare nunc non vis, ut sclavus pro sua æterna salute hæc eadem media adhibeat? extricemus nos ex hoc errore Domini. Peccat mortaliter Herus, qui pœnis, castigationibus, vel aliis mediis impedit sclavum inire matrimonium, dum jam ille ad hoc ineundum omnia dispositi, peccat mortaliter, qui ob id solùm, quia duxit, illi infert gravem castigationem; & peccat mortaliter, & quidem peccato gravissimarum consequentiarum, qui illum in locum distantiorem vendit, vel alio quocunque modo illum separat, aut alio amandat ex integro ab usu sui matrimonii.

Sed supponamus jam, quòd ob alias culpas deveniendum sit VIII.
ad castigationem, sit illa magis vel minùs gravis secundùm gravitatem culpæ, contingat hoc, quod ego nul ô modô nego, ut talis castigatio non debeat fieri, sed sit Christiana, volo dicere: Sit pro correctione, non autem ex vindicta; quod ego non capio, nec etiam scio, an in hoc scrupulisent aliqui Domini; & tamen vindicta gravis, ab que omni exceptione Dominorum, & exemptione, est semper peccatum mortale. Fiat correctio ad refrænandam in sclavo culpam, sed non ut laxetur, & habenis solutis effundatur in Domino cholera: sit ad evitandam in famulo offensam DEI, non ut Patronus eam committat majorem, & graviorem in modo, quo illum castigat; quia hoc erit esse illum viliorem scavum, quàm suus ipsemet sclavus sit. Sed ob nihilum? ob defectum levissimum, ob unicam negligentiam frivolam, ob unicam oblivionem naturalem, pervertere totam domum clamoribus, ad flagella properare, ad baculos, & verbera? Ah miserabilis: *Noli esse quasi leo in domo tua, evertens domesticos tuos.* Eccl. 4. v. 35. Non sis in tua domo, dicit tibi Spiritus Sanctus, instar leonis feri, & sanguinarii, qui omnia discerpit: & hi solent esse illi, qui plurimùm querulantur de mala servitute, & quòd non inveniant, qui illis servire velit. Scietis jam apologum de vulpe; Erat Leo infirmus, venerunt illum visitare ut suum Regem omnia animalia; rescivit hoc interim vulpes, & contulit se pariter ad deponendam visitam; pervenit ad portam cavernæ, & invenit interiùs leonem, ut plurimùm protensum; & illic ad portam vulpes: Condoleo, dicit, plurimùm tibi de tua infirmitate;

intres huc, dicit illi Leo, hic enim non eſt modus viſitandi infirmum; Non, reſpondit vulpes, ego hic in hoc loco optimè ſto; & cur non vis intrare, quæſivit Leo? Attende, ego tibi dicam, cùm velis ſcire: quia à quo hic ſto conſiderando veſtigia eorum, qui intraverunt, omnia illa tendunt verſus tuam cavernam, & nec unicum veſtigium video exitûs ex caverna tua illorum; & hac de cauſa nolo intrare. Ah leones devoratores! Ah tygres guloſæ! ſi appareant veſtigia, quis erit, qui vobis libenter ſerviat? Si ob unicum cibum malè conditum, ob unam muſcam, ob unicum capillum perturbatis totam domum; & non audiunt ex veſtro maledicto ore ſclavi, & ſervi ſua nomina, nec ſciunt quid velitis? Graves Doctores affirmant, quòd aliquem ſclavum Chriſtianum vocare canem, ſit peccatum mortale: Alii, verum eſt, quòd hoc moderentur, & aſſerant non fore, ſi dicatur vel ex ira ſinè advertentia, vel ad mortificandum, vel ad puniendum ſervum reum; attamen omnes conveniunt, peccatum eſſe mortale, ſi hoc ſolùm dicatur ad eum injuriandum. Quis dedit Hero iſtam licentiam? & quis Heræ conceſſit deſerere ex integro pudorem, & affigere ancillæ verba turpiſſima? *Miraris*, dicit Sanctus Chryſoſtomus in cap. 4. ad Epheſ. Serm. 15. in Moral. *poſtquam innumeris convitiis Theſalidam fugitivam, ac proſtitutam vocando confeceris:* Tali modo, Domina, obliviſceris tui ſtatûs, ut ſatisfacias tuæ vindictæ? Ità deſeris tuam modeſtiam, ut ſatisfiat iræ? Et ſic ad ſpargendam per os tuam rabiem, expellis è corde, & patefacis mille abſurditates? *Unum hoc intendit*, proſequitur Chryſoſtomus, *ut illam ulciſcatur, etiamſi interea ſeipſam turpitudini obnoxiam reddat.* O quàm meliùs conſulebat Celantiæ Sanctus Hieronymus; Gubernа tuam familiam, dicebat illi, ità ut plùs Mater videaris in illa, quàm Domina: dominetur in animis tuorum magis benignitas, quàm rigor, magis affabilitas, quàm ſeveritas: *Familiam tuam ità rege, & confove, ut te Matrem magis tuorum, quàm Dominam videri velis, à quibus benignitas magis, quàm ſeveritas exige reverentiam:* Hoc verè eſt conſilium; at verba mala, & aſpera? Neſcio quis Dominus iracundus, refert Sanctus Gregorius lib. 3. Dialog. c. 20. dixerit ſuo ſervo: Veni huc diabole, ſolve iſtum calceum; & revera rem non ſurdo pronuntiavit, ſiquidem antequam ſervus adveniſ-

veniſſet, ſenſit, quòd jam ſibi calcei ſolverentur, & exilieus, apage hinc diabole, dixit, quia te ego non voco, ſed meum ſervum; Attamen hoc veriſſimum eſt, quòd diabolus eidem reliquerit ſolutum unum calceum.

Pro ultimò, quod laborem attinet, ſicut tenere ſclavos omnino otioſos eſt graviter periculoſum, ſiquidem non datur peccatum, quod non doceat otioſitas; Ità ex oppoſito, aggravare illos labore in tantum intolerabili, ut manifeſtè illis auferat ſalutem, & vitam corporis, vel eis irritam faciat illam animæ, quoad adimpletionem obligationum Chriſtianarum, eſt peccatum mortale in Hero. O Domini quot, & quantæ obligationes, & ex his quantæ conſequentiæ? quòd parùm advertatur, quòd parùm attendatur, & quòd male adimpleatur veſtrum munus; ibi hoc ante DEUM meliùs videbitis, & experiemini. IX.

Et jam nunc breviter dicam obligationes ſclavorum, & ſervorum erga ſuos Dominos, quæ reducuntur ad alias tres principaliores Tenentur itaque illis dare Reſpectum, Obedientiam, & Fidelitatem. Reſpectus intelligitur non ſolùm in illorum præſentia, hoc enim ob timorem faciliè eſt præſtare, ſed etiam in illorum abſentia, nominando illos cum humilitate, loquendo de illis cum veneratione, non obmurmurando illis, quæ eſt magna disgratia; miſerabiles vos, qui nunquam vos debetis videre ſaturatos, & ſemper debetis eſſe queruli. *Querulum ſervorum genus eſt*, dicebat Sanctus Hieronymus Epiſt. ad. Mat. & fil. *& quantumcunque dederis eis, minus eſt.* Secundò, Obedientiam in omnibus tenentur, excipe, & ſubintellige in eo, quod eſſet expreſsè contra legem Sanctiſſimam DEI, in quo tenemini potiùs in mille partes vos curare diſſecari, quàm exequi voluntatem mali Heri, quæ ſit contra DEUM. Videte Sanctam Potamienam, Virginem ſclavam, quæ, quia noluit conſentire turpitudini ſui Heri, coronata eſt felicter Martyrio, & veneramur illam inter Angelos, & in Altaribus. Sed ſi illud, quod Dominus mandat, eſt ſolummodo contra aliquod Præceptum Eccleſiæ, ſicut eſt omittere aliquoties auditionem Miſſæ die Feſto, ſi ſclavus timet aliquam gravem caſtigationem, obediat, & hoc ſupra animam Domini ſui. Sciat tamen, quòd, ſi hoc continuetur, habeat obligationem ſub X.

peccato mortali quærendi ſibi alium Dominum etiam per fugam, qui veraciter ſit Chriſtianus. Sed non ideò debent velle ancillæ ſclavæ introducere devotiones, ratione quarum vell nt exire de domo omni die, non adimplendo ſuas obligationes, nec ſervitia præſtando, & obedientiam negligendo, vagando de Eccleſia in Eccleſiam; non eſt iſta devotio, ſed tentatio, & timeo, nè iſta devotio ſit prætextus ad admittendum otium; culpa eſſet Dominorum, qui hoc permitterent. Tertia obligatio eſt Fidelitas, non vult dicere iſta ſolummodo, nè ſint furs, ſed etiam, nè ſint ſeminatores zizaniorum, novorum, nec ferre, aut efferre, & diſturbare totam domum; unus enim ſervus, una ancilla portatrix fabularum componendo legationes, & addendo verba, ſufficiunt ad diſturbandam, & convolvendam totam Rempublicam; Tacete igitur omnia illa, quæ in domo contingunt, hæc enim eſt veſtra obligatio. Sed quis hoc conſequetur? Quapropter advertite miſerrimi homines, quòd in ſimilibus novalibus, in ſimilibus diſſidiis, quantumvis vobis videantur exigui valoris, peccatur ſæpiſſimè mortaliter; turbatur enim pax, confunduntur familiæ, auferuntur honores, cauſantur odia, & plurimæ damnantur animæ. Serviatis, pro ultimo, veſtris Dominis, ſicut qui ſervit ipſimet Chriſto, & ſic vobis fient ſuaves labores, guſtuoſa obedientia, læta, & hilaris veſtra ſubjectio, & felix veſtra ſclavitas.

XI. Refert Joannes Heroldus in ſuo Promptuario, certam Dominam habuiſſe in more, neſcio, an ex devotione, vel conſuetudine audiendi multas conciones, & dubito, an fuerit ex devotione, ſiquidem fructus, quem ex his ſermonibus ſumebat ſua mala qualitas, erat, quòd ſemper, dum ex ſimilibus ſermonibus rediiſſet, intraverit domum peſſimè tractando ſuam pauperculam ſclavam, quam habebat, modò verbis, modò verberibus. Evenit interim quòd in illum locum advenerit quidam famoſus Prædicator, & hac auditâ famâ paupercula ſclava, quæ erat valde virtuoſa, & optima Chriſtiana, deſideravit ut plurimùm illum audire; petiit à ſua Domina licentiam, ſed illa cum maxima nauſea à ſe illam repulit, dicendo: ipſam non egere concione, ſed ut faceret illud, quod ei incumbit in domo peragendum; & his dictis induit ſe ſuis veſtibus Hera, ſéque in Eccleſiam contulit, & infelix

felix ſclava rediit humilis ad ſuam culinam, ubi afflicta intra ſe cogitabat; ah meam infortunatam ſortem, quòd nec ſaltem hoc poſſim aſſequi, quod pro bono animæ meæ deſiderabam, auditio vel ſaltem unica vice DEI verbi mihi denegatur; totum tempus debet ſervitiis impendi? O Domine da mihi vires, ut me poſſim conformare tuæ Sanctiſſimæ voluntati. Ità internè loquebantur hujus pauperculæ cogitationes, dum externè profluerent mutæ lacrymæ, dum niger fumus mutatus culinæ in pulcherrimum ſplendorem, & fuligo converſa in emicantem cæleſtem lucem, apparuit, quis? Dominus abſolutus totius univerſi, ſupremus Patronus animarum, noſtra Vita Chriſtus JESUS, qui vultu affabili, in quo compendiabantur cæli, reſpiciens ſclavam, dixit illi? quid vis filia? quid te affligit? quid eſt illud, quod deſideras? Domine, reſpondit illa, ego valde deſiderabam audire verbum DEI: Ecce me hic vides, ego tibi verbum DEI prædicabo; oh qualis Prædicator! audi, obſerva hæc tria, & conſequeris meliorem fortunam: in maledictionibus, & opprobriis, quæ tibi dicuntur, tace: in laboribus, anxietatibus, & tribulationibus, habe patientiam: & nunquam reddas malum pro malo; iſta eſt tota concio. Ità promitto me hoc facturam, Domine; remaneas itaque conſolata; diſparuit Dominus; ſclava redit ad ſe ex ſua anguſtia, & Hera ex concione; & prout jam erat conſuetum, incipiunt clamores, & plurima verba, & ſclava ſervare ſilentium: Hera tantò magis excandeſcens injecit manus in ſclavam, & illa patienter ſufferebat, ſolùm dicendo medio ore, *in tuis perſecutionibus habe patientiam*: Quid loqueris maledicta? quid iſthic ſtas dicendo? Domina, ego obſervo meam concionem, quam audivi, & Dominatio veſtra neſcio an obſervet multas, quas audit; & quam concionem tu audiviſti? tunc ancilla narravit ei omnia illa, quæ ipſi acciderant; & hoc ſuffecit, quòd Domina impoſterum alia effecta fuerit.

XII. Oh utinam ſufficeret, ut eſſent hic plures aliæ Dominæ, & ancillæ. Miſerabiles! in culina, inter ollulas, in laboribus, & anguſtiis ibi apparet Chriſtus JESUS, ità & vobis fiet, ſi vos applicueritis veſtræ obligationi, ſi ſervieritis cum humilitate, ſi tacueritis, & ſi obedieritis. Forſitan illa ancilla in exemplo adducto

ducto non inveniſſet Dominum in Eccleſia, & Dominus venit illam quærere in culina; quia ubi adeſt obligatio, ibi eſt complacentia Divina, ibi lucramur merita, ibi obtinetur felicitas cum gratia perveniendi ad præmium æternum in gloria.

INSTRUCTIO XXXVIII.

De graviſſimo peccato Homicidii, & quæ actiones intelligantur ſub hoc nomine.

Præceptum Quintum.

Non occides.

I. NAſcitur homo ſinè armis ad ſuam defenſionem in mundum, in quo omnia armantur contra ejus vitam: Veſtivit Divina Providentia piſces ſquammis, animalia pilis, aves plumis; at hominem quàm inermem expoſuit, quàm ex omni parte nudum! Armavit beſtias pro ſua defenſione, has dentibus, alias unguibus, illas roſtro, & unguibus, has vel callo, vel cornibus; ſed homo quàm diſarmatus, quam indefenſus naſcitur! Providit animalculis minimis vel levitate ad fugam, vel aſtutia ad evaſionem: majoribus indidit vel ferocitatem ad incutiendum timorem, vel fortitudinem ad ſufferendum laborem: At homo quàm impeditus eſt in ſuo corpore, & quàm debilis in ſuis viribus! Per unicam portam ſolùm reſpiramus vitam, & quotquot habemus poros, ſunt ii oſtia, per quæ nobis intrat mors; & etiam illa porta ſola, per quam ſuſtentatione, & reſpiratione conſervamus vitam, hæc ipſa eſt introitus liberrimus, per quem nobis introducuntur effectus mortalitatis; *Humor, & cibus, & ſinè quibus vivere non poteſt homo, mortifera ſunt*, ait Seneca de Conſol. ad Mat. c. 3. cujus eſt hæc tota ponderatio. Dicite mihi nunc Auditores, cur ità ſinè armis homines, dum ità armata ſunt brut? Quare homines in tantum ad omnia pericula vitæ nudi, dum beſtiæ in tantum proviſæ ad ſuam defenſionem? Fuítne minor amor Creatoris? Non;

ſed

ſed major teneritudo; Fuítne negligentia? Non; ſed ſpecialiſſima Providentia; beſtiæ vivant inter ſe ut beſtiæ, occidentes una alteram; at homines vivant inter ſe ſinè armis contra vitam, & ſciant, quòd ſolus *DEUS* ſit, qui defendit, & cuſtodit vitam hominis. DEUS ipſemet eſt hominis arma; videte, an erunt potentia; DEUS ipsemet eſt ejus defenſio; cogitate, an erit ſecura? *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Pſal. 26. v. 1. dicebat David; itáne eſt? ſint itaque ſoli homines, qui vivant ſinè armis naturæ, ut, relinquentes beſtiis ſanguinoſam feritatem, intelligant DEUM eſſe, qui defendit vitam cujusvis hominis. Hoc itaque, quod nobis ipſamet natura dicit, eſt illud, quod nobis intimat quintum Præceptum legis Divinæ, in quo, aſſumendo Majeſtas ſua noſtram vitam in ſuam protectionem, nobis dicit: *Quinto: Non occides.*

Prius igitur antequam progrediar, debeo ſatisfacere ultimæ interrogationi, quæ nobis defuerat in quarto Præcepto, & erat iſta: *Qui alii intelliguntur pro Patribus præter naturales? majores ætate, ſcientiâ, & gubernatione;* Ego illam intermitto, cùm ſit ſufficienter clara obligatio quoad reſpectum *in inferioribus;* & cùm *in majoribus* ſint obligationes innumerabiles. Onera graviſſima, quæ ſupra ſe habent, Judex, Magiſter, Prælatus, Princeps, oh quanta ſunt! Quis ſufficiet illa enumerare? Obligationes alicujus Parochi, Paſtoris, Sacerdotis, oh quam terribiles! ſed illos tangit me eas docere, ùt meos Magiſtros. Nunc itaque poſtquam vidimus illud, quod DEO debemus, & illud quod noſtris Parentibus, & Majoribus debemus, ducit nos Lex noſtra Sanctiſſima ad conſiderandas obligationes, quas debemus noſtris proximis; & cùm vita ſit primum, & æſtimatiſſimum bonum naturæ, ideò optimè debet incipere amor Proximi à, *non occides.* II.

Advertite igitur magnam prudentiam, quâ nobis facit interrogationem Catechiſmus: *Supra quintum Præceptum te interrogo, quid plùs prohibet præter non occidere?* Supponit itaque non indigere explicatione enormiſſimum delictum homicidii, quando horror, abominatio, indignatio totius naturæ illud publicat; quando terra contra Cain illud exclamat conſperſa ſanguine humano; quando Lammech terribili timore hoc vociferatur, & quando conſcien- III.

tia

tia ipſamet in tali infelice, qui illud committit, vices agit crudeliſſimi carnificis: *Quid ultrà vetat præter homicidium?* Quid de homicidio debet aliud dici, nisi quòd illicò evaginet ſuos gladios tota natura armata contrà homicidam: quòd ſubitò pluant ſuper illum omnes maledictiones Divinæ Scripturæ: quòd ſtatim fulminentur de ſolio DEI contra occiſorem juſtiſſima decreta vindictæ Divinæ: quòd mox trahendo funem omnium infelicitatum illum ſequantur omnes infernales umbræ: quòd ſtatim ei præparetur in inferno ſua ſedes de igne, & ſulphure: *Pars illorum erit in ſtagno ardenti, & ſulphure.* Apoc. 21. v. 8. Eſt tam enorme hoc peccatum, tam ſtupendum, in tantum execrabile, ut meliùs illud intelligat horror, quàm vox illud explicare queat. *Quid ultrà prohibet hoc quintum Præceptum præter homicidium?*

IV. Non prohibet itaque occidere alia animalia, ſed occidere hominem, vel mulierem; nec loquitur de mortibus in bello juſto, nec quando non habet quiſpiam, alium modum ſe defendendi, ſuam vitam, ſuum honorem, ſuam honeſtatem, vel ſuam ſubſtantiam: qui invaſus ab aggreſſore, nec fugâ ſe poteſt ſalvare, nec vires ſuppetunt, ut poſſit effugere, nec minus aliud malum inimico inferre poteſt, ut poſſit fugere, & quia nullum alium modum habet, ità, ad defenſionem ſuam illum occidit; non loquor de tali, talis enim actus non eſt culpabilis; nec de morte, quàm inferunt judices malefactoribus per ſententiam, benè comprehenſa, & comprobata cauſa; talis enim mors non vocatur homicidium, ſed juſtitia; & ex magna ratione dicitur juſtitia, poſteaquam ut Miniſter DEI, dicit Sanctus Paulus ad Rom. c. 13. Reſpicit vitam in uno omnium, cui illam aufert; immò non faciendo hoc cujus officii eſt, peccatum eſt, cujus peccati in tantum deplorantur conſequentiæ: *In bonos ſævit, qui malis parcit:* Eſt peccatum, quod deſtruit Rempublicam, & eſt peccatum, quod tenet armatam iracundiam DEI ad redundandas in nos omnes disgratias. Quamdiu in antiquo Teſtamento non fuit mortuus Achan fur, non fuit ablatus furor Domini contra ſuum populum Joſue 7. v. 26. *Et averſus eſt furor Domini ab eis.* Petebat quidam homicida à Rege Ludovico XI. Galliæ, ut ſibi vitam condonaret, & cùm jam illi priùs duo homicidia condonâſſet, reſpondit illi iratus:

Quomodo

Quomodo audes petere hanc gratiam condonationis, cùm jam ter mori debuiſſes: Non, ô Rex! reſpondit illi quidam ſtultus Aulicus, ſemel tantùm mori debuiſſet; quomodo hoc, interrogavit Rex, cùm illi jam aliis duabus vicibus vitam donaverim? Propter hoc ipſum, repoſuit ille; quia ſi tu ei prima vice non donâſſes vitam, non commiſiſſet alia duo homicidia: quamobrem aliorum duorum homicidiorum reus es tu, ille ſolùm unius. Eleganter hoc Regi dixit, ſed magis cum veritate, quàm cum elegantia.

Loquitur itaque iſtud Præceptum contra mortem injuſtam, V.
ſinè cauſa, & executam authoritate propria; quam nullus habet in alterius vitam, nec in propriam; ideò ſolummodo dicit: *Non occides*; non ſubjungit, *alios*, quia qui ſibimetipſi aufert vitam ſequax Judæ, & Achitophelis, cum illis deſcendit in infernum. Nec valent exempla aliquorum Martyrum, dicit Sanctus Auguſtinus de Civ. c. 26. hoc enim iſti fecerunt ex ſpeciali inſtinctu, & motione Spiritûs Sancti. Hinc, qui comedit, vel bibit, vel aliam rem facit, quæ evidenter illi cauſat damnum grave in ſanitate, ſi hoc ità advertit, & multò magis, ſi id illi Medicus prædixit, aut prohibuit, peccat mortaliter.

Sed nihilominus adhuc tenemus hanc interrogationem ſuſpen- VI.
ſam: *Quid plùs prohibet præter homicidium? Non facere alicui malum nec in facto, nec in verbo, nec etiam in deſiderio; qui lædit, minatur, injuriam infert, vel ſuo offenſori non condonat.* Oh quot mortes pro una vita! Oh quot fila ad occidendum, pro unico filo tam delicato ad proſequendam vitam! Operibus occiditur, verbis tollitur vita, & in ſola intentione, & deſiderio reſident maximè ſanguinoſa homicidia. Remaneant hæc duo ultima pro ſequentibus inſtructionibus, & loquamur nunc de operibus; iſta ſunt omnia illa, quæ ſunt contra vitam: vulnera, ictus, colaphi; ille etiam includitur, qui porrigit aliquod venenum, facit aliquod maleficium. Omnia iſta jam intelliguntur, pertranſeamus ad hoc, quod fortè non adeò intelligitur.

Dicam illud, quod requirit efficacius remedium. Habemus VII.
Neapoli magnum numerum Medicorum, Doctorum applauſibilium, & ob experientiam illorum ſcientiæ celebrium. Jam quomodo tolerantur in una Republica, ſicut iſta eſt, certi apyrtæ,

infimæ notæ medici, & hi intrusi, qui alium gradum non habent, præterquam quod non noscantur, nulla alia gaudent recommendatione, præterquam quod nunquam visi fuerint; bene nihilominus istos nobis possunt dare cognoscendos, illi, quos tales medicastri occiderunt? Ità dixit Socrates uni talium, qui erat perversus Pictor, & ex improviso se medicum fecit: Benè feciſti tuam artem relinquendo, in qua tuos errores detegebant oculi, & arripiendo exercitium, in quo tuos errores cooperit sepultura. Ego me non immitto in onus gravissimum, quod supra se habent illi, quibus incumbit vel reformatio, vel licentia talium medicastrorum; ego non pondero illorum damna; ego pro nunc non dico consequentias illorum: sunt homines docti, & timorati, coram DEO videbunt, an patrocinia, & an preces poterunt illis servire pro excusatione, in materia tam gravi. Verumtamen quòd alicui mulierculæ simplici major fides adhibeatur in ineptiis, quas adducit contra aliquem morbum periculosum, quàm alicui homini docto in sua facultate, & qui se consumit in libris, quid hoc vult dicere? barbaries esset, & peccatum mortale, nisi talem infirmum excusaret ignorantia; tali modo ponunt vitam in manu alicujus ignorantis! Audite, nescio an sit fabula, attamen rem hanc nobis explicabit: vulneravit certum quendam magno vulnere taurus, cornu extraxit de corpore viscera; advenit certus medicaster tantum ignorans, quantum fastuosus; incidit, consuit, fecit, disfecit; sed intra paucas horas mortuus est vulneratus, & hic expertus Chyrurgus, ut plurimùm consolatus dixit: Si hic non esset mortuus, hæc cura præstantior fuisset omnibus aliis, quæcunque in mundo factæ sunt; tales sunt curæ, tales sunt similium agyrtarum. Quomodo ergo possunt dari, qui tales deceptores ad se curant vocari? & numquid dantur, qui, excludendo Medicum doctum unà cum suis medicinis, exequuntur tricas, & phantasmata unius fœmellæ mercenariæ, unius vetulæ, & occisitricis? cùm tamen inter veros Professores artis scrupulizent in tantum Authores, ut affirment, mortaliter peccaturum medicum, qui habens remedium certum, applicat illud, quod solummodo probabile est, & adjungunt, quòd inter probabilia debeat sub peccato mortali applicare illud, quòd est magis probabile. Quid de hoc scit inscius, qui timidè, & superfi-

perficialiter incedit applicare ſuam herbam, vel porrigere ſuam potionem? cùm etiam defectò homines doctiſſimi in arte medica offendant in morbos tam exquiſitos, tam occultos, ut confuſi repetant illud Farnelii: *Latet quid Divinum in morbis.* Si quidam Galenus, Oraculum, & Princeps Medicorum confitetur, quòd pulſum per ſex menſes cujusdam infirmi exploraverit abſque eo, quòd eum intelligere potuerit ob ſuam varietatem, quomodo vir, vel fœmina, quorum forſitan neuter legere ſcit, deprehendet obſcurè, & ſine ſcientia illud, quod celatum eſt diſcurſibus, ſtudiis, & vigiliis Doctorum? *Si in Profeſſoribus eſt peccatum mortale*, curare cum ignorantia, & obligati ſunt ſub peccato mortali ad ſtudium; quomodo artem medicam poteſt practicare is, qui nunquam aperuit vel unicum librum? Quomodo poteſt dari, qui tales advocet, habens animam? Itáne tam manifeſtis periculis vita exponitur? Eja ſufficiat de hac barbarie; eſt enim materia hæc ùt plurimùm ſcrupuloſa, & in qua poteſt peccari mortaliter plurimis vicibus.

Sed quid dicemus de *quid pro quo* Apothecariorum? O DEUS! VIII.
quòd ſi non eſt, de quo habeatur evidentia, quæ æquivaleat, eſt idem peccatum, & multum grave; cùm non ſemper eveniat, & ſuccedat illi hoc, quod alteri ſuccedit. Factus eſt infirmus, neſcio ex qua cauſa, certus infans, *mandavit Medicus illi applicari* frittatam ex ovis (eſt cibus, qui conficitur ex ovis aqua mixtis, & in ſartagine frixus) ſupra ſtomachum, frixam in oleo ſcorpionum: curârunt ex apotheca oleum ſcorpionum adferri, & Apothecarius ſumpſit oleum commune, & illis dedit; frixarunt frittatam, infanti applicuerunt, odorem exinde bonum ſentiebat, & nihil aliud faciebat quàm partem poſt partem truncando, ſenſim, & ſenſim illam totam comedit; & Mater plurimùm afflicta ad introitum Medici: Domine, dixit illi, ſuperpoſuimus illi frittatam, ſed totam decomedit; & non eſt diſruptus? Non Domine; nec quidquam mali ſenſit? Nihil. Reddite itaque gratias Apothecario, qui loco olei ſcorpionum, dedit oleum commune; quòd ſi dediſſet illud, quod in recipe præſcriptum erat, fuiſſet diſruptus iſte infantulus. Pro hac vice res bonum habuit eventum, ſed quot ſimiles caſus contrarium effectum ſortientur? Non,

non poſſunt nobis hoc dicere illi, qui in ſimilibus negligentiis mortui ſunt. Itaque etiam loquitur hoc, *non occides*, cum Apothecariis.

IX. Attamen etiam dantur adhuc alii modi occidendi mul ò terribiliores, quia ſimul talibus occiditur anima; & quis cogitaret, illas quæ hoc exequuntur, eſſe Matres ſuarum prolium? Matres? ità eſt. Jam dixi, loquendo de obligationibus Parentum, quod ab ipſa conceptione prolis incipiant in genitoribus ſolicitudines; pro tunc non dixi, quales eſſent, dum adhuc in utero infans exiſteret, modò illas dico. Ah ſi aliqua mater faceret conceptum, & bene perpenderet, quòd concludat in ſuo utero theſaurum animæ rationalis; quòd non ſciat id, quid DEUS præparet in hac creatura, quomodo illam defenderet, quomodo illi proſpiceret, & ſibi attenderet? Ibat gravida cum S. Brigitta ſua Mater Sigridis: in quadam navigatione, in qua experti ſunt maximè terribilem tempeſtatem, viderunt ſe omnes jam quaſi ſubmerſos, evaſerunt tamen miraculosè, & quidem cum tanto miraculo, ut apparens Angelus Sigridi dixerit: *Scias te liberam a periſſe ſolummodo ob illum theſaurum, quem tu portas in tuo utero.* At amen oh quot Matres! ob unam voluptatem, ob unam levitatem non conſiderant, quòd occidant partum, & ſic auferant animæ pro ſemper viſionem DEI. Ah matres homicidæ! *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci.*, dixit Tertullianus in Apol. c. 3. *nec refert natam quis præripiat, an diſturbet naſcentem.* Peccat idcirco mortaliter Mater, quæ facit qualemcunque actionem, ex qua cognoſcit poſſe ſequi motionem infantis, qualemcunque motum violentum, elevando pondus grave, vel aliud quid ſimile. Et quid? ſi maritus eſt tam barbarus, quòd, ut alter Novatus hæreſiarcha, illi cauſet abortum, pede illam calcando, ùt beſtia, vel ictum illi inferendo, ùt brutum? *Et damnare nunc audet ſacrificantium manus*, dicebat ad impium Novatum Sanctus Cyprianus lib. 2. Epiſt: 8. *cùm ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur, occiſus eſt?* Idcirco etiam nato infante, peccat mortaliter Mater, vel nutrix, quæ illum finit decumbere ſibi vicinum in lecto, cum periculo in ſomno eum ſuffocandi, vel opprimendi. Delictum hoc eſt in tantum præcautelatum

tum in Sacris Canonibus, ut imposuerint gravissimas pœnitentias Matribus, vel nutricibus, quæ hoc in passu notabilem negligentiam commisissent. Caus. 2. q. 5. cap. Consuluisti. De infant. c. 3. lib. v. t. 10.

Et si etiam negligentia in hoc sit tam gravis culpa; quid non erit cura, & quid non erit diligentia, quâ aliquæ (oh DEUS quæ infelicitas!) post commissam culpam, volunt illam reparare aliô gravissimô delictô? illæ quæ quærunt, dico, medicamenta, vel potiones, vel alia maledicta media ad causandum abortum pauperculi infantis, qui cùm nullam culpam habeat, quòd Mater sua esset pessima, illum Mater condemnat ad non videndum DEUM in sempiternum? Ubi est anima, mulier infelix? ésne tygris? ésne furia? tuum pudorem, tuam infamiam quatuor dierum, NB. vis ut illam exsolvat filiolus tuorum viscerum damnô æternô? hoc est velle auferre maculam lavando faciem atramentô nigerrimô. Oh! ob honorem meum hoc facio, oh hoc facio ad meam liberandam vitam! nec tua vita, nec tuus honor tantum ponderant, quantum ponderat bonum unius animæ. Itáne tibi parum, & exiguum videtur relinquere animam sinè Baptismo? ut anima pro semper DEUM perdat? est peccatum mortale gravissimum, procurare qualicunque modo ut abortus succedat, vel proles sit animata, vel non sit, absque eo ut valeat excusatio, nec honoris, nec timoris, quòd Matri vita sit auferenda. In nullo horum potest quisquam dubitare, suppositô Decretô Sanctissimi Patris nostri Innocentii XI. propositionum damnatarum, quarum prima est 34. quæ sic sonat: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*; Secunda 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Et non solùm peccat mortaliter Mater, sed, & is, qui illi daret potionem, medicinam, consilium, vel qualicunque modo cooperaretur ad tam grave delictum, vel sequatur effectus, vel non. Et si fœtus jam fuit animatus, & secutus est abortus, incurrunt omnes isti excommunicationem gravissimam, pœnam mortis jure civili, pœnam irregularitatis jure Ecclesiastico, pœnam inferni X.

jure Divino; Oh qualiter vibrant fulmina omnia tribunalia terræ, & cæli contra tale delictum, quod alicui obstetrici videtur esse tam leve. Tantum horrorem, & abominationem habuerunt ad hanc culpam veteres Christiani, ùt refert Concilium Anciranum, ut mulierem, quæ talem commisisset abortum, per totam suam vitam, per totam, non permittebant intrare ultrà Ecclesiam; Concil. Ancir. Can. 21. in Sum. Concil. Forsan vobis multùm hoc videtur? Ecce Concilium Eliberitanum disposuit Canone 63. ut non solùm per totam vitam, sed nec quidem in hora mortis porrigeretur tali mulieri Sacra Communio; *Si quæ mulier absente marito per adulterium conceperit, idque per facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam esse communionem, eò quod geminaverit scelus.* Et quando vult moderari has pœnas Concilium Anciranum, determinat: ut per decem annos continuos faciat pœnitentiam, de tam gravi delicto, priusquam ad Ecclesiam admittatur: *Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus tribuatur.* Videte, & perpendite, an non sit enorme delictum, quod ità condemnabant tam graves Patres. Referrem ad justum incutiendum terrorem eventum horrendum de sorore Sancti Vincentii Ferrerii, quæ fuit condemnata ad maximè terribiles pœnas purgatorii usque ad diem judicii, ob hoc peccatum: sed omitto illum ob longitudinem, & forsitan etiam jam notus est; refert illum Fayal. V. dæmon. Ex. 26.

XI. Narrat Sophronius in suo Prato Spirituali c. 266. quendam latronem occidisse infantulum innocentem, & atrocitas hujus delicti illi immediate talem incussit horrorem, ut pœnitens suæ vitæ malè actæ Monachus factus fuerit, & ità vixerit novem annis agendo asperrimam pœnitentiam; attamen semper, dum dormiret, ante oculos se ei sistebat ille infantulus, qui flendo illi dicebat: *Quare me occidisti?* dum iret ad chorum, & ibi infantulus flendo: *Quare me occidisti?* dum descenderet ad refectorium, & ibi infantulus: *Quare me occidisti?* ità ut nec unica hora illum sineret quiescere, quin semper prope eum infans non interrogaret flendo: *Quare me occidisti?* Ità persecutum, & angustiatum se videns, cum licentia Abbatis, habitum exui, de Monasterio exivit, dicens, se ire persolvere sua morte mortem illius infantis: & sic

& ſic factum eſt, quia immediatè à juſtitia captus, fuit ſtrangulatus. Ità etiam innocens infans arma habet contra illum, qui illi ſuſtulit vitam.

Contremiſcite Matres, tremite, & expaveſcite homicidæ, XII. quòd ſi vos in ſanguinoſo ſtabiliviſtis veſtram mortem æternam, in pacifico filii DEI cuſtodierunt, & defenderunt vitam temporalem cum gratia, & præparatam æternam vitam gloriæ.

INSTRUCTIO XXXIX.

De Peccatis, & Damnis pernicioſi Vitii Maledictionis.

ABſque eo, quòd ſit opus manum ad gladium applicare, etiam I. lingua habet manus ſuas: & manus, quibus infert mortem penetrantiſſimis vulneribus: *Mors, & vita in manu linguæ*, Prov. 18. v. 21. Duplici cuſpide ſinè ſanguine occidit, & duplici ictu aufert ſinè ferro vitam; Primò illi ipſi, qui acuit in ſeipſo ſuam rabiem; & poſtmodum illi, qui experitur ab ejus verbis venenum; mactare poſſumus etiam verbô, dixit nobis Catechiſmus; Ah linguæ homicidæ! & harum nos tangit, & nobis incumbit ponderare, & expendere venenum hodie. Sed cùm hoc vitium ſit ità commune, cùm ſit ità ordinarium, neſcio quomodo ego potero conſequi, ut fiat debitus conceptus de ejus infernali malignitate. Ut lex ſtabilita currit inter Medicos, quòd ex lingua comprehendantur principaliter in morbis acutis ſigna certiſſima; fideliùs monſtrat lingua internum damnum, quàm illud ipſemet manifeſtet pulſus. Si in aliquo advertitis, in febri acuta, dicit Hypocrates, linguam infirmi nigram, eodem tempore, ut carbonem exſtinctum, & ardentem ut accenſum, nulla ultrà ſupereſt ſpes, aperite ſepulchrum: *Lingua nigra, & virulenta, calamitoſiſſima.* Hypocr. lib. 2. in Coac. c. 7. præn. 1. Jam ſi ex medicina corporis debemus exactè æſtimare illam animæ, video me compulſum multis ex meis Auditoribus referre nova peſſima, nuntium ut plurimum terribile. Non deſpero de illorum ſalute; attamen con-

tem-

templando illorum linguas, notifico illis ab hac hora, ipſos peſſimè valere, eſſe vicinos morti, verſari in magno periculo, dicat aliud quod vult, pulſus. *Lingua nigra, & virulenta, calamitoſiſſima.*

II. Video multos, volo dicere, video multas, ſpecialiter enim hodie loqui debeo cum mulieribus, in quibus cùm fortitudo non perveniat ad choleram: *Indignatio eius plusquam fortitudo ejus:* Iſai. 16. v. 6. manifeſtatur magis quàm ordinariè illarum malignitas per linguam. Video multàs accurrere ad Eccleſiam, multum orare, audire Conciones, & frequentare Sacra Sacramenta: hucuſque pulſus bene incedit; at recognoſcendo in illis poſtmodum in illarum domibus linguas (oh DEUS!) quàm nigræ ſunt ad injurias, ad opprobria, ad minas, & quàm ardentes, & quàm accenſæ ad maledictiones, ad minimam inadvertentiam ancillæ, vel ad rumorem, ſtrepitum filioli, vel ad impertinentiam mariti, vel ad disgratiam ſortis: quæ fulmina, quæ febres malignæ, quæ vulnera pugionum, quæ mortes, quæ pluviæ minarum ad minimam cauſatam iram, quæ tempeſtates injuriarum, & opprobriorum ad leviſſimum disguſtum, quæ fulgura maledictionum ad omnia? hæccine eſt veſtra lingua? Repeto itaque dicere, eſſe occultam malignitatem in corde, qualis abſque remedio, tendit vobis auferre optimam vitam. Et quod peſſimum eſt, quod de his moribus infernalibus evomendi maledictiones tam exigua ratio habeatur, quòd in hoc ipſo habeat ſuum mortaliſſimum venenum, ſemper, contra illos, qui eas evomunt, &, non paucis vicibus, contra illos, qui eas ſufferunt: *Venenum aſpidum inſanabile:* dicit melior Hypocrates cæleſtis cap. 32. Deut. eſt inſanabile, non habet remedium venenum aſpidum; & quare tale erit? Quia ſinè viſo vulnere, introducit hic ſerpens venenum in hominem: *Abſque morſu conſpuens; hominem veneno perimit*, dicit noſter Lorinus in Pſalm. 13. v. 3. Eſt aſpis certus ſerpens, qui non mordet, non emittit ſanguinem, non facit vulnus, ſed ſolùm per ſalivam, quam exſpuit, introducit venenum, & ſicut venenum non advertitur, ità ipſi non medetur; & ſicut nullum cauſat dolorem vulnus, ità illi non quæritur remedium, & ſic aufert vitam, & ſic occidit: *Venenum aſpidum inſanabile*; Terribilis peſtis! Sed ſimiles aſpides, dicetis mihi

mihi, sunt illic in montibus Africæ, illic in locis arenosis Lybiæ, hic nos ab illis securi sumus. Securi? immò dantur inter nos, & forsitan hic adsunt multæ in hac Ecclesia: Scitisne, quænam sint istæ aspides? Sunt maledicentes, hoc nobis ipsemet DEUS per os Davidis dicit, sunt illi, sunt illæ, qui habentes tota die os plenum maledictionibus, os illorum, est os inferni; *Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est.* Psal. 13. Exspuit similis aspis maledictionem in filium, in ancillam, & in proximum, nulla ratio habetur talis mortalis vulneris, incorporatur venenum, & sinè advertentia, quàm multis maledictiones abstulerunt vitam, & salutem? & quàm multis animam? *Venenum aspidum insanabile.* O maledictum venenum, quod ità occidit sinè omni remedio, quod ità sinè sparsione sanguinis tollit toties vitam! *Si ille, qui maledicit,* dicit Angelicus 2. 2. q. 26. a. 4. ad 2. *velit malum occisionis alterius, desiderió non differt ab homicida.* Maledictiones sunt occisio surda, sunt occisio cooperta, & hac de causa terribilior. O maledici! ecce pro vobis stat occlusum Regnum DEI; videtur vobis, quòd nihil operemini per similes maledictiones, exitus, & effusiones vestræ iræ, respirationem vestræ rabiei, quòd nihil importent; ecce nil minus important, quàm quòd cælum, quòd salvationem, gloriam æternam vobis auferant; non ego dico hoc, sed Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 10. *Maledici Regnum DEI non possidebunt.* Discooperiamus itaque istud venenum infernale, ut possimus ei invenire remedium, exclusis omnibus excusationibus.

III. Dicere malè, & maledicere sunt valde distincta in nostra lingua: dicere malè, est murmurare, auferre honorem, detrahere; maledicere, non intelligitur solummodo de illis, quas communiter vocamus maledictiones; maledicit etiam, qui cum desiderio vindictæ minatur verbis, & indicat gestibus faciendi aliquod grave malum, & peccat mortaliter, absque excusatione in hoc puncto nec Parentum, nec Dominorum, nec Magistrorum, si minæ eorum non sint ad correctionem, sed ad vindictam, & si est grave damnum illud, quod minantur cum intentione exequendi. Maledicit qui in faciem dicit suo proximo aliquam gravem injuriam, aliquod opprobrium, quô graviter illum dishonorat,

& est semper peccatum mortale gravissimum, & cum obligatione illum deprecandi, & veniam petendi, & si opus esset, flectendo genua, vel damnari, vel damnari! Oh quale punctum hoc est tam grave, & quomodo tam parum consideratum inter mulieres. Celebrat pro re valde singulari, Plinius certam Echo lib. 36. c. 15. initio: quæ erat in porticu Olympiæ vocatam heptaphonam, id est septem vocum, quia unicum verbum, quod proferebatur, illud repetebat septies distinctissimè Echo. De simili Echo quot non videmus hic in rixis mulierum, & contentionibus, dico mulierc ularum: unicum solum verbum quantos non repetit dishonores, vituperia --- quanta opprobria? quantas contumelias? quot verba, quæ faciunt Echo in intimo animæ, quæ resonant in secretissimo honoris, & quæ reboant in profundissimo inferni? Illic hoc videbunt animæ, si hic non considerant conscientias. Una mulier, quæ videndo guttam sanguinis, contabescit; quæ ad gladium evaginatum, moritur; Non sistit postmodum suâ linguâ inferre vulnera crudelissima, mortes maximè terribiles in honore, vel in vita; Flagelli *plaga livorem facit*, dicit Spiritus Sanctus Eccles. 28. v. 21. *plaga autem linguæ comminuet ossa*; & si consideratur ut grave damnum aliquem hominem baculô verberare; eo ipso horrore evitandum est vulnerare illum opprobriô, dicit Sanctus Hieronymus: *Sicut homo cavet, nè baculô aliquem percutiat, sic cavere debet, ne percutiat eum convitiô.*

IV. Modò autem jam illa, quam communiter vocamus maledictionem, est, dicit Sanctus Thomas, exprimere verbis desiderium, quod quis concipit de malo alterius, si ei desiderat, & optat illud ut malum; quia dantur mala, quæ possunt pro bono optari; & hæc non est maledictio, nec peccatum; ut si mater optet mortem filii potiùs, quàm ut DEUM offendat. De Sancto Abbate Innocentio refertur in vitis Patrum lib. 8. c. 103. quòd videns filium suum, quem ante Monachismum genuerat, in magno periculo peccandi, petierit à DEO, ut potiùs à diabolo obsideretur; & sic evenit, multùm gaudente Patre, viso illo potiùs obsesso, quàm in peccato, priùs cruciato, quàm perdito. Oh quàm bonus Pater! non loquimur de hoc, hæc enim non est maledictio; quia hæc semper est illa, quæ malum optat, optat ut malum;

malum; & per se est semper peccatum mortale, si non excusetur per levitatem mali, quod optatur, per totalem inadvertentiam, vel per defectum intentionis.

Idcirco, oh DEUS! hic intrant excusationes: ego protuli, V. dicunt, multas maledictiones in ira, & cholera, sed non habui intentionem ut evenirent; in cholera, & sinè intentione? Oh quàm difficile est hoc! una vel altera vice, quòd simile quid exciderit, poterat fuisse; sed cùm non sit, sicùt ordinariè non est, ira tanta, ut tollat advertentiam, & cùm tam repetitæ sint maledictiones, tam ponderatæ, tam horribiles, resentimentum tam ardens in corde, & ut exeant verba de ore sinè intentione vindictæ, ibi hoc videbitis, ibi hoc experiemini. Oh ego nullum circumfero odium in illum, nec etiam ullum malum ipsi volo; esto: sed quid prohibet, ut in unico instanti formetur desiderium, & in uno instanti causetur damnum? Puella quinquennis, ut narrat Cæsarius Heisterb. lib. 5. mira. c. 16. sed palati nonnihil jam eruditi, lac furtivum more catellorum, sorbere cœpit. Pater iracundus filiolam furti manifestam tenens; Eja bibe, inquit: ut unà combibas diabolum; vix verbum evolârat ore, & diabolus misellam jam occupavit, nec deseruit hanc domum, donec infelix virgo, adulta jam ætate, Brisaco Romam ducta, ad Divi Petri templum, ab inquilino pessimo liberata est. Oh ego, dicit alia, citò postmodum me compono, & immediatè me pœnitet, & tota ira evanescit. Explosa est bombarda ad scopum, aut etiam aliò, nunquid pœnitentia revocabit globum, qui jam explosus est? Et transierit, evanuerit jam vestra ira, nunquid factum damnum tollet? & posito uno pede in præcipitio, erítne tam facilè ut alter pes à casu retineat? Avenione degebat adolescens nobilis non virtute, sed prosapiâ, ùt referunt annal. Soc. JESU de Anno 1599. hic tonante cælo calceos induebat, cúmque alter angustior, pedi ægrè induci posset, diabolo eum devovit: nec recusavit hoc donum stygius princeps; mox enim satellitem misit, qui jus doni usurparet; nam fulmen in pedem ruit, rupítque medium calceum; dimidiatus hic calceus ità fulmine ruptus, Carpentoratum deinde ad Energumenum perlatus est, quem ut vidit malò genio infestus; *Bene habet*, inquit, *meus erit & alter calceus;*

& ſi ità in momento audit diabolus, videte, an non planè nihil ſit valiturum iſtud, *ſubitò me pœnitet.* Ego, dicit jam alia, quantumvis evomam innumerabiles maledictiones, quamvis ſint tantæ, nunquam hoc adverto: quot erunt? non habent numerum; & omnes ſinè intentione? Non, aliquas profero cum deſiderio ut eveniant. O anima ſerpentina! quæ jam portas linguam doctam ad tractandum in inferno cum damnatis; Qualem tu facis Confeſſionem? quomodo accedis ad Communionem? ſi continès in viſceribus omnem peſtem draconum, omne amarum fel aſpidum, quale propoſitum adfers ad Confeſſionem? quam emendationem? Ecce ſcias, quòd hic mos te conſtituat in ſtatu peccati mortalis, ſi non adlaboras omni diligentia, quæ tibi poſſibilis eſt, eum tollere. Quando in horribili tempeſtate ruunt fulmina, in errogo, omnia ne illa occidunt homines? Non; multa cadunt in terram, multa remanent in aëre; & nihilominus, quomodo turbati incedimus? Pulſantur campanæ, accenduntur candelæ, ſignamus, & armamus nos crucibus, & Reliquiis; Oh cum quot domibus eſſent neceſſariæ die, & nocte iſtæ diligentiæ, ut compulſaretur ad preces, quia nigra nubecula unius mulieris explodit fulmina maledictionum? & quid exinde ſperatis eventurum? infortunia, calamitates, ruinas; Nolite inquirere, ubi invenitur una talium linguarum maledicarum, nolite inquirere, unde proveniat infortunium, quomodo ſuccedat afflictio, & cur ibi nihil aliud inveniatur præter infelicitates? Nolite inquirere, illud enim os, plenum maledictionibus, eſt illud, quod implet maritum, familiam, & totam domum damnis, & infortuniis: *Contritio, & infelicitas in viis eorum.* Pſal. 13. v. 3.

VI. Idcirco ſpecialiùs, ô Patres! ô Matres! advertite, veſtras maledictiones habere duplicem vim in veſtris prolibus; *Benedictio Patris firmat domos filiorum; maledictio autem Matris eradicat fundamenta.* Eccleſ. 3. v. 11. Maledictio Patris, vel Matris, dicit Spiritus Sanctus, deſtruit, conſumit, exterminat proles; Ah maledictiones Matrum, non Matrum, ſed harpyarum, Matrum barbararum. Jam non miror, dicit gentilis Seneca, non miror tot nobis infortunia accidere, quòd videamus tot juvenes perditos, tot fœminas à recto deviantes, & tantum diluvium malorum; quid

quid aliud debemus habere, & quid illi debent habere? à primis annis, ab infantia incipiunt illorum Parentes maledictionibus eos onerare: *Jam non admiror, ſi omnia à prima pueritia nos mala ſequuntur: inter execrationes Parentum creſcimus*; Senec. Epiſt. 60. Filii cum maledictionibus educati, quid aliud ſperandum illis reſtat in eorum vita quàm infortunia, infelicitates? Unde proveniunt tot, & tanti filii tam perverſi? ex educatione cum maledictionibus, dicit Spiritus Sanctus Sapient. 3. v. 12. & 13. *Nequiſſimi filii eorum: maledicta creatura eorum.* Creditísne ô Matres, quòd, quia non videtis immediatè maledictionem adimpletam, non ſit affecuturum ſuum effectum ejus venenum? infelicitates, infortunia filiorum hoc dicunt, & dedecora Parentum hoc deflent. Sunt filiæ cæli uniones, dicit Plinius; attamen ſi in conceptu eorum eſt cælum obductum nubibus, & excutiens fulmina, quantumvis non videatur immediatè damnum, unio poſtmodum prodit turbidus, obſcurus, & nullius valoris, nec pretii; *Eundem pallere, cælo minante, conceptum.* Plin. lib. 9. c. 35. Ità videmus pariter filios ſinè lucris, ſinè emolumentis, pauperculos, abjectos, & ſinè honore, quia maledictiones Parentum ità illos obſcurant. Ah *filii perditi!* Quidam ſimilium, qui mordentur à canibus, accepit etiam morſum à cane rabioſo in capite, pro tunc nullum ſenſit effectum, tranſactis jam duodecim annis, tunc cœpit ſentire vim illius veneni, quod portabat abſconditum per tantum tempus; hoc reliquit ſcriptum calamus Beati Alberti Magni. Etiamſi non videatis, nec advertatis ô Parentes! effectum veſtrarum maledictionum immediatè, nec eò inſtanti, quo illas profertis, tempus vobis dabit earum effectū.

Conceſſit itaque DEUS hanc efficaciam maledictionibus Parentum, partim ad timorem incutiendum filiis, & partim in pœnam, & caſtigationem ipſorùmmet Parentum; paveant itaque, & caveant filii offendere Parentes, quandoquidem cum iſti in terra ſint locò DEI, permittit ſua Majeſtas, ut adimpleantur illorum maledictiones. Sic inter innumerabiles, de quibus ſunt plenæ hiſtoriæ, evenit illis certæ cujusdam viduæ, quod refert Sanctus Auguſtinus lib. 22. de Civ. c. 8. Habebat hæc ſeptem filios, & tres filias; omnes illæ proles non dederunt Matri debitum reſpectum, & illa in iram concitata: Oh nulla gaudeatis, dixit eis, VII.

quiete in veſtra vita, poſteaquam mihi illam non datis in mea ſenectute: in inſtanti inceperunt omnes tremere à pedibus ad caput uſque tam violenter, ut impotentes requieſcere vel unicô momentô, circuierint per multas civitates facti exemplum, & experimentum mundi, uſquedum ità ſuam finiviſſent vitam. O fulmina vibrata ex ore unius Matris! ſed contremiſcant etiam Parentes; etenim ad illorum terribiliorem pœnam, & caſtigationem adimplet DEUS illorum maledictiones; perdant proles, videant illas raptari, & exſolvat mala Mater ſuas maledictiones pretiô ſui doloris. Ità evenerunt illi, rumpitur cor etiam tantùm audiendo eventum, illi inquam, de qua refert Franchiottus, quæ habuit filiolam innocentem ſeptem vel octo annorum in vicinia Civitatis Lucæ in Toſcania, & Mater ſerpens, ſolebat ſæpiùs illi dicere ad qualemcunque commotionem exiguam ad iram: Oh devorent te lupi! ità filiolæ replicavit eadem verba quodam manè, quo illa, & Maritus iverunt ad civitatem audire Miſſam; filiola ad portam paternæ domûs ſe diſtrahebat ludendo, & ecce tibi ex monte vicino venit una lupa, quæ ut carnifex inſiliit in innocentem, laceravit, & devoravit, & poſtmodum cum reſiduo corpuſculi cucurrit agiliter portans eſcam ſuis parvis lupis. Redit Mater, non invenit filiam, videt ſanguinem, ſequitur veſtigia, invenit partes de veſticulis ſanguine conſperſas, pervenit ad ſpecum, & videt inter dentes catulorum lupæ partem capitis ſuæ filiolæ. Oh quæ membrorum convulſio! patiatur itaque taliter, etenim ità hoc meretur Mater maledicens. Ah Matres, & ſi tam citò, tam ſubitò videretis impletas veſtras terribiles maledictiones! Itáque timete, nè vobis eveniat, timete.

VIII. Et timeant omnes, nam ſi maledictio non ſemper evenit illi, cui fit imprecatio, ſemper relinquit ſuum infortunium illi, qui imprecatur: *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis*, dicit nobis Sapientia Divina: Sap. 1. v. 6. Spiritus DEI totus ſuavitas, totus clementia, totus dulcedo non liberabit à labiis ſuis maledicentem; in ipſismet labiis ponet illi caſtigationem, propria labia illius erunt illa, quæ ipſi afferent ſuum proprium damnum. Ex iſto caſu, qui noſtris objicitur oculis, videbimus illud, quod ſuccedet in animabus.

Refert

Refert noſter Martinus del Rio de Mag. lib. 3. p. 1. q. 7. IX.
S. 1. lit. C. in Sileſia certum quendam magni ſtemmatis Nobilem præparâſſe, neſcio pro qua celebritate, magnum, & opiparum convivium; invitavit alios Nobiles, & ipſa die pro convivio præfixa miſerunt ad eum ex invitatis, jam hic, jam ille ſuos ſervos, per quos ſe excuſabant non poſſe in convivio comparere; ille jam impatiens videt intrare alios nuntios cum excuſatione, & immediatè prorupit iracundus: Si non adſunt alii, veniant omnes diaboli ad mecum prandendum; & his dictis exiit de domo ad leniendam ſuam impatientiam, & intravit Eccleſiam, ubi Parochus ſermonem ad populum habebat. Advenerat hora prandii, & ecce tibi! veniebant in equis ad domum certi homines, gigantæi corporis, nigri ut pix, & ità feri ſicut dæmones; deſcenderunt ex equis, & dixerunt uni ſervorum: Vade, & dic tuo Domino, quòd jam ipſum exſpectent hic ſui hoſpites. Tremens exit ſervus, currit, dicit ſuo Domino id, quod accidit; & ille plenus timore, dicit hoc Parocho; mandavit iſte ut hoc ipſo momento tota familia ex domo exiret; ità factum fuit, cum tanta feſtinatione, ut reliquerint in cunis ex oblivione filiolum illius Nobilis; & infernales hoſpites inceperint celebrare ſuum convivium cum grandi clamore, & vocibus, propinationibus, & riſu, Dominus domûs cum Parocho, & alio plurimo populo ſtabant in via pleni horrore; & Dæmones proſpicientes per feneſtras in horribilibus figuris urſorum, luporum, & catorum, hic cum parte aſſaturæ, ille cum ſcutella, & hic cum poculo vini propinabant Domino, & illi dicebant; Aſcende huc, aſcende; qualis iſte mos, quæ hæc politica? invitare nos, & permittere nos ſolos? nunquid nos vocaviſti? jam itaque ſumus hic, ut tecum manducemus, veni huc, aſcende. Inter hæc proſpexit alius cum filiolo Nobilis ludendo cum illo inter ſuos ungues; tunc primò recordatus oblivionis, & exclamavit cum dolore: ſed ſervus Domini unus ex fidelioribus, & animoſioribus, forſitan præ cæteris magis Chriſtianus; ego intrabo, dixit Domino, & extraham foras tuum filiolum; ésne tam audax? Ità; vade igitur in nomine Domini; ſignavit ſe ſigno Sanctæ Crucis, & intravit; & immediatè qui clamores ſupra eum diabolorum! ſed ille intrepidus;

dus; Da mihi, dixit diabolo, istum infantem in Nomine Domini nostri JESU Christi; non dabo tibi illum, reposuit diabolus, quia jam meus est; certè mihi illum reddes, & invadendo diabolum, eidem infantem abstulit; aggrediuntur eum dæmones, at ille signando se signô Sanctæ Crucis exivit liber, siquidem non habebant potestatem à DEO ei nocendi illi inimici infernales. Rediit ad Patrem filiolus, sed dæmones per multos in domo remanserunt dies facientes millena convivia, & exhibentes millenas probas diversarum infernalium nequitiarum.

X. Videte omnes, viri, & mulieres, an non citò compareant, dum advocantur? quia voces maledictionum valde bene intelligunt, cùm hæc sit illorum propria lingua infernalis: sicut ex opposito lingua cælestis consistit in benedictionibus DEI, & creaturarum ejusdem. Discat hinc nostra lingua loqui linguam Angelorum, si volumus socios eorundem agere in æternis benedictionibus cælestis gloriæ.

INSTRUCTIO XL.

De Amore Proximi, & de Condonatione, quam debemus Inimicis.

I. CUm cor humanum sit illud, quod in se includit, & custodit vitam, qualis vita erit illius, qui intra suum cor id, quod habet, & congregat, est mors? Vita inferni erit, quis de hoc dubitet? Nam, conjungendo taliter vitam cum morte, vivit solummodo, ut sentiat tormentum, & moritur, ut habeat levamen. Ecce! hoc est cor alicujus vindicativi, in quo ducendo vitam infernalem, suffert vivendo anticipatam mortem alicujus reprobi; fabricat inter sua venena, rancores, & rabiem contra illum, quem abhorret, mortem; & cùm illam non semper obtineat, ille ipse est, qui eam semper patitur. Contemplor ego similia infelicia corda, sicut pyrobolos illos, vulgò **Granaten**/ qui in bellis aut exploduntur, aut manibus jaciuntur, qui cùm portent in se ignem, & pulverem pyrium, rumpuntur inter inimicos, sed

ſed non ſemper cauſant illud, quod deſideratur damnum, & ſunt hi ſemper illi, qui ſunt pertuſi: *Qui non diligit manet in morte.* Joan. 1. c. 3. v. 14. dicit nobis Apoſtolus Amoris Sanctus Joannes. Sicut cor eſt vita corporis, ità amor eſt vita cordis, & qui abhorret, & odit ſuum proximum, jam in corde ſuo eſt homicida: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Joan. 1. c. 3. v. 15. Eſt homicida, non ſolùm quia ſuo proximo mortem machinatur, & diſponit, ſed quia ſibimetipſi aufert per hoc meliorem vitam, nempe vitam æternam: *Et omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* ibid. Tali modo, Dilectiſſimi mei, abſque prolatione unius verbi, abſque motione manûs, dantur etiam homicidæ multò terribiliores, & cruentiores aliis illic intus in corde. Certa corda facta in officina ferraria, in qua funeſta officina odii, inter ſuas maledictas flammas expurgant fulmina, limant cuſpides, acuunt gladios rancorum, furorum contra vitam proximi. Ecce itaque hic, quare Catechiſmus nobis dicat, quòd homicidium fiat non ſolùm facto: *Qui lædit*, &c.-- ſicut jam vidimus; non ſolùm dicto: *Qui minatur, qui injuriam infert, qui maledicit*, ùt jam explicatum eſt; ſed etiam deſideriô: *Qui ſuo offenſori non condonat.* Hoc eſt punctum, quod hodie nobis explicandum reſtat.

II. Neſcio, an adverteritis, quòd hæc vox *ama*, ex quacunque parte legatur, ſemper idem legatur; ſi incipiamus à parte ſiniſtra, dicit, *ama*; ſi incipiamus à parte dextra, dicit, *ama*; Quid ſibi hoc vult? ſcitísne quid? Quòd debeamus amare à dextris, & à ſiniſtris; quòd eodem modo amare debeamus amicos, quos à dextris reponimus, *ama*, ſicut inimicos, quos à ſiniſtris collocamus, *ama*. Adhuc plùs: eo ipſo modo profert hoc verbum Caſtellanus, ut Latinus, Italus, ut Luſitanus, *ama*, quid hoc erit? Quòd non debeamus diſtinguere, nec perſonas, nec nationes, quia in omnibus eſt una lingua amoris. Ahuc plùs; dum illud pronuntiamus, præcedit unum A, quando alterum A tenemus adhuc inter labia, *ama*; Quid hoc? quòd non ſolùm debeamus amare foras versùs, actibus debitis charitatis, ſed etiam ad intra affectibus veris cordis. Adhuc plùs: dum illud pronuntiamus in altum aperiendo os, vadit ſurſum primum A, quando alterum remanet deorſum

deorſum; Quid ſibi hoc vult? quòd debeamus amare DEUM, qui ſtat in altis primô locô, & quòd non ſimus amaturi DEUM, ſi non amemus etiam proximum, qui ſtat inferiùs. Videtúrne vobis eſſe bona obſervatio? ecce melior vobis debet videri obſervantia; quia iſte eſt amor, ad quem nos obligat noſtra Lex Sanctiſſima. Amor debet eſſe ad dextram, & ad ſiniſtram, ad amicos, & inimicos, ad proprios, & ad extraneos, in corde, & in ore, ad homines, & ad DEUM.

III. Non adimpletur itaque, non ſufficit ad adimplendum Præceptum amoris proximi ſolummodo exhibere actus externos: iſtæ humanitates, iſta verba dulcia, iſta complementa aulica, iſtæ viſitationes ſolæ non ſufficiunt, quæ ſæpiùs ſolent eſſe mendacia, & deceptiones. Ah qualis nunc invenitur mundus! Jam nunc viget quaſi in proverbio impietas: *Manus deoſculatur homo, quas vellet videre combuſtas*; Hoc inter Chriſtianos dicitur! quid multum, ſi hoc ità fiat? Non ſufficiunt itaque iſti actus externi; ſumus obligati ſub peccato mortali ad habendum in corde actum internum veri amoris erga proximum, & ſit ille qualiſcunque velit, amicus, vel inimicus, conſanguineus, vel extraneus; & dicere contrarium eſt damnatum, ut doctrina ſcandaloſa, & perniciosa à Noſtro Sanctiſſimo Patre Innocentio XI. in ſuo Decreto de anno 1679. inter propoſitiones damnatas, quarum prima eſt numerô decima, quæ ſic ſonat: *Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.* Secunda numerô undecima: *Præcepto Proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Non ſolum qui abhorret, qui odit, dicit Sanctus Joannes, eſt homicida: *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt*; Sed quòd pariter, qui non amat, ſit in morte: *Qui non diligit, manet in morte.*

IV. Sed quisnam ille amor eſt, qui obligat omnes? ego cogito, quòd pauci illum intelligant. Amor quem proximo debemus, non eſt amor quidam naturalis fundatus ſolummodò in conformitate geniorum, & inclinationum, in amabilitate aſpectûs, in decore vitæ, & morum, vel in correſpondentia affectuum; Non, Chriſtiani, hic enim amor eſt nimium abjectus, & multùm demiſſus; eſt amor quem etiam inter ſe habent Gentiles: *Nónne, & Ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. v. 47. Non, nam hunc amorem

rem etiam ſuo modo habent inter ſe beſtiæ; quæ tygris non amat alias ſuæ ſpeciei? quale jumentum non amat ſibi ſimile? Eſt itaque Charitas Chriſtiana virtus ſupernaturalis, quæ movetur ad volendum bonum proximo ex motivo purè divino, amando illum ob amorem DEI, non reſpiciendo illum in ſeipſo, ſed in illo DEUM, qui nobis mandat eum amare. Et quandoquidem iſta ratio eſt æqualis, & eadem in omnibus, ſit ille in ſe Proximus amabilis, vel diſplicens, vel contrarius; ſit amicus, vel ſit inimicus, eò quòd ratio illum amandi non ſit propter illum, ſed propter DEUM, & DEUS eſt ipſiſſima ratio, æqualiter debemus amare omnes; Volo dicere: deſiderare illis, & optare illud ipſiſſimum bonum, quod nobis ipſimet deſideramus, & optamus. Explico magis hoc, quia eſt punctum, in quo nobis multùm intereſt. Dicite mihi, dicite, quomodo eſt aliquis infans in utero matris ſuæ? Mater illum ex omni parte cingit, vita, quam ille habet, eſt Matris, reſpirat per os ejus, halitum emittit per Matris cor, & in illa movetur. Jam ſi (oh quàm conſideratio in tantum certa, ut de fide eſt, & in tantum tenera, quia eſt infinitæ charitatis) ità conſiſtimus omnes intra abyſſum immenſam finûs DEI, qui nos circumdat, in illo vivimus, in illo reſpiramus, in illo movemur: ità ſtamus intra viſcera infiniti amoris JESU Chriſti, hæc veritas eſt de fide, quid exhinc ſequitur? O vindicative, ô cor plenum odiô contra tuum proximum! Sequitur, quòd ſicut non potes vulnerare infantem in utero ſuæ Matris, quin priùs Matri vulnus inferas, ità nec potes odiſſe, injuriâ afficere, vel occidere tuum proximum, quin priùs vulnus inferas ipſimet DEO, qui illum in ſuo continet ſinu, qui illum cuſtodit in corde ſuo. Ah ſi hac attentione, & conſideratione fidei nos reſpiceremus, nos conſideraremus Catholici! hi, & illi, iſtæ, & illæ, quàm repeteremus cum Paulo ad Philip. 1 v. 8. *Teſtis eſt mihi DEUS, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JESU Chriſti.* Eſt tuus inimicus, ille qui te offendit, homo improbus, flagitioſus, peſſimæ indolis, ingratus, infamis? Omnia iſta ſic ſe habebunt: idcirco intuere eum intra cor DEI, aſpice illum, & contemplare intrà viſcera JESU Chriſti, & quomodo ultrà poteris odiſſe illum, quem tenet DEUS in corde ſuo? Quomodo pote-

ris desiderare malum illi, quem Christus incluſum tenet intrà ſua viſcera? quid vilius muſcâ? quid contemptibilius formicâ? quid odibilius viperâ venenosâ? Attamen, ſi per fortunam inveniebant ſimile quid delapſum in ambarum Romani, æſtimabant muſcam, in pretio habebant formicam, & cuſtodiebant viperam ut ditiſſimas ſuppellectiles, non ratione illarum, ſed quia ex ambaro proveniebat illarum pretium, & æſtimatio. Sit itaque formica quoad vilitatem, vel ſit vipera quoad venenum, iſte vel iſta, ille vel illa, qui te offendit, conſidera illos intra cor DEI, & in illa abyſſo dulcedinis videbis, & experieris qualiter ceſſabunt amaritudines tui odii.

V. Et ſi non, ah te miſerum! ſinè remedio damnaberis: operare quidquid, & qualitercunque velis, vive ſicut tibi optimè videtur, quamdiu hoc odium tibi in tuo corde durat, quamdiu non condonas ſincerè, & ex corde vero tuas offenſas, ſi de malo gravi tui Proximi (ſeu ſit in vita, vel in ſubſtantia, vel in honore) tibi complaces, ſi illud deſideras, vivis in peccato, & ſinè remedio teipſum damnas. O Domine! dicebat Beata Baptiſta de Verano, Ordinis Sancti Franciſci, ô Domine! etiamſi mihi revelares omnia ſecreta tui Sanctiſſimi Cordis, etiamſi mihi monſtrares omni die omnes tuas Hierarchias Angelicas, etiamſi omni die reſuſcitarem ego viginti mortuos, ob nullum horum eſſem ego ſecura, & certa, quòd tu me amares amore infallibili; ſed ſi ego ſenſero me ex toto corde deſiderare benè facere illis, qui mihi malè faciunt, loqui bene de illis, qui mihi maledicunt, & injurias inferunt; tunc omnino, ô Pater æterne! credam ratione hujus ſigni certiſſimi, me eſſe veram tuam filiam. Ah præclarum dictum! Oh ſi nos hoc intelligeremus! Auditores mei, quòd diſtribuatis eleemoſynas, quòd faciatis pœnitentias, quòd frequentetis communiones, ſi conſervatur, & detinetur intra cor unica ſcintilla odii, unicum malum deſiderium mali proximi, omnia iſta nihil juvant, omnia nihil proſunt; & ſi hæc ſcintilla odii, hoc deſiderium mali tollatur, omnia poſſumus adipiſci, omnia poſſumus lucrari. Sancta Eliſabetha, Regina Hungariæ, poſtquam paſſa fuiſſet terribilles perſecutiones, petebat à DEO ferventiſſimis orationibus, quatenus dignaretur exhibere aliquod

ſpeciale

ſpeciale beneficium cuilibet eorum, qui illam perſecuti fuerant; apparuit illi Dominus, & dixit: Nunquam feciſti orationem mihi acceptabiliorem; penetrâſti cor meum, & ſic ob hanc orationem condonavi tibi quotcunque peccata commiſiſti ab illo momento, quo peccare ſciviſti. Quid non dares ô homo, quid non dares ô mulier, ut poſſes audire talia verba ex ore ipſiusmet Chriſti? Perpende, & animadverte tua peccata, oh quanta ſunt! deſideras remiſſionem eorum? condona itaque tu ex toto corde tuo. Non poſſum intermittere, quin referam, quantumvis aliqualiter tardiùs, hunc eventum. Refert Anaſtaſius Synaita apud Engelgr. t. 1. Luc. Evang. Dom. 2. §. 3. Religioſum quendam vixiſſe negligentem, & deſidioſum, lentum, & diſtractum; mors irruit in eum, & huic jam vicinus, erat ità lætus, ità jubilans, ut advertentes hoc alii Religioſi, unus ex illis ei dixerit: Attende, & benè conſidera vitam tuam non fuiſſe adeò fervoroſam, & exemplarem, ut mereatur ſimilem lætitiam, & exultationem, quam in te demonſtras in tranſitu tam terribili: ego benè ſcio, & video, Pater, reſpondit alter, meam vitam ſatis malam fuiſſe, attamen ſciatis, non ante longum tempus, vidiſſe me hic duos Angelos, qui mihi monſtrabant in quadam longa charta ſcripta omnia mea peccata; ego illa legi; oh quanta, & quàm gravia erant! & dum de his quæſtionem mecum inſtituerent, ego non habui, quod reſponderem, ſed ſolummodo dixi: A quo ſum Religioſus nunquam judicavi de vita aliorum, & ſemper, ſi quis me injuriâ affeciſſet, eidem condonavi immediatè verè & ſincerè ex toto corde; modò jam video meas culpas; ſed cùm dominus promiſerit illum non fore judicandum, qui alios non judicaverit, & illi ſe parciturum, qui aliis ignoverit, ecce ego ſum iſte; eodem modo vidi Angelos lacerâſſe totum hunc culparum mearum proceſſum; quomodo ergo non vultis, ut ſim in ſummo jubilo, & conſolatione? Itaque, ſi ità vultis vos pariter hoc ipſum experiri, horâ mortis veſtræ, condonate injurias veſtras inimicis veſtris ex toto corde veſtro.

Sed nec ſufficit condonare ſincerè interiùs, habere amorem erga proximum intra cor; eſt obligatio ſub peccato mortali non monſtrare externè odium, rancorem, vel inimicitiam, Laym. l. VI.

2. & 3. c. 4. & ibi D. Th. & alii, est obligatio monstrandi hunc amorem in actionibus communibus cum proximis ità, ut istæ non denegentur offensori, Castrop. t. 2. & 4. D. 1. p. 5. n. 5. Non est obligatio, ut quis colloquatur omnibus, nec ut omnes saluet; sed si in aliquo diversorio hominum, vel in aliquo hypocausto mulierum omittis salutare unum, vel non alloqueris alteram, cum admiratione, & scandalo aliorum, est peccatum mortale gravissimum. Oh ego illi nihil mali volo, sed nec me ampliùs videat, nec ego illum; hoc est velle cooperire odium instar cervi; dicunt, quòd ille non habeat fel, est verum, sed habet viscera tam amara, ut illa nec quidem canes possint vorare: quid juvat, quòd illi nihil mali velis, si illi monstras amaritudines corrugando faciem, te ab illo separando. Intelligamus hoc bene: colloqui, salutare, repeto dicere, non est obligatio, sed si hoc excipiatur inter personas, quarum curam habemus, ut inter Patrem, & filios, nisi sit, quòd Pater vel Mater, vel qualiscunque Superior hoc faciat pro correctione filii, vel subditi per aliquot dies non colloquendo illi, hoc enim nulla culpa est, si inter fratres, vel cognatos, vel inter personas fiat, quarum priùs erat publica magna amicitia, & nunc omnes vident, quòd nec quidem se invicem salutent, est scandalum, & est peccatum mortale. Adornent hoc modo, sicut volunt, cooperiant, defendant, excusent, ante DEUM rem se aliter habere videbunt.

VII. Tota res se bene habet: sed si mihi fecit tam gravem injuriam, si mihi occidit meum filium, si quispiam alter cum mea aufugit pecunia, alter mihi meam non persolvit pecuniam, nunquid ego potero accedere judicem, & petere satisfactionem meæ injuriæ, vel ut mihi pecuniam debitam restituat, ut mihi meam substantiam reddat? Oh quale punctum hoc Dilectissimi, quale punctum! Verum est, fatentur Doctores, similia apud Judicem quærere licitum esse, ideò enim sunt judices in Republica. Attamen quomodo est licitum? Oh DEUS! ob hoc punctum multæ damnantur animæ. Ego vindico meum jus, ego quæro meam pecuniam, ego conqueror de mea offensa: sed quali animo, & quali corde? vindictæ, rabiei, & rancoris? Ecce tu, & tu teipsum damnas; solùm est hoc licitum, quando alteri non desidera-

tur

tur aliquod damnum, vel malum: quando ſolummodo fit vel ad recuperandum cujusvis honorem, vel ſuam ſubſtantiam, vel ut malefactor emendetur, vel ut juſtitia obſervetur; & nullo modo ob vindictam, nec ob deſiderium alicujus mali proximo cauſandi. Sed quando acceditur Judex tali intentione? Dicerem, quòd tali intentione nunquam accedatur, ſi loquar ſecundùm id, quod videmus, & experimur; quando temperatur ità cor, dum fervet, & bullit ob apprehenſionem, & iram, ut ſeparet illud, quod in tantum eſt unitum? De Alcone Cretenſi celeberrimo ſagittario narrant, quòd dum vidiſſet ſuum filium Soporatum teneri cinctum à quodam dracone, ità ut caput vicinum haberet cordi infantis, exhorruerit; & quid faciendum erat huic Parenti? ſi draconem terrefacio, mordebit infantem, & occidet; direxit itaque, ſed quali cum timore! Ah non accidat, ut locò ſerpentis meum ipſum occidam filium! rediit rurſus collimare, ſed quali ſolicitudine! emiſit tandem ſagittam ità cautè, ut transfigendo draconis caput, reliquerit intactum, & liberum infantem. Sed ubi nunc ſimiles inveniuntur? Ah Dilectiſſimi! facite probam cum veſtro filio, ponite illi pomum ſupra caput, & ad bonam diſtantiam videte, an audebitis ejaculari globum, ut tangatis pomum, filiô intactô. Ah non, hoc valdè periculoſum eſt; itaque perſuadete vobis hoc multò periculoſiùs eſſe in veſtra anima; ut ille mihi ſolvat meam pecuniam, ut executio cum illo fiat, ut incarceretur, éſtne hoc ſolummodo factum ut petatis illud, quod veſtrum eſt, & ſinè deſiderio faciendi malum alteri, oh quàm difficile hoc eſt! & habentes toties iſtud deſiderium, multò pejus eſt, quòd neſciam, an hoc confiteamini; & tamen nullum eſt dubium, quin id ſit peccatum mortale, & eſt extra dubium, quòd, dum in hoc animo perſiſtitis, non poſſitis à Confeſſario abſolvi. Ergo ego debeo perdere meam pecuniam? hoc ego non dico, & repeto me explicare, ſed hoc, quod dico, eſt; quòd ſi velitis recuperare veſtram pecuniam faciendo aut cauſando malum alteri, & ut vindictam ſumatis, vos ipſosmet damnatis. Non eſt opus conſulere Moraliſtas, nam ipſemet Chriſtus JESUS jam vobis hunc caſum decidit, & ſententiam protulit. Donaverat certus Dominus ſervo ſuo grandem ſummam debiti,

& poſt-

& poſtmodum ipſiſſimus ſervus ſuffocabat alium ſuum conſervum, & truſit illum in carcerem, ut debitum ſolveret; ut verum fatear, bene facis, dicit Dominus, ego tibi condono, & tu tali modo, quandoquidem non condonas tuum debitum, non habebis ſaltem pietatem in modo recuperandi tuum debitum? *Nónne oportuit te miſereri conſervi tui*? Matth. 18. v. 33. tuus itaque ſit carcer. Videte modò Dilectiſſimi, an habeatis debita cum DEO, excutite veſtros libros, & ſi inveneritis vos nihil DEO debere, ego vobis do licentiam, ut veſtra cum tyrannide exigatis; ſed ſi inveneritis debita cum DEO, quid ſperandum habet malus homo, qui audet dicere: relinquam illum ad nihilum redigi, faciam illum mori in carcere: & quid ſperat, qui hoc facit? quòd DEUS illum ſit in nihilum redacturus, & in carcere æterno ſit moriturus. Nónne Auditores! ſolet, in ratiociniis jam ſolutis fieri crux in tranſverſum, quæ illa delet? Agite itaque, & adhibete diligentias Chriſtianè circa veſtras res; ſi alter infelix nihil plùs habet, nec quidquam ultrà poteſt, facite crucem ſupra ſimile debitum, non atramentô; ſed illam crucem, quâ reliquit Dominus caſſas, & laceratas veſtras, & meas ſcripturas, perſoluta mea, & veſtra debita; quòd ſi hanc crucem appoſueritis, oh qualiter attemperabitur veſter rigor! Domino Petro Gironi, Marchioni de Uregna furatus erat quidam octo millia ſcutorum Romanorum, curavit illum incarcerari, & locò confuſionis, & ruboris, quem ob delictum habere debuiſſet, effuciebat contra Marchionem mille opprobria; ſciebat hæc omnia Marchio, advenit dies Paraſcéves, & curavit incarceratum conduci ad Eccleſiam; ivit Marchio ad exhibendam adorationem Sanctæ Cruci, & perveniendo ad illam, genuflexus eſt eandem deoſculatus, projiciendo ad ſcutellam unam ſchedam, in qua dicebat: *Ego condono tali octo millia ſcutorum, quæ mihi debet, & omnes injurias, quaſcunque mihi fecit*; & ſurgendo illinc, illum dimiſit liberum. O cor generoſum! ô pectus Chriſtianum! quomodo non exſolvet DEUS actionem tam heroicam? & qualiter ſciet ſua Divina Majeſtas ſimilia recompenſare, & perſolvere, dicet hoc nobis breviter ſequens eventus.

VIII. Certæ cujusdam Viduæ Nobilis fuit occiſus filius, quem unicum habebat, ùt narrat Hautin. n. 1294. Engelgr. t. 1. Luc. Evang.

Evang. Dom. 2. poſt Pent. §. 3. nimis dixi pro dolore, quod non capitur verbis; Corpus jacebat extenſum in ſala, ſeu cænaculo, & Mater in mari lacrymarum, & ſingultuum: dum ecce tibi! hìc intrat perterritus currendo occiſor, qui perſecutus à juſtitiæ miniſtris, præ timore non vidit, nec advertit, quò intraret. Oh quis circuitus tam ſtupendus! projicit ſe ad pedes Matris, & petit per ſanguinem Chriſti JESU veniam, & ſimul perſonæ ſuæ occultationem, & defenſionem. Præ dolore tam præſenti, præ tam commoto ſanguine ob offenſam, quid cogitatis, quid faceret iſta Mater? ô mulierem per omnia ſæcula, & per omnem æternitatem prodigioſam! Elevat cor ad DEUM, Domine tu ſuſcipe omnem meum dolorem, & deducendo illum immediatè in abſconditiſſimum locum domus ſuæ, abſcondit illum valde bene. Intrant miniſtri juſtitiæ, explorant, quærunt, nihil inveniunt, & illa non ſolùm tacet, ſed etiam defendit. Diſceſſerunt miniſtri, & illa quàm citiſſimè cum ſacculo ducatorum, & equo præparato interfectori dicit: Accipe hoc munus, fuge, & te in ſecuro colloca. Deſunt verba ad celebrandam actionem tam portentoſam. Nocte ſequenti offerebat bona hæc Mater Domino totam ſuam afflictionem, rogando, quatenus condonare dignaretur filio ſuo omnia commiſſa delicta; dum hæc peragit, ecce tibi illum conſpicit ante ſe ſtantem totum ſplendidum, pulchrum, & verſantem ex oculis jubilum, & lætitiam: O Mater! dixit illi, DEUS tibi reddat mille, & mille bona, quandoquidem fuiſti melior Mater mihi poſt meam mortem, faciendo me naſci pro cælo per condonationem, quam occiſori meo dediſti, liberâſti me ex certis pœnis, quas tibi pro nunc neſcio ſufficienter declarare, & mihi contuliſti: oh ſi ſcires, quantam gloriam; ſed quantocyus hoc experieris, & ſcies, veniens paulò poſt frui illa mecum in præmium tuæ magnæ, & reſolutæ condonationis. Oh quale hoc præmium ſit! non habeo formulas, & verba, quibus tibi illud exprimam, ſed illud quantocyus videbis. Ita factum eſt poſt elapſum breve temporis ſpatium, & illic in æternitate illo fruitur in æternum.

IX. Taliter illo pariter fruetur, qui taliter condonat. Ibi videbit, quanta ſit illa merces, & quanta ſit illa retributio, ibi videbit, & experietur, quanta ſit illa gloria.

INSTRUCTIO XLI.

De Scandalo, & ejus imponderabilibus damnis.

Die 3. Decembris, In Feſto Sancti Franciſci Xaverii, Indiarum Apoſtoli.

I. SCandalum, cujus nomine pronunciato, ſunt ſuperfluæ ad ponderandum, & perpendendum ejus venenum aliæ plures prolixitates in exordio; Scandalum, ad cujus deploranda damna magis indigent oculi lacrymis, quàm verborum anticipationibus aures; Scandalum, ad cujus deflendas funeſtas ſtrages nec ſæcula ſufficiunt infelicitatum, nec ſufficient æternitates gemituum; Scandalum, quod ab altiſſimo Cælo uſque, occupando ſpatia omnia mundi, implet horroribus feralibus, ipſos planè profundiſſimos ſinus infernalis abyſſi; Scandalum, abortivum maledicti cordis Luciferi primi ſcandaloſi, quod evacuavit cælum Angelis, implevit infernum dæmonibus, & non deſinit colligere ex mundo innumerabilia damna; Scandalum, quod in cælo invertit, & ruinavit tot ſedes, quod in Paradiſo ruinæ tradidit tot animas, & quod in inferno in una flamma coacervat tot, & tanta tormenta; Scandalum, quod exequendo officium dæmonum, aufert virtuti ſua lucra, animabus virtutem, & animas DEO; Scandalum, quod ex vulnere tranſeundo in gangrænam inficit per unicum digitum totum corpus, quod ex maligna febre degenerando in contagium, peſte afficit unico homine totam Rempublicam, quod ex ſcintilla ſe augmentando in incendium, omnia depopulatur; Scandalum, quod ſolummodo poteſt explicari per mœſtos DEI gemitus: Væ mundo! væ mundo à ſcandalis; Scandalum, finaliter, materia immenſa horroris, eſt hodie compendiatum punctum pro brevi explicatione anguſti temporis, unius mediæ horæ. Sinite jam

jam homicidia corporis, nam omnes mortes, quæcunque hominibus acciderunt, & imposterum accident in mundo, non æquivalent simul unitæ, morti unius solius animæ ex multis, quas occidit Scandalum. *Dantúrne adhuc alii modi*, interrogat Catechismus, *occidendi? Ità dantur: scandalizando, vel non adjuvando graviter indigentem.* Non est qualicunque modo homicida scandalosus: occidit animas ùt filius diaboli, qui adimplet ejusdem desideria, dicit noster Redemptor; & illud, quod ipsemet diabolus per seipsum non potest, per manum, vel per os alicujus scandalosi exequitur: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio.* Joan. 8. v. 44. Sed quinam sunt isti scandalosi? Multi sunt illorum, & multi parum de hoc cogitant; cognoscant hoc in suis conscientiis ex explicatione, quæ de hac materia sequitur.

II. Scandalum, dicit communis Theologorum cum D. Thoma 2. 2. q. 43. a. 1. est factum, vel dictum, vel actio, vel verbum minùs morigerum, vel incompositum, præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis: cadendi in peccatum, vult dicere, hæc enim sola est ruina. Ità ut ad dandum scandalum, non sit semper opus, ut actio, quæ fit, vel verbum, quod proferimus, sint in seipsis mala, sint in seipsis peccatum, non; *Sufficit*, quòd in occasione, in circumstantiis, in modo, vel in conspectu, qui actionem videt, vel qui verbum audit, appareant mala, & sic sint occasio, quòd alter peccet. Sint occasio, dico, quia si alter, vel ob suam malitiam, vel ob suum odium, vel malam voluntatem hæc contorqueat, flectat, & illa malè exponat, cùm in se bona sint, ille exinde totam culpam habet, quandoquidem habet cor Pharisaicum. Nullam culpam habet flos, eò quòd ex eo fugat venenum aranea, cùm ex eo ipso fabricet dulce mel apicula. Sed (oh DEUS!) si actio, vel verbum ob modum, vel propter circumstantias, dat per se sufficiens motivum ad ruinam, non supererit ultrà ei excusatio hæc esse bona; minor impulsus sufficit ad ruinam, & casum infantis, quàm ad invertendum virum; attamen una, & altera est ruina, & casus, & si hunc vel illum prosternas, non eris extrà culpam, ex eo, quòd alter sit infans, si tu, volo dicere, illum moveas, vel tuis ver-

bis, vel tuis actionibus, ut cadat in peccatum, nihil tibi proderit ad excusationem, & ad te exonerandum, quòd ille non steterit tam solidè in virtute. Turbabantur ad invicem recens conversi ad fidem videntes Christianos comedere carnes, quas Gentiles sacrificaverant suis Idolis; Quomodo hoc? dicit audiendo hoc plenus scrupulô Apostolus; Scandalizantur? itaque, non dico istas, sed nullas alias carnes, nullas manducabo per totam vitam meam, si ità expediat, nè scandalizentur; *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, nè fratrem meum scandalizem.* 1. ad Cor. 8. v. 13. Dantur itaque actiones, quæ in se non sunt malæ, & etiamsi sint bonæ, si non sunt ex illis, quæ omnino sunt necessariæ ad nostram salutem æternam, vel illæ, quas omittere esset intrinsecè malum, & peccatum; tales enim nunquam sunt omittendæ; sed præter has dantur actiones etiam bonæ, & sanctæ, quæ si in occasione, in tempore, in modo, offendunt oculos, causant admirationem, tales debent occultari, vel intermitti, vel differri sub peccato mortali. Ità D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. Dare eleemosynam quid sanctius? Sed si ex hac occasione vident alii intrare solam mulierem suspectam omnibus horis domum alterius, apage, quis non videt prævalere scandalum? Inire matrimonium, res est multùm sancta, sed si est matrimonium inter illos, qui solent se curare copulari clandestinè, implent civitatem discursibus, immoderatis locutionibus, quia omnes illos vident unitos, & quamvis sint maritati, res abit in opiniones; hoc tali modo est dare scandalum, & potest esse peccatum mortale; vel de illorum copulatione omnes sciunt, vel non sciunt; si sciunt, quid magis ridiculum, quàm celare id, quod jam isti sciunt? & si hoc non sciunt, videndo illos unitos, habent illos pro concubinariis, & est scandalum. Oh hoc non est nostrum intentum; hæc excusatio non valet, est tamen scandalum indirectum, & tantum deprimit deorsum, qui trahit transversè; quantum ille, qui directè. Applicuit quidam ignem ad sepem, ex spinis factam in suo territorio, sed ignis se dilatavit, & comunsit vicini segetes; Quale tempus erat? quærit Jurisconsultus: erat tempus turbidum, & erat magnus ventus; Itáne? ergo solvat damnum, quod fecit; *Si tempore ventoso id fecerit, culpæ reus est.*

Leg.

Leg. qui occidit ff. ad leg. Aquil. Oh ille non existimabat, nec cogitabat comburere illi segetes, & grana, sed hìc spinas; verùm est: attamen jam videbat tempestatem aëris: solvat, solvat, nam ille damnum fecit, ponendo in tali tempore occasionem: *Nam, & qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* Quòd si in actionibus non malis, sed etiam in bonis adsit istud periculum, quid erit, ah quid erit in malis? quid erit in peccatis?

III. Ah modestia quò abiisti, quòd jam te ultrà non videamus? Ah verecundia, ubi te abscondisti, quòd te non inveniamus? Ah circumspectio, ubi manes, quòd ultrà non compareas? Ah rubor, etiam mulierum, quorsum te ablegârunt, quòd te non possimus detegere? Audite me, Dilectissimi, audite me cum attentione Fidei, & percipite illud, quod deflere debent lacrymis sanguineis, dum ità vident, & aspiciunt idipsum oculi nostri; tanta publicitas nunc est in peccando, tanta inverecundia, tanta impudentia, tanta dissolutio, tanta licentia; verba vel jam in juramentis, & in injuriis ità sinè fræno, vel jam in turpiloquiis ità sinè pudore, vel jam in consiliis, dimidiata, & pseudopolitica ità sinè honore, vel jam in irrisione, & explosione virtuosorum, ità sinè anima; Actiones, vel jam ex professo dissolutæ, vel jam ex obstirmatione absurdæ, vel jam ex elegantia scandalosæ; Omissiones, vel jam in Parentibus ità repetitæ, vel jam in Dominis ità ordinariæ, vel jam in illis, quorum interest zelare pro bono Reipublicæ ità notoriæ, quid ista sunt omnia, ratione quorum natamus bulliendo in scandalis? Væ Neapoli ob sua scandala! Scandala in viis, in plateis, scandala in concursibus, scandala in deambulationibus, & scandala etiam in Ecclesiis Sanctis DEI. In istis habitationibus concubinarii ità publici, ubi hæc vident omnes, sciunt omnes, & jam perditus est pudor. In conversationibus, in quibus non habetur pro sapiente, qui non loquitur turpitudines, absque respectu, an audiant infantes, vel virgunculæ, faciendo risum ex ipsissima damnatione. In communitatibus, in conventiculis, etiam in præsentia Sanctissimi Sacramenti, oculorum nutus, signa amoris, & salutationes, faciendo jocum, & communem conversationem ex injuriatione, & conculcatione Divinissimorum respectuum nostræ Catholicæ Re-

ligionis. Et quid ex hinc ſequitur? O DEUS! quòd ſi unicus ſolus ſcandaloſus ſufficiat ad perdendos innumerabiles, quid non faciet una Civitas plena ſcandalis? ille, qui inhoneſtè, & turpiter loquitur, inficit quatuor, qui illum audiunt, & quilibet horum inficit ſcabie alios viginti, & iſti alios; Oh quanta peccata ex uno peccato! Oh quantæ conſequentiæ ex unico verbo! Projicite lapidem in medium alicujus laci, ex unico ſolo ictu, & immediatè, unâ & alterâ aquâ ſe impellente ad invicem, pervenit ad ſpumam, & circulos in maxima inquietudine uſque ad ſpondam. Qui vivit in publicis peccatis, inficit peſte decem, vel duodecim qui illum vident; jam hoc videtis: quilibet horum inficit ſuô exemplô alios viginti, iſti alios. Oh quanta peccata ex uno peccato! Ah quanta damna ex unico exemplo! *Plùs exemplo quàm peccato nocent.* ait Cic. de legibus. 3. Aviculis, quæ turmatim volant, ad capiendas omnes, illud quod venator facit, eſt, capere unam, ligare in pede unum filum totum viſcô unctum, poſtmodum illam ſinit volare, illa ſe rurſus conjungit ſociis, & ſic propter unam omnes capiuntur. Et ſi hoc facit unicum ſolum ſcandalum, quid non faciet integra Civitas plena ſcandalis? Oh quæ turba lacrymabilis damnationum! Pro ſumma raritate narratur de uno vel altero flumine ex maximis, & furiosè currentibus, illa in mare cum tanto impetu, & vi intrare, ut per unum vel duo milliaria non ſinant commiſcere dulcedinem ſuarum aquarum cum ſalſis aquis maris; hoc eſt multum rariſſimúmque; ordinarium enim eſt, ut eo ipſo inſtanti, quo flumen ad mare pervenit, convertantur aquæ fluminis in ſalſas. Ah Juventus Neapolitana, rivuli in medio hujus maris ſcandalorum! *laqueus juvenum omnes.* Iſai. cap. 42. v. 22. Dum videt juvenis talia exempla, & dum videt Virguncula tantam libertatem, & dum vident omnes tam communia, & tam quaſi in mores tranſiiſſe peccata, quid nobis expectandum reſtat: *deſinit remedio eſſe locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* Sene. in epiſt. Quilibet videat in ſua conſcientia, quos effectus quandoque ei cauſaverit unum verbum inhoneſtum, quod audivit; quid ipſi fecerit in anima ſua exemplum illius rei, quam vidit fieri.

Quan-

Quanta itaque erit tua damnatio ô ſcandaloſe? ſolves pro te, & ſolves pro omnibus animabus, quas DEO abſtuliſti: *Neceſſe eſt, ut ſit pro tantis reus*, dicit Salvianus, lib. 4. de Prov. *quantos ſecum traxerit in ruinam.* Hebræis mandavit DEUS, ut ille, qui aperuiſſet ciſternam, & illam non operuiſſet, ſi in illam cecidit aliquis bos vel jumentum, illud ſolveret Dominus ciſternæ: *ſi quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum.* Exod. 21. v. 33. & 34. Jam quomodo tu ſolves DEO, non jumenta, aut boves, ſed animas redemptas ſuo ſanguine, tot, & tantas, quæ ratione tui ſcandali cadunt, & perduntur? Apud Romanos mandabat lex: ſi foveas ff. ad leg. Aquil. ut ille qui aperuiſſet aliquam foſſam vel foveam ad capiendas feras, quæ inciderent, ſi illam aperiebat in via regali ſeu via ordinaria, ſolveret omnia damna illorum, qui tranſeundo incidiſſent. Nunc qualia damna ſolves tu DEO de tot animabus, quot per iſtud tuum os ut ſepulturam fœtidam verborum inhoneſtorum, per tuam vitam, quæ eſt foſſa Diaboli publica, in turpitudines cadunt, & pereunt? quot, & quanta erunt iſta damna, & quot & quanta tua tormenta? tu non facis ultra rationem quàm de uno diſcurſu impudico, & confiteris ut unum peccatum ſolum, ſed DEUS reponit ad tuas rationes, quod illa vel illa perſona, quæ talem diſcurſum à te audivit, habuerit hac de cauſa centenas turpes cogitationes, quibus conſenſit, exornavit ſe in finem ad te ſeducendum toties, & omnibus vicibus fuit laqueus, in quem alii inciderunt; continetur in his alia multitudo peccatorum, quæ ſecuta ſunt omnia, vel ex tuo comitatu, vel ex tua inhoneſta converſatione. Oh onus de quo tibi reddenda eſt ratio! infelix damnes te ſolùm, cùm ità damnari velis, cur tibi accumulas, & accreſcere facis infernum? De uno Condiſcipulorum ſuorum refert Cantipratanus, qui dum bene, & honeſtè vixiſſet, poſtmodum perverſus à mala ſocietate, deflexit in vitam peſſimam; corripuit eum mors, & ſinè confeſſione, & ſinè ſigno pœnitentiæ, mortuus eſt dicendo hæc verba: ego vado ad infernum, ſed væ illi, qui me docuit peccare: *Væ autem illi, qui ſeduxit me.* Ah quot animæ erunt nunc inter illas flammas exclamantes, & petentes vindi- IV.

vindictam, de pluribus quàm duobus, qui me hic audiunt: ille, dico, vel illa, qui, vel quæ propter te peccavit, & qui vel quæ propter te pœnas æternas luit. Non ſatisfacit itaque, qui in publico peccat, ſuum ſolummodò confitendo peccatum; debet pariter confiteri ùt diſtinctum peccatum, & graviſſimum, quòd in publico peccaverit; & videat, an habeat flumina lacrymarum, talia enim neceſſaria ſunt, ad tantam culpam delendam.

V. Sed jam, quòd ſi hoc faciant verba, quæ volant, actiones, quæ tranſeunt, quale erit ſcandalum in rebus, quæ durant, & quæ perſeverant? quàm grave peccatum eſt alicujus Pictoris, qui depingit corpora mulierum omnino nuda? & quale peccatum illius, qui ſimiles picturas retinet in ſua domo expoſitas? eſt in ſtatu peccati mortalis, quamdiu illas non aufert; etiam in naturali habet tantam vim viſus, ut evenerit peperiſſe certam mulierem æthiopem ex eo, quòd illum ſæpiùs viderit depictum. Romæ alia peperit urſum, quia habebat in ſua domo depictas ſimiles feras. Adhuc plùs: In Flandria peperit alia filiolum in figura horribili dæmonis, quem illa habebat depictum ante oculos; jam quid non facient iſtæ picturæ in cogitationibus? & quanta non erunt peccata, qui illas tenet in publico? & ſimiliter quale non erit peccatum, vel peccata iſtarum locatarum tot domorum pro luſu? non loquor de luſu in generali, de illis domibus loquor, quas omnes videmus, & in quibus omnes ſumus teſtes innumerabilium peccatorum, quæ in illis committuntur, & innumerabilium damnorum, quæ illæ cauſant. Omnes hæc vident, & eſt clamor communis. Etiam apud Gentiles diſponebat lex, ut ſi receptori aleatorum aliquis verbera intuliſſet, vel illum vulnerâſſet, aut aliquid eidem furatus fuiſſet, quantumcunque conqueſtus fuiſſet, tamen à judice auditus non fuiſſet; & dat rationem Godefredus Leg. 1. ff. de aleatoribus; *Quia receptor aleatorum, eſt velut hoſtis publicus.* Quia talis receptor eſt inimicus communis totius Reipublicæ. Sed iſta lex eſt antiquata, non habet vim. Oh, habebúntne vim leges noſtrorum Monarcharum? ecce iſtæ expreſsè inhibent, & ſub gravibus pœnis, ut tales menſulæ non tolerentur, & mandant, ut caſtigentur directores ſimilium luſuum. Habebúntne vim ſpeciales leges hujus regni? jam nunquid ſunt iſta, ob ſimilia facta, verba Regis Philippi III. in L. 8. t. 2. l. 2.

2. l. 2. Congregantur ad luſum, dicit, in multis menſulis publicis plurimi ex gente otioſa, vitæ inquietæ, & depravatorum morum, ex quo reſultârunt multæ graves inconvenientiæ, & delicta atrocia in offenſam Domini DEI noſtri, per juramenta, blaſphemias, homicidia, & amiſſiones ſubſtantiarum. Ordinamus, ut caſtigentur ſimilia delicta commiſſa, in domo ſimilis lusûs, & ut ceſſent tales luſus, & conventicula gentis improbæ, & flagitioſæ, & tam illiciti, & præjudiciales fructus, & lucra. Hoc mandant leges, Doctores numerò quadraginta, quos quadraginta haberem in promptu vobis exhibere, & quidem ex inſignioribus, & plauſibilioribus, qui affirmant, quòd talis Protector, & Defenſor lusûs non ſolùm vivat in peccato mortali, ſed etiam quamdiu tenebit hoc officium Diaboli, non poſſit abſolvi, quia ſemper eſt in occaſione proxima committendi innumerabilia peccata mortalia per ſeipſum, & per illos, quibus ſinè omni dubio cooperatur: hoc affirmant Doctores, & ſecundùm illud, quod vident noſtræ experientiæ, nec unicus Catholicus poteſt de hoc dubitare. Experientiæ nobis demonſtrant in ſimilibus domibus omni die inveniri fures, vivere in illis artifices ſinè arte, videmus in illis vagabundos impoſtores cum deceptionibus, ibi demorantur Mariti relinquentes uxores ſuas, vel filii, ludentes in proprium damnum quantumcunque poſſident, filiifamilias vel ſclavi intendentes furtis, ut rurſum id luſui exponant, quod furantur; & intermitto juramenta, blaſphemias, rixas, fraudes, vulnera, mortes; omitto contemptum Sacrorum, omitto injurias in Divina. Hoc videt tota noſtra Civitas, hoc deflet totum Regnum, leges hoc ipſum expreſſiſſimè prohibent, Doctores hoc ipſum condemnant, experientiæ graviſſimorum damnorum hoc patiuntur; animæ valent plùs quàm milliones millionum; noſtri Catholiciſſimi Reges, hoc nobis certum eſt, quòd plùs zelent intereſſe Divinum, præ omnibus regiis intereſſe; cur itaque ſimilia permittuntur? cur ſimilia tolerantur? nihil ampliùs dico.

VI. Nec nunc loquor de ſuperfluo ornatu, veſtitu, nuditate, & pigmentis, quæ omnia in mulieribus ſunt funes, & retia diaboli; materia hæc eſt graviſſima, ſed meliùs hoc dicet cuivis proprius Confeſſarius, ego enim in generali non poſſum de hoc loqui:

qui: ideò solummodò subjungere volo hoc experimentum: Savonæ in Civitate Genuensis districtûs anno 1560. erat quædam mulier, quæ de nulla alia re cogitabat, quàm de suis ornamentis, dum minimè cogitabat, vidit se quadam vice ante tribunal DEI, ubi sententiàm accepit damnationis; rediit ad se dando formidabiles clamores desperationis, dicens se jam esse damnatam, conturbata fuit tota domus, advocant Confessarium, & illa nolendo confiteri, repetebat suam desperationem. Accessit sua filia volens illam confortare, & illa tunc: abscede hinc, maledicta sis millies, & millies, nam ratione tui damnor, quia quando ego tibi feci illam vestem ex broccato, nec unica ex simili materia hìc erat in ista Civitate vestis, & abinde fuerunt te secutæ istæ, & illæ, & jam hodie tali materia vestiunt se omnes; hac de causa damnor absque omni remedio; & immediatè viderunt omnes, quòd elevando illam in aërem dæmones, alliserint corpus ejus ad trabes, & illa cadendo deorsum cum terribili plaga, expiraverit; hoc sequitur ex scandalo.

VII. Et ut tandem semel aliqualiter explicetur: quanta erit gloria illius Apostoli glorioſi, & prodigioſi, ex eo quòd lucratus fuerit DEO unum millionem, & ducenta millia animarum? jam simili modo potest æstimare suam damnationem ob animas, quas perdidit unus scandalosus. O Xaveri admirabilis! quid quærebant tua itinera triginta trium millium milliarium? animas. Quid anhelabant tuæ navigationes per tot immensa maria periculorum? animas. Quid prætendebant tui labores, tua sitis, tua fames, tua nuditas, tuæ pœnitentiæ, tuæ lacrymæ, tuæ sanguineæ disciplinæ? animas pro DEO, animas; faciendo, & operando pro qualibet illarum unica id, quod posset fieri pro uno integro Regno. Contra quem arsit tuus zelus? contra scandala; contra quem se semper armavit tua ira? contra scandalosos; contra quos vibrabatur de cœlo ignis, & à tua Ecclesiastica authoritate fulmina excommunicationum? contra scandalosos; ubi se demonstravit tua pietas sagaciſſima? in reducendis scandalosis, dum faciebas, quòd tanti concubinarii publici abigebant modò duas, modò quatuor, & modò sex mulieres. In quo tua mansuetudo lucrata est optimos tractus? in abolendis à lusibus peccatis, & in convertendis

scan-

ſcandaloſis luſoribus; in quo tua Charitas cum maxima pompa triumphavit? in inſequendo per octies centena milliaria in mari certo ſcandaloſo, qui per octodecim annos non fuerat confeſſus, non quieviſti, uſquedum illum reduceres. *Si* itaque tanta eſt tua gloria ob lucrum tot, & tantarum animarum, in deſpectum ſcandali, quantus erit infernus ſcandaloſi ob tot, & tantas animas, quas facit perire? O Apoſtole ſumme, mitte radios tui ignis ſupra illos, quorum intereſt remediare ſcandalis, mitte ſcintillas de tua luce ſupra tantos ſcandaloſos, ut, facientes debitam æſtimationem illius, quantum valet una anima, auferant offendicula ruinæ, præbeant illis conſolationem, & juvamen boni exempli, ad lucrandum cum illorum lucro, non quidem tantum, quantum tu, aliquid ſaltem ex eo, quo tu jam frueris in immenſa gloria.

INSTRUCTIO XLII.

Quomodo, & quando obliget Præceptum dandi eleemoſynam, & de ejus glorioſis fructibus.

Die 8. Decembris, In Feſto Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

ANnus peſſimus eſt meſſis, ſed juxta generoſitatem animorum Neapolitanorum, ſpero in bonitate DEI futurum hunc annum ipſum optimæ meſſis eleemoſynarum; Et ſi ad divinandam ſuam ſeminationem obſervat agricola lunam; pro hac ſeminatione cæleſti (nam ità vocant ſcripturæ ratione ſuæ glorioſæ multiplicationis, eleemoſynam) hodie lunam pulcherrimam habemus ad punctum in conjunctione DEI, & in plenitudine gratiæ, quæ utrumque extremum connectit; quia dum unitur ad punctum in Maria totum cælum, in Maria habemus ſecuram omnem felicitatem. Itaque ad influxus hujus pulcherrimæ lunæ, quæ concipitur tota Eleemoſynatrix, habemus felix omen, victuram Neapolim ſterilitatem anni fæcunditate eleemoſynæ. Hanc elargiebantur, I.

bantur, quando ſteriles Joachim, & Anna referente Sancto Hieronymo, dividentes in tres partes ſuam ſubſtantiam, unam pro templo, alteram pro pauperibus, & tertiam pro ſe, diſtribuerunt; uſquedum cælum ultrà reſiſtendi impotens effectui tam pietoſæ violentiæ, deſcendiſſet Angelus: Joachim, dicit illi, ſcito tuas eleemoſynas perveniſſe in tantum ante thronum DEI, ut illinc deſcendam aſſecurare te de filia, quam conceptura eſt tua ſponſa: *Ego ſum Angelus Domini miſſus ad te, ut nuntiarem tibi eleemoſynas tuas aſcendiſſe in conſpectu Domini*; Sanctus Hieron. de Maria Virg. Concepta itaque erat Maria; & quid dicemus? quòd magna Mater DEI ſit filia ex toto eleemoſynæ, quòd hæc fuerit illa, quæ in deſpectum ſterilitatis, ditavit mundum in Maria theſauris omnibus cœli, & quòd Maria concipiatur in ſigno Eleemoſynatricis. Tantum pariter dicit Sanctus Ambroſius, illam quæ DEUM habebat ad ſuam manum, in manibus pauperum repoſuiſſe cum eleemoſynis ſuas Spes: *In prece pauperum Spem ſuam reponens.* Nunc itaque opportuniſſimo tempore nos monet Catechiſmus, intimando nobis eleemoſynam, & valde bene in puncto Conceptionis Mariæ nobis proponitur punctum hujus Doctrinæ, ſiquidem, ubi habuerint divites Mariam in ſua Conceptione pro exemplari Divino Eleemoſynariorum, non poterunt pauperibus denegare ſuccurſus; & dum habent pauperes hanc Virgunculam Divinam pro ſua Commatre, & Levatrice, non poterunt prævalere in conſpectu tantæ pietatis illorum miſeriæ.

II. Jam nunc, ultimus modus occidendi, dicit nobis Catechiſmus, eſt: *Non adjuvando graviter indigentem*; ſi ille præ fame pereat, & tu illi denegas alimentum, illum occidis, dicit Sanctus Ambroſius, *ſi non paviſti, fame occidiſti.* Si illi non das id, quod neceſſarium eſt pro vita, tu illi vitam aufers dicit Sanctus Auguſtinus in Pſal. 118. *Hoc eſt occidere hominem, vitæ ſuæ ſubſidia denegare*; Ità, ut divites habeant quaſi in burſa vitas pauperum. Oh, quæ fortunata ſors! oh quale infortunium! fortunata ſors, ſi illam conſervant, & lucrifaciunt, eſſe ſimilem DEO in dando vitam hominibus: ſed oh quale infortunium! ſi ob duritiam ſui cordis illis inferunt mortem, ſiquidem ex manibus illorum quæret DEUS rationem tot animarum, & tot vitarum. Exterminemus

mus itaque nos à nobis certam pernicioſiſſimam ignorantiam, quæ valde communis procedit: cogitant plurimi hoc, dare eleemoſynam, eſſe quid planè liberum, nec adeſſe aliquam obligationem, & quod ſolummodo, qui vult, & quando vult, illam dare poſſit; oh errorem tam cæcum! oh deceptionem tam lacrymabilem! datur præceptum Catholici, datur præceptum, legis naturalis, legis ſcriptæ, & Evangelicæ, quod obligat ſub peccato mortali, Sanctus Thom. 2. 2. q. 32. art. 5. Suar. D. 9. de char. ſec. 1. & omnes, & ſub pæna damnationis æternæ dandi eleemoſynam; hoc eſt de fide, & negare hoc eſſet hæreſis. Relinquendo Abrahamum, Loth, Jobum in lege naturali Eleemoſynarios. Etiam inter Romanos habebatur lex de eleemoſyna: L. fir. c. de annon. In lege ſcripta perſpicitur ex præcepto DEI cap. 15. Deuter. *Præcipio tibi, ut aperias manum Fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra: omninò indigens, & mendicus non erit inter vos.* Et in Evangelica, æterna damnatio pronuntiatur, & intimatur illi, qui non dat eleemoſynam: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere --- idcirco, diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 42.

Cùm igitur hoc Præceptum ſit affirmativum, quando ergo obligat? hìc eſt punctum, ego me pro poſſibili conſtringam: obligatio naſcitur ex abundantia unius, & ex neceſſitate alterius; intelligamus hoc priùs: una neceſſitas eſt extrema, quando aliquis omnino deſtitutus periclitatur de vita, ſi alii eidem non ſuccurrunt. Altera neceſſitas eſt gravis, quando, quantumvis non tantùm, attamen vivit vitam ità miſerabilem, ut ſit illi potiùs continuata mors, vel quando eſt in evidenti periculo cadendi de ſuo ſtatu aut gradu, in alium valdè abjectum, & miſerabilem. Altera neceſſitas eſt communis, quam ordinariè patiuntur mendici illi, qui de domo in domum mendicant. E contrario: poſſidet aliquis non ſolùm illud, quod ei ſufficit ad ſuſtentationem, & honeſtam vitam, ſed etiam habet ſumptus pro ornamentis, habet ſuam commoditatem, copiam ſervorum --- hoc eſt habere ſuperfluum quoad naturam, ſiquidem ſinè hoc poſſet vivere; ſed neceſſarium quoad ſtatum, quia per hoc conſervat æſtimationem, vel ſuum ſplendorem. Altera abundantia eſt major, quando quis non III.

ſolùm habet ſuperfluum in ſupellectile, in ornamentis, ſervis, commoditate, & pompa; ſed etiam ſuperfluum quoad ſtatum, quia habendo etiam, & tenendo hunc cum decore, conſervando ſuam æſtimationem, adhuc ſupereſt, & habet ſuperfluum.

IV. Nunc itaque (oh quàm hæc materia eſt ſpinoſa! attamen neceſſaria) ſi quis pauperum patitur neceſſitatem extremam, eſt dives obligatus ſub peccato mortali eidem ſuccurrere, & quomodo? tali modo, ità affirmat cum Sancto Thoma cit. art 5. communis majorum Theologorum, tali modo, ut ſi ad ſuccurrendum ei, neceſſe habet ſumendi de illo, quod ſuperfluum habet quoad naturam, debet de illo ſumere, etiamſi illi ſit neceſſarium quoad ſtatum; Volo dicere: quòd ſi neceſſarium ſit vendere aliquam ſupellectilem ex domo, vel moderari in alimentis, vel veſtitu ſuo, teneatur hoc facere ſub peccato mortali, quia præcedit vita proximi convenientiam, vel ſplendorem familiæ, & ſtatum divitis. Quomodo ſucceſſit Sancto Martino dividere ſuum proprium pallium cum paupere? quomodo Sanctæ Catharinæ Senenſi exuere tunicam, ac tandem ipſum induſium ad danda hæc mendico? quæ omnia iſta poſtmodum vidit in ipſiſſimo Chriſto repleta unionibus, & margaritis; & Sanctus Martinus vidit ſuum medium pallium in humeris Chriſti repletum ſplendoribus. Ille, de quo refert Damiani, lib. 1. Epiſt. 10. qui fuit rogatus à mendico, ut ſibi daretur ipſiſſima ſcutella una cum cibo, quæ ad menſam portabatur, dum illam curavit dari pauperi, evolavit pauper unà cum ſcutella per aërem ad cælum: Similia exempla contigerunt innumerabilia. Non habet itaque fidem ille, cui talis largitio rigoroſa videretur; non requiritur à nobis tantum, quantum fecerunt Sanctus Paulinus, & Serapion, qui diſtributis inter pauperes magnis divitiis, ità ut nihil ipſis remaneret, vendiderunt ſe ipſos in ſclavos, in commodum pauperum, non, non exigitur tantum; ſed ſi neceſſitas eſt extrema, erit peccatum mortale non ſuccurrendo illi, auferendo ab illo, quod nobis ſupereſt ad vitam.

V. Et ſi neceſſitas non eſt extrema, ſed gravis? Repeto dicere cum melioris notæ Theologis ad ſecuriùs procedendum in hac materia, in qua ſtat noſtra ſalus: ille, qui ſcit hanc neceſſitatem gra-

gravem, eſt obligatus ſub peccato mortali ei ſubvenire, non quidem cum illo, quod habet ſuperfluum pro natura, & neceſſarium pro ſtatu, & ſua conditione, non; ſed ex illo, quod haberet ſuperfluum pro ſtatu; volo dicere: ex illo, quod, poſt decentem conſervationem, & decorem ſuæ perſonæ, & familiæ adhuc ſupereſſet; quia ſi quis abundat, dicit Sanctus Joannes Epiſt. 1. c. 3. v. 17. & S. Auguſt. tract. 5. ibi, & videt alterum pati hanc neceſſitatem, & eidem non ſuccurrit, claudítque ſua viſcera ab eo: *Quomodo charitas DEI manet in eo?* Quomodo dicet ſe habere amorem DEI, & gratiam Divinam in ſua anima? Verùm eſt, quòd ad ſuccurrendum neceſſitati gravi proximi ſufficiat ei commodare pecuniam, vel vendere ei ad fidem ejus rem, per hoc ſatisfacis: ſed ſi non habet nec unde ſolvat, & tibi non eveniat grave damnum, quia non eſt tanta quantitas, quæ neceſſaria eſt ad ei ſuccurrendum, debes illi condonare. Oh ſi ceſſaretis diffidere DEO, Potentes! Certa paupercula Vidua, quæ præ lacrymis diſſolvebatur, rogavit illum Venerabilem Sacerdotem de Valentia, Simonem Moſſen, ut ſibi daret centum ſcuta pro maritanda ſua filia, cujus honeſtas periclitabatur, & ob defectum hujus ſummæ matrimonium diſſolvebatur; tactus nimio dolore fuit Sanctus Sacerdos, quia talem ſummam non habebat, & ſcindendo magnitudinis duorum digitorum chartulam, ſcripſit certo cuidam mercatori diviti hæc verba: Domine mi, per viſcera miſericordiæ DEI rogo Dominationem Veſtram, quatenus dare non gravetur huic Viduæ pauperculæ pro certa gravi neceſſitate, quam patitur, tantum de pecunia, quantum iſta ponderabit chartula; legit dives: quantum ponderabit? quid ergo hæc chartula ponderabit? ponit illam ad bilancem, cadit deorſum, incipit in alteram bilancem projicere pecunias, & nihilominus chartula non elevatur; continuavit adjicere, & ſic poſtquam centum ſcuta impoſuit: elevando ſe bilanx remanſit par in altitudine alteri; ſuccurrit neceſſitati, & divulgavit prodigium. Quid hoc fuit? gravitas neceſſitatis, ô divites! plùs ponderat in æſtimatione DEI, quàm veſtra ſuperflua pecunia.

Ità eſt, dicetis mihi; ſed ſi id debet fieri ex illo, quod ſupereſt, nihil eſt ſuperfluum in domo, omnia ſunt neceſſaria, VI.

videa-

videatur homo dives quomodocunque; nihil est superfluum? expectate, expectate; hæc enim propositio ipsissima invenitur jam justissimè damnata in Authoribus ùt scandalosa, ùt temeraria, est prohibita sub gravi pœna à Sanctissimo Patre Nostro Innocentio XI. inter propositiones damnatas numero duodecima, quæ sic sonat: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* Oppositum est verum in multis familiis dari superfluum, ex quo est ibi obligatio sub peccato mortali succurrendi in sua necessitate pauperi. Casus est: quòd non debeat æstimare pro necessario pro statu suo illud, quod servit ad vanitatem, ad avaritiam, vel pro ambitione ascendere ad altiorem dignitatem. Quanta ornamenta, quanta aulæa sunt in vestra domo, sinè quibus esset illa valde adhuc decens, & ornata? quanta vestimenta in cistis, quæ solummodo serviunt pro teredinibus? & illud quod plus est, quot sacculi qui mucore contracto, sunt sepulturæ pauperum? *Cave*, dicit vobis Sanctus Augustinus, *ne inter loculos tuos concludas salutem inopum, & tanquam tumulis, sepelias vitam pauperum;* in Psal. 118. Quantum non dispergitur in lusibus, in apparatu, & conventiculis profanis, & comessationibus? necessitates graves certè non desunt Neapoli, ego fateor, vos nullam habere necessitatem illas quærendi, nec de omnibus certiorari, sed transmisso hoc, non omnes tamen ignoratis; obligatio illis subveniendi de omni illo, quod vobis superfluum est, loquendo in meliori sententia Doctorum, & Sanctorum Patrum, est sub peccato mortali; in hoc consistit æterna salus. Ah Eleonora Austriaca Principissa insignis! (non enim volo vobis citare Episcopos, nec Anachoretas) Ah Eleonora! quæ omnia tua pretiosa, tuos uniones, margaritas, & adamantes vendidisti, in bonum pauperum, & vestita ex lana vestibus illis servivisti, tu illis cibos coxisti. Ah Elisabetha Hungariæ Regina prodigiosa, quæ, data pauperibus tota tua copiosissima dote, tu certas comedebas herbas, fila ducebas, suebas propriis tuis manibus, solummodò ut haberes, quod dare posses pauperibus. Ah Elisabetha Regina Portugalliæ admirabilis, quæ pro te omninò nihil reservasti, quia omnia inter pauperes distribuisti.

Atta-

Attamen, ſi jam neceſſitates nec ſunt extremæ, nec graves, ſed iſtæ ordinariæ, & communes mendicorum, extenditúrne etiam ad hos hoc Præceptum? Repeto, quod jam dixi, quòd ità; nam ſi omnes, & quilibet ex omnibus eſſent disobligati illis ſuccurrere, quis non videt tales infortunatos perituros? Verum eſt, quod negare ſimilibus quandoque ordinarias eleemoſynas, non eſſet peccatum, nec quidem veniale, ego hoc fateor; verumtamen ille, qui nunquam, nunquam dat tales eleemoſynas, affirmant docti Scriptores, verſatur in malo ſtatu; & ut verum fatear, Catholici, minæ terribiles ſacræ ſcripturæ, & Sanctorum Patrum contra illos, qui non dant eleemoſynam, non diſtinguunt neceſſitates, non dicunt, an pauper ſit illius, vel iſtius conditionis, hoc non diſtinguunt. Perpendite: mendicus erat Lazarus, erat mendicus: *erat quidam mendicus*, Luc. 16. v. 20. Et ſi modò ille dives conſuleret aliquem ex illis, qui dilatant conſcientias, forſitan illi diceret: tu non habes tantam obligationem; ille eſt mendicus, & quantumvis ſit plenus ulceribus, nihilominus habet pedes, & ſic poteſt adire alias domos, nam non es tu ſolus dives in hoc loco, dantur etiam alii præter te; & tali modo non eſt tanta illius neceſſitas, nec etiam tanta tua obligatio. Hoc forſitan illi tales Theologi dicerent; ſed quid dicit Evangelium? *Dives eſt ſepultus in inferno.* ibid. v. 22. Anima mea, dicebat ſibimetipſi ille alter dives, multam meſſem habemus, multa bona in annos plurimos; deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo, quæ nata ſunt mihi; quieſce, comede, bibe, epulare; O ſtulte, intonat illi vox de cælo, hac nocte tollent tibi vitam & videamus cujus hæc ſint, quæ congregas, & conſervas; *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Luc. 12. v. 20 Et qualiſnam fuit hujus divitis culpa, quòd tam terribilem acceperit ſententiam? Nunquid furabatur? Hoc non: forſan alios decepit, fraude circumvenit, aut aliis aliquid abſtulit? Hoc minùs; in quo itaque illius conſiſtebat culpa? audite hocipſum à S. Baſilio, orat. de Divite; & hoc pariter dicit S. Auguſtinus; ait itaque S. Baſilius: *Non memor fuit communis naturæ, non putavit oportere ſuperfluum in egenos diſtribuere, nullam præcepti habuit rationem;* Quia non meminerat, quòd debuiſſet ſecundùm præceptum diſtribue- VII.

re de illo, quod erat ei ſuperfluum, pauperibus, non dicit, illis, qui eſſent in gravi neceſſitate, vel extrema, pauperibus, dicit: pauperibus. Ità eveniet illi, concludit noſter Redemptor, qui pro ſe reſervaverit, & non erit in DEUM dives; *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in DEUM dives.* Luc. 12. v. 21. Non congelatur vobis ſanguis in venis audiendo iſtam finalem ſententiam? dicet ſolummodo Dominus: Eſuriv', & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere. O divites vultisne vivere ſinè ſcrupulis? date itaque ſemper, nam hoc vobis conſulit Chriſtus JESUS apud Sanctum Lucam cap. 6. v. 30. *Omni petenti te, tribue.*

VIII. Et multò magis in occaſione, quam nunc experimur, in qua penuria affligit etiam illos, qui ſuperfluum habent, qualiter non affliget pauperes? & quantæ, quæ erant neceſſitates ordinariæ, tranſibunt modò in neceſſitates graves, & etiam extremas? Computus eſt clarus; omnes dicunt, hodie non ſufficere illis panem pro octo juliis pro ſua domo, ubi priùs pro quatuor ſufficiebat juliis. Jam itaque pauper, vel miſera mulier, quæ hucuſque labore manuum ſuarum lucrabatur duos vel quatuor bajocos, ſuſtentabat ſe parcè cum ſuis filiis, ſi pro nunc, cùm labor ejus pluris non æſtimetur, tanto pluris conſtet alimentum, & ſi pro nunc opus habet duobus ſcutis, qui non ſufficiunt pro illo, quod antea comparabat quatuor juliis, videtis jam hic neceſſitatem gravem, & videtis hic neceſſitatem extremam; *tempore præſenti*; videtur locutus fuiſſe Sanctus Paulus de hoc tempore: *veſtra abundantia illorum ſuppleat inopiam;* 2. ad Cor. 8. v. 14. Eja ergo, nunc eſt tempus ô corda nobilia ſuccurrendi veſtris fratribus, adjuvandi pauperculos; in nomine DEI vos rogo, per viſcera JESU Chriſti vobis ſupplico, & promitto vobis in nomine DEI, quòd totum, quidquid dederitis, vobis duplicabitur; vos aſſecuro, ſpuite mihi in faciem, ſi ſic res non evenerit; teſtimoniô omnium Divinarum Scripturarum me vobis obligo, & hypotheco in ſolutionem omnes theſauros DEI. Ipſemet DEUS eſt meus ſponſor, omnia ejus oracula hoc authorizant, omnia miracula hiſtoriarum me aſſecurant. Quis unquam pauper effectus eſt dando eleemoſynam? date mihi in hoc caſu vel unicum, &

ego

ego vobis opponam innumerabiles, qui per eleemosynas impleverunt felicitate domos suas, augmentis capitalia, splendore suas familias, & benedictionibus DEI animas, & suas cognationes, & progenies. *Sperabatis naves pro vestris impensis: non venerunt*; jam quid est hoc? DEUS vult, ut faciatis cum sua Majestate in suis pauperibus impensas, & ille vos assecurat de lucro: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*, Prov. 19. v. 17. In hanc veritatem conspirant omnes Scripturæ, huic veritati acclamant omnes *Sancti Patres: creditisne, quòd hoc sit verbum DEI?* esset hæresis de hoc dubitare; in quo itaque poteritis vos opponere? quòd forsan non poterit adimplere id, quod promisit? hoc esset negare suam omnipotentiam; quòd non velit adimplere? hoc esset DEUM habere pro deceptore; quòd solummodo hoc faciat per miraculum? miraculum esset, si non faceret. Probate itaque, probate, nam ipsemet DEUS hoc vobis ità dicit apud Malachiam cap. 3. v. 10. *Probate me super hoc*, & videbitis, an vos non sim impleturus benedictionibus, *si non effudero vobis benedictionem*; & Domine, quantas nobis effundes? ah tantas, & tantas, *usque ad abundantiam.*

IX. Convertite oculos ad historias, & videbitis in Theodoreto hist. part. 1. p. 40. quòd certus Maesima Syrus habens tempore penuriæ in duobus vasis oleum, & farinam, ad distribuendum pauperibus, distribuendo innumerabilibus, semper tamen vasa remanserint plena. Videbitis in Cantipratano, certam mulierem maritatam tempore famis, cùm illi maritus assignâsset determinatam portionem farinæ pro pauperibus, ubi hæc tota distributa fuisset, & pavimentum jam scopis mundatum, semper quoties veniebat novus pauper, toties invenisse novam farinam. Videbitis in Cæsario lib. 4. mir. illustr. c. 9. certum Abbatem mandâsse, ut, ob magnam annonæ caritatem, pinserentur panes parvi pro pauperibus, & videndo nihilominus magnos, invenisse, & expertum fuisse, panes parvos in furnum missos, ex eo triplo majores prodisse. O Magne DEUS, & quanta sunt hæc prodigia! Sed è contrario legite in Turonensi, & invenietis, quòd certæ mulieri Tarasiæ dictæ, neganti cuidam pauperi panem, illo ipso momento submersa fuerit navis plena frumentô, quod illi adveheba-

hebatur. Legite Metaphraſtem, & invenietis, quòd certo Mercatori, Fauſtino dicto, naufragium paſſæ ſint undecim naves mercibus repletæ eâ ipſiſſimâ horâ, quâ ille negabat certis mendicis alimoniam. Legite in Del Rio t. 2. l. 3. c. 9. & videbitis, quòd cuidam alteri nomine Ceguero, devoraverint in granario omne ſuum frumentum dæmones in forma certorum nigrorum borum, acſi fuiſſet ſcopis mundatum, & purgatum; eò quòd tempore penuriæ illud clauſum habuerit, nec in minimo pauperibus ſuccurrere voluerit. Legite Sophronium Prat. Spirit. & invenietis, quòd in certo Monaſterio, quia ceſsârunt tempore penuriæ illi Religioſi facere eleemoſynam, quam alias ſolebant diſtribuere, dum ad granarium, ubi repoſitum erat frumentum, accurriſſent, invenerint omne frumentum pullulans, & excretum in herbam. Eh! millena, & millena prodigia de hac materia loquuntur.

X. Nemo ſe mihi excuſet dicendo, habeo alias obligationes, habeo proles; hac ipſiſſima de cauſa debetis facere majores, & plures eleemoſynas, ſi cupitis illis aſſecurare hæreditatem; ego hoc non dico, ſed ipſemet DEUS apud Eccleſiaſticum cap. 44. v. 10. & 11. *Viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona; hæreditas ſancta nepotes eorum.* Dicebat quidam Parenti Sancti Caroli Borromæi, quatenus conſtringeret manum in eleemoſynis elargiendis, ex eo, quòd haberet filios, & reſpondit ille ùt magnus, & perfectus Chriſtianus: Si ego curam gero filiorum DEI, quomodo DEUS non habebit curam de meis filiis? ità eventus monſtravit. Pro coronide flotta de cælo venit in noſtrum portum: iſta eſt MARIA; *Facta eſt quaſi navis Inſitoris.* Prov. c. 31. v. 14. Et quid nobis apportat? Panem; hoc eſt illud, quo maximè indigemus; *De longè portans panem ſuum*; panem, ut comedant pauperes, hunc debetis diſtribuere in nomine MARIÆ; & quis poterit negare illum huic Dominæ, per cujus manus nobis omnia veniunt? quæ eſt unicum noſtrum ſolamen, & refugium.

XI. Pervenerat ad extremum mortis magnus quidam Eleemoſynarius, & devotus erga MARIAM Sanctiſſimam, ùt refert Leontius in vita Sancti Joannis Eleemoſynarii, in Civitate Alexandrina, & vocatô ſuô filiô, quem habebat, fili mi, dixit illi: mors mea jam

jam appropinquat, & ego tibi fateor, quòd omnium mearum divitiarum, quaſcunque habeo, tu ſis Dominus: Verùm tibi notifico, certiſſimam me habere experientiam, illas mihi eſſe à DEO datas ratione eleemoſynarum, quas ſemper pauperibus diſtribui. Nunc itaque tibi propono, quid eligas; Vide, an velis omnes meas divitias, has enim tibi omnes paratus ſum relinquere; Vel an non, ſed ut omnes diſtribuantur in pauperes; ego tibi conſtituam pro tua Tutrice, & Matre MARIAM Sanctiſſimam; in hoc ultimo te ut plurimùm aſſecuro de tua fortuna, in illo primo nullatenus audeo, aut præſumo te aſſecurare; vide itaque nunc, quid eligas. Oh quæ propoſitio pro Adoleſcentulo, cujus ætas ſolet ſolummodo præſentia reſpicere; ſed ille quàm generoſiſſimè reſpondit; Tantummodo MARIA Sanctiſſima mea ſit Tutrix, condeſcendo Domine ab hac ipſiſſima hora, in diſtributionem totius paternæ ſubſtantiæ in pauperes. Ex nunc ego te aſſecuro fili, reſpondit Pater: quòd nunquam te pœnitebit hujus tuæ determinationis; fuit itaque ſubſtantia tota inter pauperes diviſa. Bonus Pater mortuus eſt, & filius, jam pauperculus, non habuit aliud ſolamen, & conſolationem, quàm accedere quavis die ad Eccleſiam ad reconveniendam ſuam Matrem, & Tutricem, ad poſtulandum ab ea ſuum patrocinium. Non diſtulit illa hoc præſtare per longum tempus, nam ubi res ad notitiam Patriarchæ Alexandrini deveniſſet, quam Juvenis ille fecerat, illô vocatô, adoptavit eundem in ſuum Nepotem, dedit illi ſubitò magnum Palatium ditiſſimè exornatum, auxit illum tantis poſſeſſionibus, ut in brevi ſe viderit duplicatè ditiorem præ illo, quod remanſiſſet in ſua hæreditate, & honoratiorem; in quo ſtatu vixit fruendo ſuâ vitâ, & ſuâ ſubſtantiâ, multis exornatus ſanctis moribus, & virtutibus.

Ità gerit curam MARIA Sanctiſſima ſuorum pupillorum: XII.
ità attendit DEUS filiis Eleemoſynarum. Itaque, ô MARIA! in tuis manibus Domina debemus deponere noſtras eleemoſynas, ut, in illis duplicato valore, ex ſterilitate temporum percipiamus fructum immenſi lucri in æternitate gloriæ.

INSTRUCTIO XLIII.

De abominabili turpitudine Luxuriæ; & de damnis, ac periculis graviſſimis malarum cogitationum, & deſideriorum laſcivorum.

Sextum, & Nonum Præceptum.

Non mœchaberis.
Non concupiſces uxorem Proximi tui.

I. PRo materia, quæ ſequitur, fulminibus nobis opus eſſet, non verbis, quæ liquefaciendo ſuo igne nigerrimam picem inferni, nam talis eſt luxuria; quæ exterminando ſua luce denſiſſimas tenebras abyſſi, nam iſtæ ſunt laſcivia; & quæ diſpellendo ſuo ſplendore tenebroſiſſimum fumum, aſcendentem ex fornace æterna, nam iſtum elevat impudicitia; nec contaminarent priùs labia religioſa, nec offenderent aures puras. Sed cùm ſimilia non habeam fulmina, ſolummodò ex oppoſito, poſſem ego me explicare linguâ ex carbonibus confectâ. Evenit mihi in explicatione ſexti præcepti, quod nobis hodie ſequitur exponendum, id ipſum, quod illic quondam acciderat Architæ, celebri Mathematico Tarantino, & Oratori; declamabat hic ſemel in publico, & volens referre neſcio quid, neceſſarium illi fuit ad hoc referendum quoddam verbum minùs honeſtum; vidit ſe anguſtiatum; omittere hoc verbum, erat defectus: proferre, judicavit, & bene, erat maculare ſua labia; Ad quid ſe reſolvit? Arripuit pro lingua carbonem, ùt inſtrumentum aptiſſimum pro materiis igneis, & illô, non tam ſcribens, quàm delens, plùs inſinuavit per obliteraturas, quàm declaravit per literas in pariete; omnes facilè rem ceperunt, & ille ſe ex ſua intricatione juvit. Itaque intelligite Laſcivi pro veſtro carbone, veſtrum ignem, quòd cancellaturas tam turpes meliùs explicet titio, declarando per illud ipſum, quod delet, maculam infamem, quam publicat. Date mihi totum veſtrum carbonem ad meam manum, per illum vobis

nunc

nunc explicabo, quàm ſit funeſtus veſter ignis, & vobis depingam per nigras umbras illud, quod vos tam funeſtè privat tanta luce. Vel ſaltem mihi date ad manum penicillum certi Organæ Pictoris famoſiſſimi, qui ut poſſet copiare, & ad vivum exprimere caput Meduſæ, recollegit omne turpiſſimum, omne monſtruoſiſſimum, omne horribiliſſimum, quod invenit in feriſſimis, turpiſſimis, & maximam nauſeam cauſantibus brutis, & his omnibus in unum vultum compoſitis effigiem Meduſæ efformavit; qua de cauſa omnes in fugam vertebantur, terrefacti, quotquot illam faciem aſpiciebant. Meliùs ego applicarem hunc penicillum in effigianda Luxuria: ponerem ipſi pro capillis contortas viperas, pro fronte illam alicujus capræ, pro oculis illos ſerpentis venenoſiſſimi, pro auribus illas ex aſino, pro naribus illas ex ſimia, pro ore, os draconis, pro dentibus, dentes crocodili, collum cameli, pro pectore illud ſubtiliſſimum lyncis, pro ventre, porci ventrem, manus urſinas, pro pedibus, pedes equinos, pro cauda autem, caudam ſerpentis; ponerem illi maculas tygris, & leonis flatum fœtidum; eſt tota figura dæmonis, & de homine nihil habet, cùm totus iſte homo ſit pro luxuria.

II. Quærit Ariſtoteles Problem. 1. 10. qua de cauſa ſit Lybia tam abundans maximè feris, & horribilibus monſtris? & dat hujus rei iſtam rationem: quia cùm ſit illa terra ardentiſſima, deeſt ipſi aqua, & ideò concurrentibus ſpeciebus omnium beſtiarum ad paucas illas aquas, quas inveniunt, ex collectione, & accurſu contingit commixtio, & ex commixtione terribiles monſtruoſitates. Ità pariter ſuccedit in ardoribus infernalibus Luxuriæ; & ideò debent diſtingui in confeſſionali, exprimendo ſuum proprium ſtatum, & complicis, illa horribilia monſtra, quæ exinde reſultant: quia ſi eſt uxoratus vel maritata, eſt adulterium; ſi cognatus, eſt inceſtus; ſi cum voto caſtitatis, ſacrilegium; ſi vir cum viro, ſodomia; ſi cum bruto, beſtialitas. O quot monſtra! ſufficit hoc, ſufficit, relinquendo iſta omnia pro confeſſionali, circumſpectè nos vocat Catechiſmus: *De ſexto Præcepto te interrogo: Quis eſt, qui illud integrè obſervat? qui eſt caſtus in verbis, operibus, cogitationibus.* Videtur, ac ſi per hoc nihil explicaret, & tamen omnia dicit; Attendite: Linguæ ſunt cæli, & prædicatrices

trices ſtellæ, & quamvis non diſpellant noctu mundi tenebras, ſufficienter inſinuant illas, quando tacitè monſtrant cælum tam purum, tam reſplendens, tam pulchrum, tam gratioſum, dum mundus eſt involutus in ſuis tenebris, in ſuis mæſtis horroribus; nam monſtrando illam puram claritatem, ſufficienter iſtas explicant tenebras. Qui caſtus eſt in verbis, operibus, & cogitationibus, talis eſt cælum pulcherrimum pro DEO; & qui nec in verbis, nec in operibus, nec in cogitationibus caſtus eſt, talis eſt nox melancholica, in qua ſpatiantur omnes beſtiæ infernales: *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ.* Pſal. 103. Nolite itaque plùs quærere à Catechiſmo, qui ad ſufficientiam loquitur; Nihilominus in cogitationibus, quæ ſunt magis obviæ, & ſubjectæ deceptioni, continetur aliquantum plùs, & ego me explicabo pro majori commoditate: *Peccátne quis in malis cogitationibus, qui procurat, & conatur illas abjicere? imò meretur, ſi per hoc tollat occaſiones; Quis itaque eſt, qui peccat in malis cogitationibus? qui ſibi proponit illas exequi, vel voluntariè in illis delectatur.*

III. Commorantur inter nos in humanis corporibus certæ animæ ità beſtiales, ut, volutantes ſe continuò in fœtidiſſimo luto, nec tamen ſentiant, nec cognoſcant ſuum peſſimum odorem. Volo dicere: illas hærere in errore tam perverſo, ut eſt ſibi perſuadere, modò non exequantur in opere turpitudinem, modò non perveniat ad executionem peccatum, eas non peccare cogitationibus, deſideriis, intentionibus, & etiam exterioribus diligentiis. O animæ infortunatæ! continent intra cor ſuum theatrum, in quo tota die, & nocte conſiſtunt cogitationes revolvendo infames voluptates; ardent deſideriis, recogitant veſtigia, quærunt occaſiones, procedunt obviam, vel accedunt domum; & quia non ſequitur effectus, videtur illis, quòd non ſint prolapſi in peccatum; & ſimilia proſequuntur practicare, & nec quidem confitentur. Inter ſimiles poſſumus numerare certas Virgines in corpore, & in anima pejores meretricibus, quæ damnantur: pejores concubinis cum ſuis, quas illæ vocant, confidentiis, committentes in his graviſſima peccata mortalia. Oh! dicunt, una confidentia, eſt pro bono. Pro bono? & quid cogitationes? & deſideria? & verba? & literæ amatoriæ? & etiam ipſæ actiones?

ô ani-

ô animas infortunatas! ô animas jumentorum! si tradidistis Diabolo cor, quid plùs vultis esse quàm mortuæ? Datur certa species accipitrum, *dicit Olaus Magnus*, qui captâ aliquâ miserabili avicu â, illi solummodo devorant, vel cor, vel caput, & reliquum corpusculum abjiciunt; ego quæro, cùm ipsi relinquatur corpus integrum, remanétne viva avicula extracto corde? itaque si hoc ipsum tecum facit Diabolus solummodo per unicum turpe desiderium, solummodo per unicam cogitationem, cui consensisti, quid aliud obest inimico, quantumvis opere hoc ipsum non exequaris, quin jam sis suus? non monstrat se vipera, abscondita est intra viscera materna; attamen illic intùs illa rodit viscera, dilacerat, & Matrem occidit, rumpendo illam ipsam, quæ ei dedit esse. Nunc fide tu anima decepta, quòd hæc viperula hujus tuæ cogitationis, cui consensisti, non prodierit in opus, hæc enim cogitatio sola est sufficiens ad auferendam vitam tuæ animæ: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, dicit nobis noster Redemptor apud Sanctum Matthæum cap. 5. v. 28. *Jam mœchatus est eam in corde suo.* Sufficit contemplari, si desiderium ei adjungatur, ut anima damnetur: in unico aperire, & claudere oculos, laborat cogitatio, cui consensus accessit, mortem animæ; quòd si pœnitentiâ, & confessione non lavetur cogitatio unius instantis, erit solvenda pœnâ æternâ. Quid cogitatis, quid fecerit de tot, & tantis Angelis tot dæmones? una cogitatio, cui consenserunt; hæc fuit illorum peccatum, & ratione unius cogitationis erit æterna eorum fœditas, ùt dæmonum.

Sed quid est consentire alicui cogitationi? Scio, certis animabus, quia sunt scrupulosæ, videri, quòd omnibus consentiant cogitationibus; & aliis, quia sunt dissolutæ, videtur, quòd nulli consentiant. Primum solet esse, oh quàm terribile tormentum boni alicujus spiritûs! Secundum est lacrymabilis damnatio multarum animarum. Itaque intelligamus hoc bene, & supponite, quòd voluntas sit sicut Domina, & sicut illa, quæ imperat, est illa, quæ facit: vel ut nostra opera sint meritoria, vel ut sint demeritoria, & sint peccata, *voluntas est, qua peccatur, & rectè vivitur*, dicit Magnus Augustinus lib. 1. retract. c. 9. Fugit aliquis Capitaneus ex pugna; oh nihil aliud est quàm suus equus IV.

illud, quod currit: ità eſt; ſed quia Capitaneus eſt ille, qui equum gubernat, ei attribuitur pudor fugæ. Pariter appetitus eſt equus, in quo voluntas equitat, ſed cùm illa ſit, quæ hunc ducit, etiam illa eſt, quæ facit culpam; *Voluntas eſt, qua peccatur.* Jam itaque nunc explico, quid ſit conſentire alicui cogitationi, per exemplum, quo hoc ipſum explicat ipſemet S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 12. In noſtram ruinam tres intervenerunt in Paradiſo, ſerpens, Eva, & Adamus; ſerpens, qui proponit inobedientiam ad comedendum ex illa arbore; Eva, quæ aſpiciendo fructum arboris, quia ei videbatur bonus, propoſuit illum Adamo; & Adamus, qui bene cognoſcendo ſuam obligationem, nihilominus ſinit ſe trahi à ſuo appetitu, & nos perdit. Idcirco ſi Adam non conſenſiſſet, quantumvis Evæ fructus viſus fuiſſet bonus, diabolus non fuiſſet lucratus noſtram ruinam. Jam eſtote attenti, hoc ipſiſſimum procedit in quolibet, dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 18. a. 5. Advenit repræſentatio turpis, hæc eſt ſuggeſtio dæmonis, iſte eſt ſerpens, qui proponit; appetitus videt, & placet illi id, quod eidem repræſentatur, & immediatè illud proponit voluntati: iſte appetitus eſt Eva; hic eſt cardo rei: quia vel voluntas pro tunc illam informante intellectu de malo (nam ſi non advertit malum, ſi eſt ex integro diſtracta, prout ſæpiùs ſuccedit abſque advertentia malitiæ, quantumvis ſe detineat in hoc, non eſt culpa) idcirco illud advertit; vel amplectitur id voluntas, quod illi proponit appetitus, vel non amplectitur; ſed eo ipſo momento illud excutit, elongat, & abjicit. Volo dicere: vel ſe detinet cum complacentia, cum delectatione recogitando illud (nam iſta dicitur delectatio moroſa) & jam abhinc incipit eſſe peccatum mortale; vel tranſit in deſiderium illius, vel in propoſitum illud exequendi, & eſt peccatum mortale, qua icunque modo id fiat; vel non, ſed illo ipſo momento id abigit, & ſic, quantumvis illi duret iſta turpis repræſentatio uno integro die, vel etiam unô annô, ſi ſemper voluntas ei repugnet, hic in tali caſu longè abeſt culpa, imò meretur ſemper magnam gloriam. Oh, quæ pugna, oh quæ lucta, in qua DEO ſibi complacente purificatur anima!

O Ani-

V. O Animæ puræ, eſtote *bonô animô*, *in hac enim pugna* conſiſtit veſtra corona; hoc fuit conflatorium, & caminus, *in* quo DEUS excoxit aurum meritorium *in animabus* ſibi dilectiſſimis; hâc tranſierunt Catharinæ, Gertrudes, Roſæ --- Oh quàm iſtæ repræſentationes ſunt immundiſſimæ! ab illis ipſis, reſiſtendo eis, evadetis puriores; nunquam vidiſtis vas argenteum totum, totum *lixio cinere* coopertum, & tam *immundum? ecce hoc fit*, ut fiat ſplendidius, & pulchrius. Oh ſed ſunt nimium violentæ! facietis, reſiſtendo illis, viam, dum illis uſi fueritis ſicut bonus gubernator navis uti ſolet vento contrario. Oh quàm ſunt multùm importunæ, & adhærentes ſimiles cogitationes! *illæ* vos tantò meliùs perficient, quantò plùs vos eis reſiſtetis; Videte concham aut ſcutellam argenteam, quam totam accommodat ſupra *nigram* picem aurifaber, & quare hoc? ut ad ictus mallei elaboretur, & ſumat proportionem, quæ poſtmodum in repoſitorio oculos ad ſe trahat. Oh! ſed ſunt valde continuæ iſtæ ſuggeſtiones! Currite, & diſcurrite cum voluntate fugiendo illas; Fluvius Tanais, *quantumvis plurima nix in illum cadat*, *nunquam* congelatur, quia tam velociter currit, ut non tempus *aquis* ſit ſe contrahendi. Oh ſed ſunt plurimæ iſtæ tentationes! *ità dicebat* Sancta Brigitta Domino, dum illas patiebatur, ùt refert Bloſius in Monili cap. 4. & ſua Majeſtas illi reſpondit: eſt juſtitia, filia mea, ut *ſicut delectabaris* tu antea in vanitatibus mundi contra meam *voluntatem*; *ità tibi* ſint nunc moleſtæ, & te affligentes iſtæ cogitationes contra tuam. Jam itaque anima, recurre ad DEUM cum majori fervore, diffide tibi cum majori humilitate, fuge majori ſolicitudine pericula; arma te majori anticipatione contra occaſiones, & conjunge te DEO, qui tibi dat triumphum; *nam quantumvis* diu durent iſtæ cogitationes, ſi voluntas illas non amplectatur, *non eſt hoc illis conſentire.*

VI. Idcirco è contrario intelligite me, *animæ rudes*, *animæ* perditæ, infantes percipite me: unicum ſolum inſtans ſufficiens eſt ad conſentiendum cogitationi, unicum ſolum momentum; quid ſit, & quæ vocetur delectatio moroſa, explicat vobis Sanctus Thomas 2. 2. q. 74. a. 6. ad 3. *non eſt*, quòd pro illa opus ſit longitudine, vel tempore, *non ex mora temporis*, ſed quia vo-

luntas, quæ debuit eam ipſo inſtanti rejicere, ſe detinet in illa guſtuosè, etiamſi id fiat breviſſimo ſpatio. Ideò, oh quæ ſerenitas tam infamis illa, quæ habet, ignorantiam, vel turpitudinem; Pater, habui malas cogitationes; conſenſiſtíne illis? Non, quia non habeo intentionem illas exequendi; etiamſi non habeas iſtam intentionem, ſi delectatus es in eis voluntariè, eſt peccatum mortale. Non conſenſi illis, dicit alia perſona, quia citiſſimè tranſierunt; ſi hic tranſitus fuit poſtmodum, quando jam tu voluntariè in illis delectatus fuiſti, fuit peccatum mortale. Ah quomodo recogito, verificari in multis dictum illius Sancti Senis: interrogavit illum quidam, quid cauſæ erit, Pater, quòd ego non ſentiam in mea anima illas pugnas, & certamina, de quibus audio loqui alios, quòd illa ſentiant? & reſpondit illi ſecundùm illud, quod ab ipſo fieri videbat, Sanctus Senex: hoc ideò fit, quia tu es ſicut quædam magna porta alicujus magnæ domûs, vel ſicut porta alicujus domûs communis, ad quam intrat, qui vult, & exit, qui vult, abſque eo, quòd alter ſciat illud, quod fit in propria domo; ità tu, habes nimis largam conſcientiam, exiguam cuſtodiam cordis, exiguam circumſpectionem, & cuſtodiam tuorum ſenſuum: & ſic licet intret illud, quod intrat, tu nihil ſentis. Miſerum te ſi tu haberes portam occluſam pro cogitationibus, tunc experireris certamen, quod tibi faceret volendo intrare. Si porta ſit occluſa, qui vult intrare, pulſat; at ſi aperta maneat, intrat qui vult ſinè omni pulſu. Oh infelices animæ illæ, quibus nec quidem unicum ictum dant abſurdiſſimæ, & turpiſſimæ cogitationes.

VII. Anima viſne ſalvari? lava itaque tuum cor, inclamat tibi Jeremias Propheta, lava cor tuum à malitia: *Lava à malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias.* Jer. 4. v. 14. Et quænam eſt iſta malitia cordis? iſtæ cogitationes ſunt, in quibus te detines: *Uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Duas proprietates habent malæ cogitationes, per quas damnatæ ſunt innumerabiles animæ: *Nonnunquam*, dicit Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. de Pœnitentia, & Confeſſione, *animam graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ manifeſtè admittuntur*; faciunt graviſſimum vulnus in anima durante vita, & ſunt periculoſiſſimæ in mortis

tis hora; Audite: peccata operis, vel jam aliquod offendiculum, vel aliqua difficultas, vel hic, vel ille aliquis reſpectus vel illa differt, vel illa irrita facit: verùm cogitatio oh DEUS! in unico inſtanti volat, & in unico inſtanti conſentitur; & quid exinde ſequitur? Hoc, quòd miſerabilis anima præcipitando ſe committat intra unum diem viginti, vel etiam triginta peccata mortalia cogitatione, quæ non poſſet committere opere; & in decurſu unius hebdomadæ quot, & quanta? & quanta intra unum menſem? Oh quis cumulus, quis acervus peccatorum mortalium! una paupercula anima, quam retinet vel pudor, vel difficultas, externè ſinè minimo ſigno demonſtrat ſe valde ſerenam, & valde alacrem, & internè ardent ſinè intermiſſione cogitationes! Neſcio quid mihi perſuadere debeam de ejus lacrymabili ſtatu; In febribus malignis, dicit Princeps Medicorum Hypocrates lib. 4. Aph. 48. *Si exteriora frigent, interiora calent cum ſiti, lethale.* Ità pariter dicam infortunato illi, qui ſimiliter ſiti ſuorum turpiſſimorum deſideriorum ardet interiùs propter ſuas cogitationes: laboras febre maligna, & abſcondita. Et talis febris ut maligna occidit, & ùt abſcondita, remanet ſinè remedio. Non eſt, qui illum corrigat, nec datur, qui ei conſilium det; & talis ſuum morbum proſequitur. Et quid tandem erit, quando tali animæ habituatæ conſenſus præbere cogitationibus, mortis hora appropinquaverit? Hoc punctum eſt valde terrificum; ſcimus ex Divinis Scripturis, & ex dictis Sanctorum, quòd in hora mortis vel maxſmè ſuas vires exerat dæmon, omnes ſuas oppugnationes, omnes ſuas tentationes. Dicite mihi nunc, in quo vos tentabit diabolus in illo tranſitu terribili? non quoad verba mala, quia jam non poteritis loqui; non quoad opera mala, quia jam nec vos poteritis movere: reſtat itaque illum totam ſuam vim, & impugnationem repoſiturum in cogitationibus, & ſi eſtis habituati ad conſentiendum illis, quomodo pro tunc reſiſtetis duplicatis, imò multiplicatis oppugnationibus, ubi tantò minores vires vobis ſupererunt? Quomodo pugnabitis, ſi nunquam didiciſtis regere iſta arma?

Refert P. Chriſtophorus Vega ex Societate noſtra Caſ. Rar. VIII. P. 2. c. 3. certum hominem, qui poſtquam vixiſſet ſcandalosè ùt

concubinarius, tenendo intra ſuam domum concubinam, nec quidem voluiſſe dimittere illam, quando jam in proximo erat dimittendi animam; paucas jam vitæ horas illi tribuebant, & ille adhuc nolebat ſe reſolvere ad repellendam à ſe juvenculam. Ità videmus ſuccedere ah quàm ſæpè! habebat ille bonos amicos, & ſe tales demonſtrârunt erga illum, expellendo quaſi per vim mulierem è domo, & advocaverunt Confeſſarium jam ad moribundum, qui ſe jam æternæ tradebat damnationi; attamen Confeſſarius allocutus illum fuit cum tanto ſpiritu, & efficacia, ut convictus rationibus Confeſſarii ruperit obduratum cor ſuum in lacrymas, & valde dolens confeſſus fuerit omnia ſua peccata ſinè ceſſatione ſuorum ſingultuum; contulit ei abſolutionem Confeſſarius, & receſſit valdè conſolatus, & tantò plùs, cùm eum domum redeuntem aſſecuti ſint nuntii referentes jam infirmum eſſe mortuum; Gratias egit DEO pro tam bona diſpoſitione, quam in defuncto viderat. Sequenti manè contulit ſe ad celebrandam Miſſam pro anima defuncti; nullus aderat in Sacriſtia, & ille cœpit ſe Sacris Indumentis veſtire, expectans uſquedum adjutor adveniſſet; attamen imponendo ſibi amictum advertit retrò ſibi illum ad terram detrahi; repetit induitionem, nullum videt, proſequitur non ſinè horrore, & ad omnia veſtimenta advertebat ſe impediri, neſcio à qua vi occulta. Jam indutus, & ſtans ante calicem, hic autem fuit illi raptus ex oculis; hìc ille plenus horrore, vertit ſe, & neminem videt; audit tamen funeſtiſſimos gemitus: Quis es tu, interrogat, & quid petis? & ecce objicit ſe ejus oculis terribilis umbra: Quid intendis, dixit illi: Sacerdos DEI? Volo dicere, reſpondit, Miſſam pro homine defuncto, qui nocte præterita mortuus eſt; ecce ego ſum ille, noli illam dicere, quia ſum ſinè omni remedio damnatus; Et quomodo? nunquid confeſſus es? nunquid tuas culpas defleviſti? omnia iſta vera ſunt; Sed ſcito, quòd, poſtquam à me abiviſti, & jam anxietates mortis me arripuiſſent, diabolus mihi in cogitatione repræſentaverit: Quomodo obliviſceris tuæ amaſiæ? & ego; oh utinam nunquam illam noviſſem; inſtitit diabolus reponendo: Ecce nunc illa vivit in mari lacrymarum, & tu illius obliviſceris? quid ego nunc lucri habeo, reſpondi, quòd illam amaverim? Oh

utinam

utinam illam nunquam vidiſſem! hoc tu ideò facis, repoſuit malignus, quia cogitas te nunc moriturum; Verumtamen ſi ſanatus fueris, & diutiùs vixeris, habebísne tam durum cor, ut hanc pauperculam derelinquas? Ego ad hoc reſpondi: Si vixero, rebo ſecunda vice in ejus amicitiam; & hoc dicendo exſpiravi; & iſta ſola cogitatio delevit meam pœnitentiam, tenebítque me per omnem æternitatem damnatum.

Animæ, ah animæ æreæ eſtis, ſi non contremiſcitis ad hunc eventum! Conſiderate vos in illo tranſitu, & attendite ſecundùm veſtrum præſentem ſtatum, an ſuperaretis in ſimili agonia. Eſtote igitur alacres ad reſiſtendum, præparando vos ad vincendum, aſſuefacite manum ad arma, ut poſſitis in illo puncto aſſequi victoriam; nam hìc conſiſtit in unica cogitatione, vel æterna damnatio, vel æterna gloria. IX.

INSTRUCTIO XLIV.

De Occaſione proxima peccandi, qualiter illam fugere debeamus, & de ejus imponderabilibus Damnis.

OCcaſio, ſolet dici, quòd faciat furem, & ego non video, cur debeat dici, quòd ſolum furem; Nam, ſi occaſio facit inhoneſtum, impudicum, ſi occaſio facit vindicativum, ſi occaſio facit perjurum, ſi occaſio facit maledicum, & ſi tandem occaſio facit adulterum, & ſi occaſio eſt ignis ingens, & funeſtiſſimus, quo adjuvante explodunt omnia jacula ſuorum peccatorum vitia, cur ſolummodo debet dici: Occaſio facit furem? Ego mihi imaginor, hoc proverbium non ſolùm loqui de homine, ſed de principali, & maximo fure, qui eſt diabolus; Occaſio facit diabolum furem, facit, dico: occaſio, & ſit illa qualiſcunque velit; ille enim abſque omni ſuo diſpendio, & abſque omni expenſa, furatur animas. Non rarò evenit, quòd fur furetur, etiam quando non habet intentionem furandi, ſolummodo id facit, quia invenit rem ad manus: Non aliter diabolus furatur multas animas ſinè omni alia ſua diligentia, ſinè aliis tentationibus, & I.

aſtuti-

aſtutiis, quàm quas ſibi ſimiles animæ pro ſuo guſtu poſuerunt in occaſione. Quot, & quantas culpas evitaremus, & evitaſſemus, ſi occaſiones fugiſſemus? Quilibet ſuam inſpiciat animam, quilibet ſuam examinet conſcientiam, cùm circa hoc punctum tam grave, nobis intimet Catechiſmus noſtram obligationem: *Peccat-ne in malis cogitationibus, qui procurat illas à ſe pellere? imò meretur, ſi per hoc tollat occaſiones.* Si per hoc tollat occaſiones? ſi itaque illas non tollat, non meretur? Ità eſt. Si itaque illas non tollit, quamvis non conſentiat cogitationibus, peccat ſolummodo quoad occaſionem, quam voluntariè non tollit? Hac in re nullum eſt dubium. Idcircò nunc quærirur; quales iſtæ occaſiones ſint, & quomodo tollendæ? ſum in procinctu hoc dicere. Oh! quàm materia hæc eſt ex integro neceſſaria ſcitu illis, qui vivunt ſinè omni modo, & menſura, ſicut ſinè anima; illis, qui ad omnia ſe injiciunt tam ſinè omni reſpectu, quàm ſinè conſcientia.

II. Certum eſt, Dilectiſſimi mei, quòd non ſolùm in materia pudicitiæ, ſed etiam in omnibus aliis, occaſio ſit fomentum lacrymabiliſſimum peccatorum, & incentivum potentiſſimum ad culpas. Attamen in hoc ſexto Præcepto facit mentionem occaſionum Catechiſmus, vel ob majorem frequentiam, vel ob majorem intenſionem, vel quia magis quæruntur, vel quia magis defenduntur à prava cæcitate Laſciviæ. Certum eſt, quòd ipſiſſimum Præceptum, quod nobis prohibet peccatum, ſit in materia qualicunque, furti, juramenti, odii, vel alia qualicunque; hoc ipſum Præceptum nobis prohibeat etiam ſub peccato mortali, nè nos exponamus periculo, & occaſioni proximæ illud rumpendi; Non prohibuit DEUS noſtris Parentibus, ſecundùm dicta Evæ: ſolùm comeſtionem fructûs ex illa arbore, ſed bene etiam ipſum tactum: *Nè comederemus, & ne tangeremus illud.* Gen. 3. v. 3. Non prohibuit Iſraëlitis ſolummodo adorare idola, ſed ad removendum omne offendiculum, adjunxit, ut nec quidem ea domi habeant; Præcepit illis, ut in Paſchate comederent panem azymum, & ſinè fermento, & idcirco ad elongandos à periculo, intimavit pariter illis, ut nec quidem fermentum inveniretur illis diebus in illorum domibus. Ordinavit illis, nè aſcenderent ad radices montis

tis Sinai, & adjunxit, nè illis quid mali accideret, ut nec quidem fines ejus tangerent. Præſcripſit illis, ut diebus Sabbathi cibos ad ignem non coquerent, & adjunxit ad tollendam illis occaſionem, ut nec quidem ignis accenderetur illis diebus in illorum domibus: Intimat Nazaræis, ut non bibant vinum, & ut quandoque illos non ſtimularet appetitus, adjunxit, nè comederent uvas recentes, vel ſiccas. Oh quomodo zelat DEUS pro anferendis occaſionibus, quæ trahunt in periculum proximum transgrediendi ejus Præcepta!

III. Nunc itaque non eſt ſolummodò occaſio impudicitia, & ſunt non pauci in hoc errore. Qualemcunque occaſionem, quæ eſt proxima ad cauſandum caſum in culpam, ſumus obligati ſub peccato mortali illam vitare, ità, ut ſi nos ponamus in illa ſolummodo ex noſtra voluntate, & cognoſcendo periculum proximum, etiamſi id fiat ſinè intentione cadendi, & etiamſi non fiat caſus in culpam, ſit ſemper peccatum mortale ſolummodo ponere ſe in tali periculo; *Qui amat periculum, peribit in illo*, dicit nobis Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 3. v. 27. In ipſo periculo jam conſiſtit perditio; Non dicit, obſervate hoc, non dicit, qui amat periculum, peribit in caſu, peribit in lapſu, non; ſed in ipſo periculo peribit; *Peribit in illo.* Oh! ire ſpaciatum poſt prandium cum quatuor amicis non eſt peccatum; Ità eſt, non eſt peccatum; ſed ſi, ex deambulatione cum iſtis amicis, jam experientiam habes te vel omnibus, vel ſaltèm pluribus vicibus cadere in culpam, quia ab iſta pernicioſa ſocietate incitaris; hoc jam eſt periculum proximum, & peccas mortaliter eundo cum illis. Oh! utique ludere honeſtè non eſt peccatum; ità eſt, luſus per ſe non eſt peccatum; ſed ſi ſcis, quòd ſemper, quoties ludis, vel plurimis vicibus, te luſus ad juramenta irritet, ad blaſphemias, ad maledictionem, fraudes, & deſideria malorum proximi, hæc jam eſt pro te occaſio proxima, & debes ſub peccato mortali vitare luſum. Hoc ipſum ego dico de illa converſatione, de conventiculis, ſi enim in his expertus es jam lapſus, talia pro te ſunt periculum proximum. Certo Gotho, homini valdè cholerico, & iracundo, refert Plutarchus, fuerunt præſentata certa vitra exquiſitiſſima, & pretioſa, grata ipſi valdè erant, illa æſtimavit,

& laudavit; ſed dum illa laudaret, arripuit unum poſt alterum manu, & omnia ſucceſſivè in terra confregit; ſtupefacti ſunt, qui hoc viderunt; quid hoc ſibi vult? interrogabant, quid debet eſſe? Reſpondit ille: cognoſco me, & meos ſervos; & ſi quodlibet vitrum de his, ſi illud ſervi frangerent, mihi debet cauſare pœnam, & choleram; frango illa ego modò cum meo guſtu, & aufero occaſiones meæ iræ; hoc fecit barbarus ad tollendam occaſionem etiam tantùm remotam. Sed non requiritur à te tantum: ità, ut quantumvis in ſe occaſio ſit licita, quia tamen appropinquat cum periculo proximo ad lapſum, jam eſt mors animæ, & damnatio, ſi quæratur. Ex ſeipſo non eſt venenoſus fungus, imò ipſum reponebant Romani inter cibos delicatiores: *Boletos, oſtrea, mullos;* Attamen, ſi naſcitur, dicit Plinius lib. 22. c. 22. vel vicinus ferro, vel circa cavernas viperarum, eſt venenum mortale: *Alienum ſaporem in venenum concoquit:* jam itaque valdè proximo, & valdè diſpoſito ad venenum, vicinitas ei ſufficit, ut immediatè fiat venenoſus: *Capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum.*

IV. Et ſi occaſio in omnibus tantum poteſt, quantum poterit in pudicitia? Supra vaſculum apertum, & plenum pulvere pyrio quis auderet ad coquendum cibum, excutere ex ſilice ſcintillas? ipſa recogitatio ſola incutit horrorem. Itaque ubi omnia ſunt periculoſa, quid facient illi, qui vel maximè appropinquant? Ubi ſufficiebat ſolus aſpectus ad dejiciendas, & proſternendas cedros, quid non faciet longa converſatio in ſiccis arundinibus? Ubi quadraginta, vel quinquaginta anni pœnitentiarum in deſertis, ob unicam occaſionem viderunt dishonoratas canities Sanctiſſimorum Anachoretarum, perditas tantas coronas, proſtratas tantas palmas; quid ſperat in occaſione, qui non eſt ità armatus virtutibus, tam laceratus pœnitentiis, tam conſumptus jejuniis? Quam ſecuritatem ſibi promittit, qui videt unum Jacobum Eremitam, poſt quadraginta annos vitæ prodigioſæ, per cujus manus cælum patrabat miracula, ad cujus pedes jacebat infernus, dum dæmonia expelleret; & tamen ob unicam occaſionem, non quæſitam, ſed permiſſam, abſtulit pudorem, & poſtmodum etiam vitam illi, cui antea ex corpore expulit dæmonium? & videte hic perditos in unico momento

mento tot annos, in unico lapsu tanta merita, in una vilissima, imò brutali delectatione, & voluptate tot, tantásque glorioſas pœnitentias, & in unica occaſione tantum cælum. Miremini, & ſtupete in illo altero, de quo refert Sanctus Macarius hom l. 27. Comprehenſus ob fidem ſuſtinuit equuleum, fuit laceratus, aduſtus, & in omnibus conſtans permanſit, reducunt illum in carcerem, commota fuit ad pietatem erga illum certa bona mulier Chriſtiana, aſtitit ei, & ſervivit; & quid evenit? Oh Supreme DEUS! evenit, quòd ob familiaritatem ceciderit, qui ſemper conſtans in tormentis ſtetit, quòd proſtraverit a pectus unius fœminæ illum, quem non poterat dejicere omnis furor carnificum; & quòd reliquerit victum unica occaſio illum, quem non poterant flectere harpagones, unci, cataſtæ, craticula, nec quidem ipſa mors.

Quis itaque nunc inveniendus erit, qui dicat: Nihil plùs V.
eſt quàm aliqua humanitas, nihil plùs eſt præter honoratam correſpondentiam; ſi in hoc id ſiſteret ſolo, hic non eſt culpa; ſed ſi ex tua experientia ſcias, te vel omnibus, vel ſaltèm pluribus vicibus labi in iſta, quam vocas, humanitate, nihil aliud eſt quàm occaſio proxima, & peccas mortaliter illam quærendo. Non, ego nullam habeo intentionem, imò vado reſolutus in contrarium: & quis te de hoc aſſecurat? Infirmus reconvaleſcens omittit comedere fructus ſibi nocivos, dum illos non videt; ſed ſi ob reſpectum hoſpitis ſe viſitantis ſimiles in menſa ponantur, oh quàm difficulter ſe continet ab illis! Suffert febricitans ſuam ſitim, & ſuos ardores; ſed ſi ad eluendum os illi in manus porrigant poculum; Oh DEUS! *Ad hoc, quod malè concupiſcitur, præſentia concupitæ formæ validiſſimè famulatur*, dixit Sanctus Gregorius Magnus lib. 3. Dial. cap. 7. Præſentia, aſpectus, modus agendi, converſatio, dum ex una parte vires corroborant, ex altera autem parte tantò magis debilitat inclinatio. Nunc in quo confidis? DEUS mihi dabit gratiam; hoc eſt DEUM tentare; Vis tu, & amplecteris periculum, quod opponitur gratiæ, & ſimul cum periculo vis, ut DEUS tibi det gratiam? Gratia conſiſtit in eo, ut tu fugias periculum, fuge illud, & habebis gratiam; Quòd ſi autem tu illud quæras? Velocitas in curſu ſupplet leporibus arma,

quæ non habent; ſed ſi locò curſûs remaneant ſtantes, dum canes illos inſequuntur, de ſemetipſis conquerantur; *Salvabuntur, qui fugerint*, dicit nobis DEUS per Ezechielem Prophetam cap. 7. v. 16. *& erunt in montibus quaſi columbæ convallium omnes trepidi*; In fuga conſiſtit ſalvatio: jam ſi in fuga conſiſtit tuus ſuccurſus, quid potes ſperare à gratia, ſi tu teipſum præcipitas in periculum? & ſinè gratia, nunquid per tuas vires, nihil boni potes facere? nihil; eſt hoc de fide: Qualis erit tua fortitudo ad reſiſtendum huic occaſioni ſinè gratia? Fortitudo ſtupæ igni applicatæ: *Et erit fortitudo veſtra ut favilla ſtupæ: & opus veſtrum quaſi ſcintilla.* Iſai. 1. v. 31. Inundavit grandis exercitus Cimbrorum Italiam viâ Tridentinâ, refert Florus. 3. c. 3. & perveniens ad Ateſim fluvium profundiſſimum, qui Veronam præterfluit, & non inveniens pontem, nec naves, perſuaſerunt ſibi hi Barbari, quòd illis ſufficeret opponere ſcuta ad reſiſtendum aquis currentibus; deſilierunt in impetum aquarum, & ad duas involutiones fluctuum remanſerunt innumerabiles ſubmerſi unà cum ſuis ſcutis inter aquas. Fidite vobis de impetu alicujus occaſionis, quantumvis ei ſcuta opponatis. Et quæ poteſt eſſe major ſtoliditas, quàm videre ſe liberum, & poſtmodum ſe collocare in eo ſtatu, ex quo ut liber quis prodeat, oportet pugnare? Non loquor itaque de occaſionibus remotis, de illis, quibus mundus plenus eſt, de lubricitate, aſpectibus, ſcandalis; nam has fugiendi non ſumus obligati, etenim opus eſſet exire de mundo; Loquor de periculo, & occaſione proxima, quòd huic ſe immiſcere, quantumvis fiat ſine mala intentione, quantumvis non ſequatur lapſus, ſolummodo immittendo ſe, cognoſcendo periculum, ſit peccatum mortale, & neceſſarium illud confiteri. Nec eſt excuſatio dicere, quòd per hoc quæratur decentia, intereſſe, utilitas; Nam hoc allegare, invenitur jam condemnatum à Summis Pontificibus Alexandro VII. Propoſitione 41. & Innocentio XI. Propoſitionibus 62. & 63.

VI. Et ſi ſolùm quærere talem occaſionem condemnat, quid erit hærere in occaſione? eſſe jam condemnatum. Intelligamus hoc meliùs, & clariùs. Occaſio proxima, explicant Authores, eſt illa, in qua, attentis circumſtantiis, ille, qui ſe ei immittit, ſemper,

per, vel quaſi ſemper peccat, vel quòd pluribus vicibus cadat, & id fiat vel cogitationibus, vel verbis, vel opere. Dixi *attentis circumſtantiis*; id eſt, experientiâ, quam expertus eſt per plures lapſus: Attentâ perſonâ, quæ ſe advertit in ſua paſſione violentam, & hæc violentia illum trahit, in ſua inclinatione eſſe diſpoſitum ad malum; & ob talem inclinationem non eſt opus multis vicibus, unica ſola ſimilis occaſio, eſt periculum proximum. Involutus fuit ex medicorum conſilio in certa linteamina intincta, & madefacta aquâ vitæ Rex Carolus Navarræ, ad abrumpendum filum, quo illum conſueraut, loco forficum applicant candelam, arripit flamma filum, & ex filo etiam alia linteamina, & ſic Rex fuit combuſtus; per unicum filum? Ità eſt, quia hæc materia erat diſpoſita ad concipiendam flammam. Si cor eſt victum, quærere unicum ſolum aſpectum, eſt admovere flammam; quod poſtmodum tempus attinet, ſi lapſus intrà paucos dies ſunt multi, quis hoc non advertit? & quid quoad locum tandem, ſi intra ſuam domum habet occaſionem, & quamvis non habeat in ſua domo, ſi habet libertatem conveniendi omnibus horis, quando vult, & quomodo vult; omnia iſta ſunt occaſio proxima, & omnia hæc ſunt damnatio lacrymabiliſſima, quæ uſque adeò ſibi ſuum denegat remedium.

VII. Confitebatur quidam ſe furatum eſſe funem; mirabatur Confeſſarius, dicens: funem? & quantum valuit? continuavit facere interrogationes, uſquedum expiſcatus fuiſſet, in hoc fune equum alligatum fuiſſe; Bonus modus procerto confitendi. Jam taliter, imò pejus ſolent confiteri illi, qui vivunt in occaſionibus ſuarum culparum; dicunt à contrario lapſus, ſed tacent funem occaſionum, qui illos connectit; & etiam poſtquam ſunt ſufficienter interrogati, vel occaſiones negant, vel illas variis coloribus obducunt. Ah anima infortunata! habésne Fidem? vel es beſtia? ſi habes Fidem? ſcis, hoc non ſufficere, ut te in gratiam DEI recolloces: Scis, quòd tacendo hanc occaſionem proximam, in qua verſaris, confeſſio maneat ſacrilega. Itaque ſi hoc ſcis, quare hoc taces? quia ſi hoc fatear, Confeſſarius me non abſolvet; Nullum eſt hac in parte dubium, ſi occaſio eſt proxima, certè te non abſolvet; idcirco ſi te abſolvit, quia

tu hoc taces, non abis ex confeſſionali abſoluta, ſed damnata, & inſuper ſacrilegiô commaculata. Qualia itaque reſtant remedia? Oh DEUS! ſi confiteris, non abſolvet te: ſi taces, non recedis abſoluta: Quale itaque infortunium majus? ſi tu te ipſam non vis ſolvere ab occaſione, quomodo vis, ut te Sacerdos ſolvat à tuis culpis? & hoc vocas rigorem, & malum favorem illud, quod in pauperculo Confeſſario eſt neceſſitas? Quem Chyrurgum vidiſti tu, qui ſupra ligaturas vulneris applicet emplaſtrum, vel permiſſo in vulnere cultro, velit vulnus curare? hoc non poteſt eſſe: ſolvit, aperit, extrahit, & purgat vulnus: oh, qualis hic dolor! ità eſt, ſed ſi non auferatur id, quod nocet, medicina nihil prodeſt; Jam igitur quomodo potes velle, ut aliquis Confeſſarius tibi permittat ligaturas tui vulneris, tibi ſinat firmiter infixum cultrum, & tamen te ſanet? Volo dicere ſi tu vis manere ligatus cum tua occaſione: ſi non vis ablatum habere per verum propoſitum illum cultrum, qui tibi optimam aufert vitam, quomodo ſanaberis in anima? Non, ego jam habeo propoſitum: hoc tu dicis, ſed factum te mendacem facit: Oh, tamen me aliis vicibus abſolverunt; neſcio, quomodo id factum fuerit; ſi tu perſeverans manſiſti in occaſione, hoc eſt indubitatum, quòd omnes tuæ Confeſſiones fuerint ſacrilegæ. In negotio, e quo agitur de anima, viſne tu teipſum decipere? in Lege: *Qui tertiana*, ff. de ædilit. edict. non vult Jurisconſultus, ut dicatur ille ſanus, qui tertiana laborat, vel malo caduco, etiam illis diebus, quibus illi febris non advenit, nec malum caducum, quod illum in terram proſternit; non eſt ſanus: nam quid intereſt, quòd morbus illum hodie non moleſtet, ſi intrà ſe continet humorem, qui eum cras proſternet? *Qui tertiana, aut morbo comitiali laborant, nè iis quidem diebus, quibus morbo vacant, ſani dicuntur*; Qualis itaque erit tua ſanitas, ſi adhuc interius pro tua ruina foves occaſionem? Non; jam enim illam deſerui; vivo pro me; Bene: ſed quid correſpondentia? viſitationes? collocutiones? hoc eſt violentum. hac in parte adſunt obligationes; Apage hinc ô ſimplex! hoccine eſt tollere occaſionem? improbe pro te, qui præter id, quòd tu ſis deceptus, vis me etiam decipere. Deprehendit quidam meſſor viperam, & immediatè illi falce ictum dedit,

dedit, quo illam in duas divisit partes; & totus hilaris arripit unam medietatem in manus jocando cum illa magno risu; sed subitò cognovit suam stoliditatem, quia existente adhuc capite vivo, ità illum momordit, ut eo ipso momento mortuus fuerit, citiùs quàm vipera. Separâsti te, dicis: sed quid faciemus, si adhuc remanet viva vipera hujus occasionis? Ah, & quid erit, si revixerit illa ultima hora tuæ mortis? Audi, audi hanc experientiam, nè culpes Confessarium ùt nimium rigorosum.

VIII. Per multos annos erat intricata certa mulier cum suo amatore in amicitia, refert noster Pater Segneri part. 1. Disc. 24. n. 10. postmodum DEUS pro ultimo nuntio dejecit eam per gravem infirmitatem in lectum: jacuit ibi experiendo id, quod omnes infortunatæ experiuntur, quæ de simili œconomia vivunt, miserias naturæ, inopiam rerum, & negligentiam sui mendacis amatoris. Infirmitas per multos duravit menses, unde ad vicissitudines dolorum consumpta, per frequentiam medicamentorum debilitata, & ad infamias, & infames amores sui falsi amatoris quasi excitata videns se deceptam, aperuit oculos mentis jam morti vicina, & dolore tacta ex imo cordis, ratione præteritarum culparum suarum, vocat Confessarium, & cum imbribus lacrymarum confitetur sua peccata cum demonstrationibus tenerrimis contritionis verissimæ, & perfectissimæ. Finivit confessionem, & Confessarius jam se illi recommendabat volens abire; dic mihi Pater, dicit Confessario, videtúrne tibi esse consultum, ut ego ipsa ex errore educerem illum miserabilem meum amasium, nè damnetur? Remansit suspensus, & dubius Confessarius (videtur exiguè fuisse tinctus, nec multam habuisse scientiam) vidit illam esse ità pœnitentem, & dolentem, & quòd ex altera parte effecta fuerit quasi cadaver horribile, poterat aspectus illius ex errore educere, vel maximè, juvenem; his tamen omnibus non obstantibus resolverat id ei concedere, quod petierat: Ohquæ imprudentia! suggessit illi Confessarius, & cum ea repetiit verba, quæ ab illa proferenda erant amasio, & nulla alia præter ista; laboravit cum illa studiosè circa ista; subito curavit advocari juvenem, & pro majori securitate intravit simul cum juvene Confessarius. Stitit illum ante infirmam, sed, oh DEUS! quàm contrarius

trarius prodiit effectus; ſiquidem, eô ipſô momentô, quo illum conſpexit, oblita ſermonis, quem docta fuerat, loquendo priùs oculis lacrymantibus, prorupit poſtmodum in ſimilia verba: Oh mi amaſi! ego te ſemper amavi ex intimo cordis mei, & nunc volo, ut ſcias me te amare ob hanc duram diviſionem plùs, quàm te unquam amaverim. Video, quòd ratione tui vadam directè ex hoc lecto ad infernum; ſed nihil obeſt, nihil curo, volo ire ad infernum, ut ſcias, me te uſque ad hoc momentum amaviſſe; & non potens plura addere partim ob extremam debilitatem, quam experiebatur: partim ob agitationem horum affectuum tam impetuoſorum, & tam inſanorum, qui illam obruerant, cecidit ſupina in lectum, ex quo ſe erexerat, & ibi exſpiravit animam cum tanto horrore Confeſſarii, & amaſii, ut neſcientes formare unicum verbum, uterque abierit plùs mortuus, quàm vivus. Quis ſenſus fuerit amaſio? quæ cogitatio Confeſſario! oh miſer Confeſſarie!

IX. Hæc eſt occaſio, & id cauſat: Ah! nè quæſo, vos corripiat in morte; perderetis etenim occaſionem pretioſiſſimam, à qua dependet vel æternitas inferni, vel æternitas gloriæ.

INSTRUCTIO XLV.

De Furto, de ejus Gravitate, & Circumſtantiis.

Præceptum Septimum, & Decimum.

Non Furtum facies.

Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.

I. INfame nomen furti meliùs explicat paucis verbis rauca vox alicujus Præconis, quàm illud poſſit ponderare vivaciſſima energia eloquentiſſimi Prædicatoris; plùs dicit de illo ſonus tubæ in his viciniis, quàm ego dicerem in hac Eccleſia; & ad prædicandum illud mutè meliùs ſervit pro pulpito alicui Carnifici patibulum. Oh, & utinam frequentiùs audiremus ſimiles doctrinas!

Sed

Sed quoniam in ſeptimo Præcepto, *Non furtum facies*, non loquitur DEUS ſolummodò cum talibus furibus infortunatis, pro quibus factum eſt patibulum, ſed etiam cum furibus, qui ſe felices exiſtimant, & pro quibus fabricatus eſt infernus; quid juvat, quòd nomen illorum taceatur, ſi illorum facta hoc publicant contra ipſosmet? Valdè ad iram commotus Alexander Magnus mandavit ſuſpendi in antenna certum Piratam, qui unica navi deprædabatur oras maris; & hic illi dixit: Itaque, quia ego in una parvula, & ſola navi facio unam vel alteram prædam, tu me captivum detines, & ut furem me condemnas; & te, quia cum numeroſo exercitu furaris totum mundum, appellant Imperatorem? non habuit, quid reſponderet Alexander; jam quid facit, qui nomen evitat, & non fugit factis infamiam? Latrones dantur honorati, dicit Sanctus Baſilius; nam non ſolùm ſunt fures, qui abſcindunt marſupia, ſpoliant veſtibus, ſed etiam illi, qui ſub veſte authoritatis, leporis, juſtitiæ, ſaccos ſuos implent: *Non eſt intelligendum fures eſſe ſolos inciſores burſarum; ſed & qui Duces legionum ſunt, vel qui commiſſo ſibi regimini hoc furtim tollunt, hoc vi, & publicè exigunt.* Non ſolùm illi, qui furantur, ſed & illi, qui defraudant; Non ſolùm illi, qui auferunt, ſed & illi, qui decipiunt; Non ſolùm illi, qui extorquent, ſed & illi, qui fraudant; Non ſolùm illi, qui nocent, ſed & illi, qui dicunt ſe facere amicitiam; Non ſolùm illi, qui aggrediuntur, ſed & illi, qui dicunt ſe alios defendere; Non ſolùm illi, qui faciunt injuriam, ſed & multi, qui allegant jus. Oh quot fures! attamen cum iſta diſtinctione ponderat Sanctus Joannes Chryſoſtomus to. 5. illi, qui tales vocantur, timent; illi qui non, vivunt ſecuri: hi ſibi attendunt, iſti liberè aſpiciunt: illi ſua furta ſolvunt vitâ, & minuuntur, iſti vivunt ex eo, quod furantur, & augentur: illi fugiunt, iſti veſtigia ſequuntur: illi perambulant per ſolitudines, & devia montium, vel in tenebris noctis, iſti in meridie per vias, & plateas, per concurſus, & fora; hos leges cogunt ſolvere, iſti ſolvendo efficiunt, ut eis leges faveant; illi exeunt ex ſylva ad malum gradum, iſti in omni gradu implent Civitates, & mundum; itaque ſunt pejores iſti fures, qui in tantum non cognoſcuntur, concludit Sanctus Chryſoſtomus: *Hi tantò ſunt illis*

deteriores, quanto ad evitandum difficiliores videntur: Illi fures jam noſcuntur, magnum principium eſt hoc vel pro timore, vel pro emendatione: iſti non volunt, ut cognoſcantur; magnum damnum pro continuatione perſeverantiæ in illorum delictis. Jam ergo ut detegantur, & cognoſcantur omnes.

II. *De ſeptimo Præcepto*, dicit nobis Catechiſmus, *te interrogo, quis illud obſervat? qui non accipit, nec retinet, nec vult quidquam alterius, contra voluntatem proprii domini.* Oh quantum dicit in tribus verbis; ſed pro iſtis tribus verbis quantæ excuſationes non quæruntur? Quæ palliamenta, qui tituli, qui prætextus ad decipiendos, & ſubmergendos latratus conſcientiæ, vel ad deaurandas turpiſſimas maculas honoris? Sed quid juvat, ah quid juvat? quòd in charta ſcripta ſuccô limonii non videantur characteres, ſi ad ignem applicatâ, poſtmodum tantò meliùs appareant? Quot conſcientiæ ad ignem inferni videbunt id, quod modò celant? Quid juvat, quòd valde bene deaurata ſit pillula, ſi deauratio illi non poſſit tollere amaritudinem? Furtum eſt, dicit cum Sancto Thoma tota communitas Theologorum, furtum eſt D. Thomas 2. 2. q. 16. art. 17. ablatio, uſurpatio occulta rei alterius contra voluntatem proprii Domini. Ablatio occulta, dicit, quia per hoc diſtinguitur furtum à rapina, in qua eſt duplex malitia; magis impudenter aufert rapina cum violentia rem alterius, in conſpectu proprii Domini, & cum ejusdem diſguſtu. Sed hoc, dicetis mihi, ſolummodo contingit illic in montibus, vel ſylvis à latronibus, & banditis; Non, ſed etiam in communitate à Potentibus, & etiam ab illis, qui tales non ſunt. Si aliquis pauper, derelictus, miſerabilis, videt, quòd ei perniciem afferant, ſi non dat; videt, quòd ſibi machinentur ruinam, ſi non contribuit; videt ſe implicari, vel ſibi diferri juſtitiam, ſi non ſolvit, ſi non offert munera, hoc vocatur munus, quis non videt, quòd vocetur, & ſit rapina? Hoc, quod ſcriba, vel Procurator, vocant jura, quis non videt eſſe manifeſta furta? Hoc, quod nomen ſortitur urbanitatis, quis non videt eſſe furtum clariſſimum? Hoc, quod dicunt, ſe monſtrare gratum, nihil aliud eſt, quàm ſe videri violentatum; cùm minæ hic faciant id ipſum, quod illic ſclopi; facit hic illud authoritas; quod illic tyrannis; facit hic timor

mole-

moleſtiæ, vel injuſtitiæ illud, quod illic timor mortis; & faciunt hic deaurati prætextus illud, quod ei in exilium relegando larva; quandoquidem in exilium pellendus eſt ille ipſe, quantumcunque illum celet larva. Quid juvat imponere illi nomina? quid prodeſt quærere illi titulos? ſi illi dat ſolummodo vel ad redimendam importunitatem, vel ad ſuam comparandam juſtitiam, vel quia timet violentiam, vel fortè ut ſolvatur illi, ſolvit: vocent illud bene vel malevolè munus, gratitudinem, vel jura; nihil aliud eſt quam rapina. Quædam Senicula ſimplex audivit dici: quòd ad lucrandam litem, quam pro tunc habebat, foret neceſſarium ungere manus Judicis; intellexit illa hoc, ut verba ſonabant; & ſinè omni alia mora, acceſſit cum modico oleo domum Judicis, & manus ejusdem unxit: riſit Judex ſimplicitatem Seniculæ, & ait illi jocosè, & cum ſubriſione: Mulier inſipiens, quid facis? Judex potiùs, ut bene cauſam decidat, debet habere manus mundas; & quomodo ego nunc cauſam decidam oleô unctis manibus? affer mihi tot ulnas telæ, quibus egeo ad abſtergendum meas ab hoc oleo manus, & cauſa tua felicem ſortiètur exitum; Ità factum eſt, attulit ulnas telæ, & ſententia ad Seniculæ placitum prolata eſt, quia Judex manus habuit mundatas, & terſas; & illæ, quæ tales ſunt, quid importat, quòd dicantur mundæ, ſi ungues habeant acutos ad rapinam?

III. Furtum itaque eſt illud, quòd abſconditè fit, auferendo, vel retinendo rem alterius. Alterius, dixi, quia ſi quiſpiam retinet alterius determinatam quantitatem, certam, & fixam, & ille impotens ſit illam quærendi, nec per juſtitiam poteſt illam recuperare, quia quantumvis ſit ex integro certum, quòd illi debeatur, non habet ille modum probandi, & invenit modum occultum recompenſationis, auferendo illi iſtam quantitatem, & nihil plùs, abſque eo, quòd damnum alteri ſequatur, vel manifeſtationis furti, vel duplicatæ ſolutionis, ille, qui tali modo ſibi compenſat id, quod certiſſimè ſuum eſt, non furatur; hoc tamen non intelligitur de ſervis, qui pro ſalario ſerviunt, quantumvis allegant ſalarium eſſe tenue, & labor ſit nimius; ſit ſalarium qualecunque, liberi ſunt, & ſi datur, qui majus ſalarium præbet, eant illuc; nam ſurripere plùs ſalarii, quàm contractum fuerit, eſt furtum,

& eſt ſeipſum damnare; & hoc eſt verum abſque omni dubio, quandoquidem contrarium fuit damnatum jam à Summo Pontifice Innocentio XI. Propoſitione 37. quæ ſic ſonat: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Et me bene intelligant Sartores, & alii opifices, quòd non ſit excuſatio, non eſſe ſufficiens ſalarium, ſi non ſit, quòd illis fiat violentia, vel vis, non eſt excuſatio, ſatisfacere ſibi cum reſiduis reſecamentis, hoc enim erit vivere more Maurorum.

IV. Sed quando non erit contra voluntatem Domini ſurripere ei aliquam rem? quando illius nolle eſt nolle irrationabile, & nolle alicujus bruti; Pono hoc in exemplo: Invenitur quiſpiam in extrema neceſſitate, in qua periclitatur de vita; in extrema dico, non enim ſufficit neceſſitas gravis; pro tunc poteſt accipere illud, quo opus habet pro præciſo ſuccurſu talis neceſſitatis, & hoc non eſt furtum, quia, ſi Dominus hujus rei non eſt brutum, ſupponitur illum non fore invitum: ſi ſclavo non datur neceſſaria, ſuſtentatio, veſtitus, vel medicina, dico neceſſaria, poteſt ſibi ſumere præcisè tantum, & non plùs, & modò taliter fiat, non eſt furtum. Quàntò meliùs eſſet, Domini, non immittere ſclavos in ſimiles occaſiones! nam illud, quod parcè erogatur, eſt cauſa forſitan pluris quàm duplicati furti. Advertit certus Herus, quòd vinum emptum omni velocitate, & citiſſimè in domo conſumebatur, & nunquam diu durabat; Et quid fecit? poſtquam novum comparâſſet vinum, vocat in partem ſuum ſervum, & dicit illi: Vide, hoc vinum ego comparavi pro mea commoditate, & guſtu, nihilominus tamen, tu & ego, nullus alius, illud bibemus, & idcirco illius habe curam; tantam curam adhibuit, videns, quòd partem in illo haberet, ut duraverit tripliciter longiori tempore quàm aliàs, quia cùm ſecurus fuerit, quòd ſua portio intus eſſet, extrà tempus illud non tangebat. Bene ſcio, quòd ſimilis modus non ſemper ſufficiens erit pro improbis modis multorum ſervorum. Oh quæ moleſtiæ! & ſi è contrario eveniret ſemper tot ſervis furibus id, quod illi accidit cum Sancto Benedicto, ùt narrat Sanctus Gregorius lib. 2. Dialog. c. 18. Miſerat certus homo Sancto Abbati duo vaſcula vini, at ſervus, qui illa portabat, abſcondit unum in via, & alterum Sancto præ-

ſenta vit

ſentavit ſolum; Sanctus Abbas, qui meliori viſu videbat, dedit illi reſponſum gratiasactorium, & poſtmodum ſic ſubjunxit: Attende, & vide, nè ex altero vaſculo, quod pro te ſervâſti, bibas; quia in illo vipera eſt; remanſit attonitus, nihilominus negabat; Vade, vade, reſpondit Sanctus; exivit negando, & abivit prout ſolent facere; pervenit ad vaſculum, aperit illud, & immediatè exilivit vipera, quæ illum in fugam vertit: in fugam dico à furto, & in fugam à furari. Oh ſi hoc videretis infelices, qui tantum furamini, vel quia eſtis guloſi; vel quia eſtis improbi; ſed quid refert, quòd hoc modò oculis non videatis, dum, ſi furtum eſt alicujus valoris, immittitis ſicut Judas viperam diabolicam intrò ad veſtras animas.

Et jam multò rationabiliùs; ſi Maritus non vult ſuccurrere Uxori in neceſſariis, vel pro ſua perſona, vel pro expenſis in familiam, in neceſſariis dico Dominæ, non quoad vanitates (ah! hac in re Mariti veſtri me non audiunt) accipite, ſi modum inveniatis quomodo, & non facite vobis ſcrupulum, quia hoc nullum eſt furtum, cum Maritus talia dare teneatur; hoc ipſum dico pro dandis aliquibus moderatis eleemoſynis juxta veſtrum capitale, & tantò magis ſi ſint in neceſſitate gravi, vel de veſtris Parentibus, vel veſtris fratribus. Quid agendum? nolo, ut ſciat Dominus; abhorretis jurgia, bene eſt, abhorrete, & exonerate illi cum prudenti moderatione animam, & burſam: bonum tamen erit, ut ſemper conſulatis Confeſſarium doctum; & ſi Dominus eſt ſtulte, & inſipienter prodigus, & famoſus luſor, quantò plùs illi abſconderitis, tantò meliùs; hoc enim erit auferre ſtulto gladium de manu. Illa mulier prodigioſa Sancta Eliſabetha, Regina Portugalliæ, ſcivit diſponere, & lucrari hoc ipſum cum ſuo Marito dilapidatore; portabat quadam vice in prætexta multam copiam monetæ aureæ, & argenteæ; quam volebat diſtribuere pauperibus; erat pro tunc rigida hyems, Rex autem obviando illi, ex ea quæſivit, quid portaret? Reſpondit illa: Roſas; Roſas hoc tempore; quomodo id poteſt eſſe? videamus illas: aperuit prætextam, & apparuerunt Roſæ. Oh animæ ſanctæ! ità laborate, laborate cum iſtis roſis eleemoſynæ veſtram coronam pro cælo, non excuſate vos cum Maritis; hoc eim ſi ſi. V.

at cum prudentia, & moderatione, juxta menſuram veſtri capitalis, hæc non ſunt furta, ſed merita, non monetæ, ſed roſæ.

VI. Furtum itaque ſemper eſt peccatum mortale, & periculoſiſſimum; & illud plurimas in infernum mittit animas; quia cùm non ſufficiat ſolùm confiteri, ſi non reſtituatur ablatum, hic nunc eſt difficultas, hic angores, & hic damnationes; ſed de hoc poſtmodum loquar. Solummodo excuſat à peccato mortali furtum parvitas materiæ; ſed quomodo? Ah quantæ deceptiones in hoc dantur. Qui ſenſim furatur, ſi habet intentionem perveniendi ad quantitatem magnam, jam à primo furto, quantumvis furetur tantùm medium julium; eſt in peccato mortali; imò etiamſi non habuerit iſtam intentionem, ſi jam furatus eſt varias parvitates, pervenit ad quantitatem gravem, reflectendo ſe, peccat jam mortaliter retinendo aliena, & tenetur reſtituere; & dicere contrarium, eſt doctrina damnata ab Innocentio XI. Propoſitione 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.* Quid delicatiùs unicô capillô? attamen ſi ſumantur uniti, habent vim talem, ut ſufficiant, quòd per illos homo hinc inde poſſit raptari? Conſiderate illic Abſalonem ſuſpenſum, & in quo pendet? in capillis; itaque capilli, tam delicati, poſſunt ſuſtinere ſuſpenſum totum corpus? Ità eſt, ſi uniantur. Ah quot non dantur Abſalones ità ſuſpenſi ùt fures; & in quo pendent? ex capillis nugarum, minutiarum; ſed quæ ſufficiunt, ut anima illorum jam ſit in procinctu cadendi in infernum. Illud quod miſcetur ex aqua vino, illud quod ſurripitur ex menſura, illud quod aufertur ex pondere, quid hoc totum eſt? Parvitas, capilli, qui nullum aggravant: quatuor unicæ panis ſubtractæ iſti, duo pocula vini illi: Ah fures! etenim uniti iſti capilli, iſtæ minutiæ trahunt vos ad infernum; conſtituitis in peccato vos furti quoad totam Rempublicam. Adhuc plùs: Eunt ſex vel octo amici in ſocietate ad hortum alicujus pauperculi & miſerabilis coloni; eh! tamen hoc nihil eſt: ad ſummum ego ipſi auferam fructus pro uno julio: & ſocii quantum? non attingunt omnes duo ſcuta; ecce omnes peccant mortaliter, & omnes, & ſinguli ſunt obligati ſub peccato mortali ad reſtitutionem; Oh quomodo deflet quandam injuriam

riam ex ſimilibus in ſua adoleſcentia commiſſam Sanctus Auguſtinus: quomodo illum pudet feciſſe ob diſſolutos amicos illud, quod in gratiam ſui non feciſſet. Omnes, & ſinguli dixi, ſunt obligati ad reſtitutionem; Omnes, quia partem, quæ quemlibet tangit, debet quilibet ſolvere; & quilibet, quia ſi alii non ſolvant, ille tenetur reſarcire totum. Convenerunt, & ſe univerunt omnes ſimul? hìc non datur excuſatio, ſi alii velint damnari: ſolvas tu tantùm, ſolvas.

VII. Sed præter iſta, qualis eſt parvitas materiæ in furto? DEUS immortalis! quàm pernicioſus eſt error, qui in hac materia currit. Cogitabant, & ſibi imaginabantur, quòd ſolummodo, dum furtum attingit valorem unius ſcuti, ſit peccatum mortale, & ſiat furtum tale cuicunque; iſte eſt error intolerabilis Dilectiſſimi, eſt error. Omnes Doctores, omnes conveniunt, in graviſſima difficultate, quæ reperitur in determinatione, qualis ſit in furto parvitas materiæ; quia cùm ſit damnum proximi illud, quod nobis prohibet noſtra Sacra Lex, ut hoc damnum ſit grave, vel leve, neceſſarium eſſe attendere ad locum, ad perſonam, cui fit furtum, ad circumſtantias,, ad conſequentias; Hac de cauſa in certis Provinciis duo julii eſt furtum grave, quia non datur in illis tanta copia monetæ, in aliis tres julii, vel paoli. In hac noſtra Provincia, ubi per miſericordiam DEI gaudemus majori abundantia, eſt jam ſenſus communis, quòd, generaliter loquendo, ſemper dum non excedit quinque carlinos, illud quod furto aufertur, non ſit peccatum mortale. Hoc eſt, ſi generaliter loquamur, & hoc bene percipite: nam cùm debeat fieri reſpectus abſque omni dubio ad perſonam, cui res aufertur, quia perſonæ pauperiori, & egenæ auferre minus, facit illi extra omne dubium damnum gravius, quis hoc non videt? affirmant idcirco graves Doctores, quòd furari operario id, quod illi ſolvitur pro labore diurno, ſit damnum grave, & ſit furtum peccati mortalis. Diſcurrite jam; furari itaque alicui pauperculæ mulieri, quæ toto die laborat ducendo fila, vel ſuendo, duos carlinos, quos pro labore acquirit, & nullam aliam habet ſuſtentationem, eſt peccatum mortale. Adhuc plùs: panper bajulus, ut lucretur tres carlinos, vires impendit, ut ordinariè videmus duobus vel tribus

diebus

diebus in labore, & in labore tanto, ut cuivis notum eſt: itaque huic pauperi bajulo furari, vel non ſolvere tres carlinos, erit furtum peccati mortalis. Ah Potentes tam bene ſervitia percipientes, & ſolvere illa tam oblivioſi, videte DEUM eſſe, attendite mortem eſſe, & perpendite eſſe æternitatem. Conquerebatur certus, qui ſervivit alicui Nobili per ſex annos, & hic nolebat eum ſolvere; quid ipſi debeo ſolvere, dicebat Nobilis ad Judicem, quid ipſi debeo ſolvere, cùm mihi nihil præſtiterit? ſolummodo hoc ſervitium mihi fecit, quòd me à tergo comitatus fuerit. Bene habes, tulit Judex ſententiam, cum magna prudentia, nihil illi ſolvas; ſed cùm hoc nihil fuerit, te comitari per ſex annos, ſic ego ordino, ut tu hoc facias, quod tibi nihil eſſe paret, & ſubſequere tuum ſervum per alios ſex annos; & immediatè, nè hoc cogeretur facere, ſervum exſolvit. Ah Potentes! ah majores Miniſtri! repeto dicere, ah Judices! non fiat, ut per integram æternitatem incedatis poſt veſtrum ſervum, poſt veſtrum operarium, cujus ſolutio pro nunc vobis nihil eſſe videtur. Sed ſi per conſequens, quod inde ſequitur, eſt omnino certum, quòd furari alicui pauperi opifici inſtrumentum, quô laborat, & panem lucratur, & aliud non habet, quamvis inſtrumentum in ſe non valeat duobus carlinis, ſi nihilominus, quia illi deeſt, & illud non invenit, relinquit laborem per aliquot dies, ſit peccatum mortale, & obligatio reſarciendi damna, in quo planè nullum adeſt dubium; quoties ob damnum vel damna, quæ exinde proveniunt, erit peccatum mortale auferre unicum ſolum carlinum alicui miſerabili? Attendite, & percipite bene ſequentem eventum.

VIII. Lindericus Comes Flandriæ, refert noſter Engelgrave t. 1. cæl. emp. §. 3. habitabat cum ſua familia in domo quádam ruri propè Civitatem Tornacum; Exivit de civitate certa quædam paupercula mulier vendere in caniſtro certos paucos fructus ad ſuccurrendum ſuæ extremæ paupertati, & quidem pro tunc majori ob tempus magnæ famis. Collocavit ſe ad pontem, ut fructus venderet, ubi Goriſamnus, filius Comitis Linderici divertebat ſe cum ſuis fratribus, & illos fructus vidit; traxit illum appetitus infantilis, accepit à muliere fructus, & diſtribuendo illos ſtatim in loco inter fratres, illos qui remanſerant, dixit: ſe velle diſtribuere

buere inter Domicellas ſuæ Dominæ Matris, & fœminæ mandavit, ut expectaret, ſe quàm citiſſimè illi miſſurum ſolutionem: abivit, & illa à manè expectando, nihil percepit, Principe de ſolutione oblito. Dies in finem vergebat, & multò magis deſideria pauperculæ ad id, quod expectabat; uſquedum videns omnia in mora eſſe, acceſſit ad portam ſalæ, & aſpectu paupertatem ſpirante, nihil aliud faciebat, quam caput protendendo obſervabat, an aliquis ſervorum compareret; at, vel illa nullum vidit, vel illam ex ſervis nullus obſervavit; advenit tandem nox, & rediens in ſuam domum afflicta, & quaſi præ fame mortua, crevit ad ſummum mulieris dolor, ubi domum pervenit, quia duos filiolos, quos domi reliquerat à manè ad citò eis ſuccurrendum, poſtmodum quia tam diu tardavit, præ fame, quam antecedentibus diebus paſſi ſunt, utrumque invenit mortuum; hic cœperunt extremi dolores, hic rivi lacrymarum: tranſiit nox, & pariter in furorem verſus eſt dolor; arripit duos filiolos exanimes, abit cum illis ad habitationem Comitis; & ipſâ horâ, quâ ille dabat audientiam, intrat, & dando gemitus, deponit duo cadavercula in terra, & protulit ſuam querelam cum ſingultibus: Si bonus Princeps es, dicit illi: hodie tibi monſtrandum eſt etiam te eſſe bonum Judicem. Non retinet me timor, quin non dicam, quis meos occiderit filiolos, quandoquidem mihi nihil meliùs poteſt accidere, quàm ipſa mors; tuus filius Goriſamnus eſt ille, qui hæc mihi occidit pignora: retulit poſtmodum eventum, & Lindericus remanſit attonitus. Curavit vocari ſuum filium, qui omnino confeſſus eſt, ſic ſe rem habere, prout mulier retulit; Lindericus ſinè prolatione vel unius verbuli immediatè ſe Tornacum contulit, congregat Senatum, proponit caſum tecto nomine perſonæ reæ, petit, ut proferant ſententiam; Judices decidunt talem dignum eſſe morte; qui hoc fecit, & immediatè Lindericus curat comprehendi ſuum filium, & mandat, ut ei in pegmate vita tollatur. Rigoroſa ſententia, rigoroſa executio! oculis mundi hujus hoc ità eſſe videtur, ſed in tribunali Divino non eſt rigor, ſed juſtitia, quæ taliter reſpicit in furto circumſtantias.

IX. Contremiſcite, tremite, quòd illud, quod valde exiguum videtur, dum auferetur, aut non perſolvitur, quando debetur, hoc vobis poſſit auferre totum theſaurum infinitum, & omnes divitias immenſas gloriæ.

INSTRUCTIO XLVI.

Quòd, qui retinet injuſtè res alterius, furetur; & de illius graviſſima Obligatione.

I. QUis tenet, & quis tenetur? Bona interrogatio; & bona ſuperſcriptio poſita ſuper muſcipulam; ſed pejùs eſt, quod etiam poſſet hæc ſuperſcriptio poni ſupra portas aliquarum domuum: quis tenet, & quis tenetur? mus caſeum, vel caſeus murem? animalculum inconſideratum jam habes iſthic tuum cibum; ſed quid factu opus, cùm ipſemet cibus ſit illud, quod te tenet captivum? tu illum tenes, idcirco ille te tenet; quid itaque lucratus es tenendo illum? mortem, ubi vitam quærebas. Cum quo loquor? ego, cum quo loquor? intelligite me mures rationales, dicit vobis Auguſtinus, hoc illud ipſum eſſe, quod vobis accidit: Retines rem, quæ alterius eſt; idcirco illa te tenet multò terribiliùs ligatum, & captivum: Incidiſti in muſcipulam, ubi cogitabas te facere lucrum; aut relinque hoc, quod tenes, vel hoc te tenebit pro ſemper in inferno: *Quid rapias, vides: à quo rapiaris, non vides*; dicit Magnus Auguſtinus, *præda illa, quam vis rapere, in muſcipula eſt, tenes, & teneris.* Homo tenet rem, res tenet hominem: quis fortiùs tenet? homo tenet particulam caſei putridi, hoc enim ſunt omnia bona mundi, & ſint illa qualiacunque velint; unam particulam caſei putridi, quam particulam nec quidem ſinunt eum comedere cum guſtu terrores, timores, & anguſtiæ. Caſeus tenet hominem in compedibus, tenet arbitrium ſubjectum, tenet vitam incarceratam, tenet rationem conſtrictam, & tenet animam in vinculis; hoc, quod tu tenes, te tenet; Quis plùs tenet? *Præda in muſcipula eſt, tenes, & teneris:* dum mus in muſcipulam incidit, jam nihil ſolicitus es, ſedet ſecurus. Ecce iſta eſt muſcipula diaboli,

in qua

in qua cum re aliena, quam tenent, & à qua tenentur, jam illos tenet diabolus pro ſuis abſque omni alia diligentia adhibenda; & hoc adamuſſim eſt id, quod nobis dicit Catechiſmus, quòd ad completionem, & obſervantiam ſeptimi Præcepti *non furtum facies*, non ſufficiat ſolùm non furari, nec ſurripere alienum, ſed opus eſſe nec quidem illud retinere: *Qui non furatur, nec retinet alienum contra voluntatem proprii Domini.* Qui non furatur nec retinet? hæc vox videtur eſſe ſuperflua, dicetis, nam qui aliquam rem accipit, hoc bene apparet, quòd illam teneat; quare itaque additur, *nec retinet?* ego vobis hoc dicam.

II. Quia non ſolùm eſt fur, qui furatur, vel aufert, ſed pariter eſt fur, qui injuſtè retinet; Non ſolùm eſt furtum accipere rem alienam, ſed etiam non reddere acceptum ſuo Domino, non ſolvere, cui res ſpectat: *Non multùm intereſt*, dicit cap. 18. extra. ſæpe. de reſtitut. ſpoliat. *Non multùm intereſt, præſertim quoad periculum animæ, retinere injuſtè, ac invadere alienum*: Et gloſſa ibi: *Fura pro eodem reputant auferre, & detinere injuſtè, ſimiliter auferre, & non dare.* Non prohibet itaque nobis iſtud Præceptum, explicant cum Sancto Thoma omnes Doctores, non prohibet nobis ſolummodo auferre, ſed etiam retinere rem alterius injuſtè. Multæ res tenentur ab illo, qui illas non eſt furatus, & nihilominus, ſi illas non reddit Domino proprio contra Domini voluntatem, cum ſola retentione eſt fur, & ab eo momento quo illas retinet, eas furatur. Ah utinam per gratiam DEI non haberemus tam frequentia exempla! Præſtitit unus alteri certum quantum ad unum annum, pactum tenuit, evolutus eſt terminus, & debitor poteſt, & habet, nec adeſt legitima excuſatio, & tamen non ſolvit illud, quod debet, reclamat Dominus, & hic obſurdeſcit, facit inſtantias unus, & alter quærit excuſationes. Ah conſcientiæ ex corio rupicaprino! & qua ſerenitate, & ſinè ſcrupulo confitentur, dum ſimiles retentiones injuſtas reticent? Oh quales confeſſiones! ex ſimilibus erat abſque dubio ille, qui dum Romæ mortuus fuiſſet cum millenis fraudibus, & debitis, voluit Julius Cæſar, ut ſibi de hæreditate illius compararetur lectus; Lectus, Domine dicunt illi, quare? quia lectus, in quo homo onuſtus tantis debitis poterat dormire, extra dubium, habet

aliquam magnam virtutem infundendi ſomnum; ego hunc debeo emere. Sed iſte lectus, qui in tanta ſerenitate ſinit dormire multos, eſt magis in veritate quædam perverſa conſcientia. Quid juvat, quòd dormiant, cùm ſit lethargus mortis hæc illorum requies: *Non retinere, non retinere aliena contra voluntatem proprii Domini*, dicit nobis ſeptimum Præceptum; & cùm hoc Præceptum ſit negativum, obligat ſemper, & pro ſemper.

III. Ecce ideò hic quantumvis ille id, quod tenet, furatus non fuerit, fuit illi præſtitum, ſi eſt tempus lapſum, & Dominus pecuniæ non differt, & ille habens intra paucos dies non ſolvit, etiamſi habeat animum intra annum ſolvendi, vel duos, vel quatuor, incipit à nunc, ſolummodo ob hanc retentionem, furari, & exiſtere in peccato mortali; & quale peccatum mortale eſt hoc? oh quàm terribile! De Crocodilo dicunt Naturaliſtæ: quòd à quo naſcitur, uſquedum moriatur, ſemper creſcat, hac de cauſa fit beſtia tam formidabilis: ecce hoc ipſum adamuſſim ſuccedit in iſto peccato. Una impudicitia, perjurium ſunt per ſe peccata mortalia; attamen ſemel commiſſa reſtant in anima, quamdiu non abluuntur pœnitentiâ, in illa quantitate gravitatis, quâ commiſſa ſunt; verùm peccatum retentionis alieni non eſt ità conſtitutum, ſemper creſcit, ſemper augmentatur, oh in quantum! ſed quomodo creſcit? Magni Doctores affirmant, quòd, qui tali modò retinet alienum, toties, quoties recordatur ſuæ obligationis, & habens media, non ſatisfacit, faciat novum peccatum mortale, & diſtinctum. Vide Regin. l. 10. Alii dicunt: quòd non, ſed ſolummodo omnibus illis vicibus, quibus, mutando voluntatem, determinavit ſe ad ſolutionem, & poſtmodum ſe reſolvit ad retinendum. Attamen omnes conveniunt, creſcere hanc culpam in malitia propter damnum, quod fit Domino, & creſcere quoad obligationem, quia debent reſtitui Domino damna, quæ ex retentione illius, quod ejusdem eſt, illi emergunt. Oh DEUS quantum onus, & quidem ità neglectum ab illis, qui non ſolvunt! Exemplum eſt facile: Supponite aliquem remanſiſſe debitorem quantitatis centum modiorum grani jam à quatuor menſibus; pro tunc non ſolvit completò terminò, ubi tamen erat ſolvendo, è contra retinuit contra voluntatem Domini

mini proprii uſque nunc: quomodo non creverunt iſta damna? quis illa paſſus eſt? Dominus, qui abſque omni dubio fuiſſet multùm lucratus; & quis tenetur hoc ſolvere? Oh DEUS! exactè æſtimate, perpendite, animam plurimùm valere, & hæc ſola retentio eſt ſufficiens illam perdendi. Gloriabantur Spartani de furibus inventioſiſſimis, refert Rodiginus lib. 18. c. 1. & nullam verecundiam habentes in furando, graviſſimam infamiam habebant, & incurrebant illi, qui in furto deprehendebantur; Accidit itaque, quòd certus Juvenis, nihil inveniendo, quod furari poſſet, furatus ſit Leunculum: portabat illum ſub pallio bene tectum, obviavit aliis, qui ipſum in diſcurſu detinuerunt, & ille, ne ùt fur deprehenderetur, diſſimulabat, correſpondendo prolixitati diſcurſus; Leunculus videns ſe oppreſſum cœpit ſe defendere dentibus, & unguibus, & Juvenis omnia ſufferre: unguibus lacerabat illi pectus, & ille diſſimulabat, projice eum abs te ô homo, projice eum; Non; aliàs in furto deprehenderer; perrexit, & ſuſtinuit glutiendo dolores, & Leunculus partes corporis; uſquedum laceratis illius viſceribus, ibidem eundem mortuum dereliquiſſet. Potéſtne major dari ſtoliditas? ità moreris ô homo! ſolummodo ut id retineas, quod te occidit? quantò meliùs fuiſſet abjicere Leunculum? Jam dic tu tibimetipſi hoc ô Chriſtiane! hunc ipſum leonem, qui tuam dilaniat conſcientiam, qui tibi cor lacerat, & qui tibi aufert animam, ſolummodo ideò, quia tu illum vis retinere, projice eum abs te, abjice, ſi vis vitam habere, ſolve illum, & redde cujus eſt, ſi vis ſalutem.

O miſerum ſtatum, & in tantum lacrymabilem! In tantum, IV.
ut ille, qui taliter retinet rem alienam, habeat ſe res quomodocunque velit, habendo unde ſolvere poſſit, & non adſit legitima excuſatio, non ſolùm non poſſit abſolvi in vita, uſquedum exſolvat, ſed nec quidem in hora mortis, & hoc affirmant omnes Doctores, vide Reginal. lib. 10. n. 326. Dian. &c. --- Adéſtne tempus, modus, & ſubſtantia ad ſolvendum? Ità eſt; cur ergo non ſolvis? itaque, etiamſi relinquas expreſſam clauſulam mandativam, ut tui hoc perſolvant hæredes, non ſufficit, tu moreris in ſtatu damnationis. Oh DEUS meus! quomodo poteſt

aliquis dari, qui ità vivat? & id, quod pejùs eſt, quomodo poteſt quis reperiri, qui taliter moriatur?

V. Retinent tali modo, & exiſtunt in peccato mortali omnes illi, qui non ſolvunt artificibus, opificibus illorum labores, ſervitoribus, & famulis illorum ſalaria, quotidianis operariis illorum defatigationes, & operas, & hoc ſubitò, ſubitò; quia ſimiles de hoc comedunt, & de hoc vivunt; & differre ſimilibus ſalarium eſt quaſi auferre illis vitam, dicit hoc nobis Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 34. v. 26. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum*; Ità, ut, quantumcunque poſtmodum illis ſolvatur, ſit peccatum mortale, dum illi pro ſolutione clamant, & illam petunt, differre ſimilem ſolutionem; *Eadem die redde ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum*, mandavit DEUS Deuteronomii cap. 24. v. 15. Eadem die? & non ſolùm hoc, ſed ante ſolis occaſum? Habetúrne ſimilis ſolicitudo? Ità, dicit Dominus, non vides, quòd pauper ſit, non vides, quòd ex hoc ſe alat? *Quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam*, ibid. Quàm exiguus ſcrupulus ſit de hoc in hac Civitate? Pauperes, opifices, pauperculæ mulieres, quæ ſe ſuſtentant de ſuis miſeris laboribus, ah quomodo exclamant! Sciatis itaque vos divites, vos Potentes, in cælum hos aſcendere clamores, & hoc eſſe ex peccatis, quæ in cælum clamant pro vindicta. Celebrat rationabiliſſimè Seneca quendam Pythagoricum gentilem; emit ille à quodam Sutore par calceorum, diſtulit portare pretium pro illis in ſequentem diem; ſed cùm illud portaret, invenit Sutorem jam mortuum, & ſinè liberis. Congratulabatur ſibi à principio, quòd non ſolverit, quia nullus aderat, cui pretium dediſſet, ſed conſcientia eum mordente, non ſinebat illum requieſcere; in tantum illum momordit, ut ultrà reſiſtere impotens, ſumptô pretiô, ſe contulerit in domum, in qua Sutor vixerat; & ubi eam occluſam inveniſſet, per certam rimam portæ projecit intrò illud pretium, dicens: *Ille tibi vivit, redde quod debes.* Sutor quidem mortuus eſt, attamen pro me vivit dictamen nihilominus naturæ, quod mihi ſemper dicit: ſolve, quod debes; Ecce tibi pretium, non enim volo habere inquietudines conſcientiæ. Hoc dicit Gentilis? Ah Chriſtiani, non dicam ego jam vobis hoc pro

nunc

nunc, sed illud, quod cogitatis: Iste pauper, cui debitum non persolvitis, non audietur à Judicibus, nulla fiet illius ratio, quia est exiguum id, quòd ei aufertis, vel solvere differtis, sed DEUS illius audiet clamores, sed DEUS audiet illius querelas: *Ecce merces operariorum quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit;* dicit vobis Apostolus Sanctus Jacobus cap. 5. v. 4. Verùm, ut quid cito verba Apostoli in materia tali, de qua vociferantur etiam Gentiles? Sufficiens pudor est, dicit Seneca, opus esse scripturis ad solvenda debita, ut reddatur Domino hoc, quod suum est, sunt devorandi disgustus: *Utinam persuadere possimus, ut pecunias creditas à volentibus acciperent; Utinam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret;* Quid sunt istæ scripturæ, hypothecæ, obligationes, testimonia, subscriptiones, quid sunt? *O turpem humani generis fraudem, ac nequitiæ publicæ confessionem;* Sunt confessio publica, cùm non sufficiat lex ipsiusmet naturæ ad evitanda furta, solummodo vis dilacerat, & exstirpat illud, quod deberet relinquere voluntas: quis itaque major pudor potest esse pro hominibus?

VI. Non est ergo ideò excusatio ad retinendam rem alienam, quòd illa à me, vel per me non sit ablata; cùm enim sit alterius, hoc sufficit, quòd debeat ad proprium redire Dominum. Emit quispiam bona fide equum (hoc ipsum dico de aliis rebus) bona fide illum retinet, id est, sinè malitia, & sinè omni suspicione, quòd furatus esset; comparet dum minimè cogitat, proprius Dominus; hucusque nullam culpam habuit; sed quis non videt, quòd, si bene informatus, & certificatus sit alterius esse, illum teneatur reddere? & si injustè illum retinet, illo momento incipit illum furari, & peccare mortaliter. Invenit quispiam collare ex adamantibus confectum, vel inaures ex margaritis, aut quid aliud simile; similia non est furatus, hoc est verum; Attamen quomodo tacet, quomodo dissimulat? Vir, mulier, nunquid vides similia esse alterius? & sic; sed ego hoc inveni; Oh quis introduxit hanc tam stultam, tam perversam ignorantiam? taceo, dissimulo, & si non loquitur Dominus, non inquirit, ego hoc pro me retineo; Valde bene! teneris sub peccato mortali adhibere cum sinceritate omnes diligentias possibiles, ut possis reperire Dominum.

minum. Sed contrarium ſuccedit, & forſitan ſæpiùs non obſervâſtis? repetitis vicibus fuit denuntiatum etiam è ſuggeſtis, talem vel talem rem eſſe deperditam, ut qui illam inveniſſet, ad talem vel talem deferat, mercedem ſuam recepturus, & rariſſimè, vel nunquam dicimus: ut ille, qui Dominus eſt, veniat, & monſtret ſigna, & res ei extradatur; Non, quia ſemper, qui rem invenit, ille eſt, qui id tacet; tali modo, ut magis debeat dolere, qui perdit, æſtimationem illius, quod perdit, quàm qui invenit, pretium infinitum ſuæ propriæ animæ. Mediolani, applaudit dignis admirationibus Sanctus Auguſtinus, certus quidam pauper invenit burſam cum ducentis ſcutis argenteis, & immediatè affixit ſchedas varias, ut, qui illam perdidiſſet, accurreret ad talem domum civitatis, & datis ſignis verificatoriis, illi immediatè reſtitueretur. Advenit immediatè Dominus, dat ſigna, extradit illi burſam inventor, & hic lætus numerat ei pro gratiali viginti ſcuta; hoc non, dicit pauper; cùm ego fuerim obligatus in conſcientia reddendi id, quod tuum eſt, nullus hic adeſt titulus, cur ego deberem aliquid à te recipere; Attamen alter reponit: accipe ſaltem decem; Nullo modo, nihil plùs feci, quàm illud, quod debui; ſume ſaltem quinque: nec iſtos volo; ecce ſi hos non accipis, iſthic remanet burſa, quia ego certiſſimè illam mecum non aſportabo: tandem pauper accipiens hæc quinque ſcuta, immediatè perrexit illa pauperibus diſtribuere: *Quale certamen fratres mei!* exclamat attonitus Magnus Auguſtinus, ubi aliquando eſt audita ſimilis concertatio? totus mundus vix erat condignum theatrum pro tali ſpectaculo, quod DEUM meretur habere ſpectatorem: *Theatrum mundus, ſpectator DEUS*; Diſcite hinc inventa denuntiare, & aliena ſibi non retinere. Obligatio eſt in hoc, eſt obligatio faciendi omnes poſſibiles diligentias, ut Dominus rei inveniatur; & quid ſi poſt ſimiles omnes adhibitas diligentias Dominus non compareat? Communis Doctorum cum Sancto Thoma dicit, quòd debeat diſtribui pauperibus; Oh quàm difficulter hoc fit! attamen quòd & inventor poſſit retinere inventum, non deerunt vobis Doctores.

VII. Attamen deſunt, & quidem omnes, Executoribus, qui aſſumunt quidem tale nomen ſeriò, & factis ſunt Retentores, qui tenent,

tenent, & retinent in tantum bona, debeo dicere, vel meliùs dicam, mala miſerabilium orphanorum, retinent de malis pauperculæ viduæ, de malis Creditorum, quibus non ſolvitur, de malis miſeri defuncti, qui forſitan adhuc detinetur patiens in terribilibus purgatorii flammis, & de malis propriarum animarum, quandoquidem illas tenent in ſtatu damnationis æternæ. Certum eſt Domini, quod conceſſio juris ſpatii unius anni, ut adimpleatur, & executio fiat teſtamenti, conſideret difficultates generaliter, & obſtacula, quæ poſſunt obvenire in exactionibus, & dependentiis; Et pariter hac de cauſa ſolet *Judex Eccleſiaſticus* concedere aliqualem longiorem dilationem, hoc eſt in foro externo; ſed in interno conſcientiæ currunt velociùs termini, & ùt plurimùm ſeipſum decipit, qui cogitat, quòd pro ſua libertate habeat integrum hunc tenere annum, ùt dicit Reginaldus in praxi. Si illud verum eſt, quòd adſint effectus ad ſolvenda debita, Miſſas, pia opera, quæ reſpiciunt exonerationem, & levamen animæ defuncti, ſi adſunt effectus vel facultates, dico, debent executioni mandari, quam primùm eſſe poteſt, & peccat mortaliter Executor, qui talia difert ad unum annum, & etiam ad brevius tempus. *Conveniunt Doctores peccare mortaliter Sacerdotem* prorogantem dicere Miſſam, quam ex juſtitia pro defuncto tenetur, prorogantem per unum menſem, & *illi*, qui laxiores ſunt in hoc, per duos menſes; qualis itaque erit obligatio Executoris teſtamenti? Ah! ſi formaremus conceptum de illo, quid ſint illæ pœnæ, ex hoc videremus, quantum fiat pauperculæ animæ ob dilationem damnum. Cùm mortuus fuiſſet quidam Monachus, ùt Sophronius narrat in Prat. Spirit. ſinè præſentia ſui Abbatis, comparuit huic immediatè, eidémque dixit: Venio miſſus à DEO, ut tu mihi determines tempus, quô debeo in purgatorio remanere; Abbas, perſuadendo ſibi, quòd ei magnum exhiberet favorem, manebis, dixit illi: uſquedum tuum ſepeliamus corpus; tunc is prorumpendo in funeſtiſſimos gemitus, diſparuit clamans: Ah crudelis Abba! ah crudeliſſime Abba! Hic idcirco eo ipſo momento in omni velocitate diſpoſuit, quatenus ſepeliretur. Ah quot animæ erunt in purgatorio vociferantes! Ah crudelis Executor! ah Executor crudeliſſime! Et quid? & quid? ſi dilationes,

quæ illic talia tormenta causant, non sint tantùm diurnales, sed planè annuales? Oh quid vos expectat Executores tenaces? Ah quæ, & quantæ vos pœnæ manent!

VIII. Refert Speculum Magnum Exemplorum verb. Testam. Certum usurarium, qui non solebat adesse audiendis Concionibus, immersum semper suis turpibus lucris, se resolvisse quadam vice audire Prædicatorem, &, DEO sic disponente, Prædicator fuit locutus cum efficacia, & spiritu de hac ipsa materia, quam ego hodie in tantum sinè spiritu proposui; Exposuit, quomodo non sit, nec esse possit salvatio respectu illorum, qui injustè retinent alienum; transfixit dictum cor usurarii, repletus fuit anxietatibus, & exivit compunctus perpendendo, & recogitando illud, quod audiverat. Oh effectus prædestinationis! Alii, quia ad vivum tanguntur, exeunt murmurantes contra Prædicatores, ac si Prædicator posset novam ex se ipso legem DEI condere, quæ ad gustum foret impiorum; illic melius hæc omnia videbunt, quod iste melius considerando, non cessabat ruminare, & perpendere in sua anima illas voces: *Quamdiu retinetur alienum, non potest speravi salus.* Non post multos dies, oppressit illum infirmitas mortis, & advertens se premi etiam multò magis à conscientia, quàm ab ipsamet infirmitate, curat vocari illum Prædicatorem, refert ei suum statum, & confitetur: omnia quæcunque possideret, esse malè acquisita; Remansit Confessarius suspensus, & attonitus; & infirmus, quid cogitas Pater, in quo hæres? anima mea est in tuis manibus, ego volo salvari, & sic dispone, proùt tibi placet, nam in omnibus tibi ero obediens. Itaque Fili charissime, respondit ei Confessarius, obligatio, quæ te constringit, hæc est, ut omnia hoc ipso momento restituas; Non habebis quatuor amicos, quibus hoc opus committere possis? Ità est, respondit infirmus, habeo; cura igitur illos citò vocari, consigna illis, quantum habes, determinando debita certa, & ex parte altera incerta, & ut illa solvant, & cures te deferri ad hospitale, ubi te recipient ùt mendicum; omnia taliter fuit executus punctualiter. Rediit domum Confessarius, & illa nocte, dum studeret, videt in angulo sui cubiculi diabolum in figura parvi infantis, qui magnos edebat singultus, & plurimas spargebat lacrymas: remansit per-

perplexus, dum ex altero angulo videt prodire alium diabolum in forma alicujus *Senecionis* Venerabilis valde cani, & ùt plurimùm ridentem; Quid hoc erit? cœpit illos audire, & audivit, quòd Senex ex infante quæsierit: Cur fles, & tam seriò? Et forsan non debeo flere, respondit alter, cùm mihi evaserit quidam usurarius, quem ego à tot annis in securo habebam? qualem rationem dabo ego nunc meo Principi, ità cùm hunc reliquerim evadere? Apage simplex, dixit illi Senex, apparet, quòd infans sis, pro prudentia sunt verè tui capilli albi, de hoc te affligis? Dic mihi: nunquid ille reliquit quatuor Executores, qui debent pro illo solvere? Ità est: si itaque pro uno, quem perdidisti, habes nunc quatuor, ob quam causam ploras? applica tuas astutias ad evincendum, ut isti Executores non solvant, & brevi videbis quadruplicatum lucrum. Diaboli disparuerunt: Confessarius retulit suam visionem; cum quali profectu, hoc dicet historia: Ille sanctè obiit in hospitali; de Executoribus nihil scimus.

Beatus ille, beatus, qui per suas manus anticipat suas eleemosynas, suas Missas, sua opera; Beatus, qui in hac re non fidit nec uxori, nec filiis, nec amicis; Beatus, qui præmittit facem bonorum operum, qui dissolvit nodos suorum debitorum, ut se liberet ex illa misera executione pœnarum, & lucretur illam fortunatam libertatem gloriæ. IX.

INSTRUCTIO XLVII.

Universitas Furti in variis classibus, facultas, & subtilitates ad inferendum damnum Proximo.

UNico libro, qui sinè studio apprehenditur, video nihilominus, quòd diu noctúque, & totâ vitâ studeatur: Unica facultas, in qua quò magis quis proficit, eò minùs scit, nihilominus perturbavit scholas scientiarum, erigendo pro sua Universitate Regali totum mundum. Non est in hac Metropoli Universitas scientiarum illa sola, quæ erecta est in loco noto. Non, nam ad proficiendum in studio per totam hanc Patriam volat ista Universitas. Sunt plenæ studiosorum viæ, domus, fora: Student vi- I.

ri, & ſtudent etiam fœminæ; ſtudent plebei, & Nobiles; ſtudent artifices, & mercatores; ſtudent infantes, & ſtudent magni; omnes (quamvis in variis claſſibus) ſunt ſtudioſi unius ejusdémque facultatis, quæ, cùm non indigeat ſcholâ, ut illam quis addiſcat, facit ex toto mundo Univerſitatem, ut capiatur. DEUS Sancte! quæ facultas erit hæc tam exquiſita, ut omnes illi ſtudeant? & omnino ideò illi ſtudent, quia illam quærunt. Eſt illa, quam per antonomaſiam, & propter primatum ſupra omnes, vocavit; & appellavit lingua Latina facultatem; *Facultas*. Eſt capitale, eſt ſubſtantia, eſt pecunia. Ut poſſideant, ut habeant, ut acquirant, ut lucrentur, omnes ſtudent, dicit Jeremias Propheta cap. 6. v. 13. *A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent.* Omnes ſtudent; Videte, an non ſit Univerſitas, & omnes ſtudent pecuniæ, rebus Regalibus, videte: an non ſit Regalis; ſed ſi diceret Propheta, quòd omnes hanc anxietatem habeant; tranſiret; Verùm, quòd omnes avaritiæ ſtudeant? In hac materia non eſt opus Magiſtrô, non eſt opus libris, quomodo igitur dicit Propheta, quòd ſtudeant? Et nunquid eſt ſtudere ſupra tot, & tantas ſubtilitates qualiter poſſint inveniri, ſupra tot Authoritates, quomodo poſſint quæri, ſupra tot diſcurſus, qualiter debeant formari, & hæc omnia fiunt, ut poſſit poſſeſſio haberi, omnia pro lucris? Nunquid hoc eſt ſtudere? vocârunt hoc *induſtriare* (conatum adhibere, vel adlaborare ingeniô) & ſi *induſtriare* eſt texere fraudes, ordiri deceptiones, ſtruere inſidias ad auferendum alteri illud, quod ſuum eſt, totum hoc induſtriare *eſt velle alienum*, dicit nobis hoc clarius Catechiſmus, *contra voluntatem proprii Domini.* Velle hoc vel illud ſolummodo, ſinè damno alterius, non eſt, ſed velle cum fraude, deceptionibus, furtis, etiam ſolummodo in intentione eſt peccatum mortale. Jam quid erit, ſi planè ſtudeatur ſupra machinationes, ſupra media, & ſtratagemata ad auferendum hoc, vel illud? Et quid, ſi in iſta facultate tota ſcientia conſiſtat in deceptionibus, & totus profectus, totum lucrum in defraudatione? Subtilitates ſunt iſta; ſed quia Magiſter eſt harum ſubtilitatum diabolus, ducit ſecum omnes ſuos ſubtiliſſimos diſcipulos.

Depin-

Depinxit quidam certam magnam imaginem, quæ oculis eſſet oblectationi; attamen plùs haberet in illa contemplari anima; In medio depinxit potentem Principem, & magnæ authoritatis, & poſtmodum in lateribus diſtribuit perſonas cum ſuis ſententiis, & inſcriptionibus, quæ ex ore cujuslibet perſonæ prodibant, in dextera poſuit aulicum, in perſona, & habitu alicujus magni miniſtri; *Ego*, dicebat, *huic ſoli ſervio, & hoc ſolo mihi ſervio*; Ad ſiniſtram pinxit Militem, qui dicebat: *Dum ego furor, mihi furantur iſti duo*; Hìc collocavit Agricolam: *Ego ſuſtento, & me ſuſtentant iſti tres*; Illic Artificem: *Ego decipio, & me decipiunt iſti quatuor*; Hìc Mercatorem: *Ego ſpolio, quando veſtio iſtos quinque*; Illic Doctorem: *Ego deſtruo, quando defendo iſtos ſex*; Hìc Medicum: *Ego occido, quando curo iſtos ſeptem*; Ibi Confeſſarium: *Ego damno, quando abſolvo iſtos octo*; Et poſtmodum in medio omnium turpiſſimum, & ferociſſimum diabolum, qui extendendo ungues, & dentes in rapinam, dicebat: *Itaque ego mecum duco iſtos novem.* Taliter itaque unus propter alterum incatenatur homo ſicut circuli, ſtudendo fraudibus contra ſeptimum Præceptum, tandem cadunt in infernum. Idcirco paucis verbis illos complectitur omnes Catechiſmus: *Quis hoc Præceptum rumpit? qui alteri facit aliquo modo damnum injuſtum, vel eſt cauſa, quod alter hoc faciat.* Aliquo modo damnum? Ita eſt, & ſit illud qualecunque, ſi eſt injuſtum. Quamobrem non ſolùm qui aufert, non ſolùm qui retinet alienum, furatur; ſed etiam, qui nihil pro ſe accipit, nihil percipit. Talis eſt, qui alteri comburit domum, fundum, occidit equum, deſtruit ſegetes, --- qui, nullo alio percepto fructu præter ſuam malitiam, peccat mortaliter, & remanet obligatus ad reſtitutionem totius damni, quod cauſavit. Sed cùm iſta damna proximi ſint illa, quibus ſtudium impenditur ad proficiendum *à minori uſque ad majorem*, ſicut dixit Jeremias Propheta, progrediamur illam conſiderare cum brevitate. II.

In ſervis, arcariis, domûs Præfectis, qui ſalarium habent, ut curam gerant ſubſtantiæ domeſticæ, officinæ, repoſitorii; ſi quid per illorum culpabilem negligentiam, & floccitatem, diminuatur, pejoretur, perdatur, quantumvis ſtudeant, quomodo ſe poſſint diſculpare, vel quod plùs eſt, ſi componant ad ſuum III.

placitum ratiocinia ad decipiendum Dominum, hoc totum nihil juvat: Iſta negligentia, quæ fuit cauſa damni, eſt peccatum mortale, & remanent obligati ad reſtitutionem. Laboratores diurni, operarii, vel alii hujus claſſis, quibus dietim ſolvitur, ſi omittant laborare multis horis diei, quantumcunque ſtudeant, nè videantur, cùm illos DEUS videat, nihil juvantur ab hoc ſtudio, & peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem, vel duplicando laborem, vel minuendo ſolutionem. Artifices, oh DEUS! quot, & quantas faciunt promiſſiones, quanta mendacia, & quod pejus eſt, cum ex illis multa ſint, propter damna quæ cauſant, differendo labores, peccata mortalia, neſcio, an omnia confiteantur. Si percepta ſolutione, vel totâ, vel parte illius, petente, & reclamante Domino, locò laboris, quem illi facere tenentur, alios labores admittunt, & alios, & forſitan cum intentione hoc ipſum faciendi, quod priori Domino fecerunt, & devorant ſolutionem abſque motione manûs ad laborem, dum poſſent, & tenentur, ah quæ conſcientiæ! Quid importat, quòd ſtudeant excusationibus, & quòd mentiantur impedimenta? Nihil juvat, nam tales ſuſpenſiones, & dilationes ſunt ſæpiùs peccata mortalia; & ſi opus tale eſt, ut, quòd ſi non perficiatur, & opifex in cauſa ſit, exinde ſequantur Domino alia damna, talia ut morioſus tenetur reſtituere: ſicut pariter, ſi ſequantur damna ex eo, quòd opus benè factum non fuerit, vel ſinè debitis circumſtantiis propriæ artis. Narrant de quodam certo horologiario, quòd ſua horologiola dederit gratis; gratis; ſed cùm obligatione, ut illa ſemper ad eum reportarent, ſi deſtruerentur, & eidem reparationes perſolverent, & ſi illi voluiſſent adimplere tales obligationes, quid cogitatis, quis fuiſſet deceptus? Ah artifices! quid juvat vos elaborare operas levi pretio, & quòd illas non carô pretiô divendatis, ſi eas tali modo facitis, ut reparationes dupliciter plùs conſtent, vel planè labor veſter nulli uſui ſerviat? hoc eſt prendere pro mercede veſtram damnationem.

IV. Et quid dicemus de illa, quam vocant Univerſitatem Mercatorum? Oh DEUS! ſi alicubi, tunc hic acuuntur ingenia, præveniuntur conſequentiæ, excogitantur argumenta, & ſubtilizantur diſcurſus; hic certè contra illud, in quo ſudat, & gemit Theologia,

logia, invenit rationes, & argumenta mala conſcientia ad palliandam iniquitatem alicujus mali lucri. Nimis vaſtum eſt iſtud mare pro mea ſcapha miſera, non poſſum illud percurrere; idcirco ſolùm dico iſtam propoſitionem in generali: Mercator, qui non habet unum, vel duos viros doctos, cum quibus poſſit conſultare in ſinceritate circa ſua dubia, ſubjiciendo ſe illorum judicio, ùt plurimùm periclitatur. Mercator, qui ſe committit Calculatori, & cum una ſola ſumma, qui, quantumvis illa ſit in vulgari modo, non omnibus vicibus illam intelligit; ſi cogitat reſolvere ſuas negotiationes, & ſuas emptiones, & venditiones, abſque eo, quòd conferat cum alio Doctore, præterquam cum ſuo intereſſe, maximo periculo committit ſuam ſalutem; & in tanta univerſalitate difficultatum graviſſimarum, dico ſolummodo, ut conſulant ſemper doctos; nam ego, qui talis non ſum, nihil aliud facio, quàm prælego illis obligationem conſcientiæ.

Menſura, & pondus jam nota ſunt; quis ad ſeipſum decipiendum vellet tam turpiter decipere alios, & ſeipſum damnare? *Mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Pſal. 61. v. 10. Seipſum decipere in illo, quod tantum ponderat, ad decipiendum alterum, in illo, quod finaliter eſt vanitas. Infortunium ſummum eſſet in mercibus, quis hoc ignorat? Si merces ſunt vitiatæ, ſi corruptæ, ſi hæ mutatæ cum aliis, catus pro lepore, ſi commixtum eſt malum cum bono, abſque eo, quòd dicatur illi, qui emit id, quod emit; licèt emptor hoc non videat, valdè cæcus erit mercator, ſi in hoc non conſiderat ſuam damnationem. In pretio: hic pro certo ſolent intercurrere, vel pro eo elevando practicæ, vel pro aſcenſu voces, vel ut accreſcat, argumenta. Oh ego alteri confido meas merces; Ità eſt, idcirco ſi illas non confidas, eas non divendis; hoc negare non potes; Ità eſt: ideò illas confido ad annum, vel etiam ad duos, & quidem cum periculo illas amittendi; Ità eſt; Idcirco tamen pariter non eras certus, & ſecurus lucrum ex illis habendi, ſi illas domi retinuiſſes: Verum eſt; ſed dantur hic multæ malæ ſolutiones; quid mihi non contigit cum iſto? quid non perdidi cum illo? Concedamus hoc ùt verum; attamen illud, quod alter fecit, non debet nec tenetur ſolvere iſte: & ſi non, V.

reſol-

reſolvas te ad nihil ultrà fidendum, & videamus. Sunt hæc omnia vera, ſed dilationes; lentè. In ſubſtantia totum hoc tendit ad concludendum, quod illud, quod in tota civitate valet, ubi cariſſimum eſt, pro octo, debet poni in libro rationum, ſeu libro domeſtico pro decem, vel pro duodecim. Oh quanta argumenta! Intelligamus hoc ſemel Dilectiſſimi, & bene perpendamus: Vendere ad creditum non eſt titulus; ut poſſit peti plùs juſtò pretiô, & id, quod plus percipitur, furtum eſt; eſt uſura palliata, & expreſsè condemnata in ſacris Canonibus: ext. c. 6. In Civitate de uſur. cap. 10. conſuluit. eodem, t. Vel ſi non, videamus intereſſe è contrario: quia alter non poteſt ſolvere numeratâ pecuniâ, ſed in rebus, debet illas dare ad minus pretiô infimô; Quamobrem res, quæ valet curſim pro octo, ſi ipſa re ſolvit, non recipiunt illam quàm pro ſex. Ah cupiditas, quomodo obcæcaris! tali modo dum tu das merces, debet eſſe pretium ſupra ſupremum, dum tu merces recipis, debet eſſe minus infimô? & pro uno, & pro altero inveniuntur cauſæ! Hæ nihil aliud ſunt, quàm palliamenta damnationis. Ego non negaverim quin defectus mercium addat valorem; defectus dico, & inopia; non autem mendacia, non voces divulgatæ, non litteræ fictæ, non negationes affectatæ. Oh illud, quod in hac materia practicatur, & an apud DEUM valeat, hoc illic in illo tremendo tribunali experientur. Defectus, & inopia, repeto dicere, dat mercibus valorem, ſed non debet abſcondi malitiosè à duobus, vel quatuor Mercatoribus; qui expendit ſolummodo pro tela vel panno, & non pro aliis rebus, viginti millia ſcutorum, & hunc, & illam tenet involuta, & abſcondita, ſinè venditione per longum tempus; neſcio, quid mihi diceret de ſua intentione; attamen jam illam DEUS videt, jam illam videt. Magis præ iſtis, & ſupra omnes ſunt infames illi, qui modernis temporibus ſe impinguant fame communi, *de fame publica negotiari*, dicit Sanctus Ambroſius lib. 3. op. c. 6. Illi, qui lætantur de publica calamitate, dicit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 15. *In alienis calamitatibus delicias capiunt*; Illi, qui meſſem faciunt ex omnibus aliorum miſeriis, dicit Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 3. *De calamitatibus meſſem colligunt*; Illi, qui devorant totum populum, ut

bolum

bolum panis, dicit David Pſal. 13. v. 4. *Qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Quid ſecreti erit Domini, quòd emendo Piſtores vel Venditores panis viginti juliis e. g. noſtram ordinariam menſuram farinæ, lucrentur duplum, quàm quando illam emebant pro decem? ſi pro tunc lucrabantur octo, modernis temporibus lucrantur ſedecim; & hoc eſt certiſſimum; Ità ſuccedit in multis locis, ità practicatur. O fures infortunati! *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.* Prov. 11. v. 26. Erit maledictus in populis, & à populis, dicit Spiritus Sanctus, qui abſcondit neceſſaria: Qui furatur in illis pretium, dicit Sanctus Ambroſius: *Captans pretia frumentis;* reportabit pro lucro tot maledictiones, quot ora habet populus; habebit pro lucro plures, quàm grana frumenti, amaritudines maledictionum. Congregate, congregate infelices, ad tot enim maledictiones quid vobis reſtat expectandum, præter infortunia? Totum hoc, quod lucramini, eſt damnatio.

Alia ſchola idcirco perniciosior adhuc reſtat nobis pro ultimo, Univerſitas dico malitiæ, & publicæ deſtructionis; pro qua non datur lingua, quæ ſufficiens ſit ad aſſignandas ſolummodo ſubtilitates, vitia, fraudes, quæ omnia tamen dicunt legalia: Spolia, quæ appellantur juridica, & furta, quæ obtinent nomen Proceſsûs. Oh multitudinem, quæ in hac ſchola reperitur, rapinarum! Pennæ aquilæ, dicunt Naturaliſtæ, ſi commiſceantur pennis aliarum avium, brevi temporis ſpatio omnes pennas aliarum avium faciunt deplumeſcere. Bene ſcimus, quot in hoc exercitio vivant morigerati, & tenaces recti, attamen quot in hoc deflet Reſpublica pejores diabolis. Ah pennæ aquilinæ, Doctores perverſæ conſcientiæ, Scribæ ſinè anima, Procuratores ſinè DEO; quæ damnatio vos expectat? Certum eſt, ùt docet Navarrus c. 17. n. 131. Laym. lib. 2. D. Thom. impedire alterum, ut exigat, vel ut acquirat id, quod ſuum eſt, ad quod habet jus, vel fiat hoc per artificium, vel fiat per violentiam, vel per authoritatem Judicis, vel ſinè illa, eſſe peccatum mortale cum obligatione reſtitutionis omnis damni facti; qualis itaque damnatio erit, ſi Doctor vel aſſumit litem injuſtam, vel poſt aſſumptionem illius talem cognoſcit, & nihilominus proſequitur? ſi ob VI.

ſuam ignorantiam illam injuſtam non agnoſcat, & talis ſit, hæc ignorantia eſt culpa mortalis; ſi illam poſtmodum proſequatur ob ſuam malitiam, eſt hæc malitia culpa mortalis. Galeacius Dux Mediolanenſis, ùt refert Engelgrave Domin. 18. ſcivit talem Advocatum, & Cauſidicum ex ſimilibus, qui pro omnibus cauſis habebat textus, & modos, & ſinè omni alio indicio, vocavit illum, & poſt ſuavia verba, dixit ei: Ego habeo certum Paſtorem, qui mihi ſervit, & huic centum ſcuta debeo, ipſe illa petit, ego nolo ea ſolvere: erítne aliquis modus excogitabilis me defendendi? Ità mi Domine, reſpondit immediatè: hoc facillimum eſt: totum conſiſtit, ut tranſeat ex executivo ad Ordinarium, poſtmodum jam non deerit modus; ego hanc defenſionem in me ſuſcipio. Dux tunc, poſtquam illum reprehendiſſet ſeveriſſima gravitate, curavit illum ſuſpendi. Quot, & quanta debita tali modo implicantur? quot jura taliter vitiantur? quot, & quantæ ſubſtantiæ ſic perduntur? & quot familiæ ſimili modo ruinatæ plangunt, cùm Potens non poſſit liberare Judicem, nec Advocatum ex inferno. Et jam dum illud non conſequuntur, etiam in cauſis juſtis, quæ dilationes non procurantur, & quidem ſinè ſcrupulo? Quæ impedimenta non interponuntur, ità ſinè reſpectu? ut interim poſſint omnes emungere. Oh certè obſervat ſuos paſſus, & menſuram Juriſta; Ah palliamenta conſcientiæ! non negamus ſimiles paſſus, idcirco bene ſcitis, animæ infelices, quinam ſint illi paſſus, quos procuratis, & iſti paſſus ſunt volatus, quibus volatis ad infernum. Conquerebatur coram Rege Theodorico certa pauper Vidua jam eſſe elapſos multos annos, per quos proſequebatur certam litem, quæ intra paucos poterat concludi dies: Promiſit Rex ſe velle illam expedire; mulier abſceſſit; & advocans immediatè Rex Procuratorem, Scribam, & Advocatum: Agite, ait illis: ut præſtò concludatur, & ad finem perveniat lis talis Viduæ, habebo enim exinde magnum ſolatium. Abeunt, extricant, & diſponunt omnia, & intra duos dies prodit ſententia in favorem Viduæ. Rurſum illos vocat Theodoricus, & illi comparuerunt contentiſſimi; & quomodo tam citò eſt concluſum hoc negotium? quia ſufficiebat habere, reſpondit adulator Advocatus, recommendationem Veſtræ Majeſtatis; meam recommendatio-

mendationem? Nunquid, quando vobis hoc officium contuli, omnes recommendavi, & præcipuè Viduas? est itaque dilatio facta ex vestra culpa; & eô ipsô momentô curavit illos decapitari. Quoties potest plùs unus Patrinus, unus Dominus talis vel talis, vel una bursa, quàm DEUS, quàm conscientia, quàm anima; & hoc interim studere testimoniis, conari talia proferre, occultare instrumenta, colludere cum Relatore clausulas falsificando infami collusione; expectare, nè Advocatus contrarius adveniat; differre rem pro Judice, qui jam præventus est --- tot deceptiones! & hæc omnia pro damnatione. Oh DEUS! quid juvat; quòd per similes intricationes prodeat sententia favorabilis, cùm sententia damnationis remaneat, ubi nihil valebunt appellationes? Quid juvat, quòd remaneat benè accommodatum marsupium, cum obligatio restituendi remaneat in anima? præsertim cùm pro hoc nihil valeant nec textus, nec translata, nec acta, sed restituere, vel damnari. Quidam Gubernator fervidè desideravit, refert Nierembergius Strom. 5. c. 24. ut sibi venderet certus pauper vineam, hic autem noluit; adlaborabat ille Potens, interim hoc durante pauper mortuus est. Gubernator, corrumpendo duos testes, accessit sepulchrum illius viri, terram discooperuit, & ponendo in manus cadaveris sacculum pecuniæ, estote testes, & estis, dixit: Titium recepisse à me pretium pro vinea, & dum ego ei illud in manus imposuissem, non contradixisse; hôc factô, suam pecuniam recepit, occluserunt sepulchrum, & die sequenti petit ille vineam à Vidua; illa cum mille clamoribus negat; eunt ad Regem Philippum Galliæ, ille committit litigium certis Judicibus; hi audiunt testes, recipiunt ab eis juramentum, & dant in favorem Gubernatoris sententiam. Mulier cum fluminibus lacrymarum redit ad Regem, exclamat, & jurat, omnia quæcunque testes dicunt, esse falsa; & commotus Rex mulieris miseriis, curat testes advocari, separat unum ab altero, & interrogat unum: scísne recitare credo? Ità respondit ille; jam ergo mihi illud recita; dum finivit, reliquit illum in suo loco; Accedit alterum; jam tuus socius mihi est locutus cum tanta veritate, sicut sunt verba Divinæ Scripturæ, vide tu nunc, quid mihi respondeas; is tunc expavescens cogitánsque socium jam o-

mnia prodidiſſe, projecit ſe in terram, fatetur veritatem, patefacta eſt fraus, & Rex mandavit, quatenus ille impius Gubernator vivus ſepeliretur. Et quid prodeſt, quid juvat ô homines atramentarii, quòd hic non tam citò patefiant corruptiones veſtræ, & vitiationes, ſi patefactæ fuerint, poſtquam ſepulti fueritis in inferno? Procurator devolvit culpam in Scribam, *Scriba* in Advocatum, Advocatus in commiſſarium, omnes tandem in Judicem. DEUS autem in omnes, quando omnes comparebunt ante optimum, & juſtiſſimum Tribunal.

VII. Breve erit exemplum, ſed efficax. Refert Pater Joſephus de Caravantes tract de Miſſ. lib. 3. 1. 8. Religioſus Capucinus, quòd, dum jam vicinus morti eſſet, Religioſus quidam Ordinis Sancti Franciſci, juraverit per mortem cui jam vicinus erat, eſſe veritatem iſtum eventum. Tempore, dixit, bellorum Cataloniæ, in certa illuſtri terra ſeu Regione Coronæ Arragoniæ, pro quodam Judice, quem ibi vocant Juratum, impoſuerunt mihi ſermonem in ejus Exequiis. Studebam ego ſermoni, & illa ipſiſſima nocte apparet mihi cincta flammis anima dicti Judicis, quæ mihi dixit: Nè prædices meos honores, & dignitates, ſed mea vituperia, & dedecora, qui cùm malus Pater fuerim Reipublicæ, ſum damnatus pro ſemper ad pœnas infernales. Hoc mandat *DEUS*, & ut dicas, omnes Judices, & miniſtros Juſtitiæ, Gubernatores, Capitaneos, *Scribas*, qui ſunt mortui in hac Regione à ſexaginta elapſis annis, omnes ardere in inferno, eò quòd non adimpleverint ſuas obligationes propriorum officiorum; Hoc mandat DEUS, ut dicas, ut alii aliorum infortuniis fiant cautiores, & diſcant meliùs præeſſe.

VIII. Oh utinam omnes diſcerent, quòd hic deſerantur, & relinquantur cum dignitatibus, & honoribus lucra, & proventus; & quòd ſolùm, infinities plùs valeat æterna gloria.

INSTRUCTIO XLVIII.

De infami Furto Uſurarum, & de illis, qui cooperantur ad Furta.

I. PLanè aduſque ipſum *dare*, quis hoc ſibi imaginaretur? Planè aduſque ipſum dare ſe intruſit *auferre*. Duæ res ſunt inter ſe ex toto

ex toto contrariæ, & sibi oppositæ, [illegible] obstante cupiditas modum adinvenit faciendi ex ill[illegible] eandémque rem. Quòd, qui alterius rem aufert, furetur; hoc transit: Sed qui dat proprium, quomodo hoc? Quòd furetur, qui alienum retinet, hoc jam intelligitur; sed qui largitur illud, quod suum est? Quale furtum hoc erit? Illum furari, qui alteri facit injustum damnum, hoc jam est notum, sed quòd etiam ille, qui alteri dat suam pecuniam, Quomodo talis furatur? Quòd furetur, qui cum fraudibus, & palliamentis decipit, jam hoc cognoscitur; sed quòd, qui immittit in manus alterius doppias, sacculos, & sacculos doppiarum, quomodo potest esse, quòd in isto ipsissimo dare, in hac largitione consistat furari, consistat ablatio? Cùm furtum sit ex integro contrarium, quòd est auferre; quomodo potest adesse furtum etiam in dare? Attamen ità est; quandoquidem datur tale *dare*, quod est sanguinosissimum *auferre*: & dantur dona, quæ sunt funestissima furta. Nónne dicunt dare ad lucrum? Meliùs dicerent etiam dare ad damnum. Sed si hoc est ad lucrum, quomodo est ad damnum? Et si est damnum, quomodo erit lucrum? Hoc, mihi dicetis, est facillimum; quia ad lucrum est illi, qui dat, & est ad damnum illi, qui recipit. Benè. Itaque qui dat, eô ipsô quòd det, locò perditionis lucratur. Et quid lucratur? Illud quod aufert dando: itaque qui recipit, ab eo ipso, à quo recipit, damnum habet. Et quale est ejus damnum? Illud, quod ei dederunt. Quomodo hoc erit? Interrogate de hoc cupiditatem, quæ adinvenit subtilitatem pro hoc *dare*, quod est auferre, & pro hoc *dare*, quod est furari. Dare itaque ad lucrum, est dare ad damnum, est idem per idem. Ità est. Oh quantò meliùs hoc explicat Sanctus Augustinus, dicens: *Ubi lucrum, ibi damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia.* Lucrum, & damnum simul uniuntur. Sed quomodo? Lucrum in tua arca, & damnum in tua conscientia; damnum in tua Anima; Lucrum in pecunia, quam lucraris, damnum in salvatione, quam perdis: *Qui alteri facit aliquo modo damnum injustum*, dicit nobis Catechismus.

Hoc itaque vocatur Usura, nomen execrabile etiam inter Barbaros; quandoquidem etiam Turcæ non permittunt intrare Usurarios II.

ſurarios in illorum Moſcheas. Leo. Hiſt. Turcic. Antiqui Romani, referente Catone, ſi cogebant ſolvere fures duplum, uſurarios quadruplum. Athenienſes nunquam viderunt lætiora luminaria, dixit Ageſilaus, quàm quando Agis illorum Generalis combuſſit in publico foro omnes ſcripturas uſurarias. Reportavit omnes applauſus Lucullus, eò quòd ab uſuris liberaverit Aſiam. Lucratus eſt communes acclamationes Cato, eò quòd ſimilia lucra proſcripſerit ex Sicilia; Et veteres Germani, refert Tacitus, ità ex toto ignorabant hoc factum, ut etiam fuerit abominabile illis nomen Uſuræ. Et forſitan etiam, quia uſque adeò ipſimet cupiditati ingerit pudorem, voluit illa deaurare id, quod furtum eſt, vocando illud præmium. Præmium dicunt, oh DEUS! Ut major ſit confuſio, quòd inveniatur Chriſtianus, qui pro præmio habeat illud, quod inter Barbaros abominatio fuit: quòd detur Catholicus, qui nominet præmium illud, quod furtum eſt?

III. Videbatur mihi multum, dicere, dari fures honoratos; verùm jam video, dari fures præmiatos. Sed cum lege naturali, unit lex Divina contra uſuras, fulmina ſuarum minarum in repetitis oraculis Divinarum Scripturarum, Exodi 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Levit. 25. v. 36. *Nè accipias uſuras ab eo, nec ampliùs quàm dediſti.* Deuter. 23. v. 19 *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et Sacri Canones ſtringunt maximè terribiles gladios in repetitis deciſionibus contra Uſurarios. Oh! Quòd ſi nos non eſſemus, perirent multi. Ah infortunati! certum eſt hoc, quòd multi alii ratione veſtrum pereant, imò innumerabiles. Datis, ſed auferendo ſubſtantias familiis; Datis, ſed deſtruendo domos familiarum; Datis, ſed deglutiendo bona aliorum: *Imitantur bamos dona.* Et proverbium multorum annorum. Videbitis piſcem, qui natando in aquis quærit ſuam vitam: cùm interim Piſcator quietè ſedens expromit eſcam, piſcis deglutit, & videt ſe jam trahi ad oram. Miſer piſcis, quis tibi abſtulit, quis tibi furatus eſt tuam libertatem, tuam vitam, & tuum totum eſſe? Ille, ille, qui videbatur mihi eſcam porrigere. Volat velociſſimè avicula, quando videt eſcam ſibi proportionatam; demittit ſe in ramum,

& rema-

& remanet cum pedibus, & alis in viſco: *Viſcata beneficia devitet*, dicebat Seneca Epiſt. 8. *quibus habere nos putamus, & habemur.* Oh quot, & quanti dantur favores cum viſco, oh quantum donorum cum unguibus!

Sed cum quo loquor ego? Illud eſt clariſſimum, & ego non dico contrarium, nec etiam hoc dici poteſt, illos omnes, qui dant pecunias ad damnum, facere per hoc uſuras, non; Dantur etenim tituli juſtificati, qui excuſant à ſimilibus uſuris præſtitis. Ità hoc faciunt homines timorati, & bonæ conſcientiæ, dirigendo ſe juxta ſententias hominum doctorum. De iſtis ego hìc non loquor. Dicam tamen, quòd aliqui parùm ſcrupulizent in materia tam gravi, valdè timeo, nè, vel non attendatur in quærendo titulo juſtificante ad evitandam uſuram; Vel, quòd magìs timeo, nè tituli tam ſpecioſi vel *damni emergentis*, vel *lucri ceſſantis*, vel aliorum contractuum, nè, dico, non ſint ſemper in facto veri. Et quid proderit, quòd videatur per hunc vel talem titulum excuſari uſura, ſi, cùm talis titulus falſus ſit, uſura in anima, & coram DEO vera eſt! O Domini! ſi in hoc potiùs reſpiceretur anima, quàm pecunia, priùs ſalus æterna, quàm lucrum. IV.

Uſura eſt lucrum immediatè proveniens ex mutuo, ità ut mutuans ſupra ſortem, id eſt ſummam capitalem lucretur aliquid, quod ſit pecuniâ æſtimabile, ità ut lucrum tale præcisè intendatur ratione mutui. Eſt itaque uſura præſtatio alteri facta pecuniaria cum obligatione, quòd non ſolùm præſtitam pecuniam debeat ſolvere, ſed, & aliquid plùs, hoc plùs vel ſit pecunia, vel valeat pecuniam, ſolummodo ideò, quia ei alter pecuniam mutuo dedit. Quamobrem ſolum mutuum non eſt titulus, ut, cui mutuavit centum, reddat centum, & quinque. Non eſt excuſatio ab uſura valere modò plùs pecuniam præſentem præ illa, quam mihi debent dare ab hinc poſt annum, nam hoc eſt damnatum per Summum Pontificem Innocentium XI. Prop. 41. quæ ſic ſonat: *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eò titulò ab uſura excuſari.* Nec eſt excuſatio, quòd ego me obligem non repetere meam pecuniam V.

cuniam ab hinc usque post unum annum, qui ...ndemnavit Alexander VII. Propositione 42. quæ sic sonat: *... est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Nec est excusatio, quòd mihi debeat prius solvere, vel ob amicitiam vel ob benevolentiam, vel ob gratitudinem, quòd si id quæratur ut debitum, vel ex pacto, hoc ipsum condemnavit supra citatus Innocentius XI. Propositione 42. quæ sic sonat. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Nec est ratio, quòd id ipsum alii faciant, quòd hoc tali modo faciat Titius, non; Forsitan ille habet titulum justificatum, & tu illum non habes: & hoc, quòd alii faciant, non est ratio, sed irrationabilitas bestialis; Gerere se, & incedere ùt ovicula, quæ omnes transiliunt fossam eò, quòd una transilierit. *More pecudum, more pecudum.* Itaque: si semper verum est sequi damnum vel perditionem ex mutuo illi, qui mutuum dat, vel sit verum, quòd illi cesset lucrum ex hac pecunia, vel si sunt veritates, & non sola verba illi tres contractus; illic de hoc videant illorum conscientiæ; nam, si non sunt veritates isti tituli, Usura est vera. Oh DEUS! & quàm timeo, nè hìc se involvant multæ animæ. Habere superfluam pecuniam, ità ut nullus sit defectus, eò quòd fuerit inclusa in cista totô hoc annô, cùm defuerit causa illam expendendi, & forsitan cum intentione solummodo illam in lucrum expendendi; & postmodum quærere titulos, qui sint mendacia, & subtilitates, quæ sint deceptiones, similes certè non valebunt coram DEO, non valebunt; in cujus Tribunali nescio, quomodo transibunt palliamenta opinionum parvam securitatem habentium; quandoquidem videmus in hoc puncto tam zelosam sedem Sancti Petri.

VI. Non solùm in solutione majori pecuniæ effectivæ consistit Usura; sed pariter, si solummodo, quia illi mutuum das, assignes pro conditione alteri aliquod gravamen, & sit illud qualecunque, per quod tuum respicias interesse: Do tibi mutuum, & provideo tuæ officinæ cum obligatione, ut ex mea domo, & non ex alia compares tibi panem: ut ex meo promptuario, & non aliunde, accipias merces, & sint vel non sint convenientes pro lucro. Oh quæ inventiones! quæ omnes sunt Usuræ; & quod pessimum

ſimum eſt, quòd plurimùm ſint in uſu! In India ad capiendum Elephantem faciunt magnam foſſam, illuc decipulam ponunt, beſtia cadit, & poſtmodum magnis vocibus lætitiæ exclamant: Eamus, dicunt, eamus liberare Elephantem; extrahunt illum exinde magnâ diligentiâ. Quàm miſericordes liberatores! Sed quomodo illum liberant? Faciendo illum immediatè ſuum ſclavum, ut eis totâ ſuâ vitâ miſerabile ſerviat brutum. Hoccine eſt illum liberare? & tamen illic hoc ſic eſſe videtur. Oh quot, & quanta opera, quæ apparent eſſe pietas, ſunt turpiſſimæ uſuræ. Oh quot, & quanta commodata, quæ videntur eſſe ſuccurſus, & levamina, ſunt infamia lucra! O animæ attendite, & perpendite, quòd perdatis DEUM pro quatuor bajocis, attendite vos perdere cælum pro lucro exiguo, vos amittere lucrum infinitum pro damno æterno. Advertite, quòd, quantumcunque illud palliatis, tamen ſit uſura mentalis, & quòd ſi intentio ſit lucrandi aliquid, ſolummodo ex mutuo, etiamſi hoc non dicatis, dicit hoc ipſum conſcientia, & hoc ipſum perſolvet ſeveriſſimè anima. Et quid erit de illo infelice, qui vivit in ſimilibus luſibus dando alicui mutuo unum ſcutum, ut ipſi ſolvat julium lucri quavis ſeptimana? Et hócne permittitur? Ità eſt, quia hoc fit in domo luſoria, ubi omnia conniventur. Et quid ergo erit de illis infortunatis conſervatoribus luſûs, qui dant mutuo decem, accepto pignore, quod valet viginti, poſito, quòd res non ſit furtiva; & ineunt pactum, quòd talis, cui rem tradiderunt, poſſit illam intra tot, & tot menſes pro propria vendere, niſi reluatur: & ille qui eam accipit, ſcit luſorem illam non poſſe reluere, & penes cognoſcit ſuum infame furtum? Oh hujus farinæ dantur quàm plurimi! Et quid importat, quid juvat, quòd rem pallient ad effugiendas pœnas Juris, cùm jam animam habeant in depoſito pro inferno? Uſurarius notorius eſt declaratus ùt infamis à Legibus Civilibus, & Eccleſiaſticis. Quid igitur importat, quòd ſe occultet, ſi illum contemplantur ùt infamem Angeli? Uſurario notorio denegant Sacram Communionem, & ingreſſum Eccleſiæ, & mandant: ut nec quidem admittantur illorum oblationes, Sacri Canones. Et quid juvat, quid prodeſt, quòd occultentur Uſuræ, cùm ſint ſacrilegæ uſurariorum Communiones, cùm etiam in Eccleſia illos circumdent

cumdent diaboli, & cùm etiam illorum oblationes, & illorum eleemoſynæ ſint DEO abominabiles? De manifeſto Uſurario diſponunt leges, ut, quòd ſi non reſtituat, priuſquam moriatur, vel ſi non poſſit, non dederit ſufficientem cautelam, ſit invalidum ejus teſtamentum, ſint irritæ ejus diſpoſitiones. Et quod commodum eſt exinde, quòd Uſurarius ſit occultus, cùm uſuræ illius ſint oneri DEO; Nè ſubſtantiâ illius fruantur hæredes, & ut illam diſſipent ejus inimici? Pro ultimò tandem, Uſurario notorio, mandant Sacri Canones, ut denegetur Eccleſiaſtica ſepultura, ut projiciatur inſtar canis, & non ſepeliatur in loco Sacro. Et quale emolumentum, quòd, cùm ſint occultæ uſuræ, non incurratur hìc in hoc Mundo hæc pœna, in corpore jam mortuo, ſi Anima, quæ ſemper vivit, remanet ſepulta in inferno? Dilectiſſimi mei, aperiamus oculos, quos nobis claudit cupiditas, & non eſt lucrum illud, quod vel debet reſtitui, vel perdenda eſt Anima. Quis Domine, interrogat David, quis habitat in monte Sancto tuæ gloriæ? *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Pſal. 14. v. 5. Quid debeo referre de his experientiis, cùm horrorem incutiat videre tot damnatos.

VII. Ultimò, datur adhuc aliud agmen furum, qui quaſi in inſidiis, ſinè motione pedis, & manûs, furantur. Oh quot tales dantur! ſed omnes tribus verbis nobis illos indigitat Catechiſmus: *Vel eſt cauſa, quòd alter hoc faciat*; Ità ut non ſolùm ille, qui per ſeipſum facit damnum injuſtum, & furatur; ſed pariter ille, qui quantumvis per ſe illud non faciat aliis, attamen cauſa eſt, quòd illud alter faciat. Et quomodo poterit eſſe cauſa? Novem modis, quos breviter aſſigno. Qui mandat, qui conſulit, qui conſentit in furtum, vel damnum alienum, ſi ejus mandatum, conſilium, conſenſus, movendo alterum, fuit cauſa furti, tales ſe onerant peccato, & reſtitutione. Et mandatum eſt pariter laudare, ùt bene factum, furtum commiſſum. Tales ſibi eligebat impius Veſpaſianus promovendo illos ad officia. Ibant, furabantur, & Romam redeuntibus, illos in jus vocando, auferebat totum, quantum ſibi corraſerant. Bene dixit populus Romanus, quòd Officiales Veſpaſiano ſerviebant pro ſpongia; illic imbibebant, hìc exprimebantur. Et quid aliud ſunt mali Conſiliarii? Qua ſereni-

tate

tate ſuadetur Gubernatori novo modus, quo poſſit trahere ſuccum ſanguineum ex pauperibus? Quòd ſinè ſcrupulo perſuadeant nunc Mercatori deceptiones, nunc illis ſubtilitates, vel jam alteri authoritatem: hoc totum fit ad committendum furtum miſerabilibus, & pauperibus. O arbitratores infernales! Illic videbitis veſtra vota, vos, qui conſentitis in injuſtitias, vos, qui corrumpitis vota, vel illa violentatis ad præferendum indignum, ad decidendum contra id, quod juſtum eſt, vel ad gravandum gabellis, & aliis oneribus Populum, Communitatem, vel gradum dignitatis. Pariſiis in foro *Sementario* cernitur uſque in hodiernum diem ſepulchrum in ipſiſſimo canali, per quem ſparguntur, & evehuntur omnes immunditiæ fori. Et quis eſt hic ſepultus? Eſt quidam Conſiliarius Pariſienſis. Conſiliarius hìc ſepultus? Ità eſt. Accidit, illum conſilium dediſſe, ut ex omnibus minutiis, & nugis, quas apportabant pauperes ad divendendum, traheretur ab illis medius julius pro gabella, & hoc per duos annos. Alii Conſiliarii videntes hanc eſſe magnam ſummam, excogitabant alias penſiones; & accreverunt in tantum damna, ut ille, videndo ſe non poſſe ſuis perſuaſionibus diſſolvere id, quod ſuô conſiliô confecerat, plenus anguſtiis, & quaſi deſperatus, quòd poſſit ſalvari, ad videndum, an in aliquo ſatisfaceret ponendo aliis experimentum, curavit ſe hìc ſepeliri; & non adeò malè negotiatus eſt, ſi illum non ſepelivit infernus. Reſtant adhuc nobis alii culpabiles in danda cauſa, vel eſſe cauſa furtorum. Qui adulatur, qui defendit, & abſcondit furem, qui de furto participat, oh quot aliæ cauſæ! Quæ damna non cauſavit ſæpiùs adulator infamis? Dominatio Veſtra valdè bene fecit defendendo ſuam juſtitiam: quiſque tenetur quærere ſuum modum vivendi. Quòd ſi autem iſta juſtitia ſit furtum? Et quid ſi iſte modus vivendi, eſt rapina? Quid facit, peſſime hominum, tua adulatio? Parvi æſtimatur, qui ſe non applicat ad machinationes, qui non eſt ſagax. Quid faciunt iſta verba? & quid faciunt tot opercula infamia furum? Illos admonere, defendere, abſcondere, emere illud, quod furantur. Oh quot tales dantur? Si non eſſent protectores, ſolet dici, & bene, non eſſent fures. Si non forent tot in hac civitate, qui emunt res furto ablatas, non eſſent, nec

fierent hic tot furta. Et quæ peccata ex hoc ſequuntur? Infelices emptores videbunt, quàm carò illis hoc veniet, quod cogitant ſe vili comparâſſe pretio. Omitto improbitatem, omitto infamiam; & ubi manet reſtitutio? Et jam quot etiam illorum ſunt, qui participant non dico ſolummodo dividendo furtum, ſed adjuvando, modò adhibendo diligentias, modò inſtrumenta, modò machinationes, & modò illicita media. Hi tales ſunt omnes fures. Videte, an bene dixerim fuiſſe agmen; quandoquidem etiam adhuc deeſt alia cohors. Illi qui tacent, & ſunt vi ſui officii, & poteſtatis obligati loqui, illi qui non faciunt irritum, qui non revocant, illi qui non manifeſtant damnum, furtum, ubi tamen obligationem habent illud impediendi. Videre furtum, & tacere, qui debet loqui. Oh copiam, quam hoc tacere cauſat, damnorum! Furati fuerant unam ovem tempore Sancti Patritii: Erat illa cujusdam pauperculi: Exhortatus eſt Sanctus ſuum Populum, ut ille, qui furem ſciret, eundem manifeſtaret; tacebant omnes. Itáne? Proſtravit ſe in orationem Sanctus, petit à DEO, ut fur, qui furatus ovem fuerat, balaret in templo ſicut ovis in medio illius tanti concurſûs, & immediatè, abſque eo, quòd ſe potuiſſet continere, incepit fur dare balatus ſicut ovis. Omnes ridere cœperunt, & ille balare. Ah quot oves balarent, dum tamen ſunt lupi, ſi haberemus hic illam fidem Sancti Patritii. Quilibet, de illo quod ſuæ curæ commiſſum eſt, & eſt ſui officii, ſi tacet, videndo damnum, ſi non impedit, videndo furta, ſi hæc non manifeſtat, non eſt Caſſarius, non eſt domûs Præfectus, ſed fur. Non eſt Tutor, non eſt Protector, non eſt Judex, ſed fur, qui humeros ſuos onerat, & ſuam Animam peccato mortali, & onus ſibi etiam imponit reſtitutionis: *Qui participat cum fure, odit animam ſuam;* Prov. 29. v. 24. Nec ſatis eſt defendere ſolummodo ab eis, qui foris ſunt, ſi taceatur de ſociis. Aſportabat pro ſe quodam manè lupus agnellum, & immediatè canes latratu rumorem excitârunt, & Paſtores clamorem; curre, clamando, apprehende. Videns ſe lupus anguſtiatum, dimiſit agnellum, & ad montana ſe ſalvavit. Eô ipsô die celebrabant Paſtores convivium, ùt fabulatur Plutarchus in convivio Sapientum: Occiderant vitulum pinguiſſimum ex omnibus, quem Dominus illorum habebat,

bat, neſcio pro quali feſtivitate, ſed hanc illi pro ſe anticipaverunt. Comedebant in meridie ſedentes in circulo utraque genâ impletâ, & in circuitu canes omnes muti jacebant rodentes oſſa. Dum hæc agerentur, venit pedetentim lupus, bene illos odoratus fuit, tacitè appropinquavit, & jam vicinus: Servus amici mei, dixit. Et quod, ſi ego hoc facerem, quis rumor non foret? Hoc manè mecum ob unum agnellum tantus fuit factus ſtrepitus; & nunc vos in tanta pace ſedetis comedentes vitulum? Jam quoties ſuccedit hoc ipſum? Et quantò ſæpiùs ſuccederet, ſi obmuteſcerent Prædicatores? Et quantò ſæpiùs, ſi Confeſſarii tacerent? Oh DEUS meus!

VIII. Refert Cæſarius, & recenſent alii graviſſimi Authores eventum, quem non omittam narrare, quamvis notiſſimus ſit, ut repetitus, faciat profectum. Factus eſt vicinus morti certus Uſurarius, & aſſiſtente illi Confeſſario, præſente tota ſua familia, vocant Notarium pro conficiendo teſtamento moribundi. Venit ille, formavit proëmium: Eja dicat Veſtra Dominatio, quid ſcribere debeam. *Dico*, reſpondit moribundus, & ſcribe. Imprimis lego Animam meam diabolis. JESUS! JESUS! Ecce delirat ob vim morbi. Non deliro; ſum mihi præſens, bene ſcio illud, quod dico. Scribe: imprimis lego, lego Animam meam diabolis, ut illam rapiant ad pœnas inferni, quandoquidem nihil aliud mihi ſperandum reſtat ob mea peccata. Hìc lacrymæ à circumſtantibus, hìc ſingultus, hìc admonitiones, & perſuaſiones. Sed omittamus iſta. Proſequere, proſequere. Item lego diabolis Animam Uxoris meæ, quia nunquam prohibuit manum meam, nunquam me correxit, ut abrenuntiarem meis uſuris, imò ipſa lætabatur exinde, quòd haberet, quod expenderet ad ſuum pretioſum mundum muliebrem, & ad ſuam vanitatem. Hìc exclamationes, hìc clamores. Apage! non fac exinde multùm clamoris; ſcribe, & ulteriùs proſequere. Item lego, ut omnes filii mei deſcendant etiam, comitando me, in infernum, quia illi multum ſunt cooperati ad meas fraudes, & deceptiones, ut illis remaneret major, & pinguior hæreditas. Hìc rurſus clamores, hìc voces; & Confeſſarius conabatur illum perſuadere, ut reſpiceret, & conſideraret illud, quid faceret, ut pæniteret de ſuis peccatis.

Expecta Pater, dicit moribundus. Scribe; item lego, ut meus Confeſſarius deſcendat pariter mecum, ut converſemur in eadem menſa in inferno, quia pro ſuo intereſſe, & conniventia diſſimulando meas uſuras, me abſolvit ſinè injuncta mihi obligatione reſtituendi. Eamus omnes; & finitis hiſce verbis intravit copioſa multitudo diabolorum, qui arripientes illos omnes portârunt immediatè per aërem, Uſurarium, ejus Uxorem, & Patrem Confeſſarium. Horribilis eventus!

IX. Sed quid expaveſcitis? Hoc ipſiſſimum etiamſi ſinè notorietate, timeo, an quovis die non ſuccedat. Cum his, quia furantur, cum illis, quia dant conſilium, cum iſtis, quia adjuvant, cum aliis, quia tacent. Quid expectant? ſi per reſtitutionem, & per emendationem non quærunt illud, quod ſolummodo lucrum eſt, quod eſt cæleſtis, & æterna gloria.

INSTRUCTIO XLIX.

Quanta, & quàm ſtricta ſit Obligatio reſtituendi aliena.

I. REmedium ad tollendam fæditatem. Magnum remedium! Neſcio tamen, an multùm deſiderabitur, & an ſit futurum acceptum, quandoquidem eſt pro fœditate ùt plurimùm abominabili, & eſt remedium efficaciſſimum, & omnino certum. Et quale eſt illud, dicet hoc ſequens eventus. Mandavit, neſcio quis, certo Pictori, ùt refert Engelgr. Bachan. 2. die, ut ſuam effigiem in tela efformaret, convenerunt de pretio, manſit res fixa, quòd illi vellet dare tale quantum, cum conditione tamen, quatenus effigies ei ex toto ſimilis foret. Abit Pictor, adhibet ſuam dexteritatem, & artem, efformátque illum, ac ſi ei ex oculis excidiſſet, ità ad vivum, ut ſolummodo loquela ei defuerit; & hoc abſque dubio fuit illud, quod defuit; ſiquidem jam effigiatus, non ſtando ſuis verbis, retractavit dare pretium promiſſum, etiamſi recognoverit benè, effigiem perfectiſſimè ſibi ſimilem eſſe; expoſuit Pictori mille defectus, & ultimato: Apage Magiſter, recipe tibi tuam telam, quia ego illâ non indigeo: eò quòd

quòd nullam mei ſimilitudinem habeat. Exclamabat Pictor: & quis mihi meum ſolvet laborem? & hæc effigies ad quid mihi jam ſervit? Nihil omnia juvabant. Aſportat ſecum telam, & ùt erat ſagacis ingenii, quàm etiam peritus pariter ſuæ artis, quid facit? Reliquit ei totum intactum vultum, depinxit autem in capite pileolum ſtulti, cum ſuis campanulis pro ornamento, in manibus catum, appinxit illi veſtitum ex meris lappis variegati coloris; denique ità illum efformavit ridiculum, ut moverit ad riſum etiam maximè ſerios homines. Expoſuit poſtmodum effigiem in foro, & quotquot tranſibant: nónne iſte eſt talis, & talis, dicebant (optimè enim erat omnibus notus) & ſolvebantur in riſum, & cachinnos; Vide, vide talem··· quàm fœdus ſit, & prorumpebant in irriſiones. Pervenit ad eum quantocyus notitia, excanduit, irâ eum exagitante, adit Judicem cum querela, advocant Pictorem, affert effigiem in optima forma ab infantibus comitatam; faciunt ei quæſtionem, cur hoc fecerit? Et ille reſpondit: iſtud eſt pactum, quod inivimus; Jam: vel hæc effigies eſt illi ſimilis, vel non eſt ei ſimilis; Si ei non eſt ſimilis, ego nulli facio injuriam vendendo meam imaginem; ſi ei eſt ſimilis, ſolvat me, cùm hoc in contractu fuerit, & ego iſta omnia tollam, quæ illum deformant. Nihil itaque aliud reſtat, quàm ut Pictor ſolvàtur, protulit ſententiam Judex, & hoc erit remedium, per quod auferetur ex publico tua fœditas. Ad caſum.

II. Repræſentavi jam horribilem fœditatem furti: expoſui patenter ſua infamia effugia, demonſtravi ſuam abominationem. Quilibet ſeipſum contempletur, & qui ſe inveniret effigiatum fœditate, & habitu furis, quale remedium ad tollendam à ſe hanc abominationem diabolicam? Solvere. Nihil aliud reſtat, quàm reſtituere aliena, ſi non vult eſſe irriſioni, & exploſioni æternæ dæmonibus.

III. Cùm igitur hoc Præceptum ſit negativum, *non furtum facies*, correſpondet illi, & in ſe imbibit hoc Præceptum affirmativum: *Reſtitue alienum.* Præceptum ità ſtringens, ligatura ità firma, quæ ſi non obſervatur, non eſt ſperanda gloria; Præceptum tale, & ligatura, quæ ſi non ſolvitur, non eſt ſperanda ſalus. Oh qualis nodus, quem nec quidem mors poteſt diſſolvere! Mors, quæ

rumpit

rumpit arctiſſima vincula inter corpus, & animam; Mors, quæ diſſolvit firmum laqueum Matrimonii, non poteſt liberare animam à nodo hujus obligationis; ità, ut ſi unus conjugatus moreretur, & poſtmodum ad vitam rediret, jam ampliùs non teneretur ad vinculum, quia jam per mortem ſolutum fuiſſet hoc vinculum. Attamen ſi, qui poſſidet alienum, moreretur, & millies reſuſcitaretur, rediret cum ea ipſa obligatione ad vitam reſtitutionis. Oh DEUS! quis nodus eſt iſte, ad quem diſſolvendum non datur poteſtas in terra, non habetur diligentia, quæ liberet. Tali modo; ut, qui retinet, & non reſtituit, etiamſi faceret plures pœnitentias, & jejunia quàm omnes Anachoretæ, etiamſi profunderet maria lacrymarum, etiamſi ſe diſcerperet in partes per milliones annorum per diſciplinas, & cilicia; Laceraret ſuum corpus, transfigeret ſuam carnem, ſpargeret ſuum totum ſanguinem, nihilominus tamen remaneret in anima talis hominis nodus obligationis, & ſi non reſtituit, cum omnibus his pœnitentiis abſque omni remedio damnatur. Sed quid conſternamini? multò plùs eſt illud, quod vobis breviter dicit Catechiſmus: *Et qui furatus eſt, vel damnificavit alium, ſufficitne illi, quòd ſuum confiteatur peccatum? Non, ſi non ſolvit illud, quod debet, vel ſaltem partem, quam poteſt.* Quamobrem quantumvis pœniteat ex tota anima ſua, quòd furatus fuerit, quòd abſconderit, quòd damnum Proximo fecerit, quòd uſuras traxerit, cooperatus ad furtum fuerit, quantumvis ſeriò pœniteat, non ſufficit? Non ſufficit; etiamſi defleat fluminibus lacrymarum? ad nihil ſerviunt, nam cùm alienum retineat, ſunt lacrymæ crocodili: etiamſi abſolvatur? Quamvis illum abſolverent milliones Sacerdotum, & quilibet illorum millionibus vicibus, quælibet abſolutio locò ſolutionis eſſet nova, & graviſſima damnatio. Et tota poteſtas clavium Sancti Petri non eſt ſufficiens; & totus Sanguis JESU Chriſti non juvat illum. O miſerabilis anima! quæ habens in tua manu tuum remedium, ità per te ipſam facis illud tibi impoſſibile, non reddendo illud, quod relinquere debes, per non deferere illud, quod tibi auferetur.

IV. Adjurabat certus Sacerdos quendam obſeſſum, qui in ſe habuit tres diabolos, & vi exorciſmorum cogendo illos fateri nomina

mina propria, ùt in Exemplorum Speculo habetur. Sumus tres fratres, prorupit unus ex illis in has voces, qui hìc in iſto homine ſumus confœderati. Ego vocor: *Occlude cor;* quia mei officii eſt claudere hujus hominis cor, ut non agat pœnitentiam de ſuis peccatis; Sed ſi caſu à me evadit, intrat ſubitò meus frater, qui vocatur: *Occlude os*; quia, quantumvis pœniteat, meus frater conatur, & adlaborat occludere illi os, ut non confiteatur; Attamen ſi & iſti effugiat, ſuccedit immediatè meus frater, qui dicitur: *Occlude marſupium*; cujus officii eſt curare, ut, quantumcunque ſit confeſſus, & pœnitentiam egerit, non reſtituat alienum: & hìc lucratur innumerabiles; nam quamvis nos duo perdamus aliquos, iſte certè non habet numerum, quos comprehendit. Ah quantæ tres difficultates in illo, qui retinet alienum. Prima pœnitere, & ſincerè dolere tenendo pecuniam in ſua poteſtate; Oh quàm hoc eſt difficile! Secunda confiteri bene cum claritate, & ſinè operculis, ſciendo, quòd illi pro certo ſinè omni remedio ordinabitur reſtitutio; Oh quàm hoc arduum eſt! Et tertia, victis jam etiam duabus prioribus, reſtituere cum effectu: Oh quàm hoc videtur eſſe impoſſibile! Et tamen ſinè hoc, extra omne dubium, eſt omnimodè impoſſibile ſalvari, quantumvis magìs & magìs pœniteat, quantumvis plus & plus confiteatur; *Non, ſi non ſolvit hoc, quod debet, vel ſaltem partem quam poteſt.* Et hujus ratio eſt, quia ſinè propoſito emendationis, nec datur abſolutio, nec gratia. Qui alienum retinet, eſt in peccato mortali, non habet itaque propoſitum emendationis, & per conſequens nec abſolutionem, nec gratiam. Altera magìs domeſtica ratio eſt, & digna Sancto Thoma in 4. diſt. 15. quam audite: Confeſſarius eſt Vicarius DEI, non eſt Vicarius hominum; DEUS ipſi ſuas commiſit vices, ut in nomine ſuo condonet offenſas; ſed homines ſuas ei non commiſerunt vices, ut condonet debita, damna, & ſubſtantiam cujusvis. Hinc eſt, quòd Confeſſarius offenſas, quæ DEUM reſpiciunt, poſſit condonare ùt Miniſter DEI per abſolutionem; at illas, quæ ſunt damnum alterius hominis, cùm ille mihi non commiſerit ſuas vices, non poſſum illas condonare, ſi tu non reſtituas id, quod alienum retines.

V. Et cùm hæc omnia de Fide ſint, quæ lucra ſunt illa, quæ quærùntur in ablatione rerum alienarum? quænam eſt illa vita? quam ducunt ſimiles infortunati, qui pomposè ornantur, & reſplendent ex illo, quod furantur: unum & alterum annum ſinè fructu Sacramentorum lucrantur, unum & alterum Jubilæum, in quo tot animæ lucrantur theſauros, manent in poteſtate diaboli; una & altera Septimana Sancta, in qua alii deflentes, & plangentes ſua peccata, redeunt in gratiam DEI, & iſti unà cum ſuis confeſſionibus, & communionibus, multò ſtrictiùs innodati, & damnati, & interim conſcientia reclamante, remorſibus cruciati, & melius foret, ſi non cruciarentur, magis in profundum cadunt. Habeant ſibi ſuos milliones, ego mihi eligo potiùs mori præ fame; habeant ſibi ſuas commoditates, ſuas pompas, & ſuas galas, ego cum his omnibus non volo latratus habere illorum conſcientiarum: Quale commodum ex hoc melle, ſi debeat habere tales puncturas? Furatus fuerat certus quidam fur Sancto Medardo, ùt refert Surius tom. 3. in vit. noctu alveare, prodierunt immediatè apes, & invadendo furem cum furia, cinxerunt illum ex omni parte, faciendo illum ſuis puncturis edere ejulatus; fugit, cucurrit, ſed omnia nihil profuerunt, ubicunque incedebat, erant ſupra & circa illum apes; ità tormentatus vidit, cùm ultra jam ſufferre non potuerit, ſe coactum ad pedes Sancti venire; confeſſus eſt ſuam culpam, & tunc illum apes dereliquerunt. Ah mel vi punctturarum adeptum, quem guſtum poſſunt habere illi, qui te comedunt?

VI. Nec neceſſarium eſt ad reſtitutionem, ut pars læſa illam quærat, ut Confeſſarius illam imponat, vel ut Judex illam decernat. Si tu ſcis, quòd abſtuleris, quòd tenearis, vel quòd cauſa damni fueris, tua ipſamet conſcientia eſt tuus Judex, nullum poteris inculpare, tua ipſamet conſcientia tibi mandat, ut quantocyus reſtituas, etiamſi alter non repetat, nec etiam ſciat. Ad quid ſervit occultatio, ſi intrà nos ipſos remanet, dando clamores, furtum? Scietis jam caſum, qui eſt vulgaris: Ferdinandus I. ùt plurimum delectabatur horologiis parvis; habebat ſimilia plurima rari artificii. Quodam die, poſtquam illi quoddam laudatum fuiſſet, reliquerunt illud in menſa, & unus de præſentibus, aliis

inad-

inadvertentibus, illud in ſuum immiſit ſaccum. Animus ei erat quàm citiſſimè abeundi; detinuit illum Cæſar, protractus eſt diſcurſus, & Ephebus inquiſivit, quomodo agatur cum horologio? Hic fuit reſponderunt, & fur conticuit, reliqui omnes unus alterum aſpiciebant, neſcientes quis horologium abſtuliſſet; & ecce dum ſupervenit hora, incepit ſonare campanula in ſacco, audiunt alii, & furem deprehendunt. Cæſar, acſi de re nihil ſciret, diſſimulavit; ſed in quo ſtatu ille, putabis, remanſit? quomodo non fuit confuſus? Quid juvat, quòd Rex hoc neſciat, vel quòd aliquis particularis ignoret, ſi de hoc, quod Regis retines, vel alterius particularis, horologium tuæ conſcientiæ exclamat; & cùm in tribunali Divino debeat ſonare hoc horologium, quamvis hìc ſe non manifeſtet, qualis ibi erit tua infamia? Non datur itaque aliud remedium, quàm reddere, vel totum, vel partem. Quantâ ſapientiâ præcidit excuſationes Catechiſmus? *Si non ſolvit illud, quod debet, vel ſaltem partem, quam poteſt.* Debes reſtituere totam quantitatem, quæ pro certo eſt aliena; & ultrà, ſi retentio fuit facta ex tua malitia, per tuam culpam, debes reſtituere damna, quæ exinde ſunt ſecuta. Oh ego tantum non habeo! Illud ſaltem quantum apud te invenis: *Vel ſaltem partem quam poteſt.* Qui non poteſt ad ſemel totum reſtituere, ſed diverſis temporibus, eſt obligatus ſub peccato mortali reſtituere diverſis temporibus. Sed quomodo debet eſſe iſtud *non poſſum?* Jam hoc nobis explicat Catechiſmus: *Et ille, qui non poteſt, quid faciet? procurabit ut poſſit, quantum in ſe eſt.*

VII. Si hoc, *non poſſum*, eſt, quia aliquis nihil habet, excuſatus eſt, uſquedum habeat. Sed ſi in veritate habet, non eſt excuſatio, eò quòd alter nullam habeat deficientiam; nam quantumvis non habeat inopiam, quod tu retines, tamen eſt ſuum, & tu remanes in peccato mortali, cùm poſſis, & tamen non ſolvis. Non eſt excuſatio, quòd tu poſſis lucrari tali re aliena multum, & ille nihil lucraretur; Iſta eſt brutalitas cupiditatis, quòd tu pecces mortaliter volendo lucrari re aliena. Reſpondeo itaque, quòd ſi illud, quod debetur, ſit tantum, ut pro illo toto ſimul totaliter ſolvendo foret neceſſarium malè diſtrahere viliſſimô pretiô ſuam ſuppellectilem, vel ſubſtantiam, vel merces, potes in-

ducias facere, quantum opus eſt ad tua commodè divendenda, ſi alius modus non habeatur, taliter tamen, ut pergas ſolvere diverſis temporibus. Repeto dicere, ſi illud, quod debetur, eſt tantum, ut eô totô perſolutô ad ſemel, perderet omnino ſuam confidentiam, vulgò *Credit*, Mercator, perderet quis ſuam domum, exponeret periculo ſuas filias, & ille, & ſui filii obligarentur ad quærendam eleemoſynam, pro tunc, quando Creditor non eſt in æquali neceſſitate, & anxietate, quia in iſto caſu primus eſt Dominus, ad quem res ſpectat; ſi iſta non adſint, poterit, reſecando primò ab omnibus expenſis ſuperflua, & familiam domûs minuendo, ſolvere diverſis temporibus: Vel ſi eſt Nobilis, & per ſolutionem totius ſummæ ſimul uno tempore pateretur detrimentum in ſua æſtimatione, aut proſtitueretur in ſua ſocietate, & converſatione ſuorum æqualium, poterit pariter, reſecando pompas, & faſtus, remanendo præcisè in illo, quod ſpectat ad ſuam decentiam, & ſtatum, per ſpatia temporis ſolvere. Ah Dominæ! certè non ſunt neceſſariæ tam multæ viſitæ, tam multæ functiones, & tam multæ galæ, & timeo, an non multi Mariti ratione ſuarum Uxorum vadant ad infernum, & illorum Uxores unà cum illis. Ah qualiter celebrat, & laudat Sanctus Vincentius Ferrerius nonſcio, quàm admirabilem Matronam, cui dum vellet ſuus Maritus ornatum procurare ſumptuoſiſſimum, non, reſpondit illa Marito, ego jam ſum bene veſtita, & tu in te habes animam nudam; ſolve illud, quod debes, & hic erit multò melior veſtitus. Si deberem ſolvere, reſpondit ille, vix nobis remaneret, quod manducaremus, quia maxima pars hujus, quod poſſideo, eſt ex uſuris. Verùm mea dos, repoſuit illa, non eſt ex uſuris. Ego tibi de illa do medietatem, ut ſolvas. O mulierem mirificam! & utinam ſimiles reflexiones ſemper haberet diſcretio! Verumtamen quantæ expenſæ non fiunt, quantæ amiſſiones in luſu, & quantæ oſtentationes pro diabolo, quæ dilapidantur, quæ diſperguntur, & quæ in principio anni, ſi perſolutæ fuiſſent, replerent cor jubilo? Quanta complementa, quæ nihil aliud poſt ſe relinquunt, quàm plurimam nauſeam poſt inaniter expenſam pecuniam, ſi pecunia illa perſoluta fuiſſet artificibus, opificibus, vel mercatoribus, iſti illam recepiſſent cum mille

le benedictionibus, & anima allevaretur à tam terribilibus oneribus; & illud quod magis horribile eſt, & omni die hoc ipſum videmus; quantas pompas pro Exequiis non ſolent diſponere in teſtamento illi, qui moriuntur, & remanent debitores multorum millium? & invenitur in ſubſtantia ad diſpergendum ſumma trium vel quatuor centum ſcutorum, pro pompoſis funeralibus, & nihil invenitur, unde poſſint ſolvi artifices, & opifices, qui in cælum clamant? Ah quomodo fiunt & fabricantur à talibus publicæ damnationes!

In Aula Regis Ferdinandi Catholici erat Concionator Auli- VIII.
cus certus quidam Sanctus Religioſus, notabiliter Regi acceptus, qui magnum affectum & complacentiam monſtrabat in eo audiendo; peragebat ille perfectiſſimè & exactiſſimè ſuum officium, prædicabátque veritatem in Aula; & cùm hoc non adeò acceptum fuiſſet aliquibus Grandibus, etiamſi deſideraverint illum ex Aula expellere, retinebantur tamen à notitia, quam habebant, quòd apud ſuam Majeſtatem in amoribus eſſet, & multùm ſibi in illo complaceret. Inierunt conſilium, excogitárúntque medium, & hoc fuit, procurare illi mitram Epiſcopalem. Adierunt Regem proponentes illi grandia merita ſubjecti, & quàm dignum foret, ut illum ſua Majeſtas præmiaret, & abſque expectatione plurium mendaciorum politicorum, Rex commotus veritate, quæ ipſi optimè nota erat; hæc omnia, reſpondit, optimè ſcio; ſed maxima difficultas erit, an ille ſit acceptaturus. Conferat illi ſua Majeſtas hanc mercedem, in reliquo nos procurabimus illum quoad hoc facilem facere & diſponere, ut acceptet. Rex immediatè fecit, & unus ex illis cum Decreto in manu hoc onus in ſe aſſumpſit portare Prædicatori hoc nuntium. Eo ipso momento, quo hoc audivit Religioſus bene rem odorans; Non Domine, reſpondit, non habeo tantas vires pro ſuſtinendo iſto onere. Cœpit Princeps inſtando urgere, & ille fortiùs reſiſtere; in tantum Princeps inſtitit, & urſit, ut Religioſus intentionem adverterit. Quot & quantis vicibus triumphat ſinceritas de aſtutia! Vidit, quòd finis hujus totius promotionis potior eſſet illum ab Aula expellendi, quàm Mitrâ decorare; & nullô ſignô datô, quòd rem bene adverteret; Ecce, Domine, reſpondit, ego hanc dignitatem Epiſcopalem ad-

mitterem, at ſcio, hanc Eccleſiam eſſe multis oneratam debitis; & pauper Religioſus ubi nunc inveniet ſtatim tantam pecuniam? Si hoc ſolùm eſt obſtaculum, factum ſubſiſtit; priusquam nox appropinquet, habebit hìc Veſtra Paternitas quatuor millia ducatorum. Libenter aſſentior. Valedixit Princeps Religioſo plurimùm contentus, & pòſtmodum eo ipſo die poſt prandium depoſuit Religioſo in cella dictam illam pecuniæ ſummam. Ille eò ipsò momentò curat vocari omnes artifices, opifices, & mercatores, quos audiverat conqueri, quòd idem ipſe Dominus illis non ſolveret id, quod eis debebat; hi adveniunt; quantum tibi debet Dominus talis & talis? tantum; ecce tibi hìc tuum debitum, da mihi chyrographum receptæ pecuniæ; abibat unus, & alter adveniebat. Ità diſtributis illis quatuor millibus ducatorum, & receptis ſyngraphis cum his, die ſequenti, ſe contulit ad Palatium, ubi omnes illi, qui ei abitum procurârunt, valde bene læti, prodierunt foras ad congratulandum, & inter illos Dominus ille quatuor millium ducatorum maximè feſtivus, & lætiſſimus bonam illi precabatur horam, & omnem felicitatem! Quomodo hoc Domine, reſpondit Religioſus, imò ego apporto maximam congratulationem, quam poſſum Veſtræ Excellentiæ dare, & eſt, quòd ad ipſius ratiocinia ſint jam ſoluta quatuor millia ducatorum de ſuæ Dominationis debitis. Ecce tibi hic ſyngraphas; ego enim non accepto Epiſcopatum, nec de hoc mecum loquatur, multum celebratus & æſtimatus fuit inter Grandes jocus; & reſtitutio ut facta fuit, remanſit, tractatus pariter deceptorius, qui jam inceptus fuerat, diſſolutus eſt.

IX. Ah! ſi cuivis ex illis, qui habent duo millia, & etiam quatuor millia pro luſu, & non habent illa pro ſolutione, poſſet exhiberi ſimilis felix jocus; quàm ſincere ſe experirentur alleviatos; quomodo anima lucraretur illud, quod pro ſe aufert diabolus; qualiter cum illo, quod perditur, lucrarentur gratiam; qualiter cum illo, quod abſque dubio conducit ad infernum, pergerent fortunatiſſimis paſſibus ad gloriam.

INSTRU-

INSTRUCTIO L.

De Gravitate, & Malitia Judiciorum temerariorum.

Præceptum Octavum.

Non loqueris contra Proximum tuum falsum testimonium. Non mentieris.

In Festo Sancti JOSEPHI Patriarchæ.

NE nobis excusatio quoad nostram obligationem relinqueretur, L.
præsentat se coram nobis hodie, ad erudiendum nos, illam exequendi, exemplar amabilissimum. Supremus Patriarcha Sanctus Josephus, cujus Festivitatem celebramus, assistit explicationi octavi præcepti, quam ego hodie aggredior juxta ordinem mearum Instructionum. Sanctus Josephus adest Judex nostrorum judiciorum, Thesaurarius honoris DEI, Custos fidelis, Defensor, & Præsidium decoris, & honoris MARIÆ, venit videre, qualiter nos intueamur alios, qualiter contemplemur, qualiter defendamus honorem nostrorum Proximorum. Hæc est illa strictissima obligatio, quam nobis intimat octavum Præceptum: *Non loqueris contra Proximum tuum falsum testimonium: nec mentieris.* Octavum miraculum Josephi, dicerem ego, quod supra suos septem dolores in altum tollit ut supremam pyramidem, transfixum in cuspide suum cor, usque ad cælum; in cuspide dico, timorum, angustiarum, anxietatum, vel vocate hæc zelotypiam; attamen in hac cuspide non est victum suum cor, sed victorioſum, transverberatum, sed triumphans; ità ut nec contra honorem MARIÆ sciret lingua illud, quô agitabatur præ flammis, & incendiis suum cor, nec protulerit judicium credulitas de illo, quod ei persuadebant ipsimet proprii oculi. Et ista ad amussim est tota nostra obligatio in octavo Præcepto, prospicere honori proximi, tam in verbis, quàm in judiciis. Bene itaque dico, octavum Præceptum Legis Divinæ, esse octavum miraculum Josephi: *Octava*, dicit Sanctus Ambrosius, *summa virtutum est*: In numero octavo completur summum, supremúmque virtutum; quandoquidem in octavo habet Sanctus Josephus supremum suarum

rum prærogativarum, illarum omnino quas commemorat Evangelium: *Joseph*, ecce primam; effigies accrescens, non jam in solo nomine, sed in melioribus factis præ illo tam grandi Patriarcha, in tantum celebrato in Sacris Literis. *Filius David*, ecce secundam: compendium illustre totius Regalis sanguinis stirpis Judæ, qui totus rubescit in suis venis. *Justus*, ecce tertiam: cifra hæc est eminentissimarum virtutum. *Ab Angelo visitatus*, ecce quartam: fuit visitatus ùt Exemplar in sua virginitate, Angelicæ puritatis. *Consiliarius supremus*, cui concredita sunt maxima secreta cæli, ecce quintam: digna basis suum cor grande pro tua suprema mole. *Sponsus MARIÆ*, ecce sextam: incomparabilis electio ista est super totum numerum Sanctorum. *Pater putatitius DEI*, ecce septimam: Nomen quô cum solo Patre æterno gaudet Josephus in cælis, & in terra. Jam autem octava deest. Qualis illa est? *Octava summa virtutum est.* Qualis est octava? quòd Josephus sit honor Filii DEI, quòd Josephus sit honor MARIÆ Sanctissimæ Matris Filii DEI, quòd illam defenderit, dico, invitis suis timoribus, quòd illam custodierit tacendo, spretis suis tormentis, quòd sua judicia refrænaverit, castigatis suis oculis. Hoc est illud supremum. Et non erat ultrà necessarium aliquid aliud adducere pro exponendo octavo Præcepto, quàm omnibus ob oculos ponere Sanctum Josephum. Idcirco sufficiat nobis pro nostro timore, vel pro nostro solatio, habere ipsum præ oculis, & aggrediamur nunc Catechismum, audiendo quid ille dicat.

II. *De octavo Præcepto interrogo: quis illud adimplet? qui ex levitate non judicat mala aliena, nec propalat, nec de illis alios auscultat, sine bono fine.* Ad judicia temeraria pertinet, judicare mala aliena ex levitate. Et hoc, dicetis immediatè, quid habet, quòd agat cum hoc ly dicere falsa testimonia? formare judicium temerarium, éstne hoc suscitare falsa testimonia? Ità est, nam qui ità judicat, jam per se suscitat falsa testimonia de altero, & non solet in hoc remanere, sunt enim ista præcipitata judicia scaturigo, & origo funesta murmurationum, vituperiorum, mendaciorum, rixarum, imò etiam quandoque occisionum. Quot & quanti de istis, & quantæ ex illis formant tali modo judicium contra honorem alterius, & postmodum loquuntur secundùm suas incidentias,

tias, ſecundùm ſuum genium? de certis bruchis, qui non ceſſant ſtrepere moleſtiſſimo rumore, dicit Plinius lib. 11. quòd ſimilem rumorem non forment ore, ſed cervice, illic prodeunt ſuſurri tam faſtidioſi. Ità ſunt multi veſtrûm ſuſurri contra honorem aliorum; excogitare aliquam ineptiam, credere illam, vendere illam pro facto, illam narrare: hoc eſt loqui phantaſticè, loqui ſinè reſpectu honoris Proximi, quantum alicujus phantaſiæ occurrit. Ah linguæ bruchorum! *Totâ die injuſtitiam cogitavit lingua tua.* Pſal. 51. v. 4. Multis itaque viris & fœminis, malè cogitare, & loqui malè, eſt unum & idem; Hac de cauſa à judiciis temerariis incipit jam numerare Catechiſmus falſa teſtimonia; & ſufficiet per hoc ſpatium temporis loqui de iſtis judiciis temerariis.

III. Hic itaque occurrunt duæ ſortes animarum: Prima DEUM timentium, & teneram conſcientiam habentium, quæ quantumcunque ſeſe illis offert contra Proximum, ſolummodo quia ſeſe illis offert; jam turbantur, jam ſe affligunt, jam habent pro judicio temerario, & jam accedunt confeſſionale vigeſies. Secunda, convitiantium quantumcunque vident, etiamſi illud ſit Sanctiſſimum, quæ nullam actionem vident, quin illam pro mala non judicent, & quæ videntes quaſcunque perſonas, nullam ſinunt, quin illa effugiat ſimilium animarum perverſa judicia, poſt hæc omnia tamen de nullo ſibi faciunt ſcrupulum, & etiam cum ſuo maximo infortunio nihil de his confitentur. Oh DEUS! audient me idcirco primæ & ſecundæ ſortis, illæ ut acquietent ſuos timores, qui, ùt certò & bene ſcio, quantum affligant iſtas bonas animas, nemo experitur meliùs, quàm ille, qui ſimili modo laborat; & iſtæ ut tremant præ timore, nè illas ſimilia judicia detrudant in infernum; *In quo enim judicas alterum, te ipſum condemnas.* ad Rom. 2. v. 1.

IV. Intelligamus itaque, quòd aliud ſit dubium, aliud ſuſpicio, aliud judicium. Dubium eſt quædam ſuſpenſio animi, ubi quis vidit actionem proximi, quæ quantumcunque nobis cauſet inquietudinem, eſt tamen ſinè inclinatione majori ad malum, quàm ad bonum. Suſpicio jam eſt aliqua major inclinatio verſus unam partem, quæ apparet nobis malum, ſed exigua, quia nihilominus altera pars, quæ erit bona, nos trahit. Judicium poſtmodum eſt

conſenſus firmus, & reſolutus, integrè verſus unam partem, credendo illud eſſe malum, vel è contrario, eſſe bonum. Trutina hoc nobis optimè demonſtrat; intuemini in ea bilances, quæ quantumvis moveantur jam ſurſum, jam deorſum, attamen manent æquales in linguula; Hoc eſt dubium: adjungite bilanci aliquod exiguum pondus, etiam leviſſimum, unum julium, aut quid ſimile, jam deprimit bilancem aliqualiter, ſed non tantùm, ut nihilominus, etiamſi aliqualiter depreſſa, non remaneat in aëre, & ſe retineat pendens; & hoc eſt ſuſpicio. Addite huic bilanci unam libram ponderis, tota cadet, & in terra conſidebit; hoc eſt judicium. Jam eſtote attenti: dubium & ſuſpicio, etiamſi ſint de gravi malo proximi, ad ſummum perveniunt ordinariè ſolummodo ad peccatum veniale, ſi non eſt, quòd ex mala voluntate quis multùm perſiſtat in illis, & ſit cauſa faciendi alteri aliquod grave damnum; attamen ordinariè ſuſpicio ſolummodo eſt culpa venialis. Sed judicium, quando ſinè ſufficienti fundamento, quando ex levibus indiciis formatur, credendo jam culpam gravem cum firmitate in altero, eſt ſemper peccatum mortale, & eſt judicium temerarium.

V. Sed ſi culpa eſt manifeſta, ſi demonſtrationes vel indicia patentia, nec judicium eſt temerarium, nec eſt culpa, hoc ego fateor; Attamen deberet ſemper charitas dare tali culpæ bonam faciem, vel jam ſalvando intentionem, dum non poteſt factum excuſari, vel jam condeſcendendo fragilitati, & erga hanc pietatem demonſtrando, vel vehementem cogitando fuiſſe tentationem, & hoc præſtat potiùs fieri, quàm exaggerare culpam; Ah charitas Chriſtiana ubi habitas! Mandavit Rex Antigonus Apelli, ut ſe depingeret, vidit ſe anguſtiatum Pictor, quia Rex ille erat curvus; tali modo ipſum depingere, erat ei in faciem projicere hanc turpitudinem, & forſitan illum offendere, nolle efformare ejus effigiem, non erat poſſibile; quid igitur fecit? depinxit illum ex uno latere, depinxit latus bonum, & reliquit, ità dicendo, occultum latus indecorum. Et poteſtne habere artificium adulationem, & deerunt aſtutiæ, & inventiones charitati monſtrare bonam faciem etiam illi, quod malum videtur? Oh DEUS! ſi vides in illa culpam, quæ tantum aggravat & ponderat, aſpice illam

lam ex latere considerando ejus continuam paupertatem & miseriam, & succurre illi; fortè enim sinè tali paupertate talem non committeret; si vides in alio defectum veracitatis, quòd suis verbis non stet in negotiationibus, quòd non solvat, & contra quem tu in tantum murmuras, aspice illum ex latere suorum infortuniorum, suarum amissionum, & habe compassionem, quia forsitan, & sinè forsitan, desiderat ex tota anima sua satisfacere, & non potest. Oh si ità res aspiceremus ex latere!

VI. Nunc igitur relinquendo illud, quod manifestum est; qualia indicia sufficientia erunt. Qualia fundamenta, ut illud, quod de occulto judicatur, non sit judicium temerarium & per consequens non sit peccatum mortale? Oh quid me interrogatis, ego enim hoc nescio dicere, nec invenietis, qui vobis hoc dicat; eò quòd videamus id, quod fundamentum est in una persona, non sit in altera; id, quod hodie sufficiens est indicium; jam cras est omnimodè falsum; illud quod in istis circumstantiis nobis videbatur evidentia, invenimus postmodum, quòd nos deceperimus. Et si non sit sufficiens indicium, judicium est peccatum mortale. Oh materiam tam graviter scrupulosam, & in qua labuntur etiam illi, qui in aliis præceptis circumspectè incedunt; etiam illi, qui aliàs in omnibus DEUM timent; *Ad condemnandos cæteros omne vitæ nostræ absumimus tempus*, dicit Sanctus Joannes Chrysostomus de comp. cor. l. 2. *ab hoc vitio nec sæculi homines, nec Monachorum ullum facilè invenies liberum.* Unus Xaverius modò in domo hujus, & modò illius concubinarii, affabilis cum mulieribus depravatis, & Ignatius cum similibus sibi ad latus assistentibus in plateis urbis Romæ, & unus, & alter modò in mensa, modo in lusu; quid de his judicaretis? Et quid fuit illa Juditha pulchra, floreſcens, egregia, quæ intrat & incedit per exercitum militum dissolutorum sola, quid vobis videtur de istis indiciis? & in quem finem hæc facit? Una Magdalena peccatrix publica, quòd se projiciat ad pedes Christi, quòd illi eosdem osculetur, & quòd Dominus hoc admittat; quale judicium formaretis de hoc, quod videtur? Judicium Pharisæi. Apagite, hoc enim esset velle determinare, & scire id, quod mare in fundo continet ex sola aqua & spumis, quas ejicit ad ripas, vel oras maritimas. Et cùm vix detur indicium, quod non sit decepto-

rium, cùm vix detur fundamentum, quod non inveniatur falsum? Quid ex hoc sequitur? sequitur ut neminem judicetis: *Nolite antè tempus judicare*; ad Cor. 1. c. 4. v. 5. Et quòd sint tot, & tam facilia judicia, quæ fiunt de aliorum vita, quòd sint innumerabilia peccata mortalia, quæ committuntur, & quòd sint pariter innumerabiles illi, qui formando judicia de aliis, seipsos condemnent. Oh quot sunt tales hi! oh quot sunt tales & hæ! Matrimonio ligati! Conjugati intuemini Sanctum Josephum; non enim dat vobis licentiam vester status, ut faciatis per vestra judicia exinde statum damnationis.

VII. Attamen volo priùs tollere certum scrupulum Patribus & Matribus familias, & est: habere curam suæ domûs, prævenire in illa pericula, & peccata, ùt loquitur Sanctus Thomas, hoc non est judicium temerarium, sed cauta gubernatio, & securum regimen. Habeat Mater optimam opinionem de sua filia, sed attendat ad omnes passus ejus, tam ob visitas, conventicula, quàm ob conversationes; habeat optimam opinionem Dominus de servo, vel Pater de filio; sed tollat huic & illi occasiones, sciat hujus & illius conversationes & conventicula; non quòd aliquid mali judicet, sed sic se gerendo in omnibus acsi malè judicaret, ad se magis assecurandum; hæ enim sunt regulæ prudentiæ; quòd qui occludit suam domum noctu, non ideò judicet aliquem esse furem, sed seipsum tutum facit, & se de periculo assecurat. Non loquor de hoc.

VIII. Loquor de tot & tantis, qui se immittunt ad officium adeò difficile, quale est judicare de aliis. Nihil est difficiliùs quàm hoc, & tamen nihil est, quod faciliùs æstimetur, & quod faciliùs executioni mandetur. Omnes se faciunt judices familiarum, domorum, & conscientiarum proximorum. Qualis hæc cæcitas, quæ ignorantia, & quæ ex hinc non proveniunt culpæ! *Pravum est cor hominis, & insrutabile, quis cognoscet illud?* dicit nobis DEUS per Jeremiam Prophetam cap. 17. v. 9. Quis est sufficiens cognoscere abscondita cordis? quis erit, qui poterit pro certo edicere ejus intentiones? Plurimùm tumens, & vanitate inflatus certus Astrologus referebat distantias sphærarum, dispositionem astrorum, aspectus planetarum, influxus, quos emittebant, tempestates, quas minabantur, ùt refert Laërtius l. 3. c. 17. Nauseatus

atus illum Diogenes, qui adſtabat auſcultando, & conſiderando illum à pedibus uſque ad caput, dixit illi: Quantum temporis eſt, quòd rediveris ex illa patria, quot annis ibi vixiſti, quòd tam ſecurus nobis promas ſimiles novellas? Oh quàm multò ſecuriùs & meliùs dicerem ego hoc illis, qui præſumunt judicare de corde aliorum; fuiſtine tu intus, vidiſtine illa repoſitoria? Ah DEUS! Ecce, ſi tu te ipſum non cognoſcis, quomodo ſcies illud, quod in alio agitur? Quoties tibi contigit, quòd confeſſus fueris: Pater, neſcio, an conſenſerim, vel non conſenſerim in tale vel tale peccatum, & dubito. Pater, neſcio determinare, quam intentionem habuerim in tali actione, neſcio, an illam ex caſtigatione fecerim, vel ex vindicta; neſcio, an talis eleemoſyna fuerit ex vanitate, vel ex charitate; hoc neſcio. Nunquid tibi ſic evenit? certè hoc mihi non negabis. Jam ſi tu in temetipſo non cognoſcis tuum cor, quomodo de alieno judicabis? De hoc conqueſtus fuit Dominus noſter apud Sanctam Catharinam Senenſem Dialog. c. 93. *Miſer homo ſeipſum ignorando, vult agnoſcere pariter & judicare cor Proximorum.* Oh quantum periculum in talibus judiciis! Quoties credidiſtis ſervum vobis furatum fuiſſe illum annulum--- & poſtmodum inveniſtis eum in veſtro ſcrinio repoſitum? Quot de tua Uxore tibi perſuaſiſti malos greſſus, & illam poſtmodum in templo inveniſti ad Sacram Synaxim accedentem? Oh judicia damnationis æternæ! In morbis acutis, dicit Hypocrates lib. 2. Aphor. 19. ſunt prognoſtica difficilia, quia facillimè mutat locum humor peccans. Jam hoc ipſum evenit in judiciis, pro quibus nec quidem ſufficit pro fundamento experientia; quia illa, quam herì vidiſti malam, hodie forſitan eſt bona, illum, qui herì perditus & perverſus erat, hodie forſitan eſt emendatus.

IX. Remanet itaque, quòd, cùm ſint fundamenta ſæpiùs deceptoria, ſint perverſiſſima judicia illorum, qui menſurant & judicant alterum ſecundùm ſeipſos. Talium dantur tres claſſes; Prima eſt: certorum ſpiritualionum, qui, quia audiunt quatuor Miſſas, & quatuor devotiunculas deblaterant, jam ſe ſuper omnes extollunt, & judicant omnes, quòd idem non faciant ùt illi, jam alios pro perverſis habent, ac ſi virtus non haberet

plures vias. Certæ beatulæ apogriphæ dantur, quæ quia ſaccum portant, judicant & ſententiant de alia, illam eſſe profanam, de alio, illum eſſe perditum & perverſum; in iſto illud cernitur; de iſto hæc & hæc loquitur. Ah pauperculæ Animæ & deceptæ, quid vos juvat iſte ſaccus, dum vos portant ad infernum ſimilia judicia. Audite Sanctum Climachum, qui melior diſcretor fuit ſpirituum præ vobis; *Peccare nos dæmones urgent, aut ſi non peccaverimus, judicare peccantes.* S. Clim. in ſcala. Adlaborat diabolus, ut peccemus; & illos, qui non peccent, urget, ut judicent: utrumque eſt cadere. Fratris Bernardi Quintavale, ùt refert Chronic. Sancti Franc. lib. 6. cap. 9. Socii Sancti Franciſci, vidit certus Sanctus Religioſus in cælo, quòd reſplenderent oculi magis quàm ſol. Interrogavit, cur ipſi ità ſplenderent oculi? & fuit illi reſponſum: eò quòd, quantum & quidquid hic Sanctus videbat, omnia in bonam partem interpretatus fuiſſet. Si quempiam pauperem videbat nudum; ah meliùs quàm ego, dicebat, hic obſervat paupertatem; Si videbat divitem optimè veſtitum, ah quàm hic interiùs multò majorem habebit virtutem præ me, & plures faciet pœnitentias. Iſti ſunt oculi, qui in cælis præ ſole reſplendent.

X. Verùm in aliis totum fundamentum eſt judiciorum illorum temerariorum propria eorum malitia. Idem ipſe David videbatur bonus Jonathæ, quia illum aſpiciebat ex amicitia, & videbatur peſſimus Sauli, quia illum conſiderabat ſuâ malignitate & invidiâ. Cain, prout ille erat homicida, omnes judicabat eſſe homicidas: fur omnes cogitat eſſe ſuæ conditionis & profeſſionis. & impudicus omnes judicat inhoneſtos, & laſcivos. Judicia ſunt ſicut aqua, quæ accipit ſaporem & qualitatem à terris, per quas fluit. In trunco videt ſculptor ſtatuam alicujus Sancti; verùm Carbonarius quid videt in eodem ipſomet trunco? Cogitat ex illo facere carbones, fumum, & titiones. Alii finaliter judicant juxta ſuam phantaſiam & voluntatem, ſinè omni alio reſpectu. Equitabat certus quidam Seniculus in aſino, & ducebat ſecum peditem parvulum ſuum filiolum. Obviavit quibusdam certis tranſeuntibus, & iſti immediatè: Videte Senecionem improbum, quàm commodiſſimè vehatur ſinè habita pietate erga ſuum pauper-

culum

culum infantem, qui pedes illum comitatur. Toleravit ſuam reprehenſionem, tranſierunt, & Seniculus, deſiderans occaſionem vitare oblocutionis, deſcendit ex jumento, impoſuit filiolum ſupra illud, & ille pedes inceſſit, & ſic ſuum ſunt proſecuti iter. Obviant illis alii viatores, & immediatè: potéſtne dari ſimilis ſtoliditas? Senex, ut pedes incedat, defatigando ſe, & quàm optimè vehatur jumento inſidens adoleſcentulus. Quàm multò meliùs foret, ſi incederet jumento inſidens cum aliquali commoditate Seniculus. Recepit ſuam cantilenam commoventem illum ad aliqualem iracundiam, & tranſierunt. DEUS bone! eja ergo videamus. Conſcendit Seniculus unà cum filiolo jumentum, & ſic ambo pergebant; & ecce obviant illis alii, qui incipiunt cum magno riſu: volunt occidere pauperculum iſtud jumentum; ambo, ambo ſimul inſident illi? non pudet illos? His dictis tranſierunt, & Seniculus faciens deſcendere filiolum, deſcendit etiam ille, proſequebantur iter dicendo *arri* ad aſinum. Veniunt alii. Datùrne ſimilis hebetia? dum iſti poſſent aleviare ſuum iter, ſinunt ire jumentum exoneratum, cùm tamen poſſent equitare. Tranſierunt; & Seniculus neſciens quid ultrà faciendum foret, invertit aſinum, ligat pedes ejus, & incipit illum cum ſuo filiolo trahere. Adveniunt alii: quid deeſt huic jumento? Nihil. Quid itaque facitis homines ſtulti? hic fuit jocus, judicia, & cachinni! Tranſierunt; & Seniculus: Eja fili, de omnibus loquuntur, & omnia judicant homines, eamus nos, qualiter nobis optimè videbitur. Ah Dilectiſſimi mei! ſi opus eſt bonum, & Sanctum, depravatur in eo intentio; ſi habet minorem apparentiam, judicatur ùt malum; & ſi malum eſt, adaugetur; nihil judicia effugit. Et quid exinde ſequitur? Quod, cùm non ſint ſæpiùs ſufficientia fundamenta, & cùm ſint tanta judicia, ſint plurima peccata mortalia, quæ in hoc perpetrantur; & cùm jam talis nunc mos ſit, quòd nulla ratio horum habeatur, nec pariter confiteantur, in hoc non excuſante ignorantiâ: exinde ſequitur, quòd eô ipsô rigore, quô vos judicatis, pariter judicabimini, & exinde ſequitur, quòd eâ ipſiſſima facilitate, quâ alios condemnatis, condemnabimini: *Eâdem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur & vobis.* Luc. 6. v. 38.

Vul-

XI. Vultìsne remedium efficax contra vitium hoc tam perniciosum, quàm commune? Audite ergò illud ex ore ipſiusmet Chriſti Domini: Filia, dicebat ſua Majeſtas Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, cùm eſſet Magiſtra Novitiarum in ſuo Monaſterio; Filia, nunquam judica aliquam ex tuis ſubjectis, antequam me reſpicias, & antequam teipſam conſideres. Oh quale conſilium! Reſpice anima DEUM, qui futurus eſt tuus Judex, qui videt minimas & abſconditiſſimas tuas cogitationes, qui ſcit omnia opera, verba, & actiones totius tuæ vitæ, de quibus omnibus te judicabit. Reſpice ô homo teipſum, qnanta peccata, quantas offenſas perpetrâſti contra hunc Judicem Supremum, qualiter velles ab eo judicari, quam ſententiam velles ab eo habere? Judica tu ergo nunc taliter actiones tui proximi oculis charitatis, ſi vis eſſe judicatus in illo Tribunali cum benignitate. Sine alios, qui cum DEO habent ſua ratiocinia, & tu ſolummodo omnes vires impende ad procurandam remiſſionem & condonationem tuarum culparum per gratiam.

INSTRUCTIO LI.

De Murmuratione, & illius damnis.

I. CElebratum fuit pro ſingulari divinatione quadam vice id, de quo nos debemus lamentari, ut de errore communiſſimo. Pro felici nuntio fuit habitum in contingentia illud, quod tantum grave eſt, quantum frequens infortunium in malitia. Accidit caſus, refert Claudius Paradinus: quòd obſeſsâ Jeroſolymâ ab illo celebri Capitaneo Godifredo Buglione, iſte, neſcio ex quo fine, emiſerit ex arcu ſagittam ad turrim Davidis, & ecce tibi transfixæ & occiſæ in terram deciderunt tres aviculæ, quæ accidentaliter volando per aërem, absque eo, quòd ſcopus fuiſſent jactûs, fuerunt ſtrages impulsûs. Præclarus & magnanimus teli jactus! inſonuit acclamatio; Tres aviculæ unâ ſagittâ transfixæ; magna divinatio, grande augurium, tres ſcopi una cuſpide! & reliquit Godifredus ab illo tempore pro inſigni ſuæ magnæ domûs

mûs & familiæ Lotharingicæ in una ſagitta transfixas tres aviculas. Jam hoc, *quod pro tanta raritate, quoad contingens, habebatur illic pro felici augurio; pro repetito, uſuali, & frequenti jactu teli malitiæ*, deberent noſtræ lacrymæ ſcribere pro ſententia infortunii & accidentis maximi, quod mundus paſſus fuit, aut defactò patitur. Per caſum, interrogat nunc, ac ſi vidiſſet hunc eventum Sanctus Bernardus, per caſum non eſt unica lancea vibrata lingua alicujus Murmuratoris, quæ ſua venenata cuſpide præcipitat tres unicò ictu, transfigit tres unô impetu, & occidit tres unô jactu teli? *Nunquid non lancea ea eſt lingua iſta? profectò acutiſſima; quæ tres penetrat ictu uno.* S. Bernardus de tripl. cuſtod. num. 4. ad finem. Lancea vibrata eſt talis lingua, quæ occidit in vita honoris illum, contra quem excutitur; occidit quoad conſcientiam illum, qui cum guſtu & delectatione auſcultat, & occidit quoad animam ipſum Murmuratorem, qui illam vibrat. Oh quales tres mortes inter terribiliores terribiliſſimæ per unicum jactum tam levem, ùt eſt unicum verbum, per unicam vocem, quæ volat, honor perditur, & tres animæ damnantur. Et cùm ſit tam commune, & tam frequens iſtud vitium, ut vix honor ſit ſecurus à talibus linguis, non ſcio, an dicam, quòd ob tales linguas ſint innumerabiles animæ, quæ de ſalute æterna periclitantur. Etiam illi, qui aliàs ſequuntur virtutem, *illi, qui videntur tractare de* perfectione, illi, qui maximâ ſolicitudine ſibi attendunt ab aliis culpis; in murmurationes, ùt in ultimum laqueum diaboli, cadunt miſerabiliter, dicit Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Gal. *Tanta hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen velut in extremum diaboli laqueum incidant.* Et nihil juvabit omnis vita auſteritatis, & pœnitentiæ, ſint illæ qualeſcunque velint; ſi lingua non ceſſat à murmuratione, dicit nobis Sanctus Chryſoſtomus hom. 3. ad Popul. *Etſi cinerem comedamus, nulla nobis aſperæ vitæ utilitas proderit, niſi à detractione abſtineamus.*

Non apparet itaque, quòd fiat debitus conceptus de ſumma II.
gravitate hujus materiæ, cùm videamus maximam facilitatem, quâ omnia proferuntur; non videtur, quòd ſit Præceptum DEI, in quo noſtra ſalvatio conſiſtit in tacendo, cùm experiamur res

graviſſimas, ſecretiſſimas, occultiſſimas, eſſe embammata in converſationibus, vel eſſe delicias in ſolariis. Nunc itaque per octavum Præceptum nobis notificat noſtram obligationem graviſſimam Chatechiſmus: *Quis illud obſervat? qui non judicat mala aliena ex levitate, nec illa propalat, nec auſcultat abſque bono fine.* De judiciis ſinè judicio jam fui locutus, de tantis murmurationibus, quæ ſunt judicium, hodie mihi loquendum eſt; quid hoc ſit, dicere, propalare, & auſcultare mala aliena abſque bono fine.

III. Detractio itaque, vel murmuratio, quia jam in noſtra vulgari lingua eſt unum & idem, juxta definitionem Doctorum, eſt tollere, maculare, vel diminuere injuſtè honorem & famam Proximi occultè, vel ùt dicimus à tergo; occultè vel à tergo dixi, quia ſi illi aliquid objiciatur in faciem contra ejus honorem, iſta eſt contumelia, peccatum graviſſimum, de quo jam aliàs dixi; ſed occultè, traditoriè, à tergo offenſi, ut nec illi detur locus defenſionis, facit damnum in maximè æſtimabili honore. Plùs valet bonum nomen, reputatio, fama, quàm maximæ mundi divitiæ, dicit ipſemet DEUS in Proverbiis cap. 22. v. 1. *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Et quòd ſi tam grave peccatum ſit furari res alienas, quale peccatum non erit furari honorem? Pejor eſt ſinè omni dubio ſecundùm Sanctum Thomam 2. 2. magis infamis in oculis DEI murmurator, quàm fur; & hoc non obſtante, tot, quos puderet eſſe fures, non pudet illos eſſe & haber pro murmuratoribus.

IV. Certum eſt, quòd ſi materia, de qua fit murmur, ſit levis, defectus alterius leves, defectus merè naturales, vel res, quæ quantumvis graves, jam ſint notoriæ, jam ſciantur, jam publicæ, ſimilis murmuratio, ſi illam magis odium non vitiat, erit ſolummodo culpa venialis; hoc ſe ità habet; ſed oh quàm periculoſum hoc eſt! Omitto hìc magnam facilitatem, qua de uno in alterum verbum tranſitur, de levi ad grave, de naturali ad morale, & de publico ad ſecretum. Oh quàm difficulter refræmatur lingua, ſi ſemel calefiat, & ſic accenſa fræna laxet: *Linguam nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortiferò*, dicit nobis Sanctus Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſtola cap.

cap. 3 v. 8. Sed etiam dato, quòd murmur in levi re permaneat, eſt extra omne dubium, quòd in hoc puncto materia levis non debeat attendi ſolummodo ſecundùm illud, quod dicitur, ſed etiam reſpectu cujus perſonæ dicitur, & etiam quandoque in quibus circumſtantiis dicitur; quia illud, quòd in certis circumſtantiis leve eſt, in aliis, reſpectu illius qui audit, jam cum aliis notitiis, quas unit, fit grave; illud, quod dictum eſt de homine vili & plebejo, quòd mendax ſit, eſt res levis, dictum autem de homine honorato, in dignitate poſito, Prælato, Sacerdote, quòd mendax ſit, eſt gravis inhonoratio. Oh DEUS! & ità debemus exactè judicare de aliis; quantæ, quæ habentur pro levibus murmurationibus, ſunt graves, & graviſſimæ? Facite in aliquo funè craſſo & grandi nodum, diſſolvite illum; Facilè diſſolvitur; bene. Facite nunc ſimilem nodum in uno filo delicato ſerici; diſſolve illum. O quàm hoc fit difficulter. Numquid iſte nodus eſt, ſicut ille? Ità eſt, ſed multùm inter utrumque intereſt; quia eſt valde delicatum hoc filum ſericeum, & eſt valde craſſus ille funis. Jam ſi res ſic ſe habet, quomodo ergo taliter ſine reſpectu fiunt collocutiones de honore alicujus Virginis, de maritata honeſta, de Vidua ſolitaria? Qualia colloquia fiunt de Sacerdotibus, de Religioſis, & etiam de Superioribus? Oh non eſt res alicujus momenti! Ah, Dilectiſſimi mei, parvus nodulus in filo ſericeo delicato plus caufat laboris, quàm magnus nodus in funè grandi. Hic unicus aſpectus, unus riſus, unica levitas, ſi narratur, ſi publicatur, ſolet facere tantum damnum in honore, prout illic aliqua enormitas, & aliqua turpitudo; *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Eccleſ. 10. v. 1. Una muſca, & altera muſca ſunt parvæ res, attamen auferunt unguento bonum odorem & fragrantiam. Formicæ rodendo radices, ùt jam expertum eſt, relinquunt ſinè virore, tabidam & ſiccam cypreſſum elevatam. Et ſi fides eſt Plinio adhibenda, unus piſciculus parvus eſt ſufficiens, ut immordens ſe corpori navis, eam retineat, & ſiſtat, quantumvis ſit altæ magnitudinis. *Novi*, dicit ex ſua experientia Doctiſſimus Navarrus in Enchir. c. 18. & forſitan poſſemus etiam nos ab experientia id ipſum dicere: *Novi virum inſignitèr eruditum, & probum ab adipiſcendo egregio quodam munere impe-*

peditum per culpas veniales vanitatis, & iracundiæ falsas. Novi dicit, & possemus dicere, novimus unum, imò multos homines insignes, doctos, morigeratos, qui per venialitatem, quam illis imposuit murmuratio, perdiderunt magnas dignitates. Jam si ista damna facit etiam illud, quod leve & exiguum nobis videtur; quomodo igitur fiunt locutiones, quomodo res narrantur, quomodo ergo in tantum unus alterum mordet sinè ullo obstaculo, & quasi libere?

V. Oh ego non habeo intentionem illum inhonorandi, locutus hoc fui ad promovendum sermonem, & absque consideratione. Si inhonoratio, quæ exinde sequitur, est gravis, non est excusatio à peccato mortali hoc *non habui intentionem*; & si inconsideratio est ideò, quia jam habes istum maledictum morem malè loquendi, hoc facit eò magis enormem culpam. Quòd si aliqua fera, aliquis ursus, taurus, quem tu tenes occlusum, vel ligatum, se solvat semel, & damnum faciat, non obligat lex Dominum ad solutionem damni facti cum tanto rigore leg. si quadrup. ff. si quadr. pauper. Sed si se quavis die talis Taurus solvat, ob negligentiam quam commisit Dominus, solvat, dicit lex, leg. quæ vulgo ff. de ædilit. edict. solvat damna; quando quidem jam habet experientiam, & sic magis culpabilis est sua negligentia.

VI. Idcirco, antequam ulteriùs progrediar, oportet sistere ùt plurimùm vulgarem errorem. *Sinè fine bono*, dicit Catechismus: quando enim adest bonus finis, non est detractio injusta, & per consequens, nec etiam est culpa. Qui ad lenimen apud amicum sapientem, vel ad capessendum consilium, vel juvamen conqueritur de injuria vel afflictione, quam illi alter fecit; Maritus cum Uxore, vel illa cum Marito, quod pro bono regimine domûs & familiæ illorum est, patefaciunt inter se culpas graves filii, & filiæ, vel etiam ancillæ, hoc non est peccatum; nec etiam est, quando aliquid patefit solummodo personæ interessatæ, & non alteri, ad cavendum suum proprium damnum grave. Tractat aliquis de maritanda filia, interrogat alium, an noscat Titium, & quid illi de Titio videatur? Si ille scit de illo aliquem gravem defectum, v. g. quòd sit hæreticus, quòd sit Concubinarius, vel aliquid aliud simile, non solùm potest, sed forsitan tenetur patefacere illi soli in secreto, quatenus ille possit vitare suum damnum

num. Hoc ipſum dico, de caſu quando accipitur informatio pro Sacerdotio, an poſſit talis vel talis promoveri; pro ſuſcipiendo ad Religionem, vel pro aliqua dignitate (etenim in tali caſu non eſt charitas, in gratiam unius damnificare totam aliquam communitatem, tacendo) debet dici, quamvis totum in ſecreto, illud quod ſcitur; & ſi ſufficit dicere hoc uni ſoli, non debet dici duobus: nam ſinè intentione faciendi malum alteri, facere huic bene, non eſt culpa. Non ſemper eſt prohibitum, dicit lex, diminuere lucem vicino ſuæ domûs, ut ergo elevem in frontiſpicio meam domum; ſed ſolummodo prohibetur auferre illi injuſtè ſuam lucem; *Licet vicini luminibus officere, ſi ei ſervitutem non debemus*: Leg. cum eo ff. de ſerv. præd. urb.

Jam itaque in quo conſiſtit injuſtitia murmurationis, & maxima gravitas hujus ſerpentinæ malitiæ? Oh quæ abyſſus, in qua tantæ naves naufragium patiuntur! Primum eſt, & graviſſimum, excogitare cum mendacio illud, quod alter non fecit, affingere illi defectum gravem, quem non habet. Secundum, etiamſi non ſit omnino mendacium, eſt tamen, prout toties videmus, fictio ex muſca elephantis, dando corpus illi rei, quæ in ſe nihil fuit, exaggerando, ponderando, adornando actionem in ſe levem; oculi augentes, ut certa vitra; per quæ dum proſpicitur, illud quod formica eſt, jam cancer apparet; Linguæ, in quibus propria abundat malitia, *os tuum abundavit malitia.* Pſal. 49. Creſcit in eis, & accipit corpus aliena inhonoratio: *In ore tuo crevit malitia*, legerunt alii. Sed, quantumvis omnia ſint veritas, & eſt tertium, ſi eſt ſecretum, ſi eſt occultum, & per unam maledictam linguam pateſiat. Oh tamen eſt veritas! Homo ſinè anima, mulier ſinè conſcientia, quid importat, quid juvat, quòd illud ſit veritas, ſi ſolummodo illius propalatio eſt tua damnatio? quanti fuiſſent recuperati, quanti ad ſe rediiſſent, ſi non fuiſſet publicum factum illorum vituperium? Veteres Spartani incedebant ſemper veſtiti ex integro rubris veſtibus ad bellum: ſcitisne quare, ut, non videntes ſanguinem vulnerum in acie, non concidèrent animis. Adſint vulnera, ſed ſanguis non videatur, qui animos minuit. Quanti & quantæ meliorati fuiſſent ex ſuis infortuniis & caſibus, ſeſéque elevâſſent & ſurrexiſſent ex ſuis lapſibus, ſi aliquis murmu VII.

rator, publicando hæc & talia, illis robur non abſtuliſſet? & quæ amiſſiones perditæ, & quæ damna, & quæ conſequentiæ? Illa, quæ hac de cauſa non nupſit, & ſe ipſam perdidit: illa, quæ ob id perdit maritum, & diſſoluta facta eſt; ille, qui propter hoc deſeruit viam virtutis, & paſſus eſt ruinam; ille, qui propterea perdidit commoditatem, & gradum officii, & præcipitavit ſe. Jam de his omnibus tenebitur dare rationem talis lingua diabolica. O ego hoc retuli, quod mihi alii dixerunt. Hæc non eſt excuſatio; nam propterea adhuc nihilominus poteſt eſſe ſecretum; ſed publicatur, quia tu illud repetis, & illud enarras. *Audiſti verbum adversùs Proximum tuum, commoriatur in te, fidens quoniam non te diſrumpet.* Eccleſ. 19. v. 10. dicit Spiritus Sanctus. Commoriatur in te, ſepeliatur in te. Sed ſtatim eò ipsò momentò, ubi vix auditum fuit, publicare, non eſt honeſti hominis. Non ſemper eſt excuſatio à graviſſimo peccato mortali dicere; alii mihi hoc dixerunt.

VIII. Quartus modus murmurandi habet ùt plurimum perverſitatis, & malignitatis. Torquet murmurator & explanat gloſſando illud, quod eſt vel indifferens, vel bonum, & illud explicat vel ſecundùm ſuum odium, vel ſecundùm ſuam malignitatem, vel ſecundùm ſuam invidiam; non ſunt omnes virtuoſæ hæ ambulationes ad templum, non ſunt humanitates omnes viſitæ, ego hoc ſcio. Oh infortunate! De Camelo, refert Plinius, quod ubi ad bibendum pervenit, ideò, ſi aliqua aqua eſt clara & cryſtallina, quia debet aſpicere ſuam propriam turpitudinem in aqua efformatam, quid facit? primò ore turbidam facit aquam, elevat ore lutum, & poſtmodum bibit. Ah turpe animal! ah beſtia ruſtica! & ſic faciendo aquam turbidam, deſinisne tu eſſe Camelus, amittis tuum gibbum, amittis tuam deformitatem? quid tibi facit aqua cryſtallina, quòd ad te celandum, ad tuam deformitatem contegendam, eam tu turbidam facias?

IX. Ultimò tandem, etiam tacendo peſſimè murmuratur; *Si ego dicerem, ſi ego loqui vellem; nihil volo dicere; ego ſcio, ego ſcio.* Oh terminos infernales, unde educunt omnem fuliginem contra honorem! Etiam ſolis ſignis, geſtibus, motu capitis, labiorum committuntur in hoc graviſſimæ dehonorationes, & peccata mortalia.

Etiam

Etiam laudando, quis hoc cogitaret? etiam monſtrando compaſſionem erga alium; quis hoc crederet? laceratur honor & fama. Titius bonus homo, dicunt quòd ille ſit, eh; & deſtruit ſonus, geſtus, & manus id, quod dicit vox. Semproniam dicunt eſſe honoratam; eſt Titius homo tam honeſtus, tam honoratus, tam punctualis in omnibus, & tamen non vult derelinquere illam amicitiam. Titius præclarus & magnus Nobilis, & quòd ità commaculet ſuum ſanguinem auferendo aliena, nonne eſt illi compatiendum? Ah machinationes linguarum infernalium! Mittit oleum Piſcator in aquam, ut tanto certiùs poſſit inſigere lanceam: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Pſalm. 54. v. 22. De leone, dicit Plinius, quòd habeat linguam tam aſperam, ut etiam quando illâ lambit, extrahat ſanguinem, etiam ſinè motione dentium, ſuum lambere, quod blanditiarum inſtar eſt, facit vulnus.

Idcirco poſt omnia; quis vobis videtur eſſe pejor, qui tali modo murmurat, vel qui murmurationes, ſtando auſcultat? Interrogatio hæc eſt Sancti Bernardi, cui taliter reſpondet: *Quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim*; Lib. 2. de conſid. ad Eugen. Non eſt hoc facilè determinare, dicit; attamen in alio loco hoc ità Sanctus Doctor determinat. Scitísne, dicit, *quid interſit* inter unum & alterum? Diſtinctio hæc eſt, quòd ille, qui murmurat, habeat diabolum in lingua, qui auſcultat habeat diabolum in auribus. Per illum, qui auſcultat, intelligitur, qui cum guſtu murmurantem auſcultat, vel provocat ad id ſuis interrogationibus, (ah mulieres curioſæ de vita aliorum) ille, qui auſcultat & poteſt commodiſſimè, vel mutare diſcurſum, vel abire, vel monſtrare ſuo vultu ſuum diſguſtum, & hoc non facit. X.

Et jam cùm ità generale ſit iſtud funeſtiſſimum vitium, ut, prout ab illo vix aliquis honor cavere poſſit, & illud effugere, ità etiam vix datur lingua, quæ ab illo ſit libera; cùm itaque abominato ſit hominum murmurator; *Abominatio hominum detractor*; Prov. 24. v. 9. & cùm murmurator ipſimet DEO ſit horrori: *Detractores DEO odibiles.* ad Rom. 1. v. 30. Et cùm ejus venenum ſentiamus, & de tali veneno experiamur, & deſleamus XI.

tam

tam patentia damna, timeamus ob ſuam malitiam æternam damnationem; & ſufficiat ex millibus iſta experientia.

XII. Quidam Eccleſiaſticus, refert Henricus Gran. D. c. 57. qui fuit in ſua vita grandis murmurator, incidit in mortalem infirmitatem, & videntes appropinquare graviſſimum periculum mortis, exhortabantur eum amici, ut ſe diſponeret, & de ſalvatione animæ tractaret. Reſtitit ille; inſtabant iſti, uſquedum circumdatus ab omnibus, reſponſum, quod dederat, fuit, indigitando linguam, dicens: *Iſta me portat ad infernum.* Expoſuit linguam ex ore hoc dicendo, & immediatè illâ intumeſcente cum quadam deformitate horribili, non poterat eandem ultrà in os retrahere, & ſic ferus & horibilis ſicut diabolus, efflavit infelicem animam.

XIII. Magnum infortunium perdere animam propter linguam, cùm lingua poſſit eſſe optimum inſtrumentum, quo poſſimus conſequi gratiam.

INSTRUCTIO LII.

De Teſtimonio falſo in Judicio, & Obligatione Reſtitutionis Honoris ablati.

I. SUpra ſummum malum cogitarem ego non poſſe aliquid eſſe, quod magis timendum foret. Infernus, centrum ſinè requie omnium infortuniorum, adunatio ſinè unione omnium infelicitatum, extremum ſinè fine omnium tormentorum, iſte eſt ſummum malorum. Quis ad ſolum nomen inferni non contremiſcit? Attamen datur adhuc alia res, quæ ſupra infernum timenda eſt, datur aliud malum, quod etiam in comparatione inferni pejus eſt, pejus quàm infernus. Quale malum poterit eſſe, quod poſſit venire etiam ſolùm in comparationem unius ſtatûs, in quo ſunt omnia mala? Quidnam poteſt eſſe, quod in comparatione inferni nobis poſſit incutere plus timoris, Scitísne quid? unica mala lingua. Non dico ego hoc, ſed ipſemet Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 28. v. 25. *Utilis potiùs infernus, quàm illa.* Oh DEUS! Bene ego ſcio, inſtructus ex Divinis Scripturis, quòd in mala

mala lingua congregentur omnia maxima tormenta: illa eſt flagellum crudeliſſimum, quod facit vulnera terribilia in anima; *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ, comminuet oſſa*, ibid. v. 21. Illa eſt rota novacularum, quæ vertendo ſe & girando in ore, ſervientes illi pro acie dentes, lacerat famam, diſcerpit reputationem, comminuit honorem; *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet*; Prov. 30. v. 14. Illa eſt armamentarium funeſtum, ubi contra Proximum acuuntur lanceæ, cuduntur gladii, harpagones præparantur, augentur ſagittæ, fulminantur enſes; *Filii hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Pſal. 56. v. 5. Fateor, quòd lingua mala colligat à ſcorpione blanditias, à dracone flatum, à ſerpente peſtem, & ab aſpide omne venenum; *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Pſal. 139. v. 4. Unit mala lingua ſibi Pardi levitatem, quâ omnia aſſequitur; Leonis ſanguinoſam rabiem, qua intra ſuos dentes omnia lacerat, & in partes diſcerpit; *Immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet.* Eccleſ. 28. v. 27. Jam video malam linguam pejorem eſſe ipsâ morte: *Mors illius, mors nequiſſima*; ibid. v. 25. Quandoquidem tollendo meliorem vitam, ſolummodo relinquit pro tormento vitam. Jam cognoſco malam linguam eſſe pejorem præ horriditate ſepulturæ, quoniam iſta tandem occludit & abſcondit putredinem, fœtidum odorem, & vermes; at mala lingua ſepultura eſt aperta, quæ ſpargendo per omnes partes fœtores, omnia corrumpit, omnia peſte afflat, & omnia inficit: *Sepulchrum patens eſt cor eorum.* Pſal. 23. v. 3. Concedo, quandoquidem hoc deflemus, quòd mala lingua ſit ignis urens, incendium vorax, flamma funeſta, quæ duriſſima quæque conſumit in favillas, quæ puriſſima quæque denigrat fuligine, quæ pretioſiſſima diſſipat in cineres; *Lingua ignis eſt*, dicit Sanctus Jacobus cap. 3. v. 6. Concedo, quòd igni talis linguæ præſtet infernus ſuas ſcintillas, ut volvendo ſe ùt rota ignea omnes aſſequatur ſua flamma; *Inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna*; ibid. Et finaliter tandem ego fateor certiſſimum eſſe, quòd in mala lingua unita conſiſtant omnia mala, omnia infortunia, & omnes iniquitates; *Univerſitas iniquitatum.* Attamen poſt hæc omnia, quomodo poteſt eſſe pejor inferno? *Utilis potiùs infernus,*

fernus, quàm illa. Si infernus habet omnia ista mala, & infinities plura, quomodo potest illô esse pejor mala lingua? Scitísne quomodo? dicit Doctissimus Guilielmus Peraldus; quia mala lingua habet certam proprietatem, quam non habet infernus. Et qualis est illa? quòd flammæ inferni, etiamsi in tantum terribiles, quòd ille ignis etiamsi in tantum terrificus, solummodo exerceat suum incendium cum peccatoribus, solummodo urat, solummodo dilaniet illos, qui culpabiles sunt; verum ignis malæ linguæ omnes urit, justos & peccatores, culpabiles & innocentes, bonos perversos, nullus hanc ustionem effugit. Oh ignem magis formidabilem, quàm infernalem; quandoquidem ad liberandum se à tuis flammis, nec quidem Sanctissimis Viris pro liberate sufficiens fuit illorum innocentia, nec quidem Justissimis pro tutela valet illorum Sanctitas: *Detractoris lingua pejor videtur inferno, infernus enim solos malos devorat; lingua detractoris complectitur bonos & malos.* Perald. Summ. Vitior. t. 2. de vit. ling. c. 9. Ab inferno jam se liberarunt Sancti, & se liberabunt illi, qui bene vixerint, & in gratia DEI morientur: verùm à falso testimonio, ab una calumnia, ab impostura, quis hic erit, qui se liberare poterit, quando ipsemet DEI Filius, post tam gravia opprobria, à calumniis & falso testimonio in cruce occisus est? Itaque dans testimonium falsum, mendax calumniator, delator malignus, pejorem linguam habent, quàm sit ignis infernalis.

II. Hoc itaque facit, qui contra justitiam infamat suum Proximum; & non haberem plura dicere, si non esset necessitas explicandi minutissimè istud tam enorme peccatum: *Quis illud rumpit?* interrogat nihilominus de octavo Præcepto Catechismus: *qui alium infamat contra justitiam, vel detegit secretum, vel mentitur.* Non itaque solùm infamat contra justitiam detractor, murmurator, qui in conversationibus particularibus aufert honorem, sed multò pejùs, sed multò graviùs, multò enormiùs malignus delator. Dico hoc voce magis consueta, ut meliùs intelligatis; explorator, delator, falsum testimonium dans, qui coram Judice, Superiore, Prælato, imponit alteri delictum grave, quod alter non fecit; vel illud, quod exaggerat, ponderat, vestit id, quod in se cùm sit leve, exaggerando, vel tacendo ex malitia circumstantias, quæ

illud

illud minuunt, ſubjicit alterum pœnæ, caſtigationi, inhonorationi, & infamiæ.

III. Infelix Reſpublica, in qua taliter introducti lucrantur gratias delatores, ſuſurrones, in qua tam vili pretiô comparantur teſtimonia falſa, & falſi teſtes, ubi tam ſitibundæ aures gratas ſibi inveniunt calumnias, & in qua abſque majori comprobatione; quàm inventione & fictione alicujus maledicti delatoris, fulminantur iniquæ ſententiæ. Infortunata Respublica, eò quòd in ea inverſa judicia fiant, & his convulſis, regnante paſſione, prævalebunt flagitioſi, patientur innocentes, proſternentur virtutes, imperabunt vitia, nutrientur ſub umbra injuſtitiarum diſcordiæ, creſcent æqualiter cum dishonoribus odia, augebuntur ſimul cum ambitionibus vindictæ, regnabunt in deſpectum meritorum invidiæ, & damnabuntur ad impulſum flatuum animæ, quandoquidem ùt canes rabioſi conſumunt ſe ad invicem illi, qui tali modo falſis calumniis ſe mordent: *Si ad invicem mordetis*, clamat Sanctus Paulus ad Gal. 5. v. 15. *& comeditis, videte ne ad invicem conſumamini.* Et ſi omnia iſta damna, & alia innumerabilia facit unicus delator iniquus, & unicum falſum teſtimonium; tot & tanti, qui admittuntur, qui benignè audiuntur, qui quæruntur, & illud quod peſſimum eſt, ſolvuntur, qui præmiantur? *Teſtis iniquus deridet judicium.* Prov. 19. v. 28. Diſceſſit fugiendo magnus Ariſtoteles Athenis, timoroſus eò quòd in illa Civitate Literaria volarent validiſſimæ calumniæ, & hæ in omnium ore verſarentur, & interroganti ſe, neſcio cui, quid ſibi de Athenis videretur? ùt refert Ælianus var. hiſtor. l. 3. c. 36. Magna Civitas Athenæ, reſpondit, valdè pulchra: ſed ibi ficus unus cum altero putrefit, & unum pyrum cum altero. Utinam hoc ſolummodo fieret Athenis, & non eſſet plenus ſimilibus totus mundus, & etiam illud, quod non deberet ultrà eſſe mundus. Non admittas delatores palliatos, ſcribit Pontifici Eugenio Sanctus Bernardus: *Suggeſtiones, & ſuſurratas delationes non ſuſcipias adversùs quemquam.* Quis non videt cor vitiatum involucris, quô delator accuſat? Vis regulam generalem? proſequitur Sanctus, qui tantum ſcivit de prudentia Chriſtiana, quantum de ſpiritu; *Hanc velim generalem conſtituas regulam, ùt, qui palàm veretur dicere, quod in aure*

locutus est, suspectum habeas; quod si te indicante dicendum esse coram, ille noluerit, delatorem judices, non accusatorem.

IV. Delator iniquus, testis falsus, qui taliter aufert alterius honorem, expectet quàm citissimè suam pœnam: *Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet:* dicit Spiritus Sanctus Prov. 19. v. 9. Citiùs apprehendetur mendax, quàm apprehendi possit claudus, non effugiet, dicit DEUS, *non effugiet.* Cogitat, quòd sit prævaliturum suum mendacium? qui sub aqua incedit, vel debet caput exporrigere, vel debet submergi. DEUS mendacium manifestabit, vel suâ pœnâ, vel infamiâ. Accusatus fuit, ut refert in ejus vita Surius, Sanctus Gregorius Episcopus zelantissimus coram Concilio Romano à duobus perversis hominibus, quòd commisisset turpitudinem cum certa muliercula; illa plurimùm effrons, hoc affirmabat, & quod plus est, præsentârunt centum, & decem testes. Oh quæ angustia! quid faciendum erat huic Sancto Prælato? vidit & scivit se ex integro esse innocentem, & vidit ità perditum suum honorem coram Concilio; Quid igitur fecit? elevavit suos oculos & cor ad DEUM, ô Domine, dixit: *Insurrexerunt in me testes iniqui!* & eô ipsô momentô obsedit diabolus scelestam mulierculam, quæ volutando se per terram ob tormenta, quæ illi diabolus infligebat, venit, & se ad pedes Sancti Episcopi provolvit. Elevavit illam commiserans, ejecit ex ejus corpore diabolum, sed priùs ei mandavit, ut ibi alta voce clamando confiteretur veritatem. Confessa est illa dicens stridendo, quòd Cretentius & Sabinus, ità vocabantur illi impii, pecuniam sibi dedissent, quatenus hoc falsum suscitaret testimonium. Tractabat jam totum de pœna Concilium volens illos gravissimè punire; sed intercedente pro illis ipsissimo Sancto Episcopo, eis condonavit. Attamen non ità ex integro illis cælum condonavit, quia in loco videntibus omnibus, prodibant falsis testibus, certis in una, aliis in utraque gena aliquæ maculæ ità nigræ, prout erat atramentum illorum malitiæ & iniquitatis; & duobus accusatoribus infamibus remanserunt labia sicut extincti carbones; vixerunt postmodum totâ illorum vitâ cum hac infamia publica in facie, nec unquam potuerunt abluere illas maculas. Oh, & quot similes maculæ, & quot talia ora denigrata

nunc

nunc dantur; si illa pro nunc non videmus, videbimus illa in die judicii, absque omni dubio, quando non dormiet ultrà justitia.

Et non videmus pro nunc tales maculas, quanquam tot testes V.
falsi, tanti Delatores & Calumniatores vivant ridentes post suas calumnias aliis factas; Jus Romanum condemnabat ùt vilem gentem similes homines, ut nimirum illis in medio frontis imprimeretur ferrô ignitô litera K. quatenus sic per stigma ab omnibus agnoscerentur; leg. Quæsitum ff. de test. Gratian. in constit. Constituimus 3. q. 5. Sacri Canones illos declarant pro infamibus, ut castigentur fustibus, priventur officiô, si illud habent, & excommunicentur. Ipsemet DEUS mandabat Hebræis, ut accusatori & testi falso pœna talionis daretur; illa ipsissima pœna dico, quæ danda erat accusato, si fuisset de suo delicto convictus: Deuter. 19. Et illud, quod plus est, etiam execrabilis lex Machometi, cùm talem pestem suffere non posset, ordinat, ut testis falsus imponatur asino vultu versus caudam, in manu jumenti caudam teneat, vestitus pelle equina, & ut omnes in eum lutum projiciant, & sic eundem explodendo irrideant. Et cùm hoc practicetur etiam inter Turcas, inter nos, cùm sint tot calumniæ, tot falsa testimonia, quis unquam vidit castigationem testis falsi falsum testimonium deponentis? Infelicia tempora!

Nunc illud, quod subjungo, est, quòd æquale peccatum VI.
committant illi, qui tales inducunt, solvunt, corrumpunt; Scriba, qui hoc non ignorat, & se simulat, Procurator, qui hoc scit, & fortè facilitat, Advocatus, qui hoc intelligit, & non vult intelligere, & omnes complices, & adjutores in falsitate. Oh quale infortunium! Et quid erit de infelici Judice, qui vel ex sua passione, vel ex sua cupiditate: non præmisso debito examine, sinè sufficientibus probationibus, profert sententiam infaustam? Ah datur DEUS, qui est judex justitiarum. Ferdinandus Rex Castellæ, ùt refert March. Hort. Past. l. 3. tit. 4. Condemnavit ùt proditorem certum Nobilem ad mortem, absque eo, quòd unquam vellet audire, vel attendere ad suas exculpationes. Adductus ad supplicii locum, videns se indefensum, elevavit vocem suam; O Domine Judex vivorum & mortuorum, ad te appello, & ex nunc cito ad tuum Tribunal Regem Ferdinandum,

ut intrà triginta dies compareat mecum ante tuum tribunal. Ille fuit capite plexus, & intrà triginta dies ad amuſſim mortuus eſt Rex Ferdinandus. Alius Nobilis ex Templariis condemnatus ad mortem à Clemente V. Summo Pontifice, & Philippo Pulchro Rege Galliæ; ſtabant iſti in feneſtra tabularii, dum ille ferale pegma aſcendebat, & converſus ad illos: & quoniam non habeo in terra, dixit, ad quem appellare poſſim, appello ad JESUM Chriſtum juſtum Judicem, & vos duos cito, ut intra unum annum & diem compareatis reddere rationem meæ mortis coram ejus Tribunali. Ità res evenit, nam intrà unum annum mortuus eſt Rex & Pontifex. Ah innocentia calumniata, ecce quomodo habes DEUM pro defenſore, & qualiter idcirco nobis omnibus eſt comparendum in illo ſeveriſſimo Tribunali.

VII. In hoc terribilium teribiliſſimo conſiſtit hæc culpa; quòd ille, qui abſtulit honorem, vel murmurando, & detrahendo in converſatione, vel accuſando in judicio, unum ex duobus illi remaneat abſque remedio, vel reſtituere honorem ablatum, vel damnari. Terribilia extrema, attamen ſinè remedio; oh quàm difficile fit revocare dicta, fateri ſe eſſe mentitum. Et non erit hac in materia alius modus ſatisfaciendi? non ergo ſufficit confiteri culpam, non ſufficit pœnitere, non ſatisfit per pœnitentias, opera bona, orationes, non ergo juvant eleemoſynæ? Omnia iſta perduntur, omnia iſta ad nihil ſerviunt, ſi non reſtituitur honor ablatus, ſed quomodo reſtituitur? Currit in hac materia, certa quædam valde vulgaris ignorantia. Si abſtuliſti alteri honorem murmurando contra illum, & ille non ſcit, quis contra eum murmuraverit, eſt ignorantia ùt plurimùm ſtulta accedere eundem pro petenda venia, quia hoc eſt illum accedere ad dandam illi rot tiam, quam non habet, & forſitan ad irritandum illum, & ad accendendam inimicitiam. Petitio condonationis debet fieri, & ſi ſor è opus eſſet, etiam genua flectendo, quando illi dictum fuit in faciem opprobrium, vel contumelia gravis, quando in conſpectu ejus facta eſt illi injuria; pro tunc omninò petenda eſt ab eo venia. Verum quando detractio à tergo facta fuit, obligatio ſolummodo eſt revocare coram illis, qui hoc audierunt; dicere clarè, quòd veritas defuerit in illo, quod à ſe dictum fuit,

&

& ſi opus eſſet, & non crederent audientes, etiam juramento confirmare. Hoc eſt, Pater dicetis mihi, quando illud, quod ego dixi, mendacium eſt; quòd ſi autem ego dixerim veritatem, etiamſi fuerit occulta, ego illam patefeci; illum inhonoravi, ego hoc fateor; ſed ſi fuit veritas, quomodo poſſum ego dicere mendacium dicta revocando? nullus me poteſt obligare ad dicendum mendacium. Ità eſt, & multò minùs ut hoc ille juret, totum hoc concedo. Attamen eſtis obligati reſtituere illi honorem. Quomodo? Divus Thomas 2. 2. q. 92. Videte hìc iſta, vel ſimilia verba: Ego dixi malè illud loquendo, me decepi, locutus ſui ùt ignorans, & dixi ineptiam. Omnia iſta nunquid ſemper poterit dicere cum veritate Murmurator? Debetis illum laudare, facere de illo æſtimationem, defendere illum, ad compenſandum ei damnum factum. Oh quæ ſubtilitas, ad quam non attenditur, & Anima vergit in perditionem. Vel reſtituere honorem oportet, vel damnari. Illud eſt verum, quòd ſi illud, quod dictum jam eſt, ante longum tempus, forſitan jam in oblivionem devenit, prudentius conſilium foret non accedere illum vel illos, qui hoc audierunt, ad revocandum, & multo magis, ſi alter jam providit ſuæ famæ per ſuam bonam vitam, vel ſi è contrario, illud quod erat occultum quando dictum fuit, jam ex integro eſt publicum, excuſabitur à reſtitutione. Conſulite de hoc veſtros Confeſſarios. Attamen, ſi alteri, tollendo illius honorem, fuiſſes occaſio, quòd perdiderit æſtimationem, officium, vel lucrum, oh DEUS! Iſtæ jam ſunt duæ reſtitutiones, quæ tibi incumbunt, honoris & ſuppellectilis.

VIII. Non multum temporis eſt, dicit Pater Alphonſus de Andrade, ex noſtra Societate, qui narrat hunc eventum, non multum temporis eſt, quod propè Taurum Civitatem Caſtellæ in Hiſpania, certus Notarius Eccleſiaſticus vixerit inſtar avis rapacis, per totum illum Epiſcopatum ſuſcitando delicta, imponendo reatus, & faciendo cauſas tam Eccleſiaſticis, prout & ſæcularibus; ille faciendo capita proceſſuum, & DEUS formando proceſſus omnes illi in proprium caput. Corripuit interim eum ultima infirmitas, & non credendo ſe tam citò moriturum (eſt ordinaria infelicitas illorum, qui taliter vivunt, & quod toties noſtris videmus oculis)

lis) non curavit nec adlaboravit restituere res malè lucratas, nec satisfacere honori Ecclesiasticorum & sæcularium, quem eisdem abstulerat; ille tandem mortuus est; sicut & tot alii moriuntur, ùt scimus, à quibus cùm publica sint damna, quæ fecerunt in honore, & rebus, in morte, nec de una, nec de altera restitutione vel unicum profertur verbulum. Sepultus fuit in Sacro habitu Patrum Franciscanorum, & ipsa nocte, extra horam consuetam, fuit pulsata campanula ad portam Conventûs, accurrit Janitor, & aperit, & invenit, quem? Ego sum, dixit, ille talis & talis Notarius, qui mortuus sum hodie, & fui sepultus in hoc Sacro habitu, hic vobis illum restituo, quia illum non mereor, nec DEUS vult, ut ego illum retineam, ob meas injustas causas, & damna, quæ feci, & nullam satisfactionem peregi, ob quam causam sum condemnatus pro semper, & sum in inferno. Accipite vestrum habitum, dixit, & relinquendo ibi eum in terram projectum, disparuit. Usque modo audiebam ego dici, quòd in morte nil ultrà remaneat præter vestem pullam lugubrem; attamen, qui non restituit, video jam, quòd tali nec quidem tales vestes remaneant.

IX. Et cùm finiatur omne bonum terrenum in hoc, dissolvat manus suos nodos, solvat in tempore lingua suos funes, restituendo modò quæ debet, nè hæc omnia trahant ad infernum illum, qui potest lucrari omnia, lucrando gloriam.

INSTRUCTIO LIII.

De gravissima Obligatione Secreti naturalis, & quàm perniciosum peccatum sit illud Delatorum.

I. INter tres nobis cognitas stultitias, quas de se fatebatur Cato, hodie me determinarem facilè dicere, quæ illarum maxima fuerit. Fatebatur pœnitens Cato, refert Plutarchus, se in sua comm fisse vita tres stultitias. Prima, dicebat, est, quòd in mari navigaverit per aliquod iter, quod potuissem per terram perficere. Stultitia absque dubio fuit, relinquere quid securum, con-

cre-

credendo vitam inconſtantiæ ventorum; & infidelitati undarum; attamen ultimatè cum ſpe id fieri poteſt, vel quòd ſerenum, & commodum tempus ſit ablaturum tempeſtates, vel quòd ars nautica poſſet irrita facere pericula. Quamobrem iſta non fuit maxima. Secunda, dicebat, quòd vel unicum ſolum diem ſiverim in vita mea præterlabi non præveniendo illum confectione teſtamenti. Magna pro certò ſtultitia, fidere contingentiis vitæ (quæ nec quidem unicum inſtans habet ſecurum) bonam diſpoſitionem ſuarum rerum; ſed tot, & tantorum, quibus non ſolùm una dies vitæ, ſed poſt omnes dies vitæ, etiam ipſa dies mortis præterlabitur, ſinè confectione teſtamenti, quantò major eſt illa ſtultitia, qui ità faciunt? Qua de cauſa non fuit maxima etiam iſta. Tertia, quòd concrediderim, dicebat, Mulieri cuidam ſecretum graviſſimi momenti. Iſta omninò fuit maxima, & maximè qualificata ſtultitia. Quandoquidem etiam in omni inconſtantia undarum poſſint ſperari, ripæ; in omnibus contingentiis diei poſſit ſperari alius dies; attamen in volubilitate unius linguæ, quæ ripæ remanent, quæ ſpes, ſi ſecretum grave propaletur? *Os lubricum.* dicit Salomon Prov. 26. v. 28. *os lubricum operatur ruinas.* Non una, ſed multæ amiſſiones, non una ſed multæ ruinæ pendent ex lubricitate unius linguæ, & per unicum ſolùm verbum illius, levius omnibus ventis, inconſtantius omnibus undis, per unicum ſecretum, quod patefacit, periclitatur, & naufragio ſubjacet ſubſtantia, quies, pax, vita, honor, anima. Tantum intereſt ſæpius in unico ſecreto, quod in tantum ſinè reſpectu propalatur, & cum tanta facilitate manifeſtatur. Et quodſi aliquod vas, quod ſtillat, immediate abjicitur, ſi amphora, quæ effluit immediatè terræ allidi-tur, quia ad nihilum valet ultrà, tot linguæ, quæ ſicut pulveres effunduntur, quæ ſicut in cribro ſparguntur, quorſum deberent projici?

Peccat itaque, reducit nobis in memoriam Catechiſmus, II. peccat contra octavum Præceptum, *qui propalat ſecretum.* Qui detegit ſecretum? hoccine eſt? res ità uſualis igitur in viſitis, tam ordinaria in conventiculis, tam frequens in converſationibus, tam repetita in linguis? Detegere ſecretum eſt peccatum? Ità eſt; & maxima infelicitas eſt, quòd, cùm hoc peccatum ex natura ſua ſit graviſſimum, & ex quo ſæpiùs ſequuntur conſe-

quentiæ funeſtiſſimæ, & damna terribilia, modò in quiete, jam in ſubſtantia, modò in vita, jam in honore, & ſemper in anima, cùm tot ſecreta detegantur, & per conſequens multi ſint illorum, qui illa detegunt, neſcio, an quiſpiam hoc confiteatur; tam exiguus eſt quoad hoc reſpectus, in quo tamen tantum intereſt. Omnes leges conſpirant ad ponendum nobis in labiis noſtris ſigillum adamantinum quoad ſecretum efficacius, fortius quàm fuerit ille annulus, quo Alexander obſignavit ſuo chariſſimo amico Epheſtioni labia. Secretum naturale vocatur, quia ipſamet natura dictat etiam ipſis ferociſſimis Barbaris, quòd ſi tu velles ut tuum ſecretum omninò remaneret occultum, & abſconditum, ità ut illud nullus ſciret; hoc ipſiſſimum tibi imponit ſtrictiſſimam obligationem, ut tu pariter obmuteſcas ex toto quoad ſecretum tui proximi. Adorabant Romani DEUM Conſum, quem venerabantur pro DEO ſecreti, ſub terra in obſcuro latentem, hoc erat ejus altare, & templum. Barbaries erat, ſed iſta barbaries poteſt eſſe inſtructioni Chriſtianis, quod ſecretum ut bene cuſtodiatur, tenere omninò neceſſe ſit tumulatum, Leges humanæ, vel civiles illæ ſint, pœna mortis, leg. Unic. c. de famos. libell. vel Eccleſiaſticæ, pœna Excommunicationis zelatæ ſunt cuſtodiam ſecreti; & lex divina repetitis vicibus nobis intimat, *nè duplices ſermonem auditûs, de revelatione ſermonis abſconditi.* dicit nobis Spiritus Sanctus apud Eccleſ. cap. 42. v. 1. & in alio loco; *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Eccleſ. 27 v. 17.

III. Ex hinc poſtmodum ſtabiliunt Theologi, illum qui detegit ſecretum alterius temerariè, & ſinè ratione, peccare mortaliter. Et adjungunt, quòd ſi ex detectione ſecreti alterius quiſpiam cauſa fuit, quòd illi ſecutum fuerit detrimentum, damnum, vel amiſſio in ſuis rebus, remaneat ille, qui detexit ſecretum, obligatus ad reſtitutionem. Oh quæ præjudicia, quibus parùm attenditur. Obſeſſam tenebat Civitatem Athenarum Tyranus Scilla, ut refert Plutarchus, poſt varias aggreſſiones, deſperans ſe poſſe ultrà expugnare locum, determinavit die ſequenti obſidionem ſolvere & abire. Illa ipſa nocte intrà Civitatem, cænantes duo in quodam hoſpitio, converſabantur ſimul hilares, & unus illorum dixit: ſi Scilla ſciret in tali, & tali ſitu murorum (nomi-

minavit locum) ſtare civitatem ſinè præſidio, qua facilitate poſſet comprehendere hac nocte Athenas! Ille cogitavit, quòd nullus hoc audiret, ſed ſicut per locum aliquem ſecretum habent ſua auſcultatoria parietes, ſtabat auſcultando certus explorator inimici currit immediatè cum notitia ad Scillam, hic applicat ex illa parte exercitum, intrat Civitatem, & inventa eſt manè tota Civitas tam populoſa perdita ob unicum verbum, & illam, quam non poterant vincere arma, aggreſſiones, jactus, mortes, unicum ſolùm ſecretum detectum ſufficiens fuit relinquere perditam. Quilibet applicet, ſimilibus caſibus conſequentias.

IV. Verum eſt, quòd à tam gravi culpa quis excuſabitur, vel quia ex inadvertentia aliquid dixit, vel ſi detegitur res levis, vel ſi illud, quod ei impoſitum eſt ſub ſecreto, prout toties ſuccedit, eſt res publica, vel ſi ſecretum eſt in damnum tertiæ perſonæ, quod nullo modo ſervandum eſt. Non loquor de ſigillo Sacroſancto Confeſſionis, quod cùm habeat forum tam ſupremum, in nullo caſu, ſit ille qualiſcunque, in nullo poteſt quidquam detegi; ſed extra confeſſionem, quantumvis, prout ſolent, dicant ignorantes, quod hoc dicant ſub ſigillo, ſi ſecretum eſt in damnum Reipublicæ, Communitatis, alicujus particularis, ipſiusmet, qui hoc dicit, vel qui hoc audit, tale ſecretum non eſt reſpiciendum. Explico me: intendit ille committere illud furtum, occidere alterum, venari cum violentia illam Virginem, vel quamvis habeat impedimentum dirimens, nihilominus vult matrimonium inire; hoc ille narrat ſub ſecreto, vel ſigillo, ut dicunt: dico: illum qui hoc audit, vel ſcit iſta, vel ſimilia ſecreta, poſitâ diligentiâ ad diſturbandam illorum executionem, ſi alium modum non invenit illa diſturbandi, non ſolùm non eſſe obligatum ad ſervandum ſecretum, ſed ut Layman dicit lib. 3. de Juſtit. tit. 3. p. 2. ex lege charitatis eſſe obligatum ſub peccato mortali ad talia detegenda, dummodo fiat ſolummodo illi perſonæ, vel perſonis quarum intereſt, & poſſint hæc impedire, & non aliis.

V. Nunc igitur quid, & quale eſt ſecretum naturale, quod tam ſtrictè, & præcisè nos obligat? Eſt duplicis generis: primi generis ſecreta ſunt, quæ nobis alii confidunt; alia ſecreta ſunt, quæ ſinè tali confidentia, nos ſcimus. Datur magna diſtinctio

inter hæc, & illa, bene illam advertite. Secreta, quæ ſinè confidentia, ſcimus, e. g. incidit quis per contingens in actionem malam alterius e. g. furti, occiſionis, homicidii, & illam ſciverat ex integro eſſe occultam; invenit caſu in via chartam, in qua legit vel graves lapſus, vel ſecreta alterius, & quidem magni momenti, ecce tibi hic ſecreta, quæ nobis nullus confiderat, & tamen illa ſcivimus. Eſt itaque obligatus quiscunque ille ſit, ſub peccato mortali ad ea reticenda. Attamen quomodo? Ad reticenda coram omni perſona, in omni occaſione, ſed ſi caſus eveniat (hìc intrat diſtinctio) in quo Judex legitimus, ſuperior, vel prælatus procedendo juridicè de hoc nos interrogat, tunc jam adeſt obligatio illud detegendi, etiamſi anteà promiſiſſemus ſecretum, quia in tali caſu prævalet ſecreto obligatio mandati; ita Molina, Lugo, & alii, & hoc eſt in ſecretis quæ abſque confidentia, ſcivimus. Attamen nullo modo eſt ſic in ſecretis illis, quæ nobis confiſa ſunt, & quæ hac de cauſa ſcimus; quia iſta non ſolùm ſemper ſunt tacenda in omnibus occaſionibus, & coram omnibus perſonis; ſed quantumvis etiam Judex, vel Prælatus de his quærat, non ſunt illis detegenda ſub peccato mortali, quomodocunque tales de illis interrogent & illa propalare mandent. Pono pro exemplo reum, qui declaravit ſua ſecreta delicta Advocato, ut illum defendat: Medicum, Chirurgum, infirmus, vel vulneratus declaravit cauſam ſecretam ſuæ infirmitatis, vel ſui vulneris; Obſtetricem, quâ hæc vel illa afflicta uſa eſt in ſuo ſecreto partu, hominem doctum, Theologum vel Juriſtam, quem quis conſulit quoad caſus conſcientiæ: Amicum, vel etiam quamvis non ſit amicus, illum, in quo anguſtiatus confidit detegendo ei ſuum ſecretum vel ratione ſuccurſus, auxilii, vel ad capiendum conſilium, vel ſolamen, & levamen; ſervum pariter, vel ancillam, quibus in neceſſitate utuntur, non dico ad exequendam culpam in futurum, ſed ad ſe liberandum ex anguſtia, ex nimietate negotiorum, vel ex ſolicitudine. Omnes iſti remanent ligati graviſſimâ & ſtrictiſſimâ obligatione ſecreti; & quidem tantâ, dicunt Theologi, ut, etiam ſi caſus eveniat, quòd aliquis Judicum illos interroget, quantumvis adſit ſemiplena probatio, quantumvis deberent & vellent ab illis juramentum exigere, & eos

ad

ad jurandum cogere, quantumvis mandent illis ſub excomunicatione, nullo debeant modo tale ſecretum detegere. Tanta eſt obligatio ſecreti naturalis. Reddit totius hujus rei rationem Sanctus Thomas, quia ſecretum obligat jure naturali, & lex naturalis prævalet qualicunque alteri mandato, vel præcepto: *Nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris, quia ſervare fidem eſt de jure naturali.* Et adjungunt graves Theologi, quòd ſi præter hoc, quòd illi alter confiderit ſecretum, ille expreſsè confidenti promiſit ſe non revelaturum, teneatur ſe prius curare occidi, etiamſi id fieret per maxima tormenta, quàm ſecretum revelare; nec hoc debet nimium videri, dum nobis Gentilis Seneca inculcat Epiſt. 88. *Ure, cæde, occide, non prodam*, clamat conſtantia Senecæ, *ſed quò magis ſecreta quæret dolor, hoc illa altius condam.*

Ideo oh DEUS! cùm hæc ſic ſe habeant, quis eſt, qui ex- VI.
pectet tormenta ad detegendum ſecretum, quando ipſummet ſecretum eſt id, quod ſervit alicui ſtulto pro maximo tormento, & tortura, ut illud detegat! Sicut *ſagitta infixa fœmori carnis* (alii cum Rabano legunt, *canis;* ità Cornel. in hunc locum.) *ſic verbum in corde ſtulti.* Eccleſ. 19. v. 12. Quæ inquietudo eſt illa alicujus canis, dum ei os colligatur, quos non facit ſaltus, quos circuitus, quas circumcurſitationes? non ſiſtit, uſquedum ligamen ſolvat. Ecce talis eſt aliquis ſtultus, cui concreditur ſecretum, dicit Spiritus Sanctus, non ſiſtit, non quieſcit, non invenit requiem, ac ſi ei quis in ſinum prunas ardentes injeciſſet, uſquedum illud detegat, illud communicet, illud divulget. Quatuor res aſſignant, quas dicunt non poſſe tegi: Prima eſt, palma, quæ naſcitur in cuſpide ſupercilii alicujus montis, quæ ſe prodit ſuo aſpice; Secunda, lapillus in calceo, hic ſe immediatè ſuâ prodit moleſtiâ; Tertia fuſum, vel ſtylus, qui in ſacco exiſtens, ſubitò protrudit cuſpidem; Et quarta, ſecretum in pectore ſtulti, hoc illud non capit, ſed immediate per os prodit. Utebantur Romani certis vaſis, quæ vocabant futilia, valde lárga illa erant in orificio, extremitas autem inferior ſeu fundus acuebatur in cuſpidem, & nullum habebant pedem; qua de cauſa neceſſarium erat, in eis implendis, ſemper ea in manu tenere, quia ſi ex manu dimittebantur, invertebantur ſubitò, & non remanebat in eis nec

quidem unica gutta liquoris, quam ex ſe non profudiſſent; & idcirco vocabant illa futilia. Jam ad rem, tales ſunt non pauci, habent cor, quod in cuſpide conſiſtit, ubi nihil capit, nihil concludit, & os valde largum, per quod omnia effundunt.

VII. Oh ego, quantumvis ſit veritas, quòd dixerim, attamen hoc vel illud dixi in ſecreto, dixi illud bono amico, & illi vel maximè ſecretum inculcavi. Et dic mihi ſtulte, ſtringit te admirabiliter Sanctus Chryſoſtomus: Si tantum imponis & inculcas ſecretum alteri, nonne melius eſſet, ſinè impoſitione & inculcatione illius, ut tu illud cuſtodiviſſes? *Si illum, ut nemini dicat, rogas, quantò magis te priorem huic non dicere oportebat?* Imponis ſecretum, quia in altero erit culpa illud manifeſtare; itaque jam tu, hac ipſa manifeſtatione, fateris tuam culpam; & ſi tu ſecretum non poteras tacere, quomodo tu hoc vis, ut alter taceat? Habet quilibet, dicit Seneca Epiſt. 105. ſuum confidentem, cui ſuum detegat pectus; iſte manifeſtat ſuum ſecretum illi, ille alteri, & ſic ceſſat eſſe ſecretum, prout toties dicitis; quòd maximum ſecretum unus ſciat ex qualibet domo, & illud ſciunt omnes in ſecreto: *Habet unusquiſque aliquem*, verba ſunt Senecæ, *cui tantum credit, quantum ipſi creditum eſt; ſic quod modo ſecretum erat, rumor eſt.* Illud, quod non vis, ut multi ſciant, tu ipſemet noli ulli dicere.

VIII. Sed iſta facilitas, oportet me hoc dicere, eſt frequentiſſima apud mulieres; illic hoc optimè videbunt, & utinam non experiantur in ſuis animabus: *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui*, dat nobis conſilium ipſemet DEUS per Michæam Prophetam cap. 7. v. 5. Attende ô vir, qualiter tuæ uxori ſecreta detegas tua. Vix eſt ſecretum invenibile, quòd, ſi una mulier ſciat, non fiat immediatè publicum ex uno ſolario in aliud; etiam ſecreta propria, in quibus illis ut plurimùm poſitum eſt, effutiunt, enarrant, eblaterant, & inter alios ſpargunt. Tam parùm ſcrupuli in illo, per quod poſſemus perdere honorem? Tam exiguus reſpectus quoad illud, quod poteſt perdere Animam? De anſeribus, dicunt naturaliſtæ, quòd, dum mutatio fit temporis, videant ſe coactos tranſvolare per montem Taurum, qui repletus eſt aquilis, ut refert Pier. l. 24. timidi nè incidant

dant in unguens illarum, nempe aquilarum, & nè illos prodant proprii garritus, quid faciunt? lapillum accipiunt in roſtrum, & in ſilentio noctis tranſvolant ſinè garrulitate. Tacere illos oportet, & ſic periculum effugiunt. Oh quot anſeribus rationalibus quadraret, & bene eſſet habere ſilicem in ore. De Papyrio prætextato, refert Macrobius lib. 1. quòd, cùm eſſet infans aliquid ultra duodecim annos, iverit cum ſuo Parente, qui erat Senator, in ſenatum. Tractabatur neſcio, quale negotium, quod alicujus momenti debebat eſſe eò quòd ſeſſio ſolitò longior fuerit. Rediverunt domum præter ordinarium tempus, & mater Papyrii tam curioſa quàm erat mulier; veni huc fili; quid hodie tractatum fuit, quòd tanto tempore emanſeritis? Infans timidus ob magnum rigorem, qui Romæ erat ſupra ſecretum ſenatûs, recuſabat referre, ſed hoc ipſum erat calcar curioſitatis fœmineæ. Inſtabat illa, & ille tacebat, uſquedum jam res ad preces deveniſſet, ad blanditias, & etiam ad minas. Ut ſe ex hoc extricaret, & liber fieret, decepit illam nequiculus per hoc: Domina! ego vobis dicerem, ſed debetis rem ſub magno cuſtodire ſecreto. Ità, fili mi, ego hoc certè tacebo, dic tantum mihi fili mi, dic. Ecce fuit magna controverſia deſuper, an convenientiùs erit, ut maritus habeat duas vel tres uxores, vel è contrario, ut una mulier habeat duos vel tres maritos. Hoc eſt pulchrum. Et quid concluſerunt? Non! nihil eſt concluſum, quia res habuit magnam contentionem, & res remanſit ſuſpenſa pro craſtina determinatione. hoccine eſt? Ego tacebo. Vix infans loqui deſierat, & jam ſervi currunt, ſervi redeunt, legationes mittuntur, legationes veniunt, & perveniunt ad omnes principales Matronas Romanas. Vide: dic Dominæ Flamineæ, quòd ſub omni ſecreto illam certiorem faciam, manè tractandum fore iſtud negotium, in Senatu: expedit ergo, ut omnes congregemur, & illuc eamus. In his legationibus & conſultationibus elapſa eſt dies illa; & ſequenti die congregatis Senatoribus, ecce tibi adeſt congregatarum grandis turba mulierum, quæ ſinè ulterioribus præambulis, vocibus clamoſis & magnis proferebant, & petebant, multò expedientiùs foret determinare, ut una mulier haberet duos vel tres maritos, & pro hoc allegabant rationes, ede-

bant

bant clamores, & ſemper magìs & magìs creſcebat tumultus. Senatores attoniti: quid ſibi hoc vult eſſe? dicebant ad invicem, unus alterum aſpiciens; ſunt ne iſtæ fœminæ ſtultæ? Undenam hoc evenit? Papyrius tunc conſiſtens in medio, narravit eis illud, quid die præcedente ſibi cum ſua matre contigerit; qualiter ad cuſtodiendum ſecretum, & ad ſe liberandum hoc finxerit illamque deceperit, & quòd illa ipſa eſſet, quæ ſuſcitâſſet hunc rumorem. Excepta res fuit cum applauſu, & cum riſu, juvenis mille complexus retulit, & mulieres ad ſuas redierunt domos, leves & nimiùm credulæ circa ſecretum. Oh quoties per unicam ſolam mulierem exorti ſunt maximi & damnoſiſſimi tumultus!

IX. Pro coronide, datur adhuc pejor modus, & multò perniciòſior detegendi ſecreta. Loqui, dico illud, quod tacendum eſſet, per quod peccatur mortaliter, contra octavum Præceptum. Delatores, Suſurrones, dico, illi qui portant, & reportant, novalium cuſores, illi, qui perversè ſeminant zizania diſcordiarum, gens pleniſſima maledictione: *Suſurro maledictus, multos enim turbabit pacem habentes.* Eccleſ. 28. v. 15. Linguæ, quas DEUS omni ſua ira, & abominatione abominatur, & deteſtatur etiam ſupra maximè enormia, & graviſſima peccata: *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus:* Prov. 6. v. 16. Sex res abominatur DEUS, dicit Salomon, attamen ſeptimum deteſtatur & abominatur tota ſuâ indignatione. Et cùm illa ſex ſint peccata graviſſima, quale erit ſeptimum, quod tantam iram cauſat Suæ Majeſtati? *Eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias:* ibid. v. 19. Zizanioſum ſeminatorem diſcordiarum deteſtatur. Hoc ſeptimum ſunt itaque illi, qui magnam demonſtrant amicitiam, quaſi nihil dicentes, transfigunt corda, accendunt flammas odiorum, & perdunt animam, & animas: *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris,* Prov. 26. v. 22. Quid feciſti Titio, quòd contra te iſtis diebus effutierit millena mala? Cogitásne eſſe tuam amicam Semproniam? Auvæ! hoc illa non demonſtrat; cœpit enim in tali viſita narrare certas res, eh, non volo tibi illas dicere. Oh linguæ, ſuper quas ipſemet diabolus ſe poſuit, per illas conſequitur id, quod perſe ipſum non poſſet! Portat illic zizanioſus, vel zizanioza, reportat hinc,

hinc, & ardet ignis, & animæ comburuntur. Quales non fiunt rixæ inter conjugatos, quales discordiæ inter cognatos, qui grunnitus inter illos, qui erant amici, qui tumultus in domibus, quæ conquassationes, quæ ruinæ inter familias, qui rancores in communitatibus? Et si inquiratur, unde ista omnia proveniant? est unus zizaniosus, unus susurro, qui portat & reportat; est una novalium fabricatrix, quæ reportat, & portat. Oh DEUS! quale peccatum, & quot peccata; Si ego non haberem Auditores tenacis memoriæ, depingerem hìc officinam ferrariam, quam jam aliàs depinxi; solummodo dico: jam videtis illic istam viam, quis rumor à limis, & à malleis. Jam vultísne, ut totum hoc iter sit in silentio? Cessent ex integro per duos dies folles in officinis, non adsint sufflamenta, & videbitis immediatè mutos dentes limarum, quietos malleorum ictus, & omnia in silentio. Cessent, quiescant folles delationum, susurrationum, & domus, & familiæ, & communitates, & stirpes, omnia hæc erunt in pace: *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtractò jurgia conquiescent.* Prov. 26. v. 20. Animæ, animæ Christianæ! quàm multi damnantur ob hoc peccatum. Apparuit diabolus in forma humana, ùt refert Specul. Exemp. Exemplô 6. cuidam Vetulæ, & offerens ei multam pecuniam, injunxit, quatenus turbaret pacem inter duos Conjuges. Fecit illa hoc, accessit Maritum portando ei certa, nescio qualia novalia de sua Uxore, & Uxori pariter alia de Marito, & intrà tres dies jam in discordiis vivebant. Retulit diabolus gratias Vetulæ, dicendo: intra tres dies es tu consecuta illud, quod ego non potui facere intrà multos annos, & locò solutionis complexus est Vetulam, eámque secum in infernum abstulit. Quidam Episcopus, dictus Balduinus, ibid. Exem. 10. qui vixit & mortuus est in fama magnæ Sanctitatis, fecerat nescio quas discordias inter Civitates, Lucam, & Pisam: apparuit postmodum in gravissimis pœnis Purgatorii, & dixit: quòd has pœnas pati deberet, usquedum ex integro finirentur illæ discordiæ.

Postremò, refert Frater Bernardinus de Busto in Quadrag. X. Fe. 4. In quodam Monasterio certam Monialem mortuam fuisse, quæ superabat omnes in pœnitentiis, & austeritatibus vitæ, ob

quod exercitium venerata fuit ab omnibus ùt Sancta. Sepelierunt illam, & die ſequenti intrantes Moniales ad orandum, viderunt ſepulchrum defunctæ totum combuſtum, & fumigans nigris carbonibus. Exterrefactæ & attonitæ nuntiant hoc quàm citiſſimè illius loci Abbatiſſæ; hæc curat advocari ſuum Prælatum; venit ille, & curando aperiri ſepulchrum, invenerunt corpus integrum converſum in cineres, & prodiit exinde tam intolerabilis fœtor, ut nullus ibidem remanere potuerit. Vocat ad partem Prælatus Abbatiſſam, interrogat illam: quam vitam duxiſſet iſta Monialis? Et illa, poſt relatas ejus virtutes, ſolùm id adjunxit, ſæpiùs illam Abbatiſſam acceſſiſſe, & narrâſſe dicta, & facta Monialium, & quoad hoc fuiſſe eandem ſæpiùs cauſam multarum diſcordiarum, ruptámque ſæpiùs charitatem in Monaſterio. Itaque ſufficit, dixit Prælatus, eſt hæc miſera ſepulta in inferno, quia quantumvis habuiſſet pœnitentias plures quàm omnes Anachoretæ, omnes erant ſinè charitate, & ſic nihil profuerunt. In Monaſterio remanſit per multos annos vivum documentum.

XI. Oh utinam in illa ſepultura remanſiſſent ſepultæ delationes, zizania, & novalia, quatenus in omnibus floreret pax, quatenus regnaret charitas, quatenus viveret gloria.

INSTRUCTIO LIV.

De Malitia, & Damnis Mendacii.

I. SI non viderem, quòd valdè difficile ſit hoc exequi, concluderem ego hìc hodie grande Matrimonium. Scio valdè bene hucuſque ſponſam multos habere Maritos, & nihilominus etiam ſcio, quòd nullus detur, qui velit eſſe ejus ſponſus. Repugnantiæ videntur hæc, quæ dico, quantocyus mihi fatebimini claram eſſe & manifeſtam veritatem id, quod propono. Caſus eſt; Diabolus habet unicam filiam ſibi dilectiſſimam primogenitam, & ſtudet illam matrimonio locare; circuit quærendo illi maritum. Eſtne hic aliquis, qui cum illa velit connubium inire? JESUS! dice-

dicetis mihi omnes, formando ſupra vos mille cruces. Talis res à nobis quæritur? Tale quid nobis proponitur? Nullo modo hoc fiet. Quis poſſet inveniri, qui vellet matrimonium inire cum filia diaboli? Nónne ſufficit habere diabolum pro diabolo, ſed quod plus eſt habere diabolum pro Socero? Hoc nullo modo. Videte, hæc ſponſa videtur habere qualitates appetibiles, quia habet bonam faciem, ſe exornat valde bene, habet pro ſe grandia ornamenta ex omnibus broccatis, & coloribus, & cum magna proprietate, ità ut ſine expenſis, ſinè emptione alicujus rei ex officinis floreſcat ſicut vult, ſe adornet, ſe veſtiat. Plus ultrà. Eſt ità comis, affabilis, ut ad omnia quæcunque excogitari poſſunt, ſe accommodet, ad quidquid applicatur, ad qualemcunque occupationem, ad qualecunque exercitium, ad qualemcunque laborem; & taliter conſequitur in Mundo omnia quæcunque cupit; eſt ità valida, ut obtineat validum ingreſſum in domibus divitum, magnam intromiſſionem inter Principes, & Nobiles, locum & præeminentiam in conventiculis, & ſolariis Dominarum, & illud, quod maximum eſt, magnam potentiam, vim & æſtimationem in omnibus Palatiis. Quæ meliores qualitates poſſunt eſſe alicujus mulieris? Verum eſt; attamen poſt hæc omnia, cùm illa ſit filia diaboli, quis vellet cum illa matrimonium inire? Quis haberet animum contrahendi tam maledictam conſanguinitatem? Hoc nulla ratione. Non datur ergo pro illa ſponſus? Jam quid eſſet, ſi ipſiſſimi, qui abnuunt tam infame matrimonium, iſti ipſiſſimi jam forent defacto cum iſta filia diaboli matrimonio conjuncti? Quid eſſet, cùm nec unicus adſit, qui ſe ut ſponſum declarare velit, ſi plurimi illorum forent, qui effectivè jam ejus eſſent Mariti? Ejà declaremus nos. Iſta filia diaboli eſt mendacium: *Mendax eſt & Pater mendacii*: Joan. 8. v. 44. Eſt Pater mendacii diabolus per generationem tam horribilem, ut ſicut Æternus Pater, dicit Sanctus Auguſtinus tract. 42. in Joan. genuit Verbum Veritatem Infinitam; è contrario diabolus genuit ex omni ſua malitia, ex omnibus ſuis aſtutiis & vitiis, mendacium: *Quomodo DEUS Pater genuit Filium, ut Veritatem; ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium mendacium.* Jam ad rem. Quid cogitatis, quid faciant omnes illi, qui loquuntur mendacium? Matrimonium

ineunt cum ista filia diaboli. Dicis mendacium? Jam ergo diabolus est tuus Socer, jam tu es Gener diaboli, quoniam es matrimonio junctus cum ejus filia. Dantur similes Mariti, & oh quanti! Ecce hic itaque, quantumvis non velint, adæquatum Matrimonium. Omnes mendaces sunt Matrimonio juncti cum filia diaboli: infamis consanguinitas! talis, quæ sola est sufficiens incutere nobis horrorem immensum erga mendacium: *Cavete fratres*, dicit Sanctus Ambrosius lib. de Abrah. *mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii sunt diaboli.* Et postaquam nullus datur, qui velit se declarare pro sponso; quomodo possunt dari pro ista filia diaboli tot Mariti? Hoc idipsum est ac interrogare: Si tot & tanti loquuntur mendacia, quare nullus vult ut hoc ipsi objiciatur? Si hoc unicum, *tu mentiris*, habetur pro maxima inhonoratione; quomodo non erit inhonoratio major? Oh quàm hoc bene dixit quidam Poëtarum: *Mentiri tantum qui dedecus esse putatis; mentiri quare creditis esse decus?* Dicere alicui homini, quòd mentiatur, habetur pro maximo opprobrio; quantum itaque erit, non dicere tantum illi, sed in veritate esse talem mendacem; hoc omnino est opprobrium infamissimum, dicit Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 20. v. 26. *Opprobrium nequam in homine mendacium.* Et jam, quàm infelices sunt illi filii, quos producit & generat in mundo istud maledictum conjugium? *Filii scelerati semen mendax*: Isai. 57. v. 4. Omnia infortunia, omnia mala, omnes afflictiones, omnes infelicitates, quas patimur.

II. Quid sit mendacium hoc omnes sciunt, quantumvis omnimodè adlaboret mendacium, omne studium adhibeat, nè cognoscatur. Mendacium est dictum vel factum contra illud, quod in mente est, ad fallendum. Non solùm in verbis, & scriptis sunt mendacia; sed dantur etiam mendacia in operibus: signis pariter & actionibus potest quis mentiri. Et cùm plenus sit mundus istâ pestilentiali inundatione: *Maledictum & mendacium inundaverunt*, Ose. 4. v. 2. ad cognoscendum quàm gravia sint sua damna; & ad formandum aliqualem conceptum quanta sit ejus enormis malitia, recogitate aliqualiter intellectu saltèm illud quod non possumus obtinere effectu. Quæ & quanta fortuna esset, quæ felicitas, si per unicum solum annum ema-

emanerent, omnino & *ex integro* exterminata & deſtructa Mundo, mendacia? Oh DEUS! quæ effigies, quæ imago Beatitudinis eſſet illa qua frueremur! Ex una parte recederet exiliatum mendacium, & ex altera omnis intraret felicitas. Videte & conſiderate aliquantulum: ſi non darentur mendacia in judiciis, tribunalia quàm recta eſſent, omnes tribunaliorum Miniſtri quàm morigerati, quàm abbreviatæ illorum dilationes, quàm deſtructæ illorum practicæ, quàm breviter terminata illorum litigia, & omnes illorum ſententiæ quàm limpidæ? Si non adeſſent mendacia in officinis artificum, & mercatorum, quam ſecura eſſent commercia, quàm ſinceræ negotiationes, ſolutiones quàm punctuales, emptiones quàm blandæ & politæ? Si non eſſent mendacia in omnibus domibus, quàm bene gubernatæ ab his, & quàm ſervitæ & miniſtratæ ab illis viverent familiæ, quàm fideles amicitiæ, quàm puræ correſpondentiæ, quàm pacifica matrimonia, quàm ſinè duplicitate converſationes, & quàm exularentvitia? Et jam quòd hoc totum deſit, cauſa eſt, quia regnat mendacium: Mendacium itaque ſolum eſt illud, quod tenet perditum mundum, mendacium eſt illud, quod apportat omnia damna, mendacium eſt illud, quod affert omnia mala, & mendacium eſt illud, quod fomentat omnia peccata, O maledictum mendacium!

III. Evenit jam in quadam Civitate, quòd nullus inventus fuerit, qui vellet agere officium carnificis, uſquedum Judices dediſſent poteſtatem, ut ſibi larvam imponeret, nè cognoſceretur ille, qui perageret tam vile officium; & ſic inventi ſunt non pauci, qui peragerent. Hoc ipſiſſimum fecit diabolus; poſuit mendaciô larvam omnibus vitiis, ut per hanc larvam mendacii perderent homines pudorem. Quàm bene dixit ille, qui nominavit mendacium *larvam diaboli.* Et forſitan non? videte hoc: Tegit fur infamiam mendaciô, mendaciis ſe occultat luxurioſus, ſuſtentat ſe mendaciis fraudulentus, palliantur mendaciô injuſtitiæ, vires acquirunt mendaciis deceptiones, & aſſecurationem habent à mendaciis omnia vitia. In mendacio ſe fundat ſpes lucrandi bona, quæ quæruntur: *Poſuimus mendacium ſpem noſtram:* Iſai. 28. v. 15. & in mendacio fundat ſe ſpes effugiendi mala, quæ timentur: *Et mendacio protecti ſumus.* Ad omnia ſe accommo-

dat mendacium, omnibus convenit: omnia vitia, omnia peccata, etiam maximè enormia & brutiſſima conantur, ut ſe poſſint contegere larvâ mendacii. Oh ſi vel unicus dies exoriretur huic mundo ſinè iſta diabolica larva, quot vitia fugerent, ùt impudentiſſima, & quot culpæ finirentur, ùt confuſæ. Et jam, ſi qui protegit fures, furatur manibus omnium furum, ſi, qui protegit homicidas, mactat manibus omnium, ſi Saulus, prout ſentit Sanctus Auguſtinus, lapidavit Sanctum Stephanum manibus omnium, eò quòd cuſtodierit illorum veſtes, quanta erit malitia mendacii, quod omnia vitia contegit, quod omnes culpas protegit? Itaque mendacium pejus eſt omnibus culpis, pejus omnibus vitiis unitis, quandoquidem omnia unitim celat, & illa fovet omnia, illud ſolum.

IV. Dividitur in mendacium *perniciosum*, vel *damnosum*, & eſt illud, quô ſit Proximo aliquod damnum; in mendacium *officiosum*, & eſt illud, quô procuratur operatio alicujus boni, in defendendo illo, vel ei aliquid ad complacentiam faciendo; in mendacium *jocosum* vel *recreatorium*, quando pro diſtractione, pro diverſione temporis, aliquis mendacium profert, & qualecunque ex his omnibus ſit, ſemper mendacium eſt peccatum: grave peccatum *damnosum*, ſi damnum, quod illud cauſat, ſit grave: *Noli amare mendacium adversùs fratrem tuum*: dicit nobis Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 7. v. 13. Arat, & ſeminat contra ſe ipſum grandem meſſem infelicitatis, qui per mendacia facit damnum grave Proximo ſuo. Attamen culpa venialis ſunt alia duo mendacia, *officiosum*, nimirum & *jocosum*. Sed cum proprietate diaboli nunquam poteſt ſpoliari mendacium ſuâ malitiâ: ut diabolus ſemper malus, ità mendacium ſemper malum. Attendite diligenter, & ponderate hoc: Prohibetur nobis, nè juremus; attamen hoc non obſtante, dantur caſus in quibus non ſolùm poſſumus jurare, ſed etiam tenemur facere juramentum. Mandatur nobis obſervatio Feſtorum; nihilominus tamen ſunt & dantur caſus, vel gravis neceſſitatis, vel alii, in quibus illa non obſervare licitum eſt. Mandatur nobis obedientia, & ſuccurſus, & adjutorium præſtandum noſtris Parentibus; verumtamen dantur incidentia, in quibus non ſuccurrendo illis planè nulla cul-

pa

pa eſt, & caſus dantur, in quibus etiam obligatio eſt illis non obediendi; Ità nobis pariter prohibetur horribile peccatum homicidii; nihilominus tamen ſæpiùs in Judice, auferente vitam homini, eſt actus virtutis & juſtitiæ. Prohibetur nobis fornicatio; at jam in Matrimonio ipſiſſimus actus ſit licitus: inhibetur nobis infame peccatum furti; attamen hoc non obſtante, in extrema neceſſitate accipere alienum præcisè pro ſuo ſublevamine, non eſt peccatum. Negatur nobis ablatio honoris proximi per noſtra verba: verumtamen habendo præ oculis finem bonum vel pro remedio Proximi, vel in caſtigationem illius, ſi id exequatur ille, ad quem ſpectat cum debitis circumſtantiis, non peccat, quantumvis illi talem auferat. Jam poſt hæc omnia, mendacium quandonam eſt licitum? Nunquam. In quo caſu poſſumus mentiri? In nullo. Dantúrne aliquæ circumſtantiæ, quæ ſpolient malitiâ propriâ & inſitâ, mendacium? Nullæ. Potéſtne adeſſe neceſſitas gravis, extrema, vel propriæ vitæ, vel vitarum totius mundi, vel boni & remedii totius Reipublicæ, vel honoris totius alicujus cognationis, aut ſtirpis, quatenus in tali neceſſitate poſſit licitè mendacium committi? *Nullo modo hoc* fieri poteſt. Semper mendacium eſt malum, ſemper abominabile DEO, ſemper peccatum: *Odiſti omnes, qui loquuntur mendacium:* Pſal. 5. v. 7. *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* O malignitatem diabolicam tam inviſceratam in mendacio, quâ ſe nunquam poteſt ſpoliare! Jam videntur & viſi ſunt tauri, qui, abſciſſis cornibus, non poſſunt ultrà ictum nocivum inferre: jam viſi ſunt leones, qui, ob excuſſos dentes, & abſciſſos ungues, nullum damnum fecerunt, quamvis terrorem incuſſerint, jam ſunt viſæ viperæ cum quibus, quia conſutum os habent, ludi poteſt, abſque periculo, quòd ſuum venenum in hominem immittere poſſint. Sed mendacium ſemper venenoſum, nunquam pronuntiatur, ſit in circumſtantiis, ſit in caſu quocunque, ſit in neceſſitate, qualiſcunque illa ſit, quin non ſit in damnum animæ: *Os quod mentitur, occidit animam*, dicit Spiritus Sanctus Sapient. 1. v. 11.

Apage! nè quæſo, velis rem in tantum exagerare, Pater, dicetis mihi, bene enim ſcimus mendacium *jocoſum*, ex recreati- V.

one

one prolatum, & mendacium *officiosum*, non esse culpam mortalem, sed solummodo esse venialem. Ità se res habet: ego hoc vobis non nego; attamen licèt res sic se habeat, quid est, quòd in divinis scripturis sinè aliqua distinctione, an mendacium sit damnosum, vel jocosum, omnibus mendacibus, omnibus denunciatur castigatio, & pœna æterna? David dicit, *perdes omnes qui loquuntur mendacium*: Apocalypseos cap. 21. v. 8. *Idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*: Salomon in proverbiis cap. 19. v. 9. *qui loquitur mendacia, peribit.* Jam cùm non omnia mendacia sint peccata mortalia, qua iter igitur omnibus mendacibus sinè distinctione denunciatur mors æterna? Est eruditio nostri Doctissimi Cornelii à Lapide in cap. 20. Eccles. v. 27. & respondet: quia, quantumvis mendacium jocosum & officiosum non sint peccata mortalia, sed tantùm venialia; tamen ex assiduitate, & habitu mentiendi otiosè, & jocosè facilè quis labitur in mendacia pernicioſa, quibus proximo vel famam, vel opes, vel honorem, vel vitam adimit, & sic committit illa mendacia, quæ absque remedio perdunt animam; *à mendace quid verum dicetur?* dicit Spiritus Sanctus apud Eccles. cap. 34. v. 4. qui se mendaciis assuefacit, quando talis dicet veritatem? O infelicem morem! Et ut verum fatear, videmus, quòd mendacia sint sicut cieriegge, (videtur esse species piscis) rarissimè prodit foras una sola; extrahitis unam, & solam cierieggiam, sequuntur illam aliæ decem. Ità pariter se res habet cum mendaciis: profert quis unum mendacium officiosum, contradicit alter, exoritur certamen, & sæpius ad defendendum unum mendacium leve, producuntur quatuor, vel sex mendacia damnosa, pernicioſa, & gravia. Oh ego soleo mentiri solummodo narrando novalia, ad excitandum risum, & pro distractione facienda. Oh quæ motiva pro Christiano! Ambulabat Sanctus Thomas de Aquino cum alio Religioso suo socio, & iste derepentè, monstrando magnam admirationem: vide, dixit, vide Frater Thoma, illum bovem volantem. Aspexit Sanctus sursum, & alter eodem momento cœpit ridere. Ergóne credis posse bovem volare? suspexit illum Sanctus Severiùs, & respondit; faciliùs mihi videtur posse bovem volare, quàm Religiosum

men-

mendacium dicere. Hoc ipsum ego dicerem de Christiano: qui cognoscit mendacium, & confitetur DEUM summam veritatem, & qui scit, quòd de veritate ratio eidem reddenda sit? *Veritatem requiret Dominus*; Psal. 30. v. 24.

Non; ego si mendacia protuli aliquando, fuit factum in bo- VI.
num alterius, fuit factum, ne meus Maritus verberaret meum filium, fuit factum, nè contingeret aliqua displicentia, & confusio; mendacia officiosa. Oh DEUS! & ista motiva cogitatis, quòd vos excusent? Si quispiam homo sub tuam confugiat protectionem, dicit Sanctus Augustinus, & nullum alium modum invenias defendendi ejus vitam præterquam dicendo mendacium, non debes mentiri, etiamsi alter perdat vitam, etiamsi tu ipsemet perderes vitam propriam. Adjungit Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 4. v. 24. *Pro anima tua nè confundaris dicere verum.* Misit Maximianus viginti milites ad quærendum Sanctum Prælatum Antimum, ùt narrat Surius in vita 27. Aprilis, Episcopum Nicomediæ, quia desiderabat illi tollere vitam, ùt magno Defensori nostræ veræ fidei. Milites non cognoscentes Sanctum Episcopum intraverunt domum illius, dedit eis Sanctus obsequiosissimè hospitium, præbuit illis ad manducandum quàm optimè poterat, tantas blanditias, & humanitates eis exhibuit, ut illi affectibus capti nescierint, qualiter se eidem gratos exhibere possent; dum jam abitum parabant, & se Sancto recommendabant, interrogaverunt suum hospitem, an cognosceret certum Antimum Episcopum Christianorum; habere se enim in mandatis dicebant, illum captivum d ducere ad imperatorem, qui cupidus est eum è vita tollere. Quid? an illum cognoscam? respondit Sanctus, Ego sum ille, quem quæritis, ecce me, jam me tenete. Stupefacti, & attoniti r manserunt videntes tantam constantiam, & non potentes aliter præ admiratione, & gratitudinis causa; eja itaque, dicunt, remane tu hic, illic enim dicemus Imperatori, quòd post omnem inquisitionem in omnibus partibus Antimum invenire non potuerimus. Hoc non, reposuit Sanctus Episcopus, siquid m Ch istianis nunquam est permissum mentiri. Ducite me, ducite, & absque eo, quòd illum retinere potuissent, vit cum illis, & dedit inter terribilia tormenta vitam, nè admitteretur unicum

leve mendacium. Et propter unam perturbationem, & adverſitatem propter aliquod verbum aſperum, & propter quatuor ictus quos ſuſtinere deberet filius, tot mendacia? Eh! nè vobis prodeant, mulieres aliquando in faciem cum gravioribus damnis. Præſentârunt Imperatori Theodoſio minori certum pomum portentoſæ pulchritudinis, & magnitudinis, ùt refert Matth. Raderus Aul. Sanct. c. 16. Ille ex teneritudine, & affectu ſponſali portavit illud Imperatrici Eudoxiæ; illa, quia fuit valde affectionata literatis, dedit illud inſigni viro in omnibus ſcientiis excultiſſimo Paulino dicto, quem etiam multum Theodoſius æſtimabat. Paulinus, quia illi videbatur hoc pomum dignum eſſe ut offerretur alicui Regiæ perſonæ, acceſſit Imperatorem, eíque pomum præſentavit. Suſcepit illud turbatus Theodoſius, hoccéque occultavit; immediatè ſe conferens ad Imperatricem. Quid feciſti domina cum pomo, quod tibi præſentavi? Conturbata illa eſt aliquantulum, & nulla ſuberat ratio; quia illa fuit honeſtiſſima, & virtuoſa, & Paulinus vir valdè honeſtus, & ſi illa reſpondiſſet veritatem, finita omnia fuiſſent in lamentatiunculis amoroſis. Verum tandem perturbata, ego illud comedi reſpondit. Tu illud comediſti? Ex tuo igitur gutture debuiſſet tranſire integrum in meas manus. Cognoſciſne hoc pomum? Obmutuit illa confuſa tergum eidémque vertit Theodoſius, & eô ipsô momentô curavit occidi Paulinum. Et videte hic totam Aulam confuſam, totum Palatium perturbatum, & pauperculæ, & miſeræ Imperatrici cauſavit talem vitam, ut, nè in deſperationem incideret, neceſſitatam ſe viderit recedere reſiduô vitæ tempore ſolitariam in Jeruſalem. Unicum mendaciolum, quod nihil eſſe videbatur, fecit tantum rumorem, & tantum damnum. O utinam omnibus fœminis ſerviret pro informatione, & documento.

VII Jam ergo, quæ lucra, qui profectus ſunt illi, quos reponunt tot in mendaciis tam ſtudioſis, ut videatur erexiſſe Politica Cathedram mendaciorum in prætendentibus? *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium*; Jer. 9 v. 5. Et ut non ſolùm in Palatiis remaneamus; jam quid non faciat artifex ad fraudandum ſuis laboribus; modò mercator ad effectuandas ſuas divenditiones, & jam mendicus ad conſequendas ſuas eleemoſynas; Ah quæ mendacia? *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos, idem autem ipſe ſequitur aves volantes*: Prov. 10. v. 4. Omnia eva-

evaneſcent inter manus illorum, qui lucra ſua faciunt ex mendacio. Quantò magis illis apparet quòd accumulent, adveniet ſupputatio, & invenient mendacia pro lucro; *Non inveniet fraudulentus lucrum*, Prov. 12. v. 27. Quantò plùs videtur pauperi, quòd commoveat corda ſuis mendaciis, illud, quod certiſſimè commovet, eſt ira DEI, quam concitat ſimilibus mendaciis ad provocandam ſui caſtigationem. Meliùs eſt eſſe pauperem, quàm mendacem; *Melior eſt pauper, quàm vir mendax;* Prov. 19. v. 22.

VIII. Refert Nicephorus in vita Sancti Epiphanii Epiſcopi Hiſtor. tripart. lib. 9. c. 4. quòd, dum iter faceret hic Sanctus Prælatus, certi mendici, ex illis, qui mentitis reſarcitis veſtibus mentiuntur neceſſitatem, quorum non exiguus numerus eſt, prævidentes illic tranſiturum Sanctum Epiſcopum, ad movendam magis illius pietatem erga ſe, & magis aſſecurandam eleemoſynam, convenerint inter ſe, ut unus ex illis ſe fingeret mortuum, alter conquireret pro ejus exequiis, & ſepultura eleemoſynam. Extendit ſe unus illorum ad agendas ſuas partes; & alter incipit fictis lacrymis ſuum clamorem & ejulatum. Advenit Sanctus Prælatus, & magna compaſſione tactus, poſt factam orationem pro mortuo, dedit vivo bonam & largam eleemoſynam, & hinc diſceſſit ſuum proſequendo iter. Jam ille longè diſceſſerat; & tunc illi: bene nobis res ſucceſſit, hunc optimè cepimus. Surge tu, quid? non audis? forſitan obdormiviſti? accedit propiùs, clamat, movet illum, & invenit mortuum. Attonitus currit modò jam cum veris lacrymis, aſſequitur Sanctum Epiſcopum, projicit ſe ad pedes ejus, confitetur ſuum mendacium, refert, & ex toto narrat caſum; qua de cauſa ad omnia illi ſeverè reſpondit Sanctus Prælatus, Non eſt jocandum cum DEO. Recede hinc, & ſepeli eum, hoc enim lucratur, qui cum mendaciis negotiatur.

IX. Oh, & utinam non foret toties mors etiam æterna illa, quam lucratur! Dilectiſſimi mei, cùm veritas ſit filia DEI, quæramus cum veritate Patrem tam infinitè amabilem, qui totam noſtram Beatitudinem nobis reſervat præparatam dando frui ſua æterna Veritate, in gloria.

INDEX
INSTRUCTIONUM,
QUÆ CONTINENTUR IN PARTE SECUNDA.
DE DECEM PRÆCEPTIS DECALOGI.

INSTRUCTIO I. & Prœmialis. *Quanta sit obligatio, quòd omnes debeant scire, & intelligere Doctrinam Christianam.*

INSTRUCTIO II. *De Ordine, Suavitate, & Harmonia, quam inter se habent decem Præcepta Decalogi.*

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Adorare solum unum DEUM.

INSTRUCTIO III. *De Gravissima Obligatione, quam habemus, amandi DEUM, & qualis debeat esse iste Amor?*

INSTRUCTIO IV. *Quomodo debeat esse amor DEI super omnia?*

INSTRUCTIO V. *Quomodo, & quando nos obligat Præceptum Spei?*

INSTRUCTIO VI. *Quomodo hoc primum Præceptum nos obliget eliciendi actus Fidei.*

INSTRUCTIO VII. *De summa Adoratione quam DEO debemus, & de cultu Eidem in templis debito.*

INSTRUCTIO VIII. *De Adoratione, quam tenemur exhibere Sanctis; & multò specialiorem Sanctissimæ MARIÆ Virgini.*

INSTRUCTIO IX. *De Adoratione, quam tenemur Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum præstare.*

INSTRUCTIO X. *Quomodo nos obliget hoc Præceptum fugere omnem superstitionem?*

INSTRUCTIO XI. *Qualiter debeamus spernere divinationes, auguria, & somnia.*

INSTRUCTIO XII. *De multis peccatis, quæ committuntur per vanam Observationem.*

IN-

INSTRUCTIO XIII. *De damnis veneficii, vel maleficii, & veris Remediis eorum.* in die Purificationis B. V. Mariæ habita.
INSTRUCTIO XIV. *Quale peccatum sit tentare DEUM, & quomodo committatur.*
INSTRUCTIO XV. *De horribili peccato blasphemiæ contra DEUM.*
INSTRUCTIO XVI. *De blasphemia contra Sanctissimam Virginem, & Sanctos: & qualiter se debeat continere, qui audiret alios blasphemare.*

PRÆCEPTUM SECUNDUM.

Non Jurabis.

INSTRUCTIO XVII. *De Essentia, Obligatione Juramenti.*
INSTRUCTIO XVIII. *De Circumstantiis, quas debet habere Juramentum assertorium ad hoc, ut sit licitum.*
INSTRUCTIO XIX. *De duabus Veritatibus, quas debet habere Juramentum Promissorium.*
INSTRUCTIO XX. *De perverso & damnosissimo More jurandi.*
INSTRUCTIO XXI. *De Voto, de ejus Circumstantiis, & Obligationibus.* In die Ascensionis Domini.
INSTRUCTIO XXII. *Quid sit illud, quod debemus offerre DEO in Votis: qui sunt illi, qui Vota possunt facere, & quomodo cesset illorum obligatio?*

PRÆCEPTUM TERTIUM.

Festa Sanctificabis.

INSTRUCTIO XXIII. *De Significatione, & de Profectibus Spiritûs, qui nobis se insinuant etiam tantùm ex solo nomine Missæ.*
INSTRUCTIO XXIV. *De Admirabili & Divino Missæ Sacrificio.*
INSTRUCTIO XXV. *Quomodo supremum Sacrificium Missæ sit simul repræsentatio cruenti, & tenerrimi Sacrificii Crucis.*
INSTRUCTIO XXVI. *De Fructibus, & Utilitatibus inæstimabilibus, quas habemus in Missa.*
INSTRUCTIO XXVII. *De Repartitione Fructûs Missæ, Dispositione, cum qua eam debemus audire, si velimus ejus Fructibus gaudere.*
INSTRUCTIO XXVIII. *De debita Observatione Festorum.*
INSTRUCTIO XXIX. *De Obligatione audiendi Missam integram die Festivo.* In Festo S. P. Ignatii habita.

PRÆCEPTUM QUARTUM.

Honora Patrem, & Matrem.

INSTRUCTIO XXX. *De Obedientia, quam teneantur præstare Filii suis Parentibus.*

INSTRUCTIO XXXI. *De Subsidio, quo tenentur assistere Filii suis Parentibus in necessitate constitutis.*

INSTRUCTIO XXXII. *De Reverentia, quam debent Filii suis Parentibus.*

INSTRUCTIO XXXIII. *De gravissima Obligatione Parentum in educatione suarum Prolium; & de damnis, ac profectibus, quos possunt facere toti Reipublicæ.*

INSTRUCTIO XXXIV. *De Educatione & Doctrina, quam tenentur dare Parentes suis Filiis.* In Festo Nativ. B. Virginis.

INSTRUCTIO XXXV. *De Obligatione Parentum circa statum procurandum suis Prolibus.*

INSTRUCTIO XXXVI. *De Amore & Respectu, quem sibi ad invicem debent Conjugati.*

INSTRUCTIO XXXVII. *De Obligationibus, quibus tenentur correspondere Domini, Servi, & Sclavi.*

PRÆCEPTUM QUINTUM.

Non Occides.

INSTRUCTIO XXXVIII. *De Gravissimo peccato Homicidii, & quæ actiones intelligantur sub hoc nomine.*

INSTRUCTIO XXXIX. *De Peccatis, & damnis pernicioſi Vitii Maledictionis.*

INSTRUCTIO XL. *De Amore Proximi, & de Condonatione, quam debemus Inimicis.*

INSTRUCTIO XLI. *De Scandalo, & ejus imponderabilibus damnis.* In Festo Sancti Francisci Xaverii 3. Decembris.

INSTRUCTIO XLII. *Quomodo, & quando obliget Præceptum dandi eleemosynam, & de ejus glorioſis fructibus.* In Festo Immac. Concept. B. V.

PRÆCEPTUM SEXTUM, ET NONUM.

Non mœchaberis, Non concupiſces Uxorem &c.

INSTRUCTIO XLIII. *De abominabili turpitudine Luxuriæ; & de damnis, ac periculis gravissimis malarum cogitationum, & desideriorum lascivorum.*

IN-

INSTRUCTIO XLIV. *De occasione proxima peccandi, qualiter illam fugere debeamus, & de ejus imponderabilibus damnis.*

PRÆCEPTUM SEPTIMUM ET DECIMUM

Non furtum facies; Non concupiſces bona alterius.

INSTRUCTIO XLV. *De Furto, de ejus Gravitate, & Circumſtantiis.*
INSTRUCTIO XLVI. *Quòd, qui retinet injuſtè res alterius, furetur; & de illius graviſſima Obligatione.*
INSTRUCTIO XLVII. *Univerſitas Furti in variis claſſibus, facultas, & ſubtilitates ad inferendum damnum Proximo.*
INSTRUCTIO XLVIII. *De infami Furto Uſurarum, & de illis, qui cooperantur ad Furta.*
INSTRUCTIO XLIX. *Quanta, & quàm ſtricta ſit Obligatio reſtituendi aliena.*

PRÆCEPTUM OCTAVUM.

Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium.

INSTRUCTIO L. *De Gravitate, & Malitia Judiciorum temerariorum.* In Feſto Sancti Joſephi habita.
INSTRUCTIO LI. *De Murmuratione, & illius damnis.*
INSTRUCTIO LII. *De Teſtimonio falſo in Judicio, & de Obligatione Reſtitutionis Honoris ablati.*
INSTRUCTIO LIII. *De graviſſima Obligatione Secreti naturalis, & quàm pernicioſum peccatum ſit illud Delatorum.*
INSTRUCTIO LIV. *De Malitia, & Damnis Mendacii.*

TU-

INDEX
PARTIS SECUNDÆ.

Litera p. denotat Paginam. Litera n. Numerum in Inſtructionibus.

A.

ACtus Spei tenemur elicere, & quando? p. 36. n. 4. & vide Inſtruct. V. per totum p. 34.

Actus Fidei quomodo obligemur elicere? p. 43. Inſtruct. VI. per totum. Tenemur illos elicere ſub peccato mortali, & quando p. 45. n. 3. Obligamur externè profiteri fidem. p. 47. n. 5. Non ſolùm qui negat Fidem, ſed etiam qui dubitat de ejus veritate, Hæreticus eſt. p. 49. n. 8.

Actus Charitatis q omodo tenemur elicere p. 19. Inſtruct. III. per totum.

Adorare debemus DEUM & Chriſtum, quomodo, & quali adoratione? p. 52. Inſtruct. VII. per totum. DEUS eſt adorandus cum reverentia Corporis & Animæ. p. 55. n. 5. & ſequenti. Adorare DEUM, & eodem tempore exſpuere, nugari, ridere, & unum genu incurvare flectendo, eſt ſumma indecentia p. 56. n. 6. & ſequent.

Adoratio qualis Sanctis, & multò magis B. V. MARIÆ ſit exhibenda. p. 60. Inſtruct. VIII. per totum. Quænam Reliquiis Sanctorum. p. 69. Inſtruct. IX. Et imaginibus eorundem; ibidem. Imaginibus Sanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini, Spiritûs Sancti, Sanctæ Crucis eſt *Latriæ* adoratio exhibenda. p. 72. n. 5. Imagines & Reliquiæ Sanctorum adorandæ ſunt adoratione *Duliæ*. ibidem. Inſtrumenta Paſſionis Originalia, quæ immediatè Corpus Chriſti attigerunt, adoranda ſunt adoratione *Latriæ*; non autem eorum copiæ. ibidem.

Agathocles filius figuli, factus Rex Siciliæ, inter alia vaſa argentea, utebatur etiam fictilibus, in memoriam ſuæ Originis. p. 266. n. 6.

Alcibiades adverten quòd inflatio *Albogos* eum indecorum redderet, inſtrumentum abjecit, & nullus ultrà Athenienſium illud inflavit. 162. n. 1.

Alexander jurat ſe contrarium facturum quidquid Ximenes Philoſophus petierit. p. 156. n. 3.

Amare DEUM ſumus obligati, & quandonam tenemur elicere actus amoris DEI, & qualiter? p. 19. Inſtruct. III. per totum. Amare DEUM ſuper omnia, quid hoc velit dicere? qualis ſit iſta obligatio? & quandonam obliget hoc Præceptum? p. 27. Inſtruct. IV. per totum. Amare poteſt DEUM ſuper omnia etiam ille, qui implicatus eſt multis

tis negotiis & laboribus p. 29. n. 3. & sequent. Amare DEUM propter DEUM quomodo possumus & tamen sperare gloriam? p. 35. Instruct. V. per totum.
Ambitiosus Romanus quàm carò solverit, quòd unica vice potuerit cænare in mensa Caligulæ. p. 236. n. 1.
Amor verus erga DEUM Thomæ Mori; qui libenter voluit omnia perdere, nè DEUM perderet. p. 31. n. 6. S. Idæ; p. 32. n. 7. Amor DEI erga hominem quantus sit, DEUS per miraculum monstravit. p. 23. n. 6.
Anseres, nè audiantur ab Aquilis, volantes per montem Taurum, portant in rostro lapillum. p. 461. n. 8.
S. Antinus Episcopus Nicomediensis permittit se duci in carcerem, nè vel minimum committeret mendacium. Instruct. 54. n. 6.
Architæ celebris Mathematicus ex verecundia nolait proferre verbum impurum, sed illud in pariete plus delendo quàm scribendo designavit. p. 365. n. 1.
Artifici ex lege non debent tolli instrumenta suæ artis ob contracta debita. p. 43. n. 1.
Augustus Imperator largiter illum præmiat, qui instruxerat corvum proferre: *Ave Cæsar*. p. 274. n. 6.

B.

S. Bernardus adhuc parvulus, accedente ad eum quadam Muliere Benedictrice, dum infirmabatur, saltat ex lecto, & DEUS illi confert sanitatem. p. 100. n. 7.
Blasphemia contra DEUM quantum sit malum. p. 120. Instruct. XV. per totum. Dividitur in simplicem, & Hæreticalem. p. 123 n. 5. & sequenti. Contra B. V. MARIAM & Sanctos, quantum DEO displiceat. p. 128. Instruct. XVI. Quomodo à DEO castigata fuerit? p. 129. n. 2. Dividitur in simplicem & hæreticalem. p. 130. n. 3. Quænam obligatio illius sit, qui audit alterum blasphemantem. p. 131. n. 4. & 5. Quid illi faciendum, qui se de sua consuetudine excusat? p. 133. n. 6.
Bonifacius VIII. Pontifex, ex pauperibus Parentibus natus, non vult suam Matrem in sumptuosis vestibus recognoscere, usquedum viles sumpsisset. p. 266. n. 6. ad fin.

C.

Carolus V. Imperator in annulo habuit horologium. p. 195. n. 1.
Carolus Rex Navarræ fuit combustus propter unicum filum, ad quod applicata fuit candela. p. 380. n. 6.
Cato dicebat tres se commisisse stultitias, prima: quod in mari navigaverit; &c. p. 455. n. 1.
Charitas Christiana quid? p. 338. n. 4.
Cimbri cogitabant, quòd possent aquas Adigis fluvii suis scutis sistere, & innumerabiles fuerunt submersi in fluvio. p. 379. n. 5.
Concionator quo stratagemate usus fuerit, ut quidam magnus Dominus solveret sua debita. p. 428. n. 8.
Condonare debemus inimicis. p. 335. Instruct. XL. per totum. Condonare interiùs injurias non sufficit, sed etiam externè hoc tenemur demonstrare. p. 340. n. 6. In condonatione injuriarum actus heroici. p. 343. n. 7. ad fin. item n. 8.

Cosmus Mediceus dicebat; quòd, etiamsi multa pro DEO fierent, adhuc tamen pro multis eidem remaneamus debitores, & obligati. p. 213. n. 4.
Crucifixus aspicit vultu terribili illos, qui sub recitatione Completorii riserant. p. 57. n. 7.
Credere. vide Fides.
Crux quomodo adoranda? Vide. p. 72. n. 5.
S. Cyprianus, qui erat Maleficus, eò quòd ei diabolus dixerit: *Nihil se posse contra Christianum constantem*, fit Christianus & Martyr. p. 106. n. 4.

D.

Damna & malitiæ mendaciorum. p. 465. Instruct. LIV. per totum. Quid sit mendacium. p. 467. n. 2. Mendacium est larva omnium vitiorum. p. 468. n. 3. Mendacium rarò unum solum prodit, sed est sicut cherrigge, id est, cerasa; si unum cerasum per stylum ex cumulo extrahis, sequuntur alia octo vel decem; p. 471. Instruct. LV. n. 5. circa medium.
Delatores, detractores, & testimonia falsa, damnum grande faciunt famæ aliorum, & quæ sit illorum obligatio? p. 447. Instruct. LII. per totum. Infelix Respublica, in qua tales homines aluntur. p. 450. n. 3. Tales quantocyus habent pœnam à DEO expectandam. p. 451. n. 4. Pœnæ à Canonibus stabilitæ, & etiam à gentilibus, Delatoribus & falsis testibus. p. 452. n. 5. Peccatum æquale committunt, qui tales solvunt, inducunt, corrumpunt. p. ead. n. 6.
Desperatio quàm grande sit peccatum. p. 38. n. 6.
Dilectio & Amor Proximi, & condonatio quam debemus inimicis. p. 335. Instruct. XL. per totum. Quoad dilectionem Proximi non sufficit illi exhibere actus externos. p. 337. n. 3. Quisnam ille amor sit, quem debemus Proximo? p. ead. n. 4. 5.
Divinatio, auguria, & somnia qualiter spernenda? p. 85. Instruct. XI. per totum. Quid sit divinatio. p. 86. n. 2. Divinare ingeniosè est licitum. p. 87. n. 3. Divinatione superstitiosa diabolus decipit. p. 88. n. 4. 5. — Divinationes sunt variæ sortis. p. 86. n. 2. & sequent.
Domini sunt obligati curare instrui servos Mysteria Fidei, vel concedere tempus, ut Doctrinam Christianam adire possint. p. 7 n. 9.
Domus lusoriæ quantum malum causent. p. 351. n. 5.

E.

Ecclesia. In ea exspuere, nugari, ridere, grandis est indecentia. p. 56. n. 6. In ea uno genu flectere quàm malum sit. p. 58. n. 8.
Eleemosynam quando simus obligati facere, & quàm utile sit eam elargiri? p. 354. n. 1. Instruct. XLII. per totum. Quomodo DEUS eam præmiet, & quomodo illos puniverit, qui eam facere intermiserunt. p. 362. n. 9. & sequent.
S. Elisabetha petit à DEO, quatenus amorem naturalem ad proles ab ea auferret, ut eò magis DEUM amare posset, & hoc obtinuit. p. 23 n. 6. Orat pro suis Persecutoribus, & DEUS illi condonat omnia peccata intuitu harum precum. p. 339. n. 5. circa med.
Eleazarus Comes, quomodo suos solitus sit punire qui jurabant. p. 167. n. 8.
Eremita, qui per jejunia non poterat adipisci intelligentiam cujusdam loci Sacræ Scripturæ,

ræ, cum humilitate accedens ad alterum, de eodem in via fuit eruditus ab Angelo. p. 7. n. 8.

Executores testamentorum habent obligationem exequendi id, quod in testamentis ordinatur. p. 399. n. 7. Si non exequuntur, versantur in magno periculo. p. 401. n. 8.

EXEMPLA.

Diabolus per Sacerdotem gratias agit Prælatis, & Parochis pro negligentia, eò quòd non docerent populum necessaria ad salutem. p. 8. n. 10.

Ex Monachi sepulchro, qui nihil aliud poterat addiscere, præter *Ave Maria*; crevit arbor, in cujus foliis scriptum erat: Ave Maria gratia plena. p. 9. n. 12.

Vandali scribunt Præcepta Legis Divinæ in suis vexillis, & reportant victoriam de malis Christianis. p. 17. n. 6.

Simia demonstrat inter tot alias fides veram esse Fidem Christianam. p. 18. n. 7.

Amor nullo modo interessatus versùs DEUM cujusdam Anachoretæ. p. 25. n. 8.

Christus monstrat sua vulnera, & suum amorem cuidam Virgini, & retrahit illam à peccato. p. 33. n. 9.

Multi, qui sibi nimium fidebant, moriuntur impœnitentes. p. 40. n. 7. 8.

Adolescens, qui non credebat animæ immortalitatem, in præsentia aliorum sociorum abripitur vivus à diabolo in tartara. p. 49. n. 7. ad finem.

Indocti & ignorantes non debent discurrere de rebus Fidei, & quantum periculum inde secutum fuerit, & sequi possit. p. 50. n. 9.

Imago B. V. Mariæ, Christi Domini, & Angelorum certum quemdam liquorem sudat ob Mauros fictos Christianos in Hispania. p. 51. n. 10.

Diabolus infligit ictum sedenti ad illa verba: *Et Incarnatus est.* p. 58. n. 7. ad fin.

Religiosus, qui non inclinabat caput ad *Gloria Patri*, est severissimè in Purgatorio castigatus. p. 59. n. 9.

Infantulus audiens laudes B. V. Mariæ *Immaculatæ*, clarè respondet. p. 67. n. 9.

Imago chartacea exprimens Immaculatam Conceptionem in fornacem projecta non fuit combusta, sed ab Episcopo illæsa extracta. ibid.

Scheda, in qua scripta erant hæc verba: *Conceptio Mariæ sinè macula*; ab infirmo sumpta, qui calculô laborabat; immediatè illi calculos pepulit, in quolibet eorum scriptum erat: *Immaculata Conceptio.* p. ead. n. 10.

Aliud certum exemplum cum certo Cardinale. p. 68. n. 10.

Pictor, qui certam picturam lascivam depinxerat, tandiu fuit condemnatus ad pœnas Purgatorii, usquedum pictura combusta fuisset. p. 76. n. 11.

Adolescens Nobilis voluit discere magiam, & miserè occisus est. p. 84. n. 10.

Diabolus patefacit innocentiam cujusdam militis ab hospite decepti. p. 92. n. 10.

S. Malachias impetravit à DEO cuidam defunctæ reditum ad vitam, ut posset percipere Sacramentum Extremæ Unctionis. p. 101. n. 9.

Virgo à DEO vocata ad vitam Monasticam, nubit, & ipso die desponsationis miserè moritur. p. 118. n. 10.

B. V. Maria quandam sibi devotam Matronam liberat à periculo mortis. p. 109. n. 8.

Adolescens luxor, & blasphemus, qui contra DEUM armatus prodivit, à musca est correctus. p. 126. n. 9.

DEUS tolerat luſorem nomen ſuum blaſphemantem; punit autem eum, dum Matrem DEI blaſphemare cœpiſſet. p. 129. n. 2.
Blaſphemi caſtigati. p. 130. n. 3. & ſequent.
Mulier falsè jurans quomodo caſtigata fuerit. p. 144. n. 11.
Nautæ negantes eleemoſynam cum imprecatione, hanc experiuntur. p. 149. n. 7.
Miles verbis fictis adimplens juramentum caſtigatur à Romanis gentilibus. p. 152. n. 10.
Chriſtianus qui deceptorie juravit, quomodo ſit punitus? p. 152. n. 11.
Mulier jurans cum maledictione, quomodo caſtigata fuerit? p. 157. n. 4. circa med.
Virgo die nuptiarum rapitur à diabolis, eò quòd non ſervaverit promiſſionem factam alteri priori ſponſo cum juramento. p. 161. n. 8.
Nobilis qui aſſuetus fuerat jurare: *Moriar ſinè Communione*; in morte non poteſt percipere Sanctiſſimum Sacramentum, quia ipſi ſemper os claudebatur vi Divina, dum illud volebat percipere. p. 169. n. 9.
Miſſæ, quas quidam pauper pro divite audiverat, liberant divitem à morte temporali & æterna p. 193 n. 11.
Calix poſt Conſecrationem ad Corporale inverſus, & effuſus, efformavit in Corporali Crucifixum, & alias Paſſionis ejuſdem Domini noſtri effigies. p. 210. n. 8.
Sanctus Ansbaldus per Sacrificium Miſſæ impetrat à DEO ſubſidium miraculosè. p. 217. n. 9.
Uxor pro Marito in fodinis per terram ſepulto, omni ſeptimana curat legi Miſſam, offert panem & candelam, & poſt integrum annum Maritus vivus inter rudera invenitur. p. 226. n. 7.
Die feſtivo laborans quomodo punitur? p. 230. n. 3.
Qui noluit die Feſtivo laborare, quomodo præmietur? p. 230. n. eod. ad fin.
Domicella, quæ Feſta profanabat, caſtigata. p. 234. n. 7.
Filius Matri inobediens à DEO punitur. p. 252. n. 9.
Ingratitudo Generorum & filiarum erga Patrem; & ſtratagema ejusdem ut bene ab illis tractaretur, quod etiam factum eſt. p. 253. n. 6.
Filii, qui non adimplent teſtamentum Patris, à DEO caſtigantur. p. 261. n. 9.
Filius, qui malè Matrem tractaverat, infelicem expertus eſt mortem. p. 268. n. 8.
Infans quinquennis vadit ad Martyrium cum ſua Matre, & ût Martyr moritur. p. 276. n. 9.
Duas filias Mater Vidua protectioni B. V. MARIÆ commendat, & illa has ſuſcipit. p. 284. n. 9.
Parens retrahit filium à ſtatu Religioſo, & uterque illorum malè moritur. p. 294. n. 11.
Qualiter inter Conjugatos tollantur lites? p. 303. n. 9.
Ancillæ ſclavæ, cui non conceſſit Domina ire ad Concionem, apparet Chriſtus, & facit illi ſermonem. p. 315. n. 11.
Proſcriptus Latro, qui occiderat innocentem infantem, ſemper illum præ oculis habuit ſibi exprobrantem: *cur me occidiſti*? p. 325. n. 11.
Matres maledicunt Prolibus, & maledictiones in illis adimplentur. p. 332. n. 7.
Nobilis quidam pronunciat: *Veniant diaboli, & mecum prandeant*; & venerunt. p. 334. n. 9.
Religioſus, non adeò vitæ exemplaris, lætiſſimus moritur, eò quòd in Religione nullum judicaverit, & omnibus offenſas condonaverit. p. 340. n. 5.

Don-

Don Petrus Gironus Marchio de Urena condonat grande debitum, & injurias à servo sibi illatas, die Veneris Sancto. p. 343. n. 7.
Mater, cujus filius occisus fuerat, condonat occisori, & eundem salvat, & DEUS confert cælum filio. p. 343. n. 8.
Mulier dedita mundo muliebri, damnatur. p. 352. n. 6.
Filius contentus Patrem omnia in morte pauperibus donare, à DEO divitias accipit p. 363 n. 11.
Vir malè habituatus in morte confitetur cum vero dolore, & in ultimo halitu consensit turpi cogitationi, & damnatur. p. 372. n. 8.
Mulier lasciva in morte dolet ex corde, vocat amasium, ut eum ad meliorem exhortaretur vitam; at videns eum, turpi amore exarsit, quem etiam signis patefecit, & sic mortua est. p. 382. n. 8.
Judex damnatur ob non administratam justitiam, & post mortem comparet. p. 411. n. 7.
Usurarius in morte cum Conjuge, Prolibus, & Confessario abripitur à diabolis ad tartara. p. 420. n. 8.
Ecclesiasticus damnatur ob suam linguam. p. 447. n. 12.
Nobiles ad mortem condemnati citant Reges intrà certum tempus ad Divinum Tribunal, & in rà tale tempus Reges moriuntur. p. 452. n. 6.
Notarii falsarii damnatio. p. 454. n. 8.
Moniali, quæ causabat discordias per suas delationes, quid post mortem acciderit. p. 464. n. 10.
Mendicus se fingens mortuum, ut tanto pinguiorem eleemosynam ejusdem socius acquireret à S. Episcopo, in veritate moritur. Instruct. LIV. p. 474. n. 8.
Eudoxia Imperatrix, ob unicum mendacium, fuit causa multorum infortuniorum. Inst. LIV. p. 472. n. 6.

F.

FEsta quomodo sint observanda? p. 227. Instruct. XXVIII. per totum. Quomodo DEUS puniverit laborantes diebus Festivis, & quomodo alios nolentes laborare præmiaverit? p. 230. n. 3. Quibus ex causis possit concedi labor diebus festivis? p. 231. n. 4. Pœna inflicta Personæ Festa profananti. p. 234. n. 7.
Fides. Qualia Mysteria Fidei sumus obligati credere, ùt media necessaria ad salutem. p. 3. n. 4. & alia Mysteria sunt scitu necessaria, p. 4. n. 5. & seq. Quandonam sumus obligati eliciendi actus Fidei? p. 45. n. 3. Quid nobis est credendum in his actibus Fidei? p. 46. n. 4. Tenemur Fidem nostram publicè profiteri. p. 47. n. 5. Non tenemur plus credere præter illud, quod Fides nos docet. p. 48. n. 6. De rebus Fidei non debent formari discursus ab Idiotis. p. 50. n. 9.
Filius ob reverentiam Patris, recusat esse Imperator. p. 249. n. 5. Obligatur Filius ad obedientiam in omnibus quæ respiciunt probitatem morum, bonum animæ.-- p. 250. n. 6. Non autem in rebus malis. p. 251. n. 7. Filii sunt obligati succurrere Parentibus. p. 254. Instruct. XXXI. per totum. Non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi. p. 256. n. 4. Exempla filiorum sicut & animalium. ibid. Quanta sit hæc obliga-

tio Parentibus succurrere? p. 257. n. 5. & sequent. Reverentiam debent filii suis Parentibus. p. 262. Instruct. XXXII. per totum.
Filii quàm reverentes erga suos Parentes apud Persas & Lacedæmones fuerint. p. 263. n. 3. Reverentia cujusdam filii erga cadaver sui Patris, & hac de causa fuit declaratus hæres præ aliis fratribus. p. 265. n. 5.
Froton IV. Rex Daniæ condonat vitam Saxonibus, sed ad quodvis membrum corporis tributum imponit. p. 193. n. 4.
Fures dantur multiplices. p. 383. n. 1. De furti gravitate & circumstantiis. p. eadem. Instruct. XLV. per totum. Quid sit? p. 385. n. 2. Quando illud committunt servi --- Uxor --- ratione rerum quas furantur Maritis Dominis --- p. 386. n. 3. & sequent. Furtum parvum quando est peccatum mortale? p. 389. n. 6.

G.

Gothus homo iracundus frangit multa vitra pretiosa ad tollendam occasionem suæ iræ. P. 376. n. 3.

H.

HAlitus frigidus certum signum mortis. p. 134. n. 6.
Hæresis quid sit? p. 49. n. 7. 8.
Helleborus infirmis medicina, sanis mors. p. 142. n. 8.

I.

SIdæ amor erga DEUM. p. 32. n. 7.
S. Ignatius quare depingatur in vestibus Sacerdotalibus? p. 242. n. 7. Quanta fuerit ejus præparatio pro Sacrificio Missæ, quantas gratias inde percipiebat? ibid. Sanat Monialem infirmam. p. 243. n. 8. Dicere solebat, quòd si DEUS vellet eum esse in inferno, nulla pœna illi tam intolerabilis esset, quàm sola blasphemia nominis DEI. p. 121. n. 2.
Ignorantia rerum necessariarum Fidei, quanta damna causet. p. 8. n. 10.
Imagines Christi Domini, B. V. Mariæ, Sanctorum, & Crux, quomodo debeant adorari? Vide Adorare.
Imago Christi, missa ab ipsomet Christo Domino Abagaro Regi. p. 69. n. 1. Quare Imaginum usus stabilitus sit? p. 73. n. 7. & sequent. Profanè depictæ Imagines Sanctorum, quantum malum sit? p. 74. n. 9. Imagines lascivas in domo habere depictas quàm grande malum. p. 75. n. 10. 11.
Injuriarum condonatio. p. 339. n. 5. non tantum internè, sed etiam externè sunt condonandæ injuriæ. p. 340. n. 6. Actus in hac materia heroici. p. 341. n. 7. 8.
Juramentum quid sit? p. 138. n. 4. Est medicina nostræ infirmitatis. p. 140. n. 5. Dividitur in Assertorium, Promissorium, & Execratorium. ibidem. Ut sit licitum, quasnam debet habere circumstantias? p. 141. n. 6. Quando illud tenemur præstare? p. ead. n. 7. Quàm circumspectè juraverint Hebræi, Gentiles, & antiqui Christiani? p. 143. n. 10. Mulier falsè jurans quomodo punita. p. 144. n. 11. De circum-

cumſtantiis Juramenti Aſſertorii, ut ſit licitum. p. 146. Inſtruct. XVIII. per totum. In vanum jurare quid ſit? p. 147. n. 3. Juramenti Aſſertorii circumſtantiæ. p. 148. n. 5. Reſponſum ſapiens Periclis ad amicum; qui volebat ut falſum juraret. p. eadem n. 6. Juramenta falſa caſtigata. p. 149. n. 7. & ſequent. Juramentum Promiſſorium debet eſſe cum intentione adimplendi illud quod promittitur. p. 154. Inſtruct. XIX. per totum. Juramentum Comminatorium quale ſit? p. 156. n. 4. Mulier jurans cum maledictione quomodo punita ſit. ibid. In Juramento Promiſſorio, in adimpletione illius ſubintelliguntur quinque conditiones, etiamſi non exprimantur: & quænam illæ ſint? p. 158. n. 5.

Conſuetudo jurandi quàm mala & damnoſa ſit? p. 162. Inſtruct. XX. per totum. Puella Nobilis non obſervans juramentum cum imprecatione factum à dæmonibus abripitur. p. 161. n. 8.

L.

LAtria ſolùm debetur DEO, & Chriſto. p. 54. n. 3.

Legatus Venetorum unicò actu placat iram Pontificis. p. 216. n. 7.

Lindericus Comes Flandriæ per ſententiam Judicum ad mortem condemnat ſuum Primogenitum, ob certos fructus non ſolutos. p. 391. n. 8.

S. Ludovici Regis Galliæ lex contra blaſphemos. p. 124. n. 6. Idem recuſat libertatem captivus, nè cogatur deponere juramentum comminatorium. p. 158. n. 4.

Lupus ſemper eſt laſſus; quia non maſticat cibum, ſed eundem ſtatim deglutit. p. 223. n. 5. Idem agnellum aſportans. p. 420. n. 7. ad finem.

M.

MAgia quid ſit? p. 83. n. 9.

Maledictio quid ſit? p. 329. n. 4.

Maleficii ſeu veneficii damna. p. 102. Inſtructio XIII. per totum. Quid ſit maleficium? p. 104. n. 2. Dividitur in amatorium, & in Hoſtile. p. 104. n. 4. Actus maleficii amatorii. ibidem. Non poteſt quidquam nocere diabolus, ſi volumus reſiſtit. ibidem. Actus & mala Hoſtilis maleficii. p. 106. n. 5. Remedia naturalia contra maleficium, ſunt ſuperſtitioſa. ibidem. ad finem. n. 5. Qualia ergo ſunt arma ſecura? p. 107. n. 6. - - -

Maria. Quàm grandis fuerit gratia, quam accepit in primo inſtanti ſuæ Conceptionis. p. 62. n. 4. De Adoratione quam illi debemus. p. 60. Inſtruct. VIII. per totum. Reſalutat S. Bernardum. p. 67. n. 8. ad fin. Infantulus audiens laudes Immaculatæ Conceptionis, clarè reſpondet. p. 67. n. 9. Ex manibus diaboli ſuam devotam prodigioſè liberat. p. 109. n. 8.

Mater Joannis Gerſon, quomodo filiolum inceperit in devotione educare. p. 275. n. 6.

Mater in lecto ſecum retinens infantulum cum periculo ſuffocationis in ſomno, peccat mortaliter. p. 323. n. 9. Idem etiam eſt de Nutrice. ad finem.

Matrimonii cauſam decidit S. Arnulphus coram Patre & filia. p. 293. n. 9.

Medicus ſinè debita ſcientia non debet practicare, ut ſunt agyrtæ. p. 320. n. 7.

Mendacii damna & malitia. p. 465. Instruct. LIV. per totum. Quid sit mendacium. p. 467. n. 2. Est larva diaboli. p. 468. n. 3. Dividitur in varias species. p. 469. n. 4. Mendacia sunt sicut *cieri legge*, id est, cerasa; nam aliquod cerasum ex cumulo cerasorum nunquam unum extrahes, sed unum sequuntur plura alia in stylis sibi cohærentia. p. 471. n. 5. circa medium.

Missa. Vide Sacrificium *Missæ*.

Monachus conqueritur contra Abbatem ob duram post mortem sibi impositam pœnitentiam p. 400. n. 7.

Monetam falsificare grande delictum. p. 146. n. 1.

Mulier gravida peccat mortaliter, faciendo res, quæ eidem possunt causare abortum. p. 323. n. 9.

Mysteria Fidei qualia teneamur scire necessitate medii, & qualia necessitate Præcepti ad salutem. p. 3. n. 4. Qui illa non scit, debet talem quærere, qui illum instruat, & casus qui accidit. p. 6. n. 8. Obligationem habent Patroni, & Domini illa servos instruendi, vel concedendi illis tempus & otium, ut possint accedere illum, qui eadem possit eos docere, p. 7. n. 9. Eandem obligationem habent Parentes quoad filios. ibid. Damna grandia, quæ proveniunt ex ignorantia rerum necessariarum Fidei. p. 8. n. 10. Quid agendum cum rudibus; qui ea non possunt capere. p. 9. n. 11. Casus mirabilis quoad hoc. p. ead. n. 12.

N.

Nautæ antequam, sciviſſent de acu magnetica, utebantur aviculis, quæ per volatum illis demonstrabant terram, sed non scopulos, in quibus naufragia patiebantur. p. 292. n. 8.

Nicostrati Pictoris responsum rustico datum ob intensam considerationem certæ Imaginis à Zeuxe depictæ. p. 69. n. 1.

Nobilis Romanus quantô pretiô solverit unicam assistentiam mensæ Caligulæ Imperatoris. p. 236. n. 1.

Nutrix retinens in suo lecto infantulum cum periculo suffocationis in somno, peccat mortaliter. p. 323. n. 9.

O.

Obedientia, quam tenentur exhibere filii Parentibus. p. 245. Instructio. XXX. per totum. DEUS vult, ut filii honorent Parentes, & cur? p. 248. n. 4.

Obligati sunt omnes scire & intelligere Doctrinam. p. 1. Instruct. I. per totum. Non sufficit solùm generaliter credere, sed debemus credere in particulari Mysteria nostræ Fidei. p. 3. n. 4. & sequent.

Obligatio illius, qui habet habitum blasphemandi. p. 133. n. 6.

Occasio proxima est fugienda. p. 374. Instructio. XLIV. per totum. Non solùm illa, quæ est contra sextum Præceptum, sed etiam illa, quæ est contra alia Præcepta. p. 375. n. 2. 2. Quamos Sanctos fecerit cadere. p. 377. n. 4. Quid sit? p. 379. n. 6.

Oleum Sanctum juvat pro salute Animæ & corporis, si id infirmo expediat. p. 100. n. 8. Confirmatur hoc exemplo. p. 101. n. 9.

Ordo, *ſuavitas, & harmonia Præceptorum*, quam inter ſe habent. p. 10. Inſtruct. II. per totum. Cur DEUS decem Præcepta dedit *in diſtinctis* duabus tabulis? p. 15. n. 6.

P.

PApyrius prætextatus, nè cogeretur revelare Matri ſecretum Senatûs, fingit aliud. p. 462. n. 8.

Parricidæ nulla determinata pœna fuit à Solone, nè in memoriam incideret culpa. p. 247 n. 3. Fuit à Romanis pœna ſtabilita. p. 254. n. 1.

Parentes ſunt obligati docere, vel curare inſtrui filios Myſteria noſtræ Fidei: ſicut & Domini ſervos & ſclavos. p. 7. n. 9. *Parentes graviſſimam obligationem* habent quoad educationem prolium. p. 269. Inſtruct. XXXIII. per totum; Tenentur eas ſuſtentare, erudire, & de ſtatu providere earum voluntati non contrario. p. 272. n. 3. 4. --- De educatione & Doctrina, *quam Parentes Filiis tenentur dare*. p. 277. Inſtruct. XXXIV. per totum. Tenentur illos inſtruere, corrigere, & ædificare. p. 278. n. 2. Matres *in bona vel mala* educatione prolium plurimum poſſunt facere. p. 281. n. 4. Habent obligationem *Parentes de ſtatu providendi*. p. 286. Inſtruct. XXXV. per totum. Filius ſtatum eligit, ſed Pater circa hunc diſponere debet. p. 288. n. 3. *Ad DEUM in hoc puncto* eſt maximè recurrendum. p. 290. n. 6. Parentes peccant ſi impediant proles ab *ingreſſu in Religionem aliquam*. p. 294. n. 10. 11.

S. Patritius per orationem furem prodit. p. 419. n. 7.

Patronus vel Herus, tenetur ſuſtentare, inſtruere, corrigere ſuos ſclavos. p. 307. n. 4. 5. Non poteſt ſclavo impedire Matrimonium. p. 310. n. 7.

Pharmacopolæ non poſſunt dare *quid pro quo*, niſi cum evidentia, & quæ illa ſit? p. 322. n. 8.

Pericles quàm ſapienter reſponderit cuidam ſuorum Amicorum, qui volebat ut falsè juraret. p. 149. n. 6.

Pictor non poterat depingere *vultum Chriſti Domini viventis*, propter ſplendentes radios. p. 69. n. 1.

Pictor depingens profanè Imagines Sanctorum, vel formans alias picturas laſcivas, quàm grande *malum* faciat? p. 74. n. 9.

Picturas laſcivas habere in domo, quàm grande malum ſit. p. 75. n. 10. & 11. p. 351. n. 5.

Polus Comædus ſuò fletu totum auditorium ad fletum commovet. p. 205. n. 5.

S. Porphyrius ponit *memoriale in manibus Theodoſii recens nati Principis*; & videns illud Pater Arcadius Imperator, omnia intus petita conceſſit. p. 217. n. 8. circa medium.

Præcepta *noſtræ Sanctæ Legis* ſunt *multis Chriſtianis in mortem*. p. 17. n. 6. *In quolibet* Præcepto negativo includitur poſitivum, & *in quolibet* Præcepto poſitivo includitur negativum. p. 21. n. 3. Differentia inter Præceptum negativum & poſitivum. ibidem.

Proximus eſt diligendus, & *Inimicis* eſt condonandum, *quidquid* contra illos habemus. p. 335. Inſtruct. XL. per totum. Non ſufficiunt actus externi ad amorem Proximi. p. 337. n. 3. Quisnam ille amor eſt, qui omnes obligat. p. ead. n. 4. Nec etiam ſufficit internè ſolùm condonare, ſed nec externè debet demonſtrari odium. p. 340. n. 6.

Q.

QUintus Terentius ob redemptionem ex captivitate à Scipione, ut se gratum demonstraret, voluit in triumpho Scipionis inter alios captivos Romam intrare. p. 199. n. 5. ad finem.

R.

RElIquiæ Sanctorum quomodo adorandæ? Vide Adorare.
Restituere tenetur non solum qui furatus est; sed etiam ille, qui allena retinet. p. 393. Instruct. XLVI. per totum. Elapsô tempore commodatum est restituendum. p. 395. n. 3. Damna debent compensari ob alterius rei retentionem causata. ibid. Qui non solvit immediatè artifices, servos, & operarios, quale peccatum committat, & ad quid teneatur. p. 397. n. 5. Tenetur restituere, qu alienam rem invenit. p. 398. n. 6. Casus in hac materia Ibid Executores testamentorum. p. 399. n. 7. Qui causa est, quod alter faciat damnum proximo, tenetur ad restitutionem. p. 417. n. 7. Quot modis potest quis esse causa, quod alter Proximo damnum faciat. ibid.
Reverentia, quâ assistebant Sacrificiis suis falsis Gentiles. p. 240. n. 6. 7.
Reverentia quam debent Filii Parentibus. p. 262. Instruct. XXXII. per totum.
Reus læsæ Majestatis est, qui offendit Personam Regalem, Ministros Aulæ, & Consiliarios. p. 128. n. 1. Qui pro reo læsæ Majestatis intercedit, talis reum se facit ejusdem delicti. ibid.
Romani severè castigabant militem, qui verbis fictis dicebat se adimpleviſſe juramentum. p. 152. n. 10.

S.

SAcrificium Missæ. Quantum prosit audire Missam, & quale lucrum sit. p. 193. n. 11. Quid sit nomen *Missa*? p. 189. n. 4. & sequent. De Admirabili & Divino Missæ Sacrificio. p. 195. Instruct. XXIV. per totum. Quid sit Missa? p. 196. n. 2. Quid sit Sacrificium? p. 196. n. 3. Quid offertur DEO Patri in Missa? p. 200. n. 7. Exhibent adorationem Sacrificio Corpora & Reliquiæ Sanctorum. p 201. n. 8. Quali ex Sacrificium Missæ sit repræsentatio Cruenti Sacrificii Crucis? p. 203. Instruct. XXV. per totum. De fructibus & utilitatibus quas habemus in Missa. p. 211. Instruct. XXVI. per totum. Quatuor sunt principales obligationes, quibus DEO obstringimur. p. ead. n. 2. In Sacrificio Missæ habemus quatuor capitalia Infinita. p. 212. n 3. Sacerdos in Missa nos invitat ad reddendas DEO gratias. p. 213. n. 5. In Missa nobis applicatur thesaurus meritorum Christi ad placandam iram æterni Patris. p 215. n. 7. Per Sacrificium Missæ concedit DEUS certo Monasterio magnum subsidium. p. 217. n. 9. De repartitione fructûs Sacrificii, & de dispositione, quâ Missam audire debemus, si volumus ejus gaudere fructibus. p. 219. Instruct. XXVII. per totum. Prodest vivis & defunctis in Purgatorio. p. 221. n. 3. Quis est fructus quo fruimur in Missa? p. 222. n. 4. Secundum devotionem Assistentiæ & fervorem, participatur major vel minor fructus. p. ead. n. 5. Multum juvat curare Missas legi. p. 226. n. 7. Est obligatio die Festo integram Missam

ſam audiendi. p. 236. Inſtruct. XXIX. Multi devotionem habuerunt & quovis die Miſſam audierunt. p. 237. n. 2. Quæ cauſæ excuſent ab auditione Miſſæ? p. 238. n. 4. Exemplum de deſiderio audiendi Miſſam p. 239. n. 5. Quâ reverentiâ eſt Miſſæ aſſiſtendum? p. 240. n. 6. Debet adeſſe attentio Animæ. p. 241. n. 7.

Sancti quomodo ſint adorandi? Vide adorare.

Scandalum, & ejus damna. p. 345. Inſtruct. XLI. per totum. Quid ſit ſcandalum. p. 346. n. 2.

Sclavus quandonam poſſit aliquid ſurripere ſuo Domino? p. 387. n. 4.

Secretum naturale, & de ejus graviſſima obligatione. p. 455. Inſtruct. LIII. per totum. Quî propalat ſecretum, peccat. p. 456. n. 2. & tenemur damnum cauſatum bonificare. p. 457. n. 3. In quo caſu non obliget? p. 458. n. 4. Quid & quale eſt ſecretum naturale? p. ead. n. 5.

Sepulchrum cujusdam Conſiliarii Pariſienſis. p. 418. n. 7.

Servi quando committunt furtum, quando ſuis Dominis aliquid ſurripiunt? p. 386. n. 3.

Spei Præceptum quomodo & quando nos obliget? p. 34. Inſtruct. V. per totum. Actus Spei tenetur quilibet Fidelis elicere, & quando? p. 36. n. 4. Nec diffidendum, nec præſumendum eſt de miſericordia. p. 37. n. 5. & ſequent.

Superſtitionem quomodo obligemur fugere? p. 77. Inſtruct. X. per totum. Quid ſit ſuperſtitio? p. 78. n. 3. Committitur in cultu & modo. ibid. & n. ſequent. Dividitur etiam ſuperſtitio in Idololatriam, & Magiam. p. 82. n. 7. 8.

Suſurrones & ſeminatores zizaniorum quàm ſint DEO odibiles, & quanta damna cauſent. p. 463. n. 9. Pœnæ eisdem inflictæ. p. 464. n. 9. 10.

T.

TEntare DEUM quale peccatum ſit. p. 111. Inſtruct. XIV. per totum. Quid ſit tentare DEUM? p. 112. n. 3. & ſequent. Tentántne homines DEUM? hoc omninò fit. p. 114. n. 5. Adhibenda media improportionata ad aliquid reſciendum eſt tentare DEUM: & caſus quoad hoc. p. 116. n. 8.

Teſtes & Gubernator puniuntur ùt deceptores. p. 408. n. 6.

Teſtimonium falſum. vide Delatores.

Thales Mileſius obſervans attentiſſimè Cælum, in foveam cadit, & à ſua deridetur Ancilla. p. 86. n. 1.

Themiſtocles non vult dare filiam ſuam in Uxorem cuidam diviti, ſed exigui ingenii. p. 292. n. 7.

Theodoricus curat decapitari unum ex ſuis ſibi charum famulis, eò quòd in gratiam Theodorici factus fuerit hæreticus. p. 311. n. 7. circa med.

Thomas Morus omnia libenter perdit amore DEI, nè ipſum perdat DEUM. p. 31. n. 6. Ejusdem circa feſta reſponſum. p. 234. n. 6. Quavis die Miſſam audire ſolitus. p. 237. n. 2.

V.

VAna obſervantia eſt cauſa multorum peccatorum. p. 94. Inſtruct. XII. per totum. Quid illa ſit. p. 95. n. 2. Quænam res ſint vana obſervantia? p. 96. n. 3. & ſequent.

quent. Illi qui vanâ obſervantiâ utuntur, ſæpius decipiuntur. p. 98 n. 5. In partibus ſolent ſimiles obſervantiæ adhiberi, quod peſſimum eſt. p. 99. n. 6.
Ventus, qui non poteſt depingi, cum non habeat corpus, depingitur per effectus. p. 120. n. 1.
S. Vincentius Ferrerius laudat certam Matronam ob neglectum ornatûs muliebris. p. 427. n. 7.
Univerſitas furti in variis claſſibus. p. 402. Inſtruct. XLVII. per totum.
Votum; ejuſdem circumſtantiæ & obligationes. p. 170. Inſtruct. XXI. per totum. Quid ſit Votum? p. 173. n. 4. Fit ſoli DEO. p. 174. n. 5. Qualisnam ſit materia voti. p. 174. n. 6. Votô non adimpletô pœnæ à DEO infilctæ. p. 177. n. 9. & n. 11. p. 180. n. 2. p. 184. n. 7. p. 186. n. 9. Quid ſit offerendum DEO in votis? & quis poſſit vota facere? p. 179. Inſtruct. XXII. per totum. Quando ceſſat votum obligare? p. 182. n. 4. & ſequent. Quis poſſit vota irritare? p. 182. n. 5. Quis commutare? p. 184. n. 6.
Uſura infame furtum. p. 411. Inſtruct. XLVIII. per totum. Execrabilis uſura eſt apud Gentiles & Turcas. p. 412. n. 2. Quid illa ſit? p. 414. n. 5. 6. Pœnæ pro uſuris ſtabilitæ à Legibus & Canonibus. p. 417. n. 6. circa finem. Exemplum terribile uſurarii. p. 420. n. 8.
Uxores quandonam poſſunt ſuis Maritis aliquid ſurripere? p. 388. n. 5. Debent eſſe obedientes ſuis Maritis. p. 301. n. 7.
Wiligiſus filius Carpentarii in Archi-Epiſcopum Moguntinum evectus, imponit ſuo inſigni rotam. p. 265. n. 6. circa medium.

Ad Majorem DEI Gloriam.



K.K.RICHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU